Jc.19.pl.4.

37
28 D
16
MAG 3244

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. F. JOSEPH-MARIÆ PERRIMEZZI

EX ORDINE MINIMORUM

S. FRANCISCI DE PAULA

S. CONGREGATIONIS INDICIS IN URBE CONSULTORIS,

S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, SS. Domini noſtri Prælati Domeſtici, & Pontificio Solio Epiſcopi Aſſiſtentis, Sanctæ Oppidenſis Eccleſiæ Epiſcopi,

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ.

PARS SECUNDA.

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

PRINCIPEM

ALVARUM CIENFUEGOS,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM AMPLISSIMUM.



NEAPOLI MDCCXXX.

Ex Typographia Januarii Mutio Hæredis Michaëlis Aloyſii.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

PRINCIPEM

ALVARUM CIENFUEGOS,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM AMPLISSIMUM.

AUCTOR

SI cuiquam alteri theologicæ rei lucubratio offerenda , ejuſdenque defenſio ſi a quopiam alio eſt imploranda , hunc Te ſolum eſſe, EMINENTISSIME ALVARE, illos tantum ignorare arbitror, qui Te non norunt; ac proinde illos a Te non protegi, qui ad Te non confugiunt, illos non adjuvari , qui Te non implorant . Quum enim ubique gentium, per electiſſima volumina, quæ edidiſti, doctrinæ tuæ

Digitized by Google

fama latiſſime pervagetur; & quum in tota Eccleſia comperiatur, per præclara munera, quæ ſupra omnem laudem obis, illa, qua maxime fulges, ſumma auctoritatis amplitudo; quis hominum ignorat, in Te uno comprehendi, & mentem, quæ oblata aſſequatur, & cor, quod oblationem gratam habeat, & acceptam? Erunt profecto plurimi, qui, vel theologicæ doctrinæ laudem de induſtria affectant, vel ampliſſimæ dignitatis honorem cupide exoptant; at quam pauci, qui illam per labores aſſequuntur, hanc vero per merita; quod utranque ſtudio, ac ſudore conſequi, aut negligunt, aut detrectant?

Attamen ſi Te homines contueantur, AMPLISSIME PRINCEPS, citra negocium invenient, & qui alteram per crebra experimenta merueris, & qui poſtremam numeris omnibus æquaveris. In illa enim Societate educatus, quæ proborum, ac doctorum hominum in Eccleſia Societas eſt, adeo fortiter in literarum palæſtra cucurriſti, ut omne pallium fueris jure merito aſſequutus. Teſtantur Hiſpaniarum celebriores Academiæ, in quibus theologicam facultatem per plurimos annos edocens, florentiſſimos habuiſti Auditores, qui nomen tuum quoquo verſus clarius omnibus, ornatiuſque, reddiderunt. Teſtantur romani Eminentiſſimorum Cardinalium Conventus, in quibus ſuffragia tua quiſque uti oracula veneratur; & in illis ferendis Te ſequendi gloriam fere omnes contendunt. Teſtatur Romanum Concilium, paucis abhinc annis coactum, in quo quotquot interfuerunt, facilitatem, qua abſtruſiora exponebas, proprietatem, qua de cunctis loquebaris, ſubtilitatem, quam in cæteris exhibebas, omni ex parte admirabantur.

Teſtor denique & Ego, ſi hanc mihi præbeas facultatem, aliquando in tuum Muſæum perhonorifice admiſſus, & de theologicis rebus diſſerere juſſus,

harum

harum omnium adeo vividam, ſolidam, completanque peritiam in Te admiratus ſum, ut dixerim vere apparere, Te cathedram non modo rexiſſe, ſed & regere. Et quum exteriora negocia adeo animum tuum occupatum retineant, ut vix ocium habeas legendi, quæ ad præſens tuum pertinent miniſterium; theologica tamen volumina ea aſſiduitate evolvebas, ut vix ita faceret, qui ſacram illam ſcientiam pro munere haberet in ſcholis, & circulis, docere, ac profiteri. Quod quidem ex longo uſu, ac peculiari conſuetudine, in literarum palæſtris provenire nemo ambigit; immo etiam fateri omnes oportet, animum tuum factum ad omnia, non ideo amittere quæ poſſediſti, quia modo exerces quæ non curabas. Proinde abſque mendacio dicimus, Te ita ſcientias omnes habere, ut una alteri det locum in mente tua; ut altera non impediat quamlibet in ore tuo; ut tandem omnes, prout res exigit, prodeant alternatim ex calamo tuo, quo nihil acutius, ac rectius, ad res dirimendas, ſi difficiles, & ad eaſdem, ſi diſſonæ, componendas.

Hinc, quod omnes ſane demirantur, in rebus gerendis ea polles ſolertia, ea fidelitate, ea conſtantia, ut AUGUSTISSIMUS DOMINUS NOSTER haud valeat majorem deſiderare, noſque ſubditi amantiorem colere nequeamus. Quis in Romana aula, quæ omnium uti eſt princeps, ita eſt magiſtra, adeo eſt peregrinus, ut Te non prædicet hominem, in re gerenda vividum, acrem, atque vehementem? Quis in IMPERATORIS CAROLI negocio procurando Te navum, ſedulum, impigrum, non dicit? Quis in Germaniæ, cujus es Comprotector, juribus obſervandis, Te non laudat ſummæ curæ, perſpicacis ingenii, ſtudii infaticabilis, horarum denique, ac momentorum, obſervantiſſimum? Et quod pluris eſt mu-

nus

nus tuum adeo accurate imples, ut etiam amabiliter gratus omnibus, nemini autem infeſtus, appareas. Si præcipis, ea eſt præcipientis humanitas, ea urbanitas, ea dignitas, ut non jubere, ſed rogare potius videaris. Si exhortaris, ſic rationabiliter, ac modeſte, loqueris, ut non imperium, ſed eloquentiam exerceas. Si poſtulas, ita efficaciter, & amanter diſcurris, ut nemo poſſit poſtulata negare. Accedunt etiam verbis utplurimum opera, munera quoque ſæpius, laudes ſemper; quibus fit, ut nemo a Te triſtis diſcedat, immo qui Tibi beneficiis obſtrictum ſe omnimode non fateatur.

Quæ quum ita ſe habeant, quid mirum, ſi CÆSAR INVICTISSIMUS adeo gratum, acceptumque habeat miniſterium tuum, ut illud deſinat nunquam laudibus, & præmiis honeſtare? Quæ ſunt præclariora Siculi regni Sacerdotia, ſive reddituum opulentiam, ſive Eccleſiarum decora, ſive juriſditionis amplitudinem, ſpectemus, Tibi contulit; & ea etiam alacritate, ac omni prorſus cunctatione abjecta, contulit, ut plane oſtenderit, Te omnia ex animi ſui ſententia operari; unde non tantum verbis, ſed muneribus, illa omnia velit benigne accipere, ac largiter approbare. Munus autem, quod obis, cunctis quidem amplius, ac præclarius, ita ſibi pergratum ſentit, ut non ſemel Tibi confirmare dignatus fuerit; unde Subditorum gaudia in immenſum creſcunt, & Deo optimo maximo grates ſine fine reddunt, quod in extenſo munere tuo, noſtrum omnium ſaluti, ac ſolatio, proſpicere non dedignetur. Quid enim in præcipuo REGIS NOSTRI Miniſtro deſiderare poſſumus, quum in illo habeamus ſine oſtentatione auctoritatem, amorem ſine fallacia, liberalitatem ſine jactantia, ſollicitudinem ſine præcipitatione, ſine denique pigritia longanimitatem? Is omnia diſponit ad

tem-

tempus, diemque ſuum; itaut nec prætnaturæ, nec ſeræ, determinationes evadant; ſed potius, ut decet, diſpoſitæ, ſuum omnino ſortiantur effectum. Is tandem nec PRINCIPI SANCTISSIMO quem orat, nec PRINCIPI AUGUSTISSIMO, cujus nomine orat, injucundus; ita exequitur cuncta, quæ ei committuntur, ut & illius benevolentiam ſibi conciliet, & hujus ſibi ſartam tectam afferat humanitatem.

Tua ſunt decora, CARDINALIS DOCTISSIME, quæ modo in ſancto Eccleſiæ Principe, & in Sacro Imperii Miniſtro, qui Deo, quæ ſunt Dei, & qui Cæſari reddit, quæ Cæſaris ſunt, fuſis laudibus exaltavi. Et ſola modeſtia, quæ in Te eſt, tua eſſe contendet; quum de cætero omnes fateantur, Te Sacerdotii jura non frangere, quando Imperii ſuſtines privilegia; & viciſſim Imperii leges obſervare, quando Sacerdotii ornamenta veneraris. Hæc eſt felicitas temporum, quibus vivimus, habere Pontificem, qui pergratus Cæſari, nil ei judicet denegandum, quia hic nil petit non concedendum; habere Imperatorem; qui Pontifici obſequentiſſimus, illius nutu fertur, quod nutus non ſine ratione feratur; habere denique fidiſſimum Miniſtrum, & ſimul Cardinalem ampliſſimum, qui inter utrunque foveat unitatem, itaut amborum ſit cor unum, & anima una. Hanc vere Tibi debemus, concordiam ſcilicet Sacerdotii, & Imperii, quam per plures annos, Te procurante, ac ſervante, habuimus, & quam in poſterum habituros credimus, ſi Tu non deſines miniſterium implere, ut uſque modo, non ſine divini Numinis complacentia, & utriuſque Principis acceptatione, geſſiſti.

At veniamus ad rem ipſam, quam ſub tutela tua, ut fidenter ponimus, ita & a Te protegendam, conſtanter ſperamus. Continet hic liber noſter primo loco ſublimem illam de Trinitate doctrinam, quam

Tu

Tu duobus voluminibus expoſuiſti, ea quidem profunditate, ac perſpicuitate ſimul, ea elegantia, ac eruditione, ut non tantum Theologum egeris acutiſſimum, verum quoque Oratorem floridum, ac diſertiſſimum. Continet præterea de Angelis, de primorum hominum, ac de rerum omnium creatione, diſſertationes ſelectas, ac luculentas, ut rei ratio poſtulabat. Et in his non ſolum, quæ in ſcholis agitantur quæſtiones, verum quoque controverſiæ, quæ cum Heterodoxis ſuſtinemus, & quæ inſuper inter Eruditos in re hiſtorica, præcipue ſacra, diſquiſitiones fiunt, qua potuimus brevitate, ac concinnitate, continentur. Quæ quidem omnia ſicut genium tuum minime defraudant; ita & mihi ſpem addunt, qua firmiter expectem officii mei approbationem, & muneris quoque non dedignationem. Tractamus quæ vel tractaſti, vel tractas; etſi non illa perfectione virtutis, qua cuncta, quibus calamum imponis, tractare, in uſu habes; quod ſane non omnibus datum èſſe, fatemur. Attamen ſimilitudo laboris, etſi abſit operis æqualitas, efficiet, ut illa grata habeas in aliis, qui iiſdem manus imponunt, quæ probare ſudoribus tuis, præcipuo, ac ſingulari ſtudio, elegiſti.

Accedit ſanguinis claritas, qua genus tuum priſcis ſane temporibus adeo fulſit, ut non ſolum Hiſpanias, ſed & Gallias quoque, aliaſque finitimas regiones, quoquo verſus illuminaret. Et domi, & foris, rebus præclare geſtis, Majores tui ſic ſe Regibus commendarunt, ut toga, & armis quovis tempore illuſtrarentur. Hinc Contribules tui apud nos familiæ tuæ vetuſtatem, generis dignitatem, domi opulentiam, ac proſapiam multis, veteribuſque imaginibus, clariſſimam, communibus vocibus, prædicant, atque proclamant. Tu vero, PRINCEPS CLEMENTISSIME, illorum comprobas dicta, & regali illa munificentia,

qua

qua proſequeris cunctos, qui tua benevolentia honeſtantur; & magnificentia ſplendidiſſima, quæ in cunctis operibus tuis principem obtinet locum; & eleganti, concinnaque urbanitate, qua omnes ad Te attrahere dignaris, & neminem a Te pateris triſtem diſcedere. Hæc ſane ſunt infallibilia veræ nobilitatis inſignia, quibus ſtirpis amplitudo probatur, pluſquam imaginibus, vel titulis, vel etiam ſtemmatibus ſplendidiſſimis.

At majora ſunt, quæ Tu reddis Majoribus tuis, a quibus accepiſti natalium claritatem, & quibus quoque debes virtutum exempla, quæ poſteros quoſque ad conſervandam inducunt generis amplitudinem, quam iiſdem virtutibus partam, a Progenitoribus ſuis acceperunt. Siquidem fidelitatem illam, quam Auſtriacis, Catholiciſque Regibus intactam, inviolabilemque quovis ævo Homines tui ſanguinis ſervarunt, Tu ſupra omnes adeo fortiter tutatus es, ut pro illa ſervanda quodcunque ſubire diſcrimen non dubitaveris. Amor ille pro Patria, & Gente tua, quo exarſerunt corda illorum, qui domi Te præceſſerunt, & quorum argumenta, ſive in pace, ſive in bello, nec pauca, nec infima leguntur, quo ardoris altitudine in Te ferveat, Hiſpani omnes ubique fatentur, & obſtupeſcunt. Largitatem denique illam, ut alias, omneſque egregias, prætereamus virtutes, quibus Te generi tuo parem reddis, quæ ad cunctos extenditur, ſive illis benefaciendo, ut Eccleſiæ Princeps, cujus eſt pauperes ſublevare, ſive illos adjuvando, ut auguſtiſſimi Principis Orator, qui ſuum eſſe credit, nemini deeſſe; ſic Populi omnes, gentes omnes, ac nationes, in Te admirantur, ut neſciant quid in operibus tuis primo loco exaltent ex virtutibus tuis, quum omnes, ſive civiles, ſive politicas, ſive potiſſimum morales, & chriſtianas, in altiori gradu in

animo tuo inveniant, & unam alteri non cedere, non ſine admiratione, experiantur.

A tuis revertimur ad Te, SAPIENTISSIME ALVARE; ad illas ſcilicet virtutes commemorandas, quæ Te reddunt religioſi inſtituti tui ſapientiſſimum ſectatorem, epiſcopalis tui muneris integerrimum exemplar, doctrina denique, ac ſanctitate, & dignitate, eminentiſſimum. Quod ſane nobis comprobat, vel Religionis auſteritas, quam inter delicias, & pompas, mordicus obſervas; vel ſolitudinis amor, quo ad Deum quotannis raperis piis illis exercitationibus, quibus ad S. Patris tui leges, mens excolitur, animus perpolitur, ac regularis perfectio, vel acquiritur, vel augmentatur; vel paſtoralis denique ſollicitudo, qua proſpicis ovibus tuis, etſi longe diſſitis, quod eas monitis, ac mandatis tuis ita dirigis, ut ad vocem tuam, etſi non ad oculum, continuo in via ſalutis incedant. Nec ſane Tibi reluctantur aulæ ſtrepitus, rumores urbis, Orbis etiam viciſſitudines, quominus cœleſtibus rebus inſiſtas, ac præſtantiora tua ſtudia in Deo figas, ac colloces: quum ea pietatis præſtantia animum imbueris, ut etiam inter mundanas varietates valeas Te ad Deum, ac tua omnia referre. Hoc profecto miraculum inſuper in Te omnes demirantur, ut uno, eodemque tempore, Miniſtrum agas, & Principem, in aula, & in clauſtro Religioſum adimpleas, & Epiſcopum; & hoc ita adamuſſim ad ſanctitatis, & humanæ prudentiæ regulas, ut una alteram non impediat, immo nec ut altera ullam retardet.

Hæc de Te ſcribere ſcribendi conſuetudo coegit, non ſine quidem tuæ modeſtiæ commotione, at nec pariter ſine noſtræ ſinceritatis diſcrimine. Invaluit uſus, ut quicunque alteri ſuas lucubrationes nuncuparet, eidem in fronte Operis panegyricam ſcriberet.

Mo-

Morem hunc ſectari modo neceſſitas eſt; patere igitur, ut epiſtolam de invectæ jam conſuetudinis lege ſcribentes, Tibi ea narraverimus, quæ Tu facere, quam audire malueris, & nos admirari potius, quam loqui elegiſſemus. Hoc unum igitur remanet, ut a Te, PRINCEPS EMINENTISSIME, deprecemur, quod hoc qualecunque munuſculum noſtrum illo hilari, ac benigno oculo intuearis, quo aſſoles ea recipere, quæ Tibi a præſtantiori manu offeruntur; noſque illo protectionis tuæ privilegio honeſtes, quo poſſimus majora ſcribere ad Jesu Chriſti Eccleſiæ tutamen, ac ornamentum, ſi faxit Deus; & ulteriora Tibi; ad noſtræ obſervantiæ argumentum, nuncupare.

Digitized by Google

LEGENTIBUS
PROLOQUIUM.

PAVCIS in priori parte Vos detinuimus, nec pluribus hac in altera detinebimus. Idem porro eſt in ſcribendo conſilium, eadem operis ratio, nec diverſus diſſerendi modus, aut extranea methodus diſputandi. Solummodo res, quæ diſſeruntur, ac diſputantur, aliæ ſunt ab illis, quas in præcedenti volumine expoſuimus. Sic quippe erat ordinis lex, ut poſt ſacra de Deo ſcientiæ primordia, de ſubſequentibus ad illa tractaremus.

Continet igitur hoc volumen, quod ſecundæ partis titulo nominamus, tractatus, quos dicunt, de Deo Trino, de Angelis, ac de prima rerum creatione. Curavimus in ipſis potiora ſcribere, quæ ſive Polemici, ſive Scholaſtici, ſive ſacram Profitentes hiſtoriam, de iiſdem agere conſueverunt. Ea tamen lege, ut nec prolixitate moleſtiam, nec caliginem brevitate, vobis ingerere videremur. Si non de omnibus diſſeruimus, cuncta certe tetigimus; & eo quidem fine, ut qui plura deſiderarent, apud alios, qui de iiſdem latiori calamo pertractant, facili negocio adinvenirent.

Et quidem in primis, de Deo Trino materias, ſive myſterii profunditatem ſpectetis, ſive hæreſum multitudinem, ſive Scholarum diſſidia, ita eſt ambagibus involuta, ut vix poſſis, vel ſine confuſione, vel ſine obſcuritate, pertractari. Ea tamen moderatione peragenda ſunt omnia, ut ſcrutator majeſtatis non opprimatur a gloria. Quæ Deus nobis credenda proponit, abſonum eſt, quinimmo etiam impium, velle eadem ſcire; & nolle iiſdem aſſentiri, niſi per demonſtrationem probentur contra omne rei chriſtianæ inſtitutum eſt. Captivitatem intellectus exigit a nobis noſtræ fidei Auctor in iis, quæ de fide ſunt, non mentis acumen, ut perſcrutemur per naturale lumen, & per humana ratiocinia uſque ad evidentiam demonſtremus. Sat eſt, ut Adverſantium objecta ſolvamus, ut contradictiones, quas comminiſcuntur, diluamus, ut inconvenientia, quæ opponunt, futilia, & inania eſſe, probemus. Hoc ſane fit a cunctis, qui Dogmaticam pertractant; & hoc quoque pro virili nos agere conati ſumus.

Quæ vero tradidit Deus hominum diſputationi, ſic explere ſtuduimus, ut a Sanctorum Patrum dictis, ſi quæ fuerunt, nec in minimo diſcedere, voluerimus. Scholarum argutias, Philoſophorum ſpeculationes, naturales rationes, hac admiſimus temperantia, ut ſupra Eccleſiæ mentem, & Patrum doctrinam non prævalerent. Illa enim in cunctis eſt magiſtra, iſti ſunt Duces, a quorum veſtigiis diſcedere apertiſſima inſania eſt, ac temeritatis inconſultiſſimæ. Quis enim divinorum oraculorum ſenſum ſupra illos aſſequutus eſt, ut iiſdem præferri valeat jure merito aſpirare? Ipſi Patres noſtri ſunt, quorum ſi aſſequimur mentem, præ cunctis hac ſola gloria, debemus eſſe contenti. Hinc factum eſt, ut quoties nobis ſe occaſio obtulit, in aliquibus dubiis, in quibus a paucis cenſuram ſubjerunt, eos ex inſtituto defendimus, ac vindicavimus. Eorum quippe contextibus genuinam doctrinam, quam profitebantur, oſtendimus; & nævos, quos illis impingebant, omnino removere, conati ſumus. Sic porro fieri oportebat, ut venerationem, quam Catholici univerſi illorum dictis debent, non ſolum voce, ſed re ipſa, oſtenderimus.

Cæterum moleſtos illos haud dubie habemus, qui nimia libertate freti in ſanctos, antiquioreſque Patres calamum acuunt, illoſque ſæpeſæpius vel hallucinationis, vel inconſiderantiæ, vel erroris etiam, accuſant. Quum enim temporibus illis, quibus Eccleſiæ Patres florebant, non adhuc dogmata eſſent inter Catholicos diſputata, ab Hæreticis controverſa, a Pontificibus Romanis, & a Conciliis definita, ac, ut uno verbo dicamus, non adhuc eſſent in tuto poſita, ut modo ſunt; quid mirum, ſi unus,

aut

aut alter ex illis non ita perſpicue, ac inconcuſſe de iiſdem loquobatur, ut modo loquimur? Dandum profecto eſt aliquid temporum rationi, myſteriorum obſcuritati; ſcribentium primordiis; qui quum Duces non haberent, quos in fidei doctrina ſequerentur, nec omnia ex divinarum Scripturarum oraculis habere poſſent, ſola naturalis rationis luce ambulantes, qua utplurimum deficit, & aliquando etiam obſcuratur, humani aliquid ſe paſſos eſſe, nemo prudens demirabitur. Verum nec hoc in illis deprehenditur, ſi nos velimus ipſorum volumina diſcendi, non reprehendendi animo, volutare. Voces fortaſſis, qua tunc temporis in uſu erant, & modo non ſunt, diverſitatem præſeferre videntur; at res eadem eſt; inſuper, quod in uno loco obſcure pronunciatur, clariori modo in altero dicitur; & denique aliquando ex Adverſantium opinione loquuntur, quandoque ex propria. Quam diſcretionem quum non faciant Legentes, ideo tam faciles ſe oſtendunt, ad cenſura illos inurendos; quos quidem non inurerent, ſi ipſorum mentem aſſequerentur.

Profecto nobis optandum venit, ut majori veneratione Patres, & minori ſtudio Philoſophos, proſequamur. Quis enim ferret, Catholicos Viros piaculum ducere Ethnicos Philoſophos aſpernari, & eruditionis honorem Eccleſiaſticos Patres reprehendere? Si loquatur Ariſtoteles, ſi Plato, ſi Epicurus, ſi Democritus, ſi Anaxagoras, ſilentio ipſorum dicta venerari; & ſi loquatur Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, Athanaſius, Chryſoſtomus, Baſilius, Nazianzenus, quarere nodum in ſcirpo, & de illorum dictis Judicem ſe facere? At deteriora ſunt, qua in pluribus inſuper deploranda occurrunt. Sanctis, & antiquis Patribus nuperos Scriptores antepenunt; & horum ſectantes placita, parum, aut nihil ducunt illis ſe opponere, & adverſari. Vel quia utplurimum curioſis ingeniis nova placent, vel quia debiliores intellectus deteriora eligunt, ſanctam oppugnare antiquitatem pro merito parant, & doctrina auram captare ſtudent, quia nec ſcribunt, qua omnes calamo tradunt, nec affirmant, qua ab omnibus mente, & ore affirmantur. Hoc ſane nobis, & rationi diſſonum, & prudentia contrarium, & nec in fide tutum viſum eſt; unde erga antiquos Patres reverentiam, in dictis eorum excipiendis, & praelectionem in ipſorum ſententiis examinandis, & fortitudinem, in iiſdem vindicandis ab erroribus, qui ipſis a quibuſdam impinguntur, oſtendere, qualeucunque operam noſtram, ſi Superi voluere, navavimus.

Redeamus autem ad rem noſtram. Poſt de Deo Trino Diſſertationes continet hoc alterum Theologia volumen, alias de Angelis, & alias quoque de prima rerum creatione. De Angelis diſſeruimus, & qua Polemici, & qua Scholaſtici diſſerunt; at ſobrietate illa, qua neceſſaria quidem eſt, ut differentes nec brevitaris vitio obſcuri, nec prolixitatis tadio, moleſti reddantur. Si quas novas in medium adduximus excogitationes, de illis fuerunt, quas Deus in noſtra poſuit diſputatione. Nec omiſimus illas probatorum hominum auctoritate vallare; ut non ſolum ratiocinii vi, ſed etiam doctrina teſtimonio, diſputare videremur. Qua vero de iiſdem narrantur, non diſputantur; & ſunt utplurimum aniles fabula, quas muliercula prapoſtera fide ſequuntur; exacto criterio ſubjecimus; ut illa tantum amplecteremur, qua poſt accuratum examen amplectenda videbantur; qua vero reſpuenda, reſpueremus.

Diſſertationes denique de prima rerum creatione componere curavimus ea ſoliditate, ſtudio, labore, quibus non Theologi, ſed Sacrorum Codicum Interpretes pertractare in uſu habent. Siquidem res illas ea oportebat perſpicuitate exponere, ea ſecretione exſcribere, ut Legentes noſcerent, qua credere debuiſſent, qua ſcire, & qua probabiliter opinari. Sicco nimis calamo Theologi, & pracipue qui ſunt de Schola; illa pertractant; nec de illis, qua potiori jure ſunt pertractanda, diſcurrunt. Diffuſiores poſtea ſe reddentes in iis, qua ad rem non faciunt; quum potiſſimum ſint hypothetica quaſtiones, de rebus ſcilicet, qua nunquam erunt, ſed qua fuiſſent, ſi conditiones, quas fingunt, ſuum habuiſſent effectum. Quem quum non habuerint, nec habitura ſint, plane fit, ut tota quaſtiones illa prorſus ad nihilum redigantur. Hinc temporis diſſipatio, laboris inanitas, & ſtudii defectio, quibus non Legentium profectus, ſed falſa ſcribentium gloriola comparatur.

Ve-

Verum, quod majus eſt, **Legentes diſcretiſſimi**, *allicere vos curamus ad voluminis hujuſce lectionem, non operis commendatione, quæ nulla eſſe probatur, quum nihil habeamus nos, quod commendabile credamus; ſed potiſſimum benignitate illa veſtra, quam nos ipſi multoties experti ſumus. Eandem illam proſequi dignamini, quia ſicut nos illa freti, operi admovimus manum, ita ſi eadem nos deſtituetis, inceptum laborem minime proſequemur. Quod ſi fiet, haud quidem literarum Reſpublica dolore gravabitur, quia nullum expectat ex quoquunque labore noſtro ornamentum; at in hoc tantum, ſi fateri volumus, dolebit, quod hoc alterum non habebit patientiæ, ac humanitatis veſtræ teſtimonium.*

Nos autem ea quidem fiducia ſuſceptam provinciam proſequemur, ut quam ſemel putavimus ſuſcipiendam, niſi finem attingamus, non eam derelinquemus. Sive bene, ſive male, de nobis, & de fœtibus noſtris, dixerint homines, qui non eadem, ac Vos, præditi ſunt benevolentia, ac urbanitate; hoc nobis cordi erit, genio noſtro in primis indulgere, & deinde beneficio veſtro proſpicere. Genio noſtro indulgemus, ſcribentes, quæ ſcribimus; ſi ad decus, ſi ad dedecus, Vos judices eſtis, vos judices volumus. Beneficio veſtro proſpicimus, quia poſt Deum, quem primo loco reſpicimus, & ad quem quoslibet labores noſtros ordinamus, ad Vos dirigimus cuncta, quæ ſcribimus, ut ex ſtudio noſtro, ſi Superis placuerit, qualiqunque modo, proficiatis. Valete.

INDEX

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM.

Diſſertatio CI.

DE cognoſcibilitate Sanctiſſimæ Trinitatis myſterii, de Hæreticorum erroribus, & de Scholaſticorum ſententiis, circa eandem. 1

Diſſertatio CII.

De Philoſophis Ethnicis, an Trinitatem agnoverint, quid de ea ſenſerint, ut unde illius notionem hauſerint. 9

Diſſertatio CIII.

De Judæis, tum ante, tum poſt, Chriſti adventum; & de eorum, circa Trinitatis myſterium, aut incredulitate, aut fide. 13

Diſſertatio CIV.

De Patribus, qui ante Arii hæreſim in Eccleſia floruerunt, & quid de Trinitate, & ſenſerint, & ſcripſerint. 16

Diſſertatio CV.

De antiquioribus Hæreticis, & de eorum contra Trinitatem inſaniis. 22

Diſſertatio CVI.

De Sectariis recentibus, & de eorum contra Trinitatem deliriis. 26

Diſſertatio CVII.

De exiſtentia Trinitatis Perſonarum ex veteri Teſtamento contra Judæos. 29

Diſſertatio CVIII.

De exiſtentia Trinitatis Perſonarum ex novo Teſtamento contra Heterodoxos. 34

Diſſertatio CIX.

De exiſtentia Trinitatis Perſonarum, ex Eccleſiæ definitionibus, Patrum traditione, & theologicarum rationum momentis. 39

Diſſertatio CX.

De Vocibus, quæ in explicando Trinitatis Myſterio a Sanctis Patribus, vel a Theologis Scholaſticis uſurpantur. 49

Diſſertatio CXI.

De modo loquendi circa Trinitatem. 53

Diſſertatio CXII.

De Proceſſionibus in divinis Perſonis; de Erroribus contra eaſdem, illorumque Auctoribus; & de Scholaſticorum ſententiis circa illas. 60

Diſſertatio CXIII.

De Relationibus inter divinas Perſonas; An ſint? Quid ſint? Quot ſint? Quam habeant diſtinctionem? An conſtituant Perſonas? Et an perfectionem dicant? Et de peculiari pro his ultimis P. Magnani ſententia. 68

Diſſertatio CXIV.

De unitate naturæ in tribus divinis Perſonis; de Hæreticis, qui tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis contra eandem errarunt; & de Patribus, qui eodem tempore pro eadem ſcripſerunt. 84

Diſſertatio CXV.

De Arianæ Hæreſis origine, ortu, & progreſſu; de variis illius Sectis; de Conciliis, & Conciliabulis, in quibus, aut damnata, aut palliata, fuit; & de illis, qui eidem, vel calamo, vel enſe, patrocinati ſunt; deque illis, qui contra eandem bellum implacabile geſſerunt. 91

Diſſertatio CXVI.

De Hæreticis aliis, qui poſt Arium, ejuſdem Sectatores, Unitatem naturæ trium divinarum Perſonarum negarunt, & ad hæc uſque tempora inficiantur. 109

Diſ-

INDEX DISSERTATIONUM.

Diſſertatio CXVII.

De Divinitate Verbi, ex Scripturis, Conciliis, Patribus, ac Rationibus theologicis, aſſerta, & probata. 102

Diſſertatio CXVIII.

De Hæreſibus contra divinitatem Spiritus Sancti, & de illarum Auctoribus. 111

Diſſertatio CXIX.

De Divinitate Spiritus Sancti, Scripturarum oraculis, Conciliorum decretis, Sanctorum Patrum teſtimoniis, ac Rationum momentis, affirmata, ac probata. 115

Diſſertatio CXX.

De Appropriatione in divinis, de divinarum Perſonarum Æqualitate, & Conſubſtantialitate, de earundem Circuminſeſſione, Notionibus, & Miſſione. 121

Diſſertatio CXXI.

De Prima Trinitatis Perſona; de ejuſdem nominibus, & quomodo ipſi conveniant; quodnam ſit proprium ipſius nomen, & an ſolum ipſum in ratione primæ perſonæ eam conſtituat. 129

Diſſertatio CXXII.

De Secunda Trinitatis Perſona, & de variis ipſius nominibus; quænam ſint, & quomodo ipſi conveniant? 138

Diſſertatio CXXIII.

De Proceſſione Verbi; & ex quorum cognitione procedit. 148

Diſſertatio CXXIV.

De Proceſſione Filii, quod ſit Generatio, non ſic autem Proceſſio Spiritus Sancti; contra Hæreticos: Et quare dicatur Generatio, non ſic vero illa Spiritus Sancti; inter Scholaſticos. 152

Diſſertatio CXXV.

De tertia Trinitatis Perſona, & de Nominibus, quæ eidem, vel a Patribus Eccleſiæ, vel a Theologis de Schola, tribuuntur. 159

Diſſertatio CXXVI.

De Erroribus contra Proceſſionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio; & de Propugnatoribus illorum. 164

Diſſertatio CXXVII.

De Proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, divini Teſtamenti vocibus, Conciliorum votis, Patrum dictis, ac Theologorum ratiociniis demonſtrata. 168

Diſſertatio CXXVIII.

De Additione particulæ Filioque *Symbolo facta; quandonam fuerit facta; & an fuerit legitime facta?* 176

Diſſertatio CXXIX.

De Scholaſticorum Controverſia; Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, an ab eo diſtingueretur; an Hypotheſis ſit admittenda, & quid de Controverſia dicendum? 182

Diſſertatio CXXX.

De Exiſtentia Angelorum; de Hæreſibus contra illam, & de earundem Auctoribus; ac de illius probationibus, tum ex auctoritate, tum ex ratione. 190

Diſſertatio CXXXI.

De Auctore, & creatione Angelorum; de erroribus antiquorum, & de ſententiis recentiorum, circa illa; & de loco, & tempore creationis ipſorum, juxta Patrum traditionem, & Theologorum doctrinam. 196

Diſſertatio CXXXII.

De Natura Angelorum; de Philoſophorum, & Hæreticorum, erroribus, & de opinionibus Patrum, circa illam; & quid modo catholica Fides nobis credendum proponat? 204

Diſſertatio CXXXIII.

De carnali cum mulieribus commercio, quod Angelis falſo tribuitur; germana Scripturarum intelligentia aſſeritur; Errores proſcribuntur; Patres vindicantur. 211

Diſſertatio CXXXIV.

De Apparitione Angelorum ſub aliena forma. Apparitione

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM.

paritionis ſubſtantia in ſacris libris continetur; Modus autem Scholaſticorum diſputationibus controvertitur. Communis ſententia explicatur; & peculiaris P. Magnani opinio de hoc eodem modo exponitur. 216

Diſſertatio CXXXV.

De Immortalitate, & incorruptibilitate Angelorum; de Acatholicorum erroribus, & de Scholaſticorum diſputationibus de illa. Errores impugnantur, Opiniones examinantur, probabilior eligitur. 222

Diſſertatio CXXXVI.

De multitudine, & diſtinctione Angelorum. Errores proſcribuntur, Opiniones referuntur, quæ veroſimilior eſt ſententia defenditur. 229

Diſſertatio CXXXVII.

De Hierarchiis, Ordinibus, & Nominibus Angelorum, Sectariorum inſania confutantur; Theologorum ſententia amplectuntur. 237

Diſſertatio CXXXVIII.

De Statu beatitudinis, & gratia, in quo fuerunt Angeli creati. Quod certum eſt, proponitur; quod probabile eſt, probatur. 243

Diſſertatio CXXXIX.

De celebri inter Scholaſticos Controverſia; An Angeli potuerint in primo ſuæ creationis inſtanti peccare. 250

Diſſertatio CXL.

De Loco Angelorum; An Angeli ſint in loco? In quibus reperiantur locis? Quomodo, & per quid, ſint in loco? Ubi de Sphæra præſentiæ Angelorum, ſecundum P. Magnanum. 255

Diſſertatio CXLI.

De motu Angelorum; An ſcilicet ſit, qualis, & quotuplex? Et an poſſint Angeli de uno extremo ad aliud moveri, abſque eo quod medium pertranſeant? 266

Diſſertatio CXLII.

De objecto cognitionis Angelorum; quænam cognoſcant Angeli, & quomodo cognoſcant? Ubi de futuris liberis, & fortuitis, de ſecretis cordium, & de Myſteriis Gratiæ, an ab Angelis cognoſcantur, & quomodo? 271

Diſſertatio CXLIII.

De Medio, quo Angeli propria objecta cognoſcunt; & de Dotibus cognitionis ipſorum. 277

Diſſertatio CXLIV.

De Voluntate Angelorum, & de præcipuo ejus actu, qui eſt Amor; an ſit in Angelis, & qualis, & ad quæ objecta se extendat? 282

Diſſertatio CXLV.

De Loquutione Angelorum; qui ſint contra ipſam Hæreticorum errores, & quæ Scholaſticorum circa eandem explicationes? Veritas contra primos defenditur, & probabilior ſententia inter ſecundos eligitur. 286

Diſſertatio CXLVI.

De Illuminatione Angelorum; qui ſint inter illos illuminantes, & qui illuminati? & quomodo illorum illuminatio fiat. 292

Diſſertatio CXLVII.

De Miſſione Angelorum; an a Deo mittantur Angeli? qui Angeli mittantur? quibus, & ad quæ, mittantur? 295

Diſſertatio CXLVIII.

De Cuſtodia Angelorum; & de erroribus Hæreticorum, ac opinionibus Scholaſticorum, contra, & circa illam. Quibus detur; ad quæ ſe extendat; & an cuique detur etiam Angelus malus? 300

Diſſertatio CIL.

De Merito Angelorum: An meruerint, quid vero, & per quid meruerint? 308

Diſſertatio CL.

De Adoratione, & Invocatione Angelorum. Hæreſes, earumque Auctores, enumerantur, ac profligantur. Catholica veritas explicatur, ac defenditur. 312

Diſſertatio CLI.

De primo Angelorum Peccato. Hæretici adducuntur; & impugnantur, aſſerentes, malos Angelos naturæ, non culpæ, fuiſſe malos. Primi Angelo-

rum Peccati adducitur origo, & ſpecies; & qui fuerint Angeli prævaricatores, illorumque Princeps, inveſtigatur. 316

Diſſertatio CLII.

De Pœna peccati Angelorum. Quanam fuerit? an æterna? ad quæ ſe extendat? & an Angelos malos omni principatu, ſive erga Angelos, ſive erga homines, ſive erga res alias, privaverit? Hæreſes profligantur, dogmata ſtatuuntur, ſcholaſticæ opiniones juſto examini ſubjiciuntur. 325

Diſſertatio CLIII.

De Angelorum, ſive bonorum, ſive malorum, extraordinariis operationibus; ubi de Spectris, Energumenis, Magis, Maleficis, Pythonibus, Lamiis, Incubis, & Succubis, aliiſque ſimilibus. 330

Diſſertatio CLIV.

De operibus primæ, & ſecundæ diei in prima rerum creatione:
Ubi an materia aliqua res productas præceſſerit? an omnia ſimul, vel diſtinctis diebus creata fuerint? & quid per res prima & ſecunda die creatas intelligatur? 345

Diſſertatio CLV.

De Operibus tertiæ, & quartæ diei; ubi, an dies fuerit prior nocte, an contra? Et an mundus fuerit autumno, an vere, conditus? & quid per res tertia, & quarta die productas intelligatur? 354

Diſſertatio CLVI.

De Operibus quintæ, & ſextæ diei; ubi an cœleſtia corpora ſint animata? an beſtiæ, & herbæ noxiæ fuerint ab initio creatæ? Et quid per res quinta, & ſexta die conditas intelligatur? 358

Diſſertatio CLVII.

De Terreſtri Paradiſo; an fuerit corporeus, an ſpiritualis? In qua orbis parte ſitus? An modo extet? Et quid in eo fuerint Arbor ſcientiæ boni, & mali, & Arbor vitæ? 363

Diſſertatio CLVIII.

De primi Hominis creatione; an fuerit Adam primus Homo a Deo creatus, an vero fuerint Homines Præadamitæ? De ſtatu Gratiæ, in quo fuit Adam creatus; & de Beatitudinis dono, quo idem in ſui creatione fuit a Deo exornatus. 373

Diſſertatio CLIX.

De ſtatu Innocentiæ in Homine; ubi de dotibus ſpectantibus ad intellectum, ad voluntatem, & ad corpus, hominis innocentis: An Adamus, & Eva, ſi non peccaſſent, generaſſent cum libidine? Et quis in eo ſtatu modus generationis filiorum fuiſſent? 383

Diſſertatio CLX.

De peccato primorum parentum; quænam fuerint cauſſæ ipſius? quæ ſpecies? quæ gravitas? quæ pœna? 393

IN

Digitized by Google

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ.

PARS SECUNDA.

DISSERTATIO CI.

De cognoſcibilitate Sanctiſſimæ Trinitatis myſterii, de Hæreticorum erroribus, & de Scholaſticorum ſententiis, circa eandem.

CUJUSCUNQUE divini myſterii cognoſcibilitas, aut implicita dicitur, aut explicita. Illa habetur per deductionem, & mediate, quatenus ſcilicet ex unius cognitione alterius notio comparatur; ut ex cognitione eſſentiæ notio attributorum; ex notione unius attributi alterius cognitio. Hæc vero quando myſterium in ſe ipſo, & immediate cognoſcitur. Utraque etiam haberi poteſt, vel naturali ratione, vel ſupernaturali revelatione. Primo modo, quando naturalis luminis vi acquiritur; altero modo, quando a Deo ſuperius lumen creato intellectui infunditur.

Ex poſſibilitate cognitionis emanat poſſibilitas probationis. Si enim naturali lumine cognoſci poteſt myſterium, poteſt etiam naturali ratione probari. Et quia cognitio eſſe poteſt, vel probabilis, vel evidens; inde etiam probationes eſſe poſſunt, vel probabiles, vel demonſtrativæ. Ulterius probationes, aut ſunt poſitivæ, aut ſunt negativæ. Per illas probatur myſterium rationibus directis, & convincentibus intellectum ad aſſentiendum illi. Per negativas vero ſolvuntur argumenta, quæ adduci poſſunt in contrarium, & oſtenditur ex eo admiſſo nullas oriri implicantias, vel contradictiones. Denique rationes iſtæ adinveniri poſſunt, vel ſuppoſita revelatione, vel ea præciſa; itaut myſterium cognoſcatur, & probetur, abſque eo, quod per revelationem aliqua de eo notitia habeatur; aut vero ſuppoſita notitia habita, vel per revelationem, vel per fidem, poſſit intellectus ſpeculari rationes, congruentias, aut alia hujuſmodi, quibus myſterium, aut poſitive, aut negative, naturaliter probetur.

Si de Hæreticorum erroribus loquimur, habemus primo Claudianum Mamertum, Presbyterum, qui quinto ſeculo vivebat, & jactabat, ſolo rationis lumine, quemque poſſe cuncta fidei myſteria, & cognoſcere, & probare. De eo loquitur Hennus tract. de Deo trino diſp. 3. q. 1. Unde

pariter de Trinitatis myſterio inſaniam ſuam intelligendam eſſe, volebat; ut apud præfatum Hennum. Meminit præterea ejuſdem Claudiani, quem modo Mamertum, modo Mamertinum, vocat, Petavius tom. 2. theolog. dogm. lib. 1. c. 2. num. 6. recitans ejus verba lib. 2. de ſtatu animæ, quæ omnia ſunt in Platonis commendationem, quem, ob Trinitatis notitiam, quam eundem putavit naturali vi aſſequutum fuiſſe, ſummis laudibus extollit. Re vera tamen Petavius aſſerit, Claudianum, ſi attente Platonis, & Platonicorum libros legiſſet, non ſcripſiſſe ea, quæ nunquam Plato, nec Platonici, ſomniarunt.

Secundo nobis se objicit Hierax, Ægyptius, infelix Manichæorum ſectator, qui inter alia ſua deliria, hoc pariter venditare non erubuit; ſe ſcilicet poſſe Trinitatis myſterium adæquate omnibus explicare, & adeo naturalibus ſimilitudinibus exponere, ut quilibet ei facillime aſſentiatur. Lucernæ exemplum adducebat, habentis tamen per ipſum ſola duo lumina, Patrem ſcilicet, & Filium; & illud uſurpabat, *Lumen de Lumine*, ad errorem ſuum probandum. In quo quidem a S. Hilario reprehenſum lib. 6. de Trinitate, teſtatur Berninus in Hæreſum Hiſtoria ſec. 3. c. 13.

Tertio ſcribimus Petrum Abailardum, de quo S. Bernardus epiſt. 110. refert, publice dixiſſe, ſe Trinitatis myſterium, & profundiſſima quæque alia Fidei noſtræ arcana, poſſe ſolo ingenii ſui acumine penetrare. Habemus a laudato Henno, cit. loc. Præterea Du Hamel hæc Bernardi verba recitat: *Et dum paratus eſt de omnibus reddere rationem, etiam quæ ſunt ſupra rationem præſumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari tranſcendere? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle quidquid non poſſit ratione attingere?*

Poſt tres hoſce recenſitos Hæreticorum errores, tres alias Scholaſticorum ſententias circa rem, de qua loquimur, in medium adducimus. Prima eſt quorundam Theologorum, qui docent, Trinitatis myſterium ita humanæ mentis captum ſuperare, ut nulla naturalis luminis perſpicuitate poſſit detegi; & non ſolum illud eſſe ſupra, ſed etiam contra, humanæ rationis vim; itaut ſi quis ſola ratione ducatur, myſterium illud omnino impoſſibile eſſe judicet. Refert hanc Theologorum ſententiam, ſuppreſſo tamen nomine, Fraſſen de Trinit. tract. 3. diſp. 1. art. 1. q. 2.

Secunda ſententia eſt Raymundi Lullii, qui ex oppoſito docuit, myſterium Trinitatis non ſolum non repugnare naturali rationi, ſed ita illi eſſe conforme, ut per eam poſſit evidenter etiam demonſtrari. Ita Lullius in libro, cui titulus Apoſtophen, & in libris pariter ſententiarum. In quibus, teſte citato Fraſſen, intendit, tria hæc, quæ Trinitatis myſterium conſtituunt, poſſe naturali lumine demonſtrari. Nimirum, primo, plures eſſe in Deo perſonas; ſecundo, nec plures eſſe, nec pauciores, quam tres; tertio, perſonas haſce Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe. Citatur etiam Eymericus in dictorio Inquiſitorum p. 2. qu. 9., de Lullio ſcribens.

Tertia ſententia eſt communior inter Theologos, qui docent, Trinitatis myſterium non eſſe contra, quanvis ſit ſupra naturalem rationem; adeoque etſi poſitive non poſſit, nec cognoſci, nec probari naturaliter, poteſt tamen negative probari; ſolvendo ſcilicet argumenta, quæ in contrarium adducuntur, & repugnantias, quæ ab Adverſariis excogitantur. Et hoc quidem non ſecluſa divina revelatione, ſed ea ſuppoſita, & habita, aut immediate a Deo, aut mediate ab Eccleſia per fidem.

Dicimus ergo I. dogma fidei eſſe, Trinitatis myſterium non ita eſſe juxta naturalem rationem, ut naturali evidentia probari poſſit; nec adeo eſſe contra naturalem rationem, ut naturaliter probari poſſit, illud eſſe impoſſibile, aut repugnans. Secunda concluſionis pars probabitur, quando Trinitatis exiſtentiam contra divini myſterii hoſtes probabimus, ex parte; & ex parte probabitur etiam in ſecunda hujuſce Diſſertationis concluſione, in qua ejus non repugnantiam oſtendemus; & negative probando, omnia argumenta ſolvere conabimur, quæ congeri contra ejus poſſibilitatem ullatenus poſſunt. Primam probamus modo contra Hæreticos illos, quos nuper adnumeravimus; & pariter contra Raymundum Lullium, de quo dixit Fraſſen, veriſimilius ſibi eſſe, eum cenſuiſſe, evidenter demonſtrari poſſe divinarum Perſonarum Trinitatem independenter ab aliqua ſupernaturali illuſtratione; quod in ſequentibus etiam oſtendit.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 11. 27. *Et nemo novit Filium, niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius; & cui voluerit Filius revelare*. Et expreſſius Lucæ 10. 22. *Et nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater; & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius*

reve-

revelare. Hæc eadem teſtimonia a Concilio Nicæno I. proferuntur, ut probet, impoſſibile eſſe naturaliter penetrare divinæ generationis myſterium. Matth. 16. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*. Nomine autem carnis, & ſanguinis, ait S. Cyrillus Alexandrinus in orat. de Verbi incarnatione, non venire tantum cognitionem habitam ex ſenſibus, ſed quancumque, dummodo ſit naturæ viribus acquiſita. *In ipſam rem curioſius noli inquirere: non enim per Graecorum ſapientiam, aut mundanum ſenſum percipitur, ſed ab utroque eſt aliena: Beatus es Simon Bar-Jona, inquit Dominus, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, &c. nam Filii Dei cognitio cæleſte, divinaque inſpirationis donum eſt*.

II. Probatur ex Conciliis. Nicænum I. generale lib. 2., probat, ut diximus, divinæ generationis naturalem incognoſcibilitatem ex verbis Matthæi, & Lucæ, nuper relatis. Synodus Antiochena I. celebrata tempore Dionyſii Papæ, ut ait Fraſſen, in profeſſione Fidei hæc habet: *Notionem Dei utcunque mediocrem ſi habemus revelante Filio ejus, ſicut ait: Nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui Filius revelaverit, contenti eſſe debemus*.

III. Probatur ex Patribus. Epiphanius hæres. 76. *Omnia pratervolant, & excedunt, & omnem cauſam ſyllogiſticam relinquunt doctrinali illi ex divina Scriptura ſententia, nempe, nemo novit Filium, niſi Pater; neque Patrem, niſi Filius, & cui is revelarit. Revelat autem per Spiritum Sanctum non his, qui de ipſo per ſyllogiſmos ratiocinantur, ſed qui in ipſum legitime, ac perfecte credunt*. Nazianzenus orat. de Theologia num. 67. *Ducem potius fidem, quam rationem, ſequamur, ſi modo ingenii tui imbecillitatem in propinquioribus didiciſti, rationiſque id eſſe cognoviſti, ut quænam ſint ea, quæ rationis humanæ captum excedunt, cognoſcas: Ne alioqui prorſus terrenus ſis, ipſam quoque ignorantiam tuam ignorans*. Ambroſius lib. 1. de Fide ad Gratianum c. 10. *Impoſſibile eſt, generationis Verbi divini ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet*. Hieronymus in procem. lib. 18. in Iſaiam, *Trinitatis recta confeſſio eſt ignoratio ſcientiæ*. Hilarius lib. 1. de Trinit. *Reſpuit captioſas, & inutiles Philoſophiæ quæſtiones fides conſtans; neque humanarum ineptiarum fallaciis ſuccumbens, ſpolium ſe præbet veritas falſitati*. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 6. *Deum eſſe Trinitatem, credimus potius, quam videmus*. Idem epiſt. 55. *Multa ſunt, quæ de Trinitatis ineffabilitate dicuntur, non ut ipſa dicatur, alioqui non eſſet ineffabilis, ſed ut illis dictis, illa dici non poſſe intelligatur*. Hormiſda Papa in ep. ad Juſtinianum Imperatorem: *Secretum Trinitatis neque ulla viſibilium, vel inviſibilium creaturarum potuit inveſtigare natura*.

IV. Probatur Rationibus I. Debet eſſe proportio inter objectum, & potentiam; ſed nulla eſt proportio inter potentiam naturalem, & objectum ſupernaturale: ergo nullo modo poteſt naturalis intellectiva potentia creata cognoſcere myſterium Trinitatis, quod eſt omnino ſupernaturale. II. Nulla poteſt eſſe demonſtratio, quæ Trinitatis poſſit probare certam, & evidentem cognitionem: ergo demonſtrative probari non poteſt. Probatur antecedens. Non poteſt eſſe demonſtratio a priori; quia ſancta Trinitas cauſſam non habet, quum ſit omnino independens ab omni cauſſa extrinſeca, nequit eſſe demonſtratio a poſteriori; quia creaturæ non dicunt ordinem ad Deum ut trinum, ſed ad Deum ut unum; nec poteſt etiam eſſe aliquid æquivalens, quod conſtituat demonſtrationem æquiparentiæ, ut Lullius aſſerit; quia omnes Lullii rationes vel Trinitatem ſupponunt, vel eam impugnant, & ſolvunt: ergo vel negative, vel ſuppoſita revelatione probant. Quod eſſet probandum, in ſolutione argumentorum Lullii videbitur. III. Quodcunque in creatis invenitur eſt Trinitati magis diſſimile, quam ſimile: ergo non poteſt eſſe perfectum exemplum, vel adæquatum veſtigium, ut Trinitas naturaliter vel cognoſcatur, vel probetur. Antecedens probat P. Magnanus ex S. Thoma in 1. diſt. 33. ar. 1., & magis conſtat ex inſpectione exemplorum, & veſtigiorum, quæ ab Adverſariis proponuntur. IV. Si Trinitas poſſet naturaliter demonſtrari, maxime demonſtraretur per interna principia ejuſdem; ſed hæc non ſunt minus nobis incognita naturaliter, quam ſit ipſa Trinitas: ergo per illa demonſtrari non poteſt. Probatur minor. Non eſt ita evidens, Deum eſſe trinum, ex eo quod ſit Deus, quam eſt evidens, Deum eſſe omnipotentem, juſtum, ſanctum, omniſcium, ex eo quod ſit Deus; ſed contrarium hujuſce aſſertionis ſequeretur, ſi principia interna Trinitatis eſſent nobis minus incognita, quam ſit ipſa Trinitas: ergo &c. Minor conſtat conſideranti connexionem, quam illa cum Deo, habent, & Trinitas non habet. V. Non ſuppoſita revelatione non poſſunt cognoſci divinæ pro-

proceſſiones naturaliter: ergo non poteſt naturaliter cognoſci Trinitas. Conſequentia ſequitur, quia in proceſſionibus divinis Trinitas conſiſtit. Antecedens probatur. Si cognoſci poſſent, cognoſcerentur ex iis, quæ in naturalibus viderentur; ſed in naturalibus nihil apparet, quod hujuſmodi proceſſionum cogitationem nobis ingerat; & quod magis eſt, in naturalibus nullam invenimus proceſſionem ſine dependentia, poſterioritate, diſtinctione naturæ, &c. ergo non ſuppoſita revelatione non poſſunt cognoſci divinæ proceſſiones naturaliter. VI. In ratiocinio mere naturali facilius eſt diſcurrere, quod non detur Trinitas, quam quod detur: ergo per diſcurſum mere naturalem nec poteſt cognoſci, nec probari Trinitatis myſterium. Probatur antecedens. In ratiocinio mere naturali facilius eſt diſcurrere, quod in Deo non dentur proceſſiones illæ, quæ in creatis inſeparabiles involvunt imperfectiones, quam quod dentur ſine imperfectionibus iſtis; ſed proceſſiones illæ Trinitatem in divinis conſtituunt: ergo in ratiocinio mere naturali facilius eſt diſcurrere, quod non detur Trinitas, quam quod detur.

Arguunt I. Creaturæ ſunt effectus divinæ Trinitatis: ergo ex cognitione creaturarum poteſt cognoſci, & probari, divina Trinitas. Probatur antecedens. Creatio hominis divinæ Trinitati tribuitur: ergo creaturæ ſunt effectus divinæ Trinitatis. Probatur antecedens. Dicitur Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ergo creatio hominis non unitati, aliter dictum eſſet, *faciam*, & *meam*, ſed Trinitati divinæ tribuenda eſt, quum dictum ſit, *faciamur*, & *noſtram*. II. Homo eſt divinæ Trinitatis imago; ſed facilis, & naturalis eſt cognitio originalis ex illius imagine; ergo facilis, & naturalis eſt cognitio Trinitatis ex hominis cognitione. III. Poteſt ſola naturali cognitione cognoſci objectum, in quo Trinitas continetur: ergo ſaltem implicite poteſt naturaliter cognoſci Trinitas. Probatur antecedens. Poteſt naturaliter, ſaltem imperfecte, cognoſci divina eſsentia; ſed in divina eſsentia continetur Trinitas: ergo poteſt ſola cognitione naturali cognoſci objectum, in quo Trinitas continetur. IV. Philoſophi multi habuerunt Trinitatis notitiam; ſed illam non habuerunt per fidem, nec per revelationem: ergo naturaliter. V. S. Athanaſius in diſput. cont. Arium, quæ in Nicæno Concilio invenitur, & orat. 2. contra Arianos, totus eſt, ut oſtendat, Philoſophos Gentiles fuiſse inexcuſabiles, quia Verbi divinitatem ex creaturis non agnoverunt: ergo ſi poterant naturaliter ex creaturis cognoſcere Verbi divinitatem, poterant etiam eodem modo Trinitatem cognoſcere. VI. Opponitur prima ratio Lullii: Sicut ſe habet bonitas finita ad bonitatem finitam, ita bonitas infinita ad bonitatem infinitam; ſed bonitas finita, utpote diffuſiva ſui, producit bonitatem finitam: ergo bonitas infinita, utpote pariter ſui diffuſiva, debet producere bonitatem infinitam; ſed non poteſt eſse bonum infinitum, niſi ſit Deus; & non poteſt eſse Deus, niſi ſit in eadem natura, & in diverſa perſona: ergo bonum illud infinitum eſset Deus in identitate naturæ, & in pluralitate perſonæ. VII. Deus eſt actus purus, æternus, & infinitus: ergo ſemper agit, & agit æternaliter, & infinite; ſed non poteſt ſemper agere, & agere æternaliter, & infinite, niſi producat æternum, & infinitum: ergo æternum, & infinitum producit; atqui hoc tale eſt Deus; & quidem non in natura, ſed in perſona diſtinctus: ergo, &c. VIII. Deus eſt Deus in exiſtendo: ergo etiam eſt Deus in operando; ſed non eſset Deus in operando, niſi produceret alium Deum: ergo alium Deum producit; non diverſum in natura: ergo in perſona diſtinctum. Antecedens eſt certum, aliter non eſset actus purus. IX. Divina eſsentia, & divina potentia idem ſunt; ſed divina eſsentia, quum diſtet a nihilo in infinitum, facit etiam, ut divina potentia diſtet a nihilo in infinitum: ergo divina potentia, ut diſtet a nihilo in infinitum, non debet ſolum producere naturaliter finitum; ſi non poteſt ſolum naturaliter producere finitum: ergo debet naturaliter producere non finitum: ergo infinitum: ergo Deum. X. Nobilius eſt ens, quod eſt bonum, & facit bonum, quod eſt infinitum, & facit infinitum; quod eſt perfectum, & facit perfectum; quam quod eſt tale, & non facit tale; ſed Deus eſt ens perfectiſſimum: ergo non ſolum debet eſse bonum, infinitum, perfectum, ſed etiam debet facere bonum, infinitum, perfectum; atqui ens bonum, infinitum, perfectum, eſt ſolus Deus: ergo Deus producet Deum; non diſtinctum in natura, quia aliter non eſſet Deus: ergo in perſona.

Reſpondemus ad I. quod, quum actiones ſint ſuppoſitorum, actio creativa non ſolum reſpondere debeat virtuti divinæ produ-

ctivæ

ctivæ creaturæ, ſed etiam ſuppoſito, in quo talis virtus eſſe debeat. Et hoc eſt, quod poreſt naturaliter cugnoſci. Quod autem hoc ſuppoſitum ſit unum, vel ſint tria, nullam habet connexionem naturalem cum effectu; & per conſequens nullam habere debet cognoſcibilitatem naturalem ex eodem effectu. Et eo magis, quod in creatis experimur, effectus correſpondere virtuti operativæ, quæ eſt in uno ſuppoſito, & non in pluribus. Ad illud Geneſis non dicitur, quod productio mundi appellet Trinitatem, & non unitatem Dei; quum Gen. 1. t. dicatur; *in principio creavit Deus cœlum, & terram*. Et quamvis in verbis hiſce ſecundum textum hebraicum contineatur etiam Trinitas, ut videbimus, hoc tamen ab omnibus non admittitur; ut nec admittitur pariter, verba illa *faciamus* &c. appellare Perſonas divinas; quia ſecundum aliquos per illa videntur Angeli indicari.

Ad II. diſtinguimus minorem; facilis, & naturalis eſt cognitio originalis ex illius imagine, quando utcunque cognoſcitur originale, conceditur; quando cognoſcitur ratio formalis imaginis, & habitudo, quam habet ad originale, negatur. Et in hoc ſtat difficultas, quia quando cognoſcitur homo ſub ratione imaginis, ut dictum eſt, non poteſt eſſe, ut cognitio illa ſit per ingenitum ſibi rationis lumen. Unde Auguſtinus, explanans illud Apoſtoli 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate*; lib. 15. de Trinit. c. 24. docet; *Non ait Apoſtolus, videmus ſpeculum, ſed per ſpeculum... Qui ergo vident ſuam mentem, quomodo videre poſſunt in ea Trinitatem iſtam?*

Ad III. dicitur, quod ex eſſentia imperfecte cognita in Deo, ut nos de facto cognoſcimus eam, non poteſt cognoſci Trinitas, quæ cum eſſentia divina identificatur. Cognita enim eſſentia Dei cognoſcitur utique id, quod eſt Trinitas, ſed non cognuſcitur Trinitas. Non enim nos ex cognitione utcunque naturali eſſentiæ divinæ poſſumus cognoſcere ea, quæ omnino ſupernaturalia in ipſa ſunt, & cognitionem omnem naturalem excedunt; immo quæ nullam habent cum naturalibus ſimilitudinem, vel proportionem.

Ad IV. reſponſio dabitur in ſequenti Diſſertatione.

Ad V. reſpondet Fraſſen, quod Athanaſius intellexit auxilium ſupernaturale gratiæ excitantis, quo Philoſophi illi illuſtrati, ex creaturarum contemplatione aliquam ſaltem obſcuram Trinitatis notitiam acquirere potuerunt. Quod confirmat verbis ejuſdem Athanaſii orat. 1. contr. Arianos ſcribentis: *Gratiæ ejus in nos collatæ magnæ haud dubie ſunt, & ſupra hominem, & quod tranſcendit ſua excellentia omnia charismata Patris illa, ipſiuſque Verbi cognitio, & donatio Sancti Spiritus*.

Ad VI. quod eſt primum argumentorum Lullii, dicitur, quod propoſitio illa; non poteſt eſſe Deus, niſi ſit in eadem natura, & in diverſa perſona; primo non eſt evidens naturali lumine, ut eſt certa ſuppoſito lumine, fidei ſupernaturali; quod ſi deficit evidentia, non eſt amplius demonſtratio: Secundo eſt manifeſta petitio principii; hoc enim eſt in quæſtione, hoc Trinitatis nomine ſentimus, hoc ſibi demonſtrandum incumbit; aſſumere autem ut probatum, quod eſt probandum, eſt apertiſſime principium petere. Alia plura ſubdit P. Magnanus, quæ ex hac Lullii ratione, repugnantia emanant.

Ad VII. dicitur, quod vel argumentum loquitur de actione tranſeunte, qualis eſt actio creaturæ ad extra, vel de actione immanente; non de actione Dei ad extra, & tranſeunte, ut Lullius ipſe concedere debet; & tamen hoc tantum argumentum ſuum probaret: Nec etiam de immanenti; primo, quia non eſt evidens, ut purus actus producat infinitum, perfectum, ad intra, ex eo quod agat infinite, perfecte &c., & hoc quia non eſt evidens, ut ita ſit actio immanens: immo in nobis ita non eſt. Secundo ſubdit P. Magnanus, quod neque pariter eſt evidens, quod actio ſit ſimul productiva, & non factiva; quod convenit ſane creato agenti, Deo autem nullo modo convenit; quam quidem reſponſionem P. Magnanus etiam præcedenti argumento dedit.

Ad VIII. reſpondet per inſtanſtiam P. Magnanus: Sol eſt tam in exiſtendo, quam in agendo, ſol: ergo ſol producit ſolem. Directe diſtinguit conſequens dupliciter; primo: ergo etiam in operando eſt Deus; itaut poſſit producere Deum, negatur; itaut poſſit operari a ſe, ſicut a ſe exiſtit, & perfectiſſime operari, ſicut perfectiſſime exiſtit, conceditur. Secundo; in operando ad extra, itaut operetur ad latitudinem ſuæ omnipotentiæ, & producat omne poſſibile, conceditur; itaut producat alium Deum, qui non eſt poſſibilis; negatur.

Ad IX. dicimus cum eodem; quod vel intelligit Lullius potentiam eſſentialem in

Deo ; vel potentiam notionalem . Non poteſt intelligere eſſentialem , quia hæc non eſt productiva ad intra ; tum etiam quia hæc ſatis infinite diſtat a nihilo , quando operatur ad extra , & creat ; perſona divina non poteſt educi de nihilo : ergo non poteſt hoc modo nec ad extra , nec ad intra produci . Si vero loquitur de potentia notionali , hæc pariter diſtat a nihilo ratione ſuæ actualitatis , & infinite diſtat ; non vero per hoc ſequitur , quod etiam diſtare debeat in infinitum ratinne ſuæ activitatis , ut ſit productiva de se , & ex se naturaliter . Et ſi eſſet, nec hoc eſſet quoque evidens , ut demonſtrationem faceret .

Ad X. vel loquitur Lullius de operatione ad extra, & falſum eſt ejus principium , quia non fuiſſet Deus minus nobilis , minus perfectus , quam eſt , ſi mundum non feciſſet. Si loquitur de operatione ad intra, quum hæc ſit operatio neceſſaria non libera , non poteſt ſupponi , quod in Deo nnn ſit; adeoque qund ſine illa poſſit concipi Deus. Cum autem dicat Lullius, quod alias ſequeretur , potentiam , & privationem eſſe meliores , quam ſit actus ; hoc ipſo pariter ſupponit capacitatem boni illius infiniti , perfecti &c. , ſeu potentiam ut producatur ; per quod diſtinguetur a chimæra , quæ non eſt producibilis. At hoc , quod ſupponit , non eſt evidens, quia probatione indiget . Et eo magis, quia non eſt evidens , dari poſſe productionem , quæ non ſit effectio : ergo quia divina perſona non poteſt produci effective , non eſt evidens , quod produci poſſit, & ſit producibilis. Unde nec eſſet evidens, eſſet nobiliorem illum , qui producit perſonam ad intra , illo , qui non producit .

Dicimus II. Sicut ſuppoſita revelatione Fidei poſſumus aliqua invenire , quæ Trinitatis exiſtentiam ſuadeant , & confirment; ita poſſumus omnia ſolvere , per quæ intendatur ejus impoſſibilitas , vel repugnantia , probari . Eſt contra Theologns illos primæ ſententiæ propugnatores ; & eſt ſecundum illos,qui tertiam amplectuntur , & tuentur .

I. probatur . Sancti Patres Athanaſius , Nazianzenus , & Cyrillus Alexandrinus , Trinitatis veſtigium agnoverunt in ſole , cujus exemplo illius exiſtentiam illuſtrarunt , & confirmarunt : ergo vere ſuppoſita Fide poſſumus ſuadere , & explicare ex rebus naturalibus Trinitatis myſterium , in iiſdem illius veſtigium , & imaginem, oſtendentes. Probatur antecedens. Athanaſius q. 4. ait : *Quemadmodum enim ſol conſtat tribus ſubſiſtentiis , ita & unus Deus tribus perſonis . Typus enim Patris eſt orbis ſolaris : Typus Filii eſt radius : Typus Spiritus Sancti eſt lumen ſolis . Proinde ſicut in ſole orbis , radius , & lumen , non dicuntur tres ſoles , ſed unus ſol; ſimiliter & in Deo Pater , Filius , & Spiritus Sanctus , unus Deus , & non tres .* Eadem habet Nazianzenus orat.45. , & Cyrillus Alexandrinus inquit : *Sol eſt Pater , radius Filius, ſplendor ignitus eſt Spiritus Sanctus* .

II. probatur. Adhuc Sancti Patres agnoſcunt Trinitatis veſtigium in aliis creatis rebus ; nimirum in igne , in aere , in aqua , in terra , in creaturis omnibus , & præcipue in homine: ergo noſtra Concluſio Patrum experimento elucidatur . Probatur antecedens . S. Athanaſius cit. loc. hæc ſcribit de igne : *Tres ſunt ſubſiſtentia unius ignis ; ſcilicet ſubjectum ignis , & urens , & lucens; & tamen una eſt natura ignis . Sic Pater eſt ignis , Filius eſt urens ,. Spiritus Sanctus eſt vis illuminans* . S. Iſidorus lib. 2. de differentiis ſpiritualibus c. 2. *Sicut ignis , candor , & calor , tria quidem vocabula, ſed res una : ita in relatione Perſonarum Trinitas eſt , in ſubſtantia vero natura unus Deus* . S. Auguſtinus lib.6. de Trinit. c.ult. *Oportet , ut Creatorem , per ea , quæ facta ſunt , intellectum conſpicientes , Trinitatem intelligamus , cujus in creatura quomodo dignum eſt , apparet veſtigium* . Idem lib. pariter 6. de Trin. c.10. *Hæc igitur omnia, quæ arte divina facta ſunt , & unitatem quandam in se oſtendunt , & ſpeciem , & ordinem* . Idem lib. 15. de Trin. c.20. *Quisquis hæc tria , ſcilicet memoriam , intelligentiam , & voluntatem , in ſua mente , naturaliter divinitus inſtituta, vivaciter perſpicit, & quam magnum ſit in ea , unde poteſt etiam ſempiterna , immutabilisque natura recoli, conſpici , amplecti . Reminiſcitur per memoriam , intuetur per intelligentiam , amplectitur per dilectionem : profecto reperit illius ſummæ Trinitatis imaginem . Ad quam ſummam Trinitatem, reminiſcendam , videndam , diligendam, ut eam recordetur , eam contempletur, eam delectetur, totum debet referre,quod vivit .*

III. probatur. Quia multa ex exemplis dictis attulerunt Patres in libris ſuis , convenit ut dicamus , illos navaſſe operam , ut ea adinvenirent, & poſtea curaſſe , eadem ad poſteros demandare , quia multum profutura , & fidelibus , & infidelibus , judicabant . Quæ quum ita ſint , argumen-

gumentum nobis faciunt, non improbabile quidem, & quanti nobis ſint adjumenti exempla iſta ad credendum, præcipue in myſteriis, quæ non poſſumus naturalis rationis virtute aſſequi; & quantam pariter nobis conferant lucem ad diſputandum contra illos, qui divina myſteria denegant ut plurimum, quia non comprehendunt. Præcipue nobis arridet Auguſtinus, qui præ cæteris aliis exemplis hiſce utitur, ut in eis oſtendat, etſi imperfecta, non obſcura tamen, divinæ Trinitatis veſtigia. Hinc lib. 9. de Trin. c. 4. ait: *Igitur ipſa mens, & amor, & notitia ejus, tria quædam ſunt, & hæc tria unum ſunt, & cum perfecta ſunt, æqualia ſunt.* Inſuper cit. lib. c. 7. *Nemo enim volens, aliquid facit, quod non in corde ſuo prius dixerit, quod verbum amore concipitur, ſive creaturæ, ſive creatoris;* id eſt, *aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis.* Adhuc eod. lib. c. 12. *Sicut Dei Verbum Filium eſſe, nullus Chriſtianus dubitat, ita charitatem eſſe Spiritum Sanctum.* Alia ſubdit inferius, quæ clariorem rem reddunt, & quæ nos non recitamus, ne nimii ſimus. Modo ad probandum negative accedimus, ſolutione ſcilicet argumentorum.

Arguunt igitur I. Opponitur myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis principium illud ſyllogiſticum: Quæ ſunt idem inter ſe, ſunt idem uni tertio; & quæ ſunt idem uni tertio, ſunt idem inter ſe. Nam Perſonæ divinæ ſunt idem cum natura divina, & tamen non ſunt inter ſe idem, ſed realiter diſtinctæ; item ſunt inter ſe realiter diſtinctæ, & cum natura divina ſunt idem realiter. II. opponitur aliud principium ſyllogiſticum, quod eſt; Dici de omni; ſcilicet, quicquid de aliquo ſuperiori affirmatur, debet pariter de omnibus ſub ipſo contentis affirmari; ſed de eſſentia affirmatur, quod ſit idem realiter cum Paternitate, cum Filiatione, cum Spiratione paſſiva; ergo debet pariter affirmari de Paternitate, quod ſit idem cum Filiatione, & Spiratione paſſiva realiter; & idem de Filiatione cum Paternitate, & Spiratione paſſiva; & idem de Spiratione paſſiva, cum Paternitate, & Filiatione. III. opponitur principium alterum ſyllogiſticum, quod eſt; Dici de nullo; nimirum, quicquid negatur de aliquo ſuperiori, pariter negari debet de omnibus, quæ ſub ipſo continentur; ſed de eſſentia negatus, quod producat: ergo debet pariter negari de Paternitate, Filiatione, & Spiratione paſſiva. IV. opponitur principium illud metaphyſicum; impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe; nempe, affirmatio, & negatio non poteſt ſimul, & ſemel verificari de una, & eadem re; ſed eſſentia divina communicatur, & perſonalitas, quæ eſt idem cum eſſentia, non communicatur; Pater generat realiter, & eſſentia, quæ eſt idem realiter cum Paternitate, nun generat; ulterius, eadem res eſt ſingularis, & communis, nam eſſentia eſt ſingulariter hæc, & tamen eſt communis tribus Perſonis: ergo eſt ſimul communis, & non communis. V. Trinitas eſt incompoſſibilis cum unitate Dei; quum enim ratione unitatis Deus ſit primum ens, non ſulum debet eſſe ſolus ratione perſonæ, quam ratione eſſentiæ. VI. Deus eſt a ſe: ergo non poteſt eſſe Trinus. Probatur conſequentia; quia, quum Filius, & Spiritus Sanctus, non ſint a ſe, ſed ab alio, nun poſſunt eſſe Deus. VII. Deus eſt infinitus: ergo non poteſt eſſe Trinus. Probatur conſequentia. Eſſe Deum Trinum importat plures Perſonas; ſed non poſſunt omnes Perſonæ eſſe infinitæ, ut eſt Deus: ergo ſi Deus eſt infinitus, non poteſt eſſe Trinus. VIII. Deus eſt perfectiſſimus in omni genere, & habet omnem imaginabilem perfectionem in ſe ipſo: ergo non poteſt eſſe Trinus. Probatur conſequentia. Perfectiones, quæ ſunt in una Perſona vel ſunt in alia, vel non ſunt; ſi ſunt: ergo non eſt realis diſtinctio inter unam, & alteram: Si non ſunt: ergo unaquæque ex illis non habet omnem imaginabilem perfectionem: ergo non eſt Deus. IX. Quicquid eſt in Patre vel eſt in eſſentia, vel non; ſi non eſt: ergo datur in Deo quaternitas, quia eſſet aliquid in Patre, quod non eſſet eſſentia: Si eſt; ſic contra: In Patre eſt diſtinctio a Filio: ergo pariter eſt in eſſentia; hoc dici non poteſt: ergo &c. X. Ex vi ſyllogiſmi expoſitorii, valet hic diſcurſus: Paulus eſt ſanctus; ſed hic homo eſt Paulus: ergo hic homo eſt ſanctus: Non valet autem in divinis hic ſyllogiſmus: Hæc natura divina eſt Pater; ſed Filius eſt hæc natura divina: ergo Filius eſt Pater.

Reſpondemus ad I. cum P. Magnano, principium illud ſyllogiſticum verum eſſe logice, in prædicando ſcilicet, in ſupponendo, in ſignificando; itaut ſenſus ejus ſit; quæ in ſignificando, prædicando, & ſupponendo, ſeu logice, & ſecundo intentionaliter, ſunt idem cum uno tertio;

itaut

itaut poſſint pro illo ſupponere, & prædicari, eodem omni modo, quo illud tertium ſupponit, & prædicatur; illa etiam funt inter ſe idem logice in prædicando, ſupponendo &c. Et hoc pacto vera eſt propoſitio; ſed altera, quæ ad eam ſequitur, eſt ſalſa; ſcilicet, Perſonæ divinæ ſunt idem cum eſſentia modo dicto; quia Perſonæ divinæ ſigillatim non ſunt logice idem cum eſsentia divina. Pater enim non ſupponit pro omni eo, pro quo ſupponit eſsentia; nec prædicari poteſt de omni eo, de quo prædicatur eſsentia. Ita de aliis Perſonis. Quum ergo Perſonæ hoc pacto non ſint idem cum eſſentia, non mirum, ſi neque ſint idem inter ſe. Subdit P. Magnanus, quod ſi accipiatur principium illud metaphyſice, ſeu phyſice, neque urget; quia illud admittimus ex experientia, quam habemus in creaturis; at non admittimus, quia nobis notum ſit ex terminis; itaut ita ſit ex terminis evidens, ut nullam pati poſſit exceptionem. Debet ergo Adverſarius prius probare, principium illud eſſe univerſaliter verum, ut intentum ſuum probet. Illud autem nunquam probabit, quia ſemper probabit idem per ſe ipſum. Ex Scoto addit Fraſſen tertiam reſponſionem, admittendo ſcilicet principium, quando extrema, quæ conveniunt in tertio, habent ex ſuis principiis, & ex ſua ratione formali, quod etiam inter ſe ita conveniant. Quando hoc ita non habent, nec pariter inter ſe identificari exigunt.

Ad II. dicitur, quod eſſentia divina non eſt genus ad Perſonalitates divinas, ſicut eſt animal ad ſuas ſpecies; itaut debeat verificari de quacumque ſpecie quod dicitur de genere; ut verificetur principium illud logicum; dici de omni. Species enim non habet eandem numero naturam, ac genus, ac aliæ ſpecies; ſicut habent Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Nun eſt vero inconveniens, ut principium illud verificetur in iis, in quibus habetur ratio generis, & ſpeciei, non vero in illis, in quibus non habetur. Ulterius ratio generis eſt tantum abſtracta, & eſt nomen tantum ſecundæ intentionis; unde non bene applicatur ad eſſentiam divinam, quæ eſt quid concretum, & a parte rei exiſtens. Denique haud bene argumentatur ex terminis logicis, abſtractis, ac ſecundæ intentionis, ad res phyſicas, concretas, & primæ intentionis; & quod majus eſt a rebus limitatis, finitis, & imperfectis, ad illimitatas, infinitas, ac perfectiſſimas.

Ad III. Eadem eſt reſponſio, ac ad II.

Ad IV. Ad probandam contradictionem non ſufficit probare, quod affirmatio, & negatio ſit de eadem re ſecundum ſuam realem entitatem; ſed requiritur etiam, ut probetur, quod ſit ſecundum eandem, aut formalitatem, aut virtualitatem. Cajus diſcurrit, ut eſt rationalis; & non diſcurrit, ut eſt ſenſitivus: ergo dicetur, quod diſcurrit, & non diſcurrit? Nequaquam; diſcurrere enim, & non diſcurrere, non dicuntur de eodem homine Cajo ſecundum eandem formalitatem, vel virtualitatem. Ita pariter in Divinis, ut ſuo loco dicetur.

Ad V. dicimus per rationem primi entis negari multitudinem Deorum, quæ quidem per Trinitatem non aſſeritur; quia tres perſonæ ſunt ſemper unus Deus. Quælibet pariter Perſona in ſua propria ratione eſt una; quia eſt unus Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus. Per multiplicitatem vero Perſonarum non deſtruitur naturæ unitas; ut ſuo loco oſtendetur.

Ad VI. Aſeitas excludit dependentiam, non vero productionem. Filius a Patre eſt productus, at non dependens; Spiritus Sanctus a Patre, & Filio, eodem modo. Cæterum nec Pater eſt cauſſa Filii, nec Pater, & Filius ſunt cauſſa Spiritus Sancti; quod poſſet aliquo modo importare dependentiam; ſed ſunt ſolummodo principium.

Ad VII. Infinitas perſonarum eſt ratione eſsentiæ divinæ; adeoque eſt una, & eadem in tribus Perſonis infinitas, ſicut una, & eadem eſt in tribus Perſonis eſſentia.

Ad VIII. eodem modo reſpondetur, dicendo nimirum, quod perfectio Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, eſt perfectio naturæ divinæ; unde una, & eadem eſt in tribus Perſonis ratio perfectiſſimi plena, & in omni genere. An vero Perſonæ dicant perfectionem ultra perfectionem eſſentiæ, quæſtio eſt inter Scholaſticos, de qua infra pauliſper forſitan diſſeremus.

Ad IX. dicimus, quod quicquid eſt in eſsentia, eſt in Patre, at non quicquid eſt in Patre eſt in eſsentia; unde quanvis eſsentia prout in Padre ſit idem cum Patre, & prout in Filio ſit idem cum Filio; non tamen ſequitur, eandem prout in Patre, eſse idem cum Filio; *cum ſit evidens*, inquit P. Magnanus, *aliam eſſe rationem eſſentia ſumpta ut in Patre, aliam eſſentia ſumpta ut in Filio, aliam ſumpta ſecundum re.*

Ad

Ad X. reſpondet pariter P. Magnanus, dicendo, argumentum non eſſe in forma; quia natura divina, quæ eſt medius terminus, in modo ſignificandi convenit cum terminis ſingularibus, in re vero ſignificata convenit cum terminis communibus. At in ſyllogiſmis expoſitoriis medius terminus ita accipi debet ſingularis; ut non extendatur ad rem ſignificatam; quia aliter non diſtribuit; ut eſt in caſu, in quo quanvis ſit verum, quod natura divina eſt Pater, non tamen eſt verum, quod omne, quod eſt natura divina eſt Pater.

DISSERTATIO CII.

De Philoſophis Ethnicis, an Trinitatem agnoverint, quid de ea ſenſerint, ut unde illius notionem hauſerint.

UNIUS, Trinique Dei myſterium elt quidem medium, in quo & veritas, inter Gentilium, & Judæorum extrema; ſi quidem Judæi, ſola unitate contenti, pluralitatem omnem reſpuebant; Gentiles vero, ſolam pluralitatem amplectentes, unitatem omnimode repudiabant; Chriſtiani autem, per mediam viam incedentes, unitatem in natura amplexati ſunt, & pluralitatem admiſerunt in Perſonis. Unde Julianus Auguſtus, turpiſſimus chriſtianæ religionis Deſertor, nobis exprobrans, teſte Cyrillo lib. 2. cont. Julianum, dicere quidem per injuriã intendebat, ſed nolens cum veritate tamen pronunciabat: *Eam a Gentilium, & Judæorum religione diverſam, mediam inter utranque incedere*. Quod & expreſſius deinde dixit Gregorius Nyſſenus orat. catech. *E judaica perſuaſione naturæ divinæ ſingularitas manat; ex gentili autem errore ſolum diſcrimen hypoſtaſeon; & utriuſque congruenti remedio impia curatur opinio. Eſt enim velut medicina quædam iis, qui circa unum aberrant, Trinitatis numerus: iis vero, qui in multitudinem diſperſi ſunt, ſingularitatis ratio*. Utinam, & Gentiles, & Judæi, exemplo chriſtianæ fidei, aliquando ſaperent, & intelligerent, extrema relinquendo, in quibus eſt vitium, & medium amplexando, quod Beatorum eſt accipere, ac retinere.

Adhuc tamen uti verum nobis venditant non pauci, inter Gentiles fuiſſe Philoſophos, qui intra ſuorum Deorum turbas ſanctiſſimæ Trinitatis notitiam habuerint. Quod ſi hoc nos concedamus; quum Philoſophi illi nullam a Deo receperint de myſterio hoc revelationem, dicere oportebit, cognitionem illam naturæ viribus acquiſiviſſe; quod eſſet contra a nobis dicta in præcedenti Diſſertatione. Si vero negemus; magnum quidem auferimus catholicæ veritati ſubſidium, quo contra Atheos, vel Gentiles, oſtendatur, cæteris etiam extra chriſtianam religionem lumen aliquod, undecunque venerit, divinæ Trinitatis affulſiſſe. Rem ergo oportet omni ex parte expendere, conſiderando nimirum cujuslibet Philoſophi ex illis, qui adducuntur in medium, dicta; & in iiſdem obſervando, an notitia illa, de qua agitur, inveniatur; & quando vere ſit in illis, inveſtigando demum, a quo fonte hauſerint illam, & an puram exhibuerint, an vero erroribus ſuis obtectam, & implicatam.

Primo loco aſſerimus Platonem, qui aſſeruit, eſſe unum ſummum, ac ſupremum Deum, qui ſit cæterorum pater; deinde alium eſſe Deum, qui ſit omnium rerum artifex, & principium; poſtremu alterum Deum eſſe, qui ſit anima mundi. Leguntur hæc in Platonis Timæo; ſed clarius in ejuſdem epiſtola ſecunda ad Dionyſium: *Circa omnium Regem cuncta ſunt; ipſius gratia omnia; ipſe pulcrorum omnium cauſa: circa ſecundum ſecunda; tertia circa tertium*. Ex hiſce Platonis verbis deduxit Euſebius 11. præp. evang. tres divinitatis perſonas, ſecundum ſententiam Platonicorum: *Hæc Platonis verba, qui explicandam Philoſophi mentem ſuſcepere, ad primum Deum, ſecundumque principium referunt: nec non ad tertium, quem mundi animam, Deumque tertium ipſi quoque appellare ſolent*. Inſignis eſt alter Platonis locus in epiſt. 6. ad Hermiam, & Eraſtum, & Coriſcum: *Etiam jurejurando, ut æquum eſt, interpoſito, non ſine eleganti ſtudio, atque hujus ſtudii ſorore diſciplina:*

teſtando Deum rerum omnium ducem, quæ ſunt, & quæ futura ſunt; ac ducis, & principii Patrem Dominum.

Poſt Platonem ſuccedit Plotinus, in platonica ſchola non alteri ſecundus, qui Enn. 5. lib. 1. c. 6. & 7. primum de illis tribus putavit eſſe perfectum, quem vocavit mentem potiorem; ſecundum vero dixit mentem poſteriorem, a priore genitam, & illius imaginem; tertium denique voluit eſſe animam mundi, a ſecunda mente genitam, & quæ ejuſdem eſt λόγον. Hic Plotinus citatur a Cyrillo lib. 8. contra Julianum.

Numenius inſuper, qui ex Pythagori ſchola fuit, teſte Euſebio lib. 11. præpar. evang. trium Deorum primum vocavit cauſſam, ſecundum dixit artificem, tertium appellavit ideam.

Proclus lib. 2. Numenii ſententiam recepit, & explicavit; ſi quidem in Commentariis ad Timæum hæc ſcripſit: *Numenius tres Deos prædicans, Patrem quidem appellat primum; factorem autem ſecundum; opus vero tertium. Mundus enim ex illius opinione tertius eſt Deus. Itaque duplex ab eo conſtituitur artifex, primus, & ſecundus Deus; quod autem conditum eſt, tertius.* Sub hiſce aliis nominibus pariter hæc tria appellabat; Avi nimirum, Patris, & Nepotis; πάππον, ἔγγονον, ἀπόγονον. Alii aliter ſentientes Proclum impugnant, & de Platonis mente inter plures acerrime certatur; ut videre eſt apud Petavium theolog. dogm. t. 2. lib. 1. c. 1. num. 4. & ſeqq.

Poſt modo recenſitos Philophos affertur in medium Philo, Platonicæ ſcholæ ſectator, quanvis Judaicæ legis profeſſor. Hic pariter duos admiſit Deos, Platonis mentem ſequi, & aſſequi conatus. Multa ejus teſtimonia leguntur apud Euſebium lib. 7. præpar. evang. Nos afferimus ejus verba, quæ recitantur a Petavio: *Nihil enim mortale ad ſupremi, & univerſarum parentis imaginem fingi poterat, ſed ad ſecundi Dei, qui illius eſt logos, hoc eſt ratio, vel ſermo. Oportebat enim rationalem hominis in anima figuram a divina imprimi ratione. Siquidem Deus ille logon antecedens rationalem omnem naturam antecellit. Ad ejus vero ſimilitudinem, qui ſupra rationem optima in ſpecie, eximiaque conſtituitur, genitum aliquid commodari nefas erat.*

Verum ante Platonem, ejuſque tempora, non pauci intendunt, hæc eadem fuiſse ſcripta, apud Chaldæos, & Ægyptios, a Zeroaſtre, & a Mercurio Triſmegiſto, qui ibidem in ſapientia principes habebantur. Siquidem Zeroaſtres in libro, cui titulus, Oracula magica, quem Plethon, & Pſellus, notis illuſtrarunt, Platonis doctrinam expreſſe proponit. Et Mercurius in libro, cui inſcriptio hæc eſt Ποιμάνδρης, expreſſius, & diſtinctius eandem viſus eſt omnibus expoſuiſſe, ac explicaſſe. Hæc utcunque poſſent admitti, ſi libri, qui producuntur, vere illorum eſſent fœtus, quorum nomina oſtentant. At falſo uterque fœtus Zeroaſtræ, & Mercurio, ſuppoſitus eſt, ut mox oſtendemus.

Et quidem de Mercurio, Eruditi omnes conveniunt, opus illud Mercurii non eſſe, at potius Auctoris, qui vixit poſt Chriſtum natum, & qui fuit etiam Chriſtianus, aut Semi-Chriſtianus, ut aſſerunt plerique. Natalis Alexander hiſt. eccl. ſec. 1. c. 13. ar. 17. multis rationibus hoc probat; quarum præcipuæ hæ ſunt. Auctor Pimandri, qui dicitur Mercurii fœtus, multa ex Geneſis libro deſumpſiſſe prodit; ergo non fuit Moyſe antiquior; atqui Mercurius multis ſeculis Moyſen præceſſit: ergo auctor Pimandri non eſt Mercurius. Ulterius, idem Auctor multa ex Evangeliis mutuatus eſt: ergo vixit poſt Chriſtum natum: ergo non fuit Mercurius. Inſuper ex Chriſtianorum ritibus deſumpta videntur, quæ ſcripta ſunt c. 13. Pimandri; *juſtificati ſumus, o Fili, injuſtitia abſente... Nemini regenerationis prodens myſterium, ne tanquam Diaboli habeamur.* Demum c. 16. Auctor aſſerit, ſi libri ſui a Græcis in ſuam linguam transferrentur, obſcuriores evaſuros; unde vetat, ne communicentur Græcis: Sed tempore, quo verus Mercurius vivebat, Græcorum nomen adhuc in mundo non audiebatur; ergo &c. Hæc eadem exhibet Petavius, omnino legendus lib. 1. rat. tempor. c. 7. Quod vero auctor iſte floruerit poſt Chriſtum natum, immo paulo poſt Apoſtolorum tempora, conſtat, quia opus ſuum citavit Juſtinus in fine Cohortationis ad Græcos; citavit etiam Lactantius lib. 4. divin. inſtit. c. 6., citavit Cyrillus Alexandrinus lib. 1. cont. Julianum p. 30., citavit denique, ut alios omittamus, Auguſtinus lib. de quinque hæreſibus c. 3. Nec per hoc, quod laudati Patres opus iſtud ſub nomine Mercurii citaverint, quis inferet, quod vere Mercurii fuit; etenim Patres illi ita eum citarunt, quia Gentiles illud Mercurio tribuebant, ac propterea plurimi æſtimabant. Arguentes propterea contra Ethnicos ad hominem, illorum Philoſophi teſtimonio utebantur, ut fortius illos

los convincerent; parum proinde curabant inquirere, an opus vere Mercurii eſſet, an non. Demum quod Chriſtianus, aut potius Semi-Chriſtianus fuerit, præter alios aſſerit Iſaac Caſaubonus Exercit. 1. ad apparat. Annal. Baronii ſect. 10. verbis hiſce: *Librum integrum, qui ſub nomine Triſmegiſti circumferri ab aliquot ſeculis cœpit, non veremur pronunciare, & omni aſſeveratione confirmare, eſſe ψευδεπίγραφον, utpote qui ſit Chriſtiani alicujus, vel, ut melius dicam, Semi Chriſtiani merum figmentum.... Porro quis fuerit hic Mercurius, aut quando vixerit, omitto quærere. Conſtat literarum, & omnium ſcientiarum inventionem ad iſtum referri ſolitam.*

De utroque Opere, Zeroaſtræ ſcilicet, & Mercurii, Petavius t. 2. theolog. dogm. lib. 1. c. 2. num. 3. hæc literis conſignavit: ,, Sed opus utrunque ſuppoſitium, &
,, confictum mihi videtur, nec tantæ vetu-
,, ſtatis eſſe, quantam ei vulgo fere docti,
,, indoctique omnes adſcribunt. Ut de Ma-
,, gia iſtis, & Chaldaicis quiſquiliis hoc loco
,, taceam; certe qui Pæmandrem ſub Mer-
,, curii Triſmegiſti nomine publicavit, non
,, belle mimum ſuum peregit; nec ſic latere
,, potuit, ut attentos, minimeque ſtolidos
,, lectores falleret; quin certa identidem ad-
,, ſperſit indicia, ex quibus de fraude non
,, levis conjectura ducatur ,,.

Etſi vero admittatur, illa, quæ veteres gentiles Philoſophi de ſumma Trinitate ſcripſerunt, conſona eſſe myſterio, aut indicando, aut explicando, quod quidem non concedimus, ut mox dicetur; poteſt nihilominus non una aſſignari ratio, cur eadem fuerint ab ipſis ſcripto tradita. Prima, quia potuerunt notitiam illam excipere per traditionem ad Adamo uſque ad Noë ductam, & a Noë uſque ad Abrahamum, & ad Moyſen, propagatam. Moyſes quidem Ægyptiis Philoſophis potuit ea tradere, & ab Ægyptiis Philoſophis didicerunt Orpheus, Pytagoras, Plato, aliique Philoſophi Græci; quos ab illis edoctos fuiſſe, teſtantur Juſtinus, & Cyrillus. Secundo, quod Plato, aliique Philoſophi, multa didicerunt ab Hebræis, & Chaldæis, ad quos a primis Patriarchis Trinitatis notitia pervenerat; & hoc aſſerit Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromatum. Tertio addunt alii, quod veteres Philoſophi habuerunt cognitiones illas a Sybillis, quæ multa de Divinitate, & de Trinitate, ſcripſerunt. Verum eruditi Critici hoc non admittunt, quum velint ſybillinos libros primo, vel ſecundo Eccleſiæ ſeculo fuiſſe confictos. Natalis tamen Alexander hoc non ſine diſtinctione concedit, aſſerens, octo libros ſybillinos, qui leguntur t. 8. Bibliot. Patrum, ex parte eſſe confictos, non vero in totum; quia multa illorum teſtimonia a ſanctis Patribus, & eccleſiaſticis Auctoribus priorum ſeculorum citantur; Unde, quum Lactantius aſſerat, lib. 1. inſtit. c. 6. Sybillas plura vaticinatas fuiſſe de Trinitate, admittenda pariter videtur hæc tertia ratio. Quarto, quia Philoſophi Ethnici potuerunt pariter legere libros Moyſis, præſertim Plato, aliique, qui poſt Moyſen floruerunt. Quinto demum, quod potuerunt aſſequi Philoſophi notitias illas per Dæmonum oracula, quibus Trinitatis myſterium fuit ante lapſum revelatum. Et ita docent Eugubinus lib. 2. de perenni Philoſophia c. ult., Vives in 10. lib. de civit. Dei cap 23. a Fraſſen citati.

Cæterum omnium prædictorum Philoſophorum verba ita obſcura ſunt, adeo erroribus implicata, ſic ineptiis referta, ut potius ex iiſdem hæreſes innumeræ prodierint, quam catholicæ veritates fuerint firmatæ, ac roboratæ. Et hinc potiſſimum judicatur, Dæmones oracula illa dediſſe, ut ex iis male intellectis, tot, tantaque hæreſum monſtra in Eccleſia naſcerentur. Fuerunt proinde, qui vocare non veriti ſunt veteres illos Philoſophos, aut Prodromos Arianorum, aut Patriarchas Hæreticorum, aut Heterodoxorum condimentarios; ut præcipue Tertullianus pluribus in locis. Unde Petavius, temporum illorum calamitatem deplorans, cit. loc. c. 1. n. 1. ſcribebat.
,, Ac longius ſane diſputando Plato prove-
,, ctus, ejuſque diſcipuli, ſpeciem quan-
,, dam Trinitatis informarunt: quo etiam
,, nomine Noſtrorum aliqui ſupra modum
,, illos admirantur, ac prædicant. Sed pro-
,, fecto majore flagitio, ac diſpendio veri-
,, tatis, quam operæ pretio, iſtud illorum
,, dogma prodiiſſe mihi videtur; neque ulla
,, ex alia re gravior chriſtianæ fidei noxa,
,, & pernicies, importata fuiſſe. Ut perin-
,, de facere illos putem, qui Platonicos deo-
,, ſculantur, quod larvam, neſcio quam,
,, perſonarum trium adumbraverint; ac ſi
,, quis Poetas, & profanæ ſuperſtitionis,
,, idolorunque buccinatores, impenſe col-
,, lauder; quod in Jove, Neptuno, ac tur-
,, pioribus etiam Deorum portentis, divi-
,, nitatis utcunque nomen, majeſtatemque
,, commendent. Etenim quidquid hære-

,, ſeon, opinionumque falſarum, primis il-
,, lis Eccleſiæ temporibus emerſit, ac præ-
,, ſertim Ariana tota perfidia; ex illo Pla-
,, tonicorum commento cauſſam, & origi-
,, nem accepit ,, .

Quæ quidem ut ad oculum pene demonſtrentur, adducimus principaliora Hæreticorum capita, quæ a fabulis hiſce Philoſophorum ſua impia,& falſa dogmata deduxerunt. Ante tamen Hæreticos proponimus Julianum auguſtum, cognomento Apoſtatam, qui in orat., quam ſcripſit in Solem, poſt ſupremum Deum, alium ſecundo loco ponit, quem vocat unum, & a Platone dictum, ipſum bonum; ponit tertio loco Solem, non hunc, quem oculis videmus, ſed alterum priorem, intelligibilem, auguſtiorem, & præſidentem intelligibili mundo, & intelligentibus Diis; quæ quidem Julianus, ut Petavius conjicit, a Maximo, præceptore ſuo, forſitan didicerat. Videſis doctrinam, quam in Platonicis commendemus, ut eam pariter in impio religionis noſtræ deſertore, ac irriſore, commendare debeamus.

Inter hæreticos primo ſe offert Marcion, qui Platonicæ Philoſophiæ ſectator fuit, & juxta Platonis doctrinam ſuam hæreſim concinnavit. Teſtatur Epiphanius hæres 42. tria admiſiſſe principia, ſcilicet tres Deos; primum, quem dicebat omnium ſummum, & ſupremum, quem dicebat bonum; ſecundum aſpectabilem, & creatorem, quem mundi volebat opificem, ac conditorem fuiſſe; tertium medium inter duos illos, quem Diabolum nominabat. En quæ dogmata emanarunt ex altiſſimis illis Platonicorum principiis, falſa, impia, & execranda.

Poſt Marcionem ſubnectere deberemus alios chriſtiani dogmatis errores,qui ſubſequentibus temporibus apparuerunt;at uno verbo omnes indicamus, quando dicimus, omnes illos fuiſſe, qui Deorum pluralitatem, juxta propria cuique deliria, in Chriſtianiſmum inducere, conati ſunt. Sic fuere nimirum Gnoſtici, Manichæi, Valentiniani &c. Originem ſilentio præterire nolumus; quum pluriora fuerint hæreſum monſtra, & deteriora, quæ hauſit ipſe ex Platonicorum Philoſophia. Commendat quidem ipſe, & ſummis laudibus extollit Platonem hom. 14. in Geneſ. Sed norunt omnes Eruditi in ſuo libro Periarchon quot contineantur hæreſes, quas omnes ex eadem penu, ex Platonis ſcilicet doctrina, deſumpſit. Quapropter, Epiphanio, & Hieronymo teſtibus, de Origene ſcripſit Petavius cit. loc. c.4. nu. 2. ,, De Origene, ut ejus habent hodie
,, ſcripta, longe aliter ſentias, quam Epi-
,, phanius, Hieronymus, aliique veteres
,, arbitrati ſunt. Hi enim de Trinitate quæ-
,, dam adſcribunt Origeni abſurda prorſus,
,, & impia, quæ in illius libris minime com-
,, parent; præſertim iis, quos de Principiis
,, inſcripſit; in quibus omnis errorum illius
,, officina conſtituitur. Hujus auctor va-
,, rietatis Ruffinus interpres fuit; qui, ut il-
,, lius invidiam minueret, complures ejus
,, e ſcriptis errores ſuſtulit, ac pro iis ca-
,, tholica dogmata ſubſtituit; ut in Præfa-
,, tione teſtatur ipſe, quam illius περὶ ἀρχῶν
,, operi præfixit ,, .

Rem ergo perficiamus, Diſſertationi finem imponentes, & Philoſophorum veterum placitis jura adminiſtrantes, dicendo nimirum; quod ſi in eorum libris aliqualis obſcura Trinitatis notitia adinvenitur, non equidem illa debetur ratiociniis illorum, vi naturalis potentiæ factis; ſed illis potius fontibus, a nobis dictis, unde illam hauſerunt. Vere in libris ſuis majora numero inveniuntur falſa contra Trinitatem, quam vera pro Trinitate; quod nobis indicium eſt judicandi, ea, quæ forſitan de Trinitate ab aliis audierant, vel in aliis legerant, vera quidem, ipſos erroribus ſuis, quorum præjudiciis ab infantia tenebantur, deformaſſe, ac omnino fœdaſſe. Non eſt ergo, cur laudemus eos, quod de Trinitate loquuti fuerint; ſed potius ut eoſdem improbemus, quod male de eadem ſenſerint, ſi de ea ſenſerunt, ut ſcripſerunt: Unde poſtea ex ipſorum ſcriptis fœdiſſima illa hæreſum ingluvies progenita eſt, atque diffuſa.

Pro Mercurio Triſmegiſto citantur verba illa: *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*; ut probetur, eum vere Trinitatis notitiam fuiſſe aſſequutum: Sed verba hujuſmodi Petavius non citat, qui tamen plura ejuſdem Mercurii pro eodem intento refert; nec etiam illi, qui eadem citant, locum indicant libri Mercurii, in quo legantur; ſed unuſquiſque ut ab aliis relata recitat. Pariter de Zeroaſtre refert Euſebius lib. 11. præpar. evang., quod ſcripſerit; *Monas genuit Duadem, & in toto mundo lucet Trias*. Si vere in Mercurii libro, vel potius in libro Mercurio attributo, præcedentia verba inveniuntur; & ſi vere in altero libro Zeroaſtræ ſuppoſito ſubſequentia alia verba leguntur; quis dubitet, eadem omnia ſcripſiſ-

ſe

ſe Chriſtianum illum, ſeu Semi-Chriſtianum pro illo Mercurii; vel alium, quicunque fuerit, pro illo Zoroaſtræ; qui eoſdem, & temere, & inſulſe, & fœdiſſime, conſarcinavit?

DISSERTATIO CIII.

De Judæis, tum ante, tum poſt, Chriſti adventum; & de eorum, circa Trinitatis myſterium, aut incredulitate, aut fide.

QUum Divinæ Trinitatis cognitionem mens noſtra aſſequi naturæ viribus non poſſit, neceſſe omnino eſt, ut a lumine fidei adjuvetur ad eam habendam. Nequit autem eſſe fides abſque revelatione, cui credendo aſſentimur, & aſſentiendo credimus; unde fideles nominamur, & ſumus. Videndum proinde primo eſt, an Judæis facta fuerit a Deo Trinitatis revelatio, cujus ratione contraxerint obligationem credendi myſterium, iiſdem jam revelatum. Et quia revelatio poteſt eſſe explicita, & implicita; illa nimirum expreſſe, & propriis terminis facta; hæc vero contenta in illo, quod explicite, & expreſſe revelatur; hinc eſt, quod fides etiam, ad revelationis menſuram, explicita dicitur eſſe, & implicita. Poſſumus ulterius nos aliquid non credere, quod ſit revelatum; & poſſumus non credere aliquid, quod non ſit revelatum. Non credentes primum, culpabiles ſumus; non credentes autem alterum, culpabiles non ſumus; & quanvis in utroque caſu non ſit fides in nobis; in ſecundo tamen nec fides eſt, nec infidelitas, nec credulitas, nec incredulitas; in primo vero non eſt fides, ſed infidelitas, non credulitas, ſed incredulitas. Ratio autem eſt manifeſta, quia in primo debitum credendi contraximus propter revelationem, quam ſupponimus nobis factam; adeoque ſi non credimus, quum poſſimus, & debeamus credere, culpabiliter non credimus; & hinc eſt in nobis infidelitas, & incredulitas. In altero vero caſu non eſt in nobis credendi debitum, nec eſt credendi poteſtas, quum nobis revelatum non ſit quid credamus, & quid credere debeamus; unde in nobis non eſt infidelitas, quanvis non ſit fides; nec eſt incredulitas, licet non ſit credulitas.

Ad Judæos modo devenientes, certum eſt, quod illis in veteri teſtamento non fuit facta Trinitatis revelatio; adeoque eam credere ante Chriſti adventum non tenebantur. Sed hoc cum limitatione ſit dictum; non fuit facta Trinitatis revelatio ſingulis perſonis, ſed fuit facta corpori Eccleſiæ; hoc eſt Majoribus, qui Eccleſiæ corpus repræſentabant. Et quidem tam in lege naturæ, quam in lege ſcripta, ut habetur ab Hugone a S. Victore, quem citat Gonetus, expreſſa Trinitatis revelatio facta fuit corpori Eccleſiæ, quanvis non fuerit facta ſingulis perſonis, expreſſa ſcilicet, & explicita, implicita autem omnibus, & ſingulis fuit facta. Proindeque pro illo utroque ſtatu ſufficiens erat, ut Majores haberent fidem explicitam de Trinitate, minores autem implicitam. Et ita intelligere debemus S. Thomam, quando ſcribit, quod omni tempore oportuit credi aliquo modo explicite Incarnationis myſterium; eadem eſt ratio de Trinitatis myſterio; ſcilicet tempore legis naturæ, & legis ſcriptæ; a Majoribus tamen, ſive Doctoribus, non vero a rudioribus. Quapropter 2. 2. q. 2. ar. 6. ad 3. inquit: *Si qui tamen ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris; quia, etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen implicitam &c.*

Poſt adventum vero Chriſti, & poſt Evangelii prædicationem, quum Trinitatis revelatio ſit facta omnibus, & ſingulis explicita, & expreſſa, omnes, & ſinguli tenentur explicite eam credere. Unde S. Thomas loc. cit. ar. 7. & 8., & in 3. ſent. diſt. 25. ar. 2. quæſtiunc. 2. hæc pariter de Incarnatione ſcripſit, quæ ſimiliter poſſunt Trinitati applicari. *In tertio autem ſtatu, poſt adventum Chriſti, quia jam myſterium Incarnationis impletum eſt, & corporaliter, & viſibiliter, & prædicatum; omnes tenentur ad explicite credendum; & ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus revelaret; niſi ex ſua culpa remane-*

maneret. Et quidem S. Doctor non loquitur tantum de neceſſitate præcepti, ſed etiam de neceſſitate medii; quatenus de illa eadem neceſſitate loquitur, de qua fuerat in duobus prioribus ſtatibus loquutus; ſed in illis loquutus fuerat de neceſſitate medii: ergo pariter in tertio. Præterquam quod non dixiſſet, *& ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus ei revelaret*, ſi tantum de neceſſitate præcepti intellexiſſet; quia invincibiliter ignoraret, & non peccaret.

Et nihilominus, hiſce minime obſtantibus, Judæi, qui ut ſunt in ſua cæcitate perfidi, ita pariter ſunt in ſua perfidia pertinaces, Trinitatis myſterium, quod ante Chriſti adventum explicite non credebant, quia ſic credere non tenebantur, poſt Chriſti adventum, quando ſcilicet ita eum credere tenentur, non tantum non credunt, ſed pernegant, & totis viribus oppugnare conantur. Quod per Moyſen non fuerit Judæis Trinitatis myſterium expreſſe revelatum, rationem aſſignant, ex eo nimirum, ne Judæi in polytheiſmum ſe cœco errore dejicerent. Aſſerit Theodoretus lib. 2. ad Græcos, ubi de Hebræis ſcribit: *Cum in Ægypto longinquum ſane tempus permanſiſſent, multorumque ibi Deorum cultus ritu ægyptiaco didiciſſent; ſapientiſſimus Deus nequaquam illis manifeſte, apertaque prorſus oratione, Trinitatis myſteria tradidit; ne propoſitam ſibi eſſe Deorum multitudinem arbitrantes, occaſionem hanc haberent ad impietatem ægyptiam dedeclinandi*. At non per hoc, ſubdit idem Theodoretus, Trinitatis exiſtentiæ veritatem in Scripturis ſanctis non ſcripſit, minus quidem expreſſe, at non adeo ut ſi voluiſſent intelligere, non potuiſſent: *Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in poſterum penitus occultavit; in antiquis enim Scripturis perfectioris Theologiæ materiam, quaſi ſemina quadam, diſperſit*.

Et quidem adeo in veteris etiam teſtamenti paginis ſacræ Trinitatis cognitio continetur, ut vere ſcripſerit Auguſtinus ſer. 38. de tempore: *Omnis Scriptura veteris, ac novi teſtamenti, ſi catholice intelligatur, hoc inſinuat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus ſit Deus, ejuſdem ſubſtantiæ, uniuſque eſſentiæ, atque inſeparabilis in Divinitate unitas*. Et quod in libris antiqui fœderis, veluti umbrarum involucris implicatum, continebatur, in novi paginis quaſi detectum, & per Chriſti verba toti Eccleſiæ ſuæ legitur manifeſtum. Hinc idem et Chriſtus, Apoſtolos alloquens, Joann. 16. 25. *Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre meo annuntiabo vobis*. Unde S. Cyrillus lib. de cardinalibus operibus Chriſti in prologo de myſterio Trinitatis hæc habet: *Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem, niſi incarnati Verbi magiſterium acceſſiſſet, humana defeciſſent ingenia, & neſcio ſi & aliqui auderent ad hac tentanda conatus aſſurgere*. Verum propius omnium rem detexit S. Gregorius Magnus, ſcribens lib. 2. in Ezech. hom. 16., & rationem, quare Trinitatis myſterium Judæorum ſingulis revelatum non fuerit; & quod fuerit eorundem primoribus expreſſiſſime manifeſtatum; & tandem, quod Domino adveniente in carne noſtra omnibus, & ſingulis prædicatum fuerit, ut omnes, & ſinguli ad eum explicita fide credendum teneantur. Sua verba ſunt. *Hebræorum populus mandata Decalogi ſervare conatus eſt; ſed tamen de cognitione ſanctæ Trinitatis eruditus non eſt: Et quamvis hanc ſpirituales Patres perfecte cognoviſſent, multitudo tamen Sinagogæ, nec invenire myſterium Trinitatis potuit, nec quærere ſcivit. Superveniente autem gratia omnis fidelis populus unum Deum Trinitatem eſſe cognovit*.

Et re vera quis negare auderet, Trinitatis myſterium fuiſſe revelatum primo Adæ inter homines, a quo ad Seth revelatio pervenit; deinde ad Noë, ad Abraham, præcipue quando tres vidit, & unum adoravit, ad Iſaac, ad Jacob, ad Juſeph; inſuper ad Moyſen, qui in ſacris libris, quos compoſuit, non ſemel meminit trium Perſonarum in uno Deo, ut videbimus ſuo loco. Alii etiam ſacrorum librorum Scriptores, & præſertim Rex, & Propheta David; non ſemel myſterium ipſum indicarunt, intellexerunt, invocarunt. Non eſt hic locus, ubi eorundem teſtimonia adducamus; quum hæc ad aliam differantur Diſſertationem, in qua nimirum ex profeſſo divinæ Trinitatis exiſtentia contra Incredulos probabitur. Cæteri autem Judæi credentes Deum, cujus erat nomen: *Sum, qui ſum*; hoc ipſo etiam Trinitatem implicite credebant; ex hoc enim nomine Dei, quod eſt nomen tetragrammaton, nos ſuo loco probabimus, ſanctæ Trinitatis etiam exiſtentiam evinci. Et hoc ante Chriſti adventum, quo ſcilicet tempore credere non tenebantur id, de quo ſufficientem non habebant revelationem; & quod pariter ſufficienter credebant, quum ſaltem implicite

cre-

crederent; quod eis fuerat implicite revelatum.

At poſt Chriſti adventum, ſi Judæi non credunt, & quidem explicite, excuſationem non habent; quia jam explicite ſuit illis, ut & cæteris hominibus, myſterium Trinitatis revelatum, quod explicite pariter credere tenentur. Nec juvat illis dicere, quod antecеſſores ipſorum non crediderunt; nam non crediderunt, quia illis non revelatum eſt, quod ipſiſmet Chriſtus expreſſe revelavit. Verum Chriſtus ipſe Judæis dicebat, ut ſcrutarentur Scripturas, ſi de eo teſtimonium invenire deſiderabant. Joan.5.39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.*

Et in primis multos habemus Judæorum Doctores, quos Rabbinos appellant, qui Trinitatem ex Scriptura vel ex traditione, deducunt. Videndi ſunt apud P. Aloyſium Mariam Benettelli, Ordinis noſtri in hebraica lingua peritiſſimum, in ſuo Opere, cui titulum præfixit: *Saette di Gionata, ſcagliate a favor degli Ebrei:* Apud Joſephum Ciantes, Epiſcopum Marſicenſem, in ſuo libro, quem inſcripſit: *De ſanctiſſima Trinitate, ex antiquorum Hebræorum teſtimoniis evidenter comprobata:* Apud plures alios, qui contra Hebræos incredulos dimicant, eiſque chriſtianæ religionis myſteria quaſi ad oculum oſtendunt; quem tamen Hebræi claudunt, ne videant, ut aures obturant, ne audiant, & mentem diſtrahunt, ne intelligant, & bene agant.

Pauca afferamus hic, quæ ex magna ſegete ſelegimus. Rabbi Simeon ad verba Iſai. 6.3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; quæ interpretatur ad rem noſtram, hæc ſcribit: *Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus Sanctus*; quod refert Galatinus lib.2. de arcanis c.4. Addit inſuper idem Galatinus, a veteribus Talmudiſtis fuiſſe cautum, ut Triſagium ita explicatum quilibet Judæus bis in die recitaret. Et catholica Eccleſia tam Latina, quam Græca, identidem idem Triſagium in ſacris ſolemnioribus canere in uſu poſuit; quod aſſerit Antheon, Epiſcopus Arſinois, in epiſt. ad Petrum Antiochenum, quæ ponitur in Concilio Conſtantinopolitano ſub Felice III. in cauſſa Petri Fullonis; ut ſcribit Fraſſen.

Inſuper Rabbi Haccados, ſcribens myſteria, quæ continentur in nomine tetragrammaton, Antonio, qui urbis Romæ Conſul erat, affirmat, illud ſignificare Deum generantem; & quia nequit eſſe generans ſine genito; nec uterque ſine amore procedente; ideo nomine illo divinam Trinitatem ſignificari. Galatinus pariter refert lib. 2. c. 10. Hinc eſt, quod vulgo apud Hebræos nomen tetragrammaton dicitur *nomen expoſitum*; & explicatur per duodecim literas hebraicas, quæ ſi ſimul jungantur, latine componunt, & indicant verba hæc: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*. Dicitur etiam nomen quadraginta duarum literarum; ex eo quia, ut aſſerit idem Rabbi Haccados, ſic illud interpretantur; *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus: Trinitas in Unitate; & Unitas in Trinitate*. Ad quæ addit Fraſſen: ,, Quibus conſtat, quæ fuerit veterum Rabbinorum de divina Trinitate ſententia, quamque longe a ſuis Patribus exorbitent recentiores Judæorum Doctores, dum huic conſtantiſſimæ veritati tantopere repugnant ,,.

Sed ulteriora præſtemus. Rabbi Hai Gaon; quem Hebræi omnes ſummis laudibus extollunt, tres luces, quas poſuit Rabbi Cordoverus, magnæ etiam apud ſuos exiſtimationis homo, memorat, verbis hiſce: *Nunc vobis declarabo tres ſublimes luces, quæ ſupra decem Sephirot* (ſpiritus ſcilicet) *ſunt .... quorum nomina a noſtris veteribus Sanctis accepimus. Lucem intrinſecam, antiquam*; (hoc eſt æternam) *Lucem clarificatam*; (ideſt clariſſimam) *Lucem claram .... Hæ tres Luces ſunt in infinito* (videlicet in Deo); ut explicat Ciantes. Confirmat Rabbi Chamai Gaon, dicens: *Hæc tria nomina ... ſunt in Radice omnium Radicum*. Ut alia teſtimonia Rabbinorum omittamus, quæ idem Ciantes refert, hoc adducere nobis placet, quod & plurium atteſtationem præſefert, & fere omnium explicationes ſuo ſermone comprehendit. Rabbi Mair Gabbai hæc ſcribit: *Et occulta ſunt incluſa in numero ternario, & vocantur lux antiqua, lux clarificata, lux clara; ſecundum traditionem Rabbi Simeonis, filii Jocai, in ſuo libro Ticcunim. Eadem eſt traditio Rabbi Hai Gaon b. m., quod hæc tria lumina ſunt ſupra decem intelligentias, aut Sephirot; & pariter id invenitur in lib. Unitatis Rabbi Chamai Gaon b.m.*

Hæc quidem enarravimus, non ut iiſdem contra Judæos Trinitatis exiſtentiam probaremus, ſed ut traditionem Trinitatis,

quæ

quæ omni tempore viguit inter Majores, Doctores, Magiſtros, ipſorum, propriis illorum verbis, quæ ipſimet ut oracula venerantur, oſtenderemus. Cæterum Sacræ Scripturæ auctoritates nobis ſuppetunt non paucæ, nec levis quidem roboris, quibus contra Hebræos Trinitatis myſterium propugnemus: quod ſuo loco præſtabimus. Pro modo igitur ſufficiat, recentibus Judæis, qui vivunt, & utinam ad perditionem ſuam non vivant! oſtendiſſe, quam culpabiliter agant, quando Trinitatis myſterium, jam ipſis ſufficientiſſime promulgatum, non credunt; præcipue, quia ipſum Majores ipſorum crediderunt ſemper, Rabbini explicarunt, & uſus denique inter eos adhuc firmi, & permanentes, roborant, atque confirmant.

DISSERTATIO CIV.

De Patribus, qui ante Arii hæreſim in Eccleſia floruerunt, & quid de Trinitate, & ſenſeſerint, & ſcripſerint.

Negare omnino non poſſumus, quod, ob Platonicorum Philoſophiam, inter chriſtianæ religionis profeſſores jampridem introductam non modo, verum quoque communi fere calculo amplexatam, iidem errores, quos circa Trinitatis myſterium in Platonicis detegimus; inter Chriſtianos fuerint pariter diſſeminati. Et eo quidem ſucceſſu, ut non ſolum illi, qui de chriſtianæ religionis nomine gloriabantur, de dogmate vero non curabant, erroribus illis aſſentirentur; verum etiam illi, qui & nomen, & dogma in religione venerabantur, iiſdem adhærere, inventi ſunt. De primis non miramur; quum enim pejora ſemper in diſputando quærerent, & fidei in omnibus philoſophiam præferrent; inde factum eſt, ut hæretici potius, quam chriſtiani fierent; & eos Eccleſia de ſinu ſuo dejiceret, quando inter ejus brachia conſiſtere ſe jactabant. Unde Auguſtinus ſer. 1. ex illis, quos Sirmundus edidit; *Sunt quidam eorum, qui chriſtiani vocantur, & non ſunt; quos partim digeſſit Eccleſia, tanquam ſtercora; ut ſunt omnes hæreſes, & omnia ſchiſmata*. De aliis vero triſtamur quam valde, non admiramur ſolum; quum enim orthodoxi omnino fuerint in fide, in moribus ſancti; nihilominus eos deceptos quoque, etſi non deceptores, invenimus. Cauſſam tribuit Hieronymus, vel eorum ſimplicitati, vel bonæ fidei in ſcribendo, vel librariorum fraudibus, vel qualitati temporum, quando nimirum dogmata non ita erant digeſta, ut occaſione hæreſis Arianæ poſtmodum ſunt diſcuſſa. Verba ſunt Hieronymi apol. 2. cont. Ruffinum, quibus libenter ſubſcribimus: *Fieri poteſt, ut vel ſimpliciter erraverint, vel alio ſenſu ſcripſerint, vel a librariis imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint. Vel certe, antequam in Alexandria, quaſi dæmonium meridianum, Arius naſceretur, innocenter quædam, & minus caute, locuti ſunt; & quæ non poſſint perverſorum hominum calumniam declinare*.

Non quidem de primis animus nobis eſt hac in Diſſertatione loquendi; quum illi ab Eccleſia exturres fuerint, de iiſdem tunc loquemur, quando de Hæreticis, qui contra Trinitatis myſterium inſurrexerunt, diſſertationem inſtituemus. Modo vero tantum de Eccleſiæ Patribus ſermonem facimus, qui primis illis temporibus, ante ſcilicet Arii hæreſim, fortaſſis de Trinitate minus caute, quam par erat, loquuti ſunt. Et hoc, vel quia platonico more diſcurrebant, vel quia platonicis utplurimum verbis utebantur; unde factum eſt poſtea, quod etſi ſemper ſancti, & catholici in Eccleſia fuerint, vel quamvis fuerint aliquando, tamen abſque crimine perſonæ toleravit eos Eccleſia, quæ adhuc de tanti myſterii ratione definiendi judicium non exercuerat. Interim nos ubi occaſionem hoſce excuſandi, & defendendi etiam, habebimus, eam non negligemus; ubi vero ipſorum verba aliter non poterunt intelligi, nos ipſos, excuſatos volumus, ſi de illis minus illis digna pronunciabimus. Renovamus hic proinde Petavii proteſtationem lib. 1. de Trin. c. 3. num. 1. „ Quod poſterius ad ſanctos potiſſimum, atque omni dignos veneratione „ Patres attinet, quos neque culpare debeo, „ aut in hæreſis nefariæ crimen adducere;

„ ne

„ neque ſi quid minus ab iis accurate di„ ctum extat, atque a catholica forma diſſi„ dens, poſſum prætermittere „.

A Græcis Patribus exordium ſumimus. Et Primo ſe offert Ignatius Martyr, qui primo Eccleſiæ ſeculo floruit; & ſecundo ineunte obiit. In Epiſtola ad Epheſios ſic loquitur de Chriſto: *Unus eſt medicus carnalis, & ſpiritualis, factus, & non factus, in carne Deus, in morte vita æterna, & ex Maria, & ex Deo*. In quibus verbis Deus vocatur Verbum, dicitur non eſſe factum, appellatur vera vita; & quanvis dicantur de Chriſto; nequeunt tamen de Chriſto dici niſi ratione Verbi. Alia Ignatii teſtimonia alibi referentur. Epiſtola autem ad Epheſios eſt genuina Ignatii epiſtola; tum quia a ſanctis Patribus citatur; tum etiam quia catholici critici de ea non dubitant, ſi aliquæ interpolationes demantur; ut videre eſt apud Natalem Alaxandrum in I. Sec.

Secundo habemus S. Polycarpum, S. Joannis diſcipulum, qui Euſebio teſte hiſt. lib. 4. c. 5. martyrium ſuſcipiens, ſic orabat: *Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per ſempiternum Pontificem Jeſum Chriſtum, dilectum filium tuum, per quem tibi, una cum ipſo, in Spiritu Sancto, gloria nunc, & in ſecula ſeculorum. Amen*. Ubi Chriſtus vocetur ſempiternus, glorificatur cum Patre, æqualem cum illo gloriam habens; & quidem ratione Verbi. Et quanvis ſolus Pater vocetur Deus; hoc tamen in uſu fuit apud veteres Patres, qui Deum vocabant Patrem tanquam fontem Deitatis; ut docuit Athanaſius. Dictus etiam fuit Sacerdos; hoc eſt ratione naturæ divinæ vocavit Polycarpus Chriſtum ſempiternum; ratione vero naturæ humanæ Chriſtum dixit Sacerdotem.

Tertio loco occurrit nobis Juſtinus, Martyr, & Philoſophus, qui pluribus in locis videtur contraria divinæ Trinitati docuiſſe. I. In Dialogo cum Tryphone aſſerit, Dei filium ante ſuam incarnationem apparuiſſe Patriarchis, tanquam Dei Patris adminiſtrum: *Qui adminiſter eſt Dei univerſorum Creatoris*. II. In eodem Dialogo dicit, quod Pater Patriarchis non apparuit, & filium videndum tradidit, quia Pater *neque ſuperiora cœlo ſpatia relinquere poſſit, nec in exigua terræ parte conſpici*. III. De Filio Dei hæc ait in eodem loco: *Qui ſit Patri, ac Domino ſubjectus; ejuſque voluntati ſerviat*. IV. In apologia II. ſcribit, quod Chriſtiani Filium Dei *in ſecundo loco habentes eum ratione venerantur*. V. Ibidem aſſerit, quod Dei Filius ſit prima *poteſtas poſt parentem, & Dominum univerſorum Deum*. Hæc adeo gravis momenti viſa ſunt Petavio, ut nil curaverit eadem ad bonum ſenſum reportare, nec proinde Juſtinum defendere, & a gravi injuria vindicare. Aliter ſe geſſit Jueninus, qui eadem retulit, & benigniori ſenſu explicavit; ſubdens præterea alia Juſtini teſtimonia, quibus & orthodoxam ejuſdem probavit mentem, & contra ipſum allata teſtimonia vindicavit. Eidem nos quoque adhæremus, & quantum poſſumus a Juſtino ſuſpicionem omnem, aut platonizandi, aut judaizandi, in ſancta Trinitate, removemus.

Aſſerimus ergo pro Juſtino ſequentia I. In apologia, quæ dicitur II. reprehendit negantes Filium eſſe Deum; & ex ſe aſſerens: *Filium eſſe Patri univerſorum, qui quod Verbum Dei primogenitum ſit, Deus etiam exiſtit*. II. In Dialogo cum Tryphone docet, Filium eſſe numero, ſeu perſona, a Patre diſtinctum, non eſſe vero diſtinctum natura, & eſſentia: *Virtutem iſtam, quam Deum ſermo propheticus vocat, non ut ſolis lumen nomine tantum numerari, verum numero aliud quiddam eſſe, ratione exquiſita ſuper paucis explicavi: Virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute, & conſilio ipſius, non per abſciſſionem, tanquam diſpertita eſſet Patris eſſentia, prout alia omnia diviſa, & ſecta, non eadem ſunt, quæ ante fuerunt, quam ſcinderentur*. III. In apologia identidem II. reſpondens Gentilibus, qui Chriſtianis exprobrabant, quod Athei eſſent, hæc de tribus Perſonis divinæ Trinitatis ſcribit: *Fatemur quidem, nos talium, qui habentur, Deorum eſſe expertes, & atheos: Sed non veriſſimi illius Dei, Patris videlicet juſtitiæ, & caſtitatis, & virtutis aliarum .... Verum hunc ipſum, & qui ab eo venit Filium, & Spiritum Sanctum, colimus, & adoramus, cum ratione, & veritate venerantes*. IV. In Oratione parænetica ad Græcos, quam hodie, ut ait Jueninus, Docti omnes Juſtini eſſe conveniunt; hæc loquitur: *Ipſe omnipotens, & omnium conditor, & inviſibilis Deus, e cœlis veritatem, & Verbum ſanctum, & incomprehenſibile inter homines locavit, non quemadmodum aliquis conjicere poſſit, miſſo hominibus miniſtro aliquo, ſed ipſo opifice, & creatore omnium .... tanquam Rex mittens Filium Regem miſit tanquam Deum, tanquam ad homines, miſit, tanquam ſervans ſibi*. In verbis hiſce obſervare quiſque poterit, a Juſtino Verbum non dici Patris miniſtrum, ſed opificem

omnium, & creatorem; dici Regem non minus, quam Rex eſt Pater; dici Regem a Rege miſſum: Et in aliis antea dictis, Filium eodem cultu a nobis eſſe adorandum, Juſtinum docere, quo Patrem adoramus. Quæ omnia apertiſſime oſtendunt, & tres in Deo Perſonas, & unam divinitatem in tribus Perſonis, eſſe ex mente Juſtini.

Reſpondemus modo ad illa, quæ Juſtino objiciuntur. Ad I. dicitur Juſtinum vocare Filium miniſtrum Creatoris, non proprie, ſed improprie. Proprie enim miniſter dicitur, qui non agit nec per ſe, nec proprio nomine; improprie vero qui agit ratione eſſe, quod ab alio habet. Filius ergo quum acceperit eſſe a Patre, & hoc eſſe ſit ipſi Filio proprium, operatus eſt ſimul cum Patre in mundi creatione: unde non eſt miniſter primo modo, ſed ſecundo tantum. Ad II. dicimus, Juſtinum aſſeruiſſe, Deum Patrem non apparuiſſe Patriarchis veteris legis, quia Deus Pater nunquam humanam ſpeciem geſſit. Cæterum Filius æque eſt inviſiblis, ac Pater; ſed ſumptus ſub humana ſpecie, quam aliquando portaturus erat, viſibilis fuit; & hoc veteres Patres dicebant, fuiſſe factum, ut homines diſponerentur ad fidem incarnationis, quæ ſuo tempore peragenda erat. Ad III. Loquutus eſt Juſtinus de Filio, quatenus eſt homo, non vero ut eſt Deus; quum contraria aliis in locis dicat de Filio ut Deo. Ad IV. ſubdimus, Juſtinum loqui, quod fideles venerabantur Filium ſecundo loco, & proinde recognoſcebant Patrem poteſtatem primam; hoc eſt primam originis ratione, non vero ratione dignitatis. Et ratio reſponſionis noſtræ eſt, quia Juſtinus ibi probare intendebat, quod Hæretici, quibus deinde Sabelliani adhæſerunt, negabant, plures ſcilicet perſonas in divinis eſſe, non vero unam multiplici præditam virtute, & nomine multiplici donatam: Et contra hos oſtendere conabatur, plures eſſe perſunas, licet una ab altera eſſet, illa prior eſſet, ſed prior originis quidem, non vero temporis, aut dignitatis, ratione. Cæterum legentibus proponimus ea, quæ pro Juſtino attulimus, & ea, quæ Juſtino opponuntur; quæ ſi inter ſe comparare velint, facile invenient ubi expreſſius Juſtinus loquatur, an quando pro Trinitate ſcribit, an vero quando alii volunt, quod minus digne de Trinitate ſcripſerit. Ulterius obſervabunt quoque, ea, quæ Juſtinus aliquatenus obſcure dixit in locis, quæ opponuntur, dilucidaſſe in aliis locis; quæ pro eo defendendo proponimus; ut conſideranti patebit. Denique dandum eſt aliquid temporum conditioni, quando ſcilicet modus loquendi in Trinitate non erat adhuc ſatis expoſitus, & clarificatus, eo quia hæreſes contra ipſam non erant adhuc obortæ; & propterea de ipſa loquebantur Patres non ita exacte, & ad rem, ut modo nos loquimur.

Quarto loco venit Athanagoras, Philoſophus etiam chriſtianus, Athenis natus, & Juſtino fere ſyncronus. Hæc eidem opponuntur. I. In apologia pro Chriſtianis ad M.Aurelium Antoninum, & L.Aurelium Commodum, ſcripſit, quod Verbum ſit λόγον, & Pater ſit λογικόν; quaſi Verbum ſit ratio, & ratio ſit forma in eſſentia Patris; at hic loquendi modus ab Auguſtino, & a Catholicis omnibus non admittitur: ergo &c. II. Ibidem voluit, Verbum prodiiſſe a Patre non ab æterno, ſed in tempore, quando ſcilicet creatus eſt Orbis terrarum. III. In eodem loco docuit, Verbum aliquando fuiſſe intra Patrem, aliquando vero extra Patrem; quæ omnia cum catholica veritate pugnant. At his non obſtantibus pro Athanagora habemus I. Quod Pater per Verbum omnia fecit, & Verbum, & Pater, & Spiritus Sanctus, unam ſunt in natura. En ſua verba in eadem Apologia: *Ab ipſo enim, & per ipſum omnia facta ſunt... Cum ſit unum Pater, & Filius, & ſit in Patre Filius, & Pater in Filio, unitate, & virtute Spiritus. Mens, & Verbum Dei Filius eſt*. In quibus diſtinguit Patrem, & Filium; dicit in iiſdem unam eſſe naturam; ſubdit, omnia per Filium, & a Filio eſſe facta. II. Ibidem aperte dicit, Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum: *Quis igitur non miretur, cum audiat, nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine diſtinctionem explicantes, Atheos vocari?* III. Ibidem explicat, & exponit quid Chriſtiani ſentiant de Trinitate: *Deum aſſerimus, & Filium ipſius Verbum, & Spiritum Sanctum virtute unitos*. IV. In eodem loco aſſerit, Filium non eſſe factum, ſed a Patre progenitum: *Quod ſi qui intellectus ſubtilitate excellitis, altius repetendum videtur, quidnam ſibi velit hic Dei Filius; paucis dicam. Primogeniam illum eſſe Patris progeniem, non quaſi factum quiddam ſit*. Ad ea, quæ opponuntur, reſpondemus; ad I. dicendo, quod non infertur ex eo, quod Deus dicatur ſapiens, per formam

di-

Digitized by Google

distinctam sic dici, & sic intelligendum esse eum, qui ita dicit. Per se ipsum est talis; & qui modum loquendi damnant, formam distinctam, quæ in Deo locum habere non potest, damnant. Ad II. Intelligendus est exterius, non vero interius; quatenus scilicet Verbum, quod ab æterno a Patre interius prodierat, postea exterius in tempore prodiit, quando mundum creavit. Athanagoras explicet Athanagoram: A principio enim Deus, qui est æterna mens, habuit in seipso λόγον, cum æternum sit λογικός. Ad III. dicimus Athanagoram loquutum fuisse de Verbo antequam Deus mundum crearet, & postquam Deus mundum creavit. Ante mundi creationem fuit intra Patrem, quod non negatur; postea vero fuit extra, non quidem essentia, vel natura, sed virtute, operatione &c. quatenus Pater omnia per Verbum fecit.

Quinto loco proponimus Irenæum, qui fuit Polycarpi discipulus, & ann. 210. vivere desiit I. lib. 4. c. 17. asserit, Patrem non indigere ministerio Angelorum in operationibus suis, quia sufficit ipsi ministerium Filii: *Ministrant enim ei ad omnia sua Progenies, & figuratio sua; idest Filius, & Spiritus Sanctus, Verbum, & Sapientia, quibus serviunt, & subjecti sunt omnes Angeli.* II. lib. 3. c. 8. docet, Patrem præcepisse Filio, ut mundum crearet. Explicans enim verba illa Psalmi 32. 9. *Ipse mandavit, & creata sunt;* inquit: *Cui ergo præcepit? Verbo scilicet, per quod cæli firmati sunt.* III. In eodem loco nominat Spiritum Sanctum Sapientiam; quod nomen tantum Verbo convenit. IV. lib. 2. c. 49. asserit, Filium, ut Verbum est, diem judicii ignorare. V. Ibidem vult, Patrem esse majorem Filio, per hoc quod Pater, non autem Filius, scit judicii diem. Verum pro Irenæo hæc alia testimonia proferuntur, I. lib. 3. adv. hæres. c. 6. dicit, Verbum, seu Filium, in sanctis Scripturis definitive, & absolute nominari Deum: *Neque Dominum, neque Spiritum Sanctum, neque Apostolos, eum, qui non esset Deus, definitive, & absolute Deum nominasse aliquando, nisi esset verus Deus: Neque Dominum appellasse aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium.* II. tradit lib. 4. c. 11. Deum apparuisse in rubro Moysi; & Verbum fuisse, seu Dei Filium, qui in rubro Moysi loquutus est: subdens deinde de Christo, quæ de Verbo asseruerat, & quæ de Verbo intelligenda sunt: *Ipse igitur Christus cum Patre, vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.* III. lib. 4. c. 8. tribuit Filio eandem infinitatem, & immensitatem, quam tradit Patri; & lib. 2. c. 42. eandem æternitatem, & cum Patre æqualem coexistentiam: *Neque enim infectus es, o homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum.* Ad ea, quæ opponuntur occurritur, respondendo ad I., quod Irenæus vocavit Verbum ministrum Patris connaturalem, & internum; eo quia confutabat illos, quo dicebat, Patrem in mundi creatione eguisse Angelorum ministerio: Unde dicebat, non eguisse ministerio externo, quia satis ei erat ministerium Verbi; improprie quidem dictum, sed ad majorem explicationem usurpatum. Ad II. pariter Irenæi verba intelligenda sunt improprie, non proprie; qua quidem loquendi forma usi sunt pariter Patres, qui post Arii hæresim, & post Nicænum Concilium, floruerunt; puta Athanasius or. cont. gentes; Basil. lib. de Spir. Sanct., Cyrillus lib. 29. thesaur. &c. Ad III. loquitur de Sapientia essentiali, quæ tribus divinis Personis est communis. Ad IV., & ad V., dicimus loqui de Verbo, non ut Verbo, sed de Christo, ut homo est. De illo enim intelligendus est, loqui, quem dicit nos docuisse: *Ut discamus per ipsum;* sed Christus nos docuit: ergo &c. Ulterius, de illo debemus dicere, quod loquutus fuerit, quod contradistinguitur a Spiritu Salvatoris, ut ex ejus verbis patet: *Etsi enim Spiritus Salvatoris, qui in eo est, scrutatur omnia &c.*; at illud aliud non est, nisi Christi humanitas: ergo &c.

Sexto scribitur Clemens Alexandrinus, Origenis magister, & Pantæni auditor; cui opponuntur I. quod lib. 7. strom. dixerit, *naturam Filii esse soli omnipotenti conjunctissimam*: ergo non eadem, si conjuncta, sed potius unita. II. in eodem libro dicit, *Filium omnipotentis Patris voluntati deservire*: ergo inferior Patre. III. lib. 5. strom. vocat Verbum, & Filium Dei, *primo creatam sapientiam*. Attamen pro Clemente faciunt, quæ subdimus, I. initio admonitionis ad Gentes: *Unus quidem est universorum Pater, unum est etiam Verbum universorum; & Spiritus Sanctus unus, qui & ipse est ubique.* Quid clarius de Trinitate scripsisset, si Nicæno Concilio interfuisset? II. Ibidem c. 8. *Nil odio habet Deus: Sed neque Verbum, utrumque enim unum est, nempe Deus.* Ubi omnia Dei attributa absoluta Verbo tribuuntur. III. lib. 3. Pedagog. c. 7. *Est enim minime indigens qui Ver-*

Verbum habet Deum omnipotentem, & nulla eorum, quibus opus habet, unquam eget. Verbum enim poſſeſſio eſt, cui nihil deeſt, & cauſa omnis copiæ. Ad teſtimonia Clementis, quæ adducuntur contra Clementem, reſpondemus, ad I. Verbum οὐσίας, quod interpretantur quidam pro natura, alios interpretari pro perſona; & in hoc ſenſu etiam uſurparunt Patres aliquot poſt Arium damnatum; videlicet Nyſſenus in epiſt. ad Ablavium: Unde dicendum eſt, Clementem, ante Arium ſcribentem, accepiſſe pro perſona, non pro natura; alioqui ſibi contradiceret. Ad II. loquitur Clemens de Chriſto, ut homo eſt; quia loquitur de Salvatore; Salvator autem eſt Chriſtus; & Chriſtus ut Salvator voluntati Patris, volentis omnium ſalutem, deſervit. Ad III. Creata ibi idem eſt, ac genita, ſeu producta; ut ex Clementis contextu apparet. De Patribus Græcis contenti ſumus hiſce, quos attulimus; pergimus modo ad Latinos.

Septimo nobis ſe offert Tertullianus, qui floruit declinante ſeculo ſecundo, & tertio inſurgente. Opponuntur ei, quæ ſequuntur. I. lib. cont. Hermogenem c. 3. dixit, Deum non ſemper fuiſſe Patrem: *Quia & Pater Deus eſt, & Judex Deus eſt; non tamen ideo Pater, & Judex ſemper, quia Deus ſemper. Nam nec Pater eſſe potuit ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit; quod Judicem, & Patrem Dominum faceret:* Hoc autem Trinitati repugnat: ergo &c. II. lib. adv. Praxeam c. 6. ait, ſermonem, ſeu Verbum, ſeu Sophiam, procedere a Patre per ſeparationem quandam; quæ autem ſeparantur, non ſunt idem: ergo &c. III. lib. 2. cont. Marcionem c. 27. dicit, Patrem eſſe inviſibilem, non ſic vero Filium. At pro eo adducuntur ſequentia alia teſtimonia. I. In Apologetico c. 4. expreſſis verbis ſanctam Trinitatem fatetur; loquens enim de Verbo ait: *Hunc ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum: Et idcirco Filium Dei, & Deum dictum, ex unitate ſubſtantiæ.* II. lib. adverſ. Praxeam c. 17. Filio, pronunciat, omnia nomina, & abſoluta Patris attributa, convenire: *Nomen Patris, Deus omnipotens, altiſſimus, Dominus virtutum, Rex Iſraelis, qui eſt. Hæc dicimus, & in Filium competiſſe, & in his Filium veniſſe, & in his ſemper egiſſe, & ſic ea in ſe hominibus manifeſtaſſe.* III. Ibidem c. 22. De Chriſto, ut Filius eſt Patris, ſcribit: *Unum ſumus, dicens, ego, & Pater; oſtendit duos eſſe, quos æquat, & jungit.* IV. lib. de pudicitia c. 21. totam Trinitatem conſubſtantialem apertiſſime pronunciat: *Trinitatem unius Divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Ad Oppoſita reſpondemus; & quidem ad I. Tertullianus urgebatur ab hoc argumento Hermogenis: *Si materia non eſſet æterna, Deus non ſemper fuiſſet Dominus: Siquidem nihil habuiſſet, quod ipſi paruiſſet.* Reſpondebat Tertullianus, quod nullum erat inconveniens dicere, Deum non fuiſſe ſemper Dominum; quia nec etiam inconveniens erat dicere, Deum in aliquo ſenſu non fuiſſe ſemper Patrem. Hoc autem intendebat, quod non ſemper fuerat agnitus ut Pater, ſed tunc ſolum, quando mundum creavit, & per Verbum creavit. Cæterum in ipſomet libro contra Hermogenem fatetur non ſemel Tertullianus, Patrem genuiſſe Filium ab æterno; & præcipue c. 18. & inſuper lib. adv. Praxeam c. 5., & c. 13. Ad II. dicitur, quod ſeparatio illa eſt impropriе dicta, quatenus nil aliud eſt, quam miſſio Filii ad opera ad extra. Separatio vero proprie dicta a Tertulliano negatur omnino Perſonis divinis; etenim lib. con. Valentinum c. 8. ait: *Filius in Patre ſemper, & nunquam ſeparatus a Patre.* Ad III. intelligendus eſt, quia Filius humanam carnem, quæ certe viſibilis eſt, aſſumpſit, quam non aſſumpſit Pater; & ideo Pater eſt inviſibilis, Filius vero viſibilis.

Octavo Cyprianum inducimus, qui floruit medio ſeculo tertio. Opponuntur ei I. quod dixerit Filium eſſe Patri ſubordinatum. II. Quod ſit Patre minor. Pro eo autem adducuntur I. præcipue verba, quæ ſcribit in epiſtola ad Jubajanum de hæreticis baptizandis, & in quibus exprimitur unitas naturæ, & Trinitas Perſonarum: *Cum tres unum ſint.* II. In eadem epiſtola aſſerit, non valere baptiſmum collatum ſub nomine Chriſti; & rationem adducit, *quod ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat in plena, & adunata Trinitate.* III. lib. 2. teſtimoniorum adverſus Judæos ad Quirinum Scripturarum auctoritatibus probat, Chriſtum eſſe Deum, & ei tribuit omnia abſoluta attributa, quæ Patri conveniunt; ſi Chriſto, etiam Verbo: ergo vere fatetur Verbum eſſe Deum: ergo Trinitatem fatetur. Ad argumenta in contrarium allata dicimus, quod intelligendus eſt Cyprianus, vel de Chriſto ſecundum carnem, vel de Verbo, ſed tantum de originis prioritate, quam improprie majoritatem, & ſuperioritatem appellat.

Nono

Nono Dionyſius Romanus advenit, qui floruit ſub imperio Valeriani, & Gallieni, ex Euſebio lib. 7. hiſt. eccl. c. 7. Nulla ei opponuntur; & non pauca ex illo pro Trinitate adducuntur. I. In Epiſtola contra Sabellianos ſcripta, quæ periit, ſed Athanaſius aliqua refert fragmenta in lib. de decretis Nicœnæ Synodi t. 1. hæc leguntur: *Audio, quoſdam apud vos eſſe catechiſtas, & doctores divini Verbi, qui illius ſunt opinionis authores, qui ex diametro, ut ſic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blaſphemat, Filium ipſum aſſerens eſſe Patrem, & e converſo Patrem eſſe Filium. At iſti tres quodammodo Deos prædicant, dum ſanctam Monadem dividunt in tres hypoſtaſes peregrinas, a se invicem plane ſeparatas.* Deſcendens poſtmodum ad confutandum errorem illum, ſic ait: *Etenim neceſſe eſt univi omnium Deo Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum Sanctum. Jam vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam, & ſummum, omnipotentem Deum univerſorum dico, colligi, & coaleſcere prorſus eſt neceſſe.* II. De Verbo, ſecunda Trinitatis Perſona, negat quod ſit creatum, aut factum: *Cæterum non minus culpaveris eos, qui Filium Dei opus exiſtimant, & Dominum factum eſſe, ſicut cætera, opinantur, cum ſacra eloquia generationem ei congruentem, & decentem, non autem formationem, & creationem teſtimoniis ſuis attribuant.*

Decimo inducunt Arnobium, primum Gentilem, deinde Chriſtianum, & Rethoricæ in Africa magiſtrum. Septem libros compoſuit adverſus Gentes; & in iiſdem, & pluries, & recte, de Trinitate loquutus eſt. Chriſtum aſſerit eſſe verum Deum; quod eſt idem, ac Trinitatem, cum veritate fateri. Qui enim, ut nuper diximus, credit Chriſtum eſſe Deum, credit pariter Verbum eſſe Deum: Qui autem credit Verbum eſſe Deum, Trinitatem divinarum Perſonarum aperte credit; in ea nimirum credens & Perſonarum Trinitatem, & naturæ unitatem.

Recenſitos decem Patres contra Petavium, & cum Juenino, a noxa, quæ illis imponitur, uſque modo vindicamus. Vindiciæ autem noſtræ & Catholicis placere, & Hæreticis diſplicere, omnino debent. Petavio autem non invidiam aſſerimus facto noſtro; etſi enim ab ipſo diſcedimus, non tamen ipſum accuſamus. Quod quidem feciſſe, aut voluiſſe facere, Jueninum credimus, quando ſcripſit. ,,Dionyſium Pe-
,, tavium lib. 1. de Trinitate non æquum
,, fuiſſe cenſorem Patrum, qui ante Conci-
,, lium Nicænum, ſive in Oriente, ſive in
,, Occidente, floruerunt; cum eos omnes,
,, paucis exceptis, aſſeruit, Arianiſmo cir-
,, ca Verbi divinitatem laboraſſe. . . . Soci-
,, nianos, ut Traditionis vim enervent, im-
,, merito Catholicis objicere, Patres trium
,, priorum ſeculorum docuiſſe, Verbum non
,, eſſe Patri conſubſtantialem . . . Ab iiſdem
,, Socinianis, ac aliis Hæreticis immerito
,, objici Petavii hoc in capite judicium.
,, Nam Petavius in præfatione ſui Operis
,, in anteceſſum retractat, quod docet lib. 1.,
,, quippe qui contendas, Patres trium prio-
,, rum ſeculorum magis loquendi ratione,
,, quam in rei veritate, differre ab iis Patri-
,, bus, qui poſt Nicœnum I. Concilium
,, ſcripſeruns. Addendum eſt, Catholicam
,, Eccleſiam in capite, de quo agitur, non
,, probare Petavii judicium, ſi revera ſenſe-
,, rit, Patres trium priorum ſeculorum aliud
,, de Verbi divinitate ſenſiſſe, quam quod
,, Nicæni Patres definierunt.,,

De aliis vero, qui a Petavio accuſantur, & a Juenino non defenduntur, neſcimus, an debeamus eos vel accuſare, vel defendere. Attamen re vera defendi non poſſunt, præcipue Theophilus Alexandrinus, Tatianus, Methodius, ex Græcis; & ex Latinis Lactantius Firmianus; quamvis hunc etiam Juenimus, ſicut & Origenem, aliqualiter defendat. Dicit nihilominus de Lactantio, quod Rhetor erat, non Theologus: unde non mirum, ſi in Theologiæ rebus non ita ſcripſit accurate, ut eloquenter ſcripſit ſecundum Rhetoricæ præcepta. Hieronymus vere Lactantium percutit in lib. de Scriptor. Eccl. dicens: *Lactantius in libris ſuis, ut maxime in epiſtolis ad Demetrianum, Spiritus Sancti omnino negat ſubſtantiam, & errore judaico dicit eum, vel ad Patrem referri, vel ad Filium, & ſanctificationem utriuſque perſonæ ſub ejus nomine demonſtrari.* Multa affert Petavius contra Lactantium, ſed unum nos hìc adducimus, quod ſufficiens nobis ad rem videtur. Lib. 4. c. 14. de Chriſto loquens, ſcribit: *Docuit enim, quod unus Deus ſit, eumque ſolum coli oportere: nec unquam ſeipſum Deum dixit, quia non ſervaſſet fidem, ſi miſſus, ut Deos tolleret, & unum aſſereret, induceret alium, præter unum. Hoc erat non de uno Deo facere præconium; nec ejus, qui miſerat; ſed ſuum proprium negotium gerere; ac ſe ab eo, quem illuſtratum venerat, ſeparare.*

De Origene vero clarior res eſt. Bellarminus hoc de eo judicium profert, in lib. de

Scriptor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Scriptor. Eccl. „ Quanvis doctiſſimus fue-
„ rit, deceptus tamen ex Platonis Philoſo-
„ phia in multos errores incidit. S. Baſilius
„ in lib. de Spir. Sanc. c.2. dicit, Origenem
„ non habuiſſe ſanas de Spiritu Sancto opi-
„ niones. S.Epiphanius in lib.de hæreſ. po-
„ nit Origenem in numero aliorum Hæreti-
„ corum. S.Hieronymus vertit in latinum
„ idioma libros Origenis *Periarchon*, ut
„ oſtenderet errores plurimos, quibus libri
„ illi ſcatent. Denique in quinta Synodo
„ generali collat.8. can.2. dicitur anathema
„ Origeni, & Scriptis ejus „. S. Hieronymus de Origene hæc aſſerit apud Petavium; quod ſcilicet is in lib. Periarchon ſcripſerit; *Chriſtum Filium Dei non natum eſſe, ſed factum; Deum Patrem per naturam invisibilem, a Filio non videri; Filium, qui ſit imago viſibilis Patris, comparatum Patri non eſſe veritatem; apud nos autem, qui Dei omnipotentis non poſſumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri; ut majeſtas, ac magnitudo majoris quodammoda circumſcripta ſentiatur in Filio: Deum Patrem eſſe lumen incomprehenſibile; Chriſtum collatione Patris ſplendorem eſſe perpetuum; qui apud nos pro imbecillitate noſtra magnus eſſe videatur.*

Plura de his, & de aliis dicere, ſuperſedemus; remittentes, qui plura cupiunt, apud Petavium, qui fuſe de ſingulis tractat; eoſque pariter admonentes, ut, quandocunque fieri poſſit, eos, qui excuſari poſſunt, excuſent; & qui damnari merentur, damnent.

DISSERTATIO CV.

De antiquioribus Hæreticis, et de eorum contra Trinitatem inſaniis.

ADNOTARE hìc prius oportet, nos non de quibuſcunque Hæreticis loqui, qui contra Trinitatem calamum acuerint; ſed de illis ſolum, qui Perſonarum pluralitatem negarunt. Alibi deinde erit locus, ubi de Hæreticis aliis loquemur, qui contra naturæ unitatem loquuti ſunt. Et quidem hæc duo diſtinguete conſulto debemus; illoſque pariter ſecernere, qui contra unum, aut aliud, Fidei dogma pugnarunt. Illi enim, qui diverſas in perſonis naturas admiſerunt ex uno capite evertendi ſunt; ex alio vero ſunt impugnandi illi, qui in natura non diverſas commenti ſunt perſonas. Ac proinde non uno, eodemque loco contra utroſque ſcribere debemus, ut exactius rei ſeries, & differendi ordo, peragatur. Primo igitur Hæreticos adnumeramus, qui contra Perſonarum trinitatem inſanierunt; illoſque impugnamus: Altero vero loco illos inducemus, qui contra eſſentiæ unitatem delirarunt, ibique illos confutabimus.

Primo loco ſcribunt Simonem, qui fuit re, & nomine, magus, quique pariter Hæreticorum omnium fuit facile anteſignanus, & Princeps. Hic ex Irenæo lib.1. c. 20. aſſeruit, inter alia impia dogmata, quæ in aperto ponere non erubuit, ſe eſse Deum, qui apparuit in Samaria ut Pater; ſe eſſe Deum, qui apparuit in Judæa ut Filius; ſe eſse Deum, qui apparuit in Gentibus ut Spiritus Sanctus. Refert Fraſſen in Indice Hæreticorum adverſus adorandum Trinitatis myſterium inſanientium, quem Tractatui de Trinitate præpoſuit. Unde non alias, quam unam tantum Perſonam agnovit, ſcilicet ſeipſum, qui juxta ſuas varias apparentias, quas facerat modo Pater ſit appellatus, modo Filius, modo Spiritus Sanctus. Floruit Apoſtolorum temporibus, & præcipue an.ær.chriſt.57. Simonis hæreſis teſtes producit Cardinalis Laurentius Cozza, in libro noſtræ olim cenſuræ concredito, Commentarii ſcilicet in Hæreſes libri S.Auguſtini, Auguſtinum ipſum, Epiphanium, Theodoretum, alioſque. Du-Hamel pariter citat Auguſtinum lib.de hæreſ. hæreſi 4.

Secundo loco referuntur a Fraſsen cit. loc. Montani, qui dixerunt, in Deo non ſolum eſſe eſsentiæ unitatem, verum quoque Perſonæ. Pro Montanis hiſce non intelligit Cataphrygas, hoc eſt Montani Phrygis Sectatores; inferius enim ſcribit de Montano hoc, quem floruiſse ait ann. 220. Montanos vero, de quibus loquimur, ann. 180. Alii proinde fuerunt; & quidem invenimus apud Dominicum Bernini antiquo amicitiæ fœdere nobis arctiſsime junctum, in ſua hæreſum omnium hiſtoria t.1. ſec.3. c.5. fuiſse in Africa Mon-

tenſes,

genſes, qui Felieiſſimum ſequebantur contra S. Cyprianum, Carthaginenſem Epiſcopum. Fuerunt ſic dicti, quia in montibus ſe receperant, ibique temeritate, & inſania ſtipati, ſuos errores propalare, ac defendere nitebantur. Cæterum apud Bernini hiſtoriam nomen quidem invenimus, at hæreſim non legimus, Montanenſium, ſeu Montanorum, quoquo nomine dicantur. Coccius inſuper in theſar. Catholico t. r. lib. t. ar. 4. hæc tradit: *Montani Trinitatem in unius Perſonæ anguſtias cogunt. Hieron. epiſt. ad Marcellam.* A quo fortaſſis Fraſsen accepit. A Du-Hamel numerantur quoque Ebion, & Cerinthus, Apoſtolorum temporibus; cæteri autem omnes de iisdem ſilent.

Tertio ponitur Praxeas, qui non aliter putavit Unum Deum eſſe credendum, quam ſi dicat, se ipſum eſſe, eundemque ſimul, Patrem, & filium, & Spiritum Sanctum. Citatus Coccius ex Tertulliano advers. Praxeam hæc refert,,,Praxeas unum Deum non aliter putat credendum, quam ſi ipſum, eundemque & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, dicat: Deumque Patrem deſcendiſſe in Virginem, ipſum ex ea natum, eſſe paſſum, denique ipſum eſſe Chriſtum,, Auctor Appendicis ad librum de Præſcriptionibus Tertulliani cap. ult. ſcribit: *Sed poſt hos omnes etiam Praxeas quidam hæreſim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jeſum Chriſtum eſſe dicit, hunc crucifixum, paſſumque eſſe contendit, mortuum præterea, ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam cum profana, & ſacrilega authoritate proponit.* Subdit Cardinalis Cozza laudatus t. 2. c. 4. n. 34. ,, Propter hujuſmodi hæreſim damnatum fuiſſe Praxeam, idem Tertullianus cit. loc. non obſcure demonſtrat,, Certe Optatus Milevitanus lib. 1. adv. Parmenianum inter hæreticos illos Praxeam adnumerat, qui fuerunt ab Eccleſia proſcripti, atque damnati. *Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, & cæteri temporibus ſuis a Victorino Pictavienſi, & Zepherino Urbico, & Tertulliano Carthaginenſi, uſque ad Cataphrygas, & ab aliis adſertoribus Eccleſiæ Catholicæ ſuperati ſunt.*

Quarto adnumeratur Hermogenes, qui, ex Fraſſen, in Deo unam tantum Perſonam poſuit. Hermogenem hunc deſcribit Tertullianus in lib. contra ipſum edito c. 1. verbis hiſce: *Hæreticus turbulentus, qui loquacitatem facundiam exiſtimet, & impudentiam conſtantiam deputet, & maledicere ſingulis officium bonæ conſcientiæ judicet. Prætèrea pingit licite, nubit aſsidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falſarius, & cauterio, & ſtylo, totus adulter, & prædicationis, & carnis. A Chriſtianis enim converſus ad Philoſophos, de Eccleſia ad Academiam, & Porticum, unde ſumpſit a Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ & ipſa ſemper fuerit, neque nata, neque facta, neque initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia poſtea fecerit. Hanc primum umbram plane ſine lumine peſsimus Pictor illic argumentationibus coloravit.* In hiſce, & aliis, Tertulliani verbis nulla eſt hæreſis, de qua loquimur, mentio; nulla pariter legitur apud Coccium, Cozzam, Bernini, Natalem Alexandrum, Dupinum, Petavium, alioſque, qui de Hæreticis, & de Hæreſibus, tractant. A quo igitur Fraſſen deſumpſerit notitiam, quam refert, nos omnino latet. Alexander in hiſt. eccl. ſec. 2. c. 3. ar. 15. aſſerit, errorem ejus palmarem fuiſſe, quod diceret, materiam eſſe ingenitam, & infectam; & nihil de præſenti hæreſi loquitur; ut nec pariter loquuntur Du-Hamel, Jueninus, aliique.

Quinto adſignatur Montanus, ejuſque Aſſeclæ, Montaniſtæ dicti, vel Cataphryges, ex eo quia, ut ait Fraſſen, jactavit, ſe eſſe Paracletum; ſubdens, *& quod mireris, tantam inſaniam tanto viro, Septimio Tertulliano, perſuaſit.* At Jueninus tradit, quod quidam Montaniſtæ, non omnes, hanc hæreſim amplexati ſunt; quod aperte teſtatur Tertullianus in lib. de Præſcript. c. ult., ſcilicet Trinitatem in divinis non eſſe. De Montano vero teſtatur idem Jueninus: *Ipſe tamen Montanus eo in capite cum Catholicis cenſuit, ut videre eſt apud Epiphanium hæres 48., & apud Theodaretum lib. 3. hæreticar. fabular c.* 2. Petavius quoque docet, Tertullianum de portione quadam Cataphrygaſtarum, quæ Cata Æſchinem, dicebatur, loquutum fuiſſe in præfato cap. ult. Verba Tertulliani ſunt: *Privatam autem blaſphemiam illi, qui ſunt Cata Æſchinem, hanc habent, qua adiiciunt etiam hoc, ut dicunt, Chriſtum ipſum eſſe filium, & Patrem.* Natalis Alexander nec verbum facit de hac hæreſi, Montani errores omnes recenſens. Coccius quoque ſilet, ut & Du-Hamell.

Sexto exhibetur Noetus, qui negavit numerum Perſonarum, & docuit, eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, qui fuit & genitus, & in carne paſſus. Teſtantur Fraſſen, & Coccius; qui teſtes profert Epiphanium, Philaſtrium, Auguſtinum, & Damaſcenum de Noetianis. Petavius

vius aſſerit, Noetum docuiſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non natura ſolum, ſed etiam perſona, unum, & ſingularem eſſe Deum. Ab hoc Noeto incipit Alphonſus de Caſtro catalogum Hæreticorum, qui Perſonarum Trinitatem negarunt, in lib. adv. Hæreſ. verb. Deus, ad hæreſ. 5. dicens: *Hujus hæreſis autor fuit Noetus quidam, a quo Noetiani etiam dicti.* Didicerat forſan ab Epiphanio, qui hæreſ. 57. ſcsipſerat, ante Noetum neminem hanc hæreſim invexiſſe. Sed Petavius ex adverſo obſervat, Noetum vixiſſe ann. 245., ſed ante hoc tempus alii eandem hæreſim invexerant; ut nos quoque uſque modo exhibuimus. Idem adnotat Natalis Alexander ſec. 3. c. 3. ar. 7. num. 2. dicens: „ Unde non ſatis accuratus eſt S.
„ Epiphanius, cum ante Noetum neminem
„ talem hæreſim invexiſſe ſcribit, quem qui-
„ dem anno ante 130. annos, quam iſta lu-
„ cubraret, extitiſse memorat. Itaque ſub
„ annum Chriſti 245. Noetus erupit. Ante
„ vero hoc tempus jam illam hæreſim Pra-
„ xeas prædicaverat. „ Noetus tandem ex Epiphanio fuit Epheſius; ex Theodoreto fuit Smyrnæus; ut idem Alexander refert.

Septimo adducuntur Marcellus, & Photinus, qui ex Fraſſen docuerunt Deum ſingularem, & more Judæorum, non eſſe tres Perſonas, ſed unam dumtaxat, licet tria ſint nomina. Coccius idem teſtatur, ſcilicet Deum ſingulum eſſe, & ſolitarium, hos Hæreticos dixiſſe; *& more judaico, non eſſe tres perſonas, ſed unam dumtaxat, licet tria ſint nomina, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tamen non eſſe perſonas peculiares.* Teſtes nominat Vincentium Lyrinenſem contra hæreſes, Marium Victorinum lib. 1. contra Arium, Theodoretum lib. 2. hæreticarum fabularum. Photini etiam, ejuſque hæreſis, quam diximus, meminit Bernini in ſec. 4. cap. 6.

Octavo Sabellius in aciem trahitur, qui eundem voluit eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; qui in veteri teſtamento legem dedit, ut Pater; in novo factus eſt homo, ut Filius; & ad homines advenit, ut Spiritus Sanctus. Teſtantur Hilarius, Epiphanius, Auguſtinus, Theodoretus, Leontius, & Damaſcenus de Sabellianis apud Coccium. Sabellius, qui natus eſt in Lybia, ſive Pentapoli, ac Cyrenaica Provincia, diſcipulus Noeti, ut ait Philaſtrius, Pater fuit, & Magiſter Sabellianorum, quorum ſecta pluſquam illa Noeti floruit, & majores in Eccleſia turbas excitavit. Dicti ſunt etiam Patripaſſiani, quia, quum unam Perſonam admitterent, Patrem etiam fuiſſe paſſum concedebant. Teſtatur Auguſtinus trac. 6. & 30. in Joannem: *Nam Sabelliani dicti ſunt quidam Hæretici, qui vocantur Patripaſsiani; qui dicunt ipſum Patrem fuiſſe paſſum.* Floruit Sabellius ſub Sixto II. Pontifice, & Gallieno Imperatore. De Hæreticis hiſce Epiphanius hæreſ. 62. hæc ſcribit: *Horum hæc opinio eſt, eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; ut ad eandem hypoſtaſim tres appellationes conveniant, aut perinde atque in uno homine corpus, & anima, & ſpiritus, ineſt. Ita ut corporis inſtar ſit Pater, anima Filius, Spiritus denique in ipſa Divinitate humani Spiritus inſtar habeatur.* Alias addebant ſimilitudines, æque ſacrilegas, ac ineptas.

Nono Priſcillianus habetur, qui voluit, eundem eſſe Patrem, qui & Filius, & Spiritus Sanctus. Refert Auguſtinus hæreſ. 70. S. Leo epiſt. 93. Ex Auguſtino teſtatur Bernini in ſec. 4. c. 8. Alphonſus de Caſtro l. c., & cum eo Coccius loc. pariter cit., qui habet: *Priſcillianiſtæ adhuc perſeverantes, Patris, Filii, ac Spiritus Sancti, unam, atque eandem aſſerunt eſſe perſonam: tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur; nec alius ſit qui genuit, alius qui genitus eſt, alius qui de utroque proceſsit.*

Decimo fuit Paulus Epiſcopus Samoſatenus, dicit Jueninus, alii dicunt, Epiſcopus Antiochenus, circa an. 265. negans Perſonarum diſtinctionem, & Chriſti divinitatem; unde ann. 270. in altero Antiocheno Concilio damnatus eſt, & e ſua ſede dejectus; ut teſtatur Euſebius lib. 9. hiſt. eccl. c. 22. & ſeq. De eo loquuntur Petavius, Jueninus, Du-Hamel, Alexander &c. ex antiquis Patribus Athanaſio orat. de ſalut. adven. Euſeb. l. c. aliiſque, Gregales Samoſateni dictos fuiſſe Paulianiſtas, tradit Alexander. De ejus errore hæc habet Epiphanius hæreſ. 65. *Eſt autem Pauli hæc opinio, Deum Patrem, & Filium, ac Spiritum Sanctum, unum eſſe Deum. Verbum Dei, ejuſque Spiritum ineſſe Deo perpetuo, ſicut hominis in corde proprium Verbum ineſſe cernimus. Filium Dei ſubſiſtentiam habere per ſeſe nullam, ſed in Deo ſubſiſtere. Ad hæc Dei Verbum in terras delapſum, in Jeſu, qui homo merus eſſet, habitaſſe. Ita unus, inquit ille, Deus eſt: neque aut Pater eſt Pater, aut Filius Filius, aut Spiritus Sanctus Spiritus eſt Sanctus. Imo vero Deus unus eſt Pater, hujus in ipſo Filius, ut eſt in homine ſermo.* Philaſtrius etiam de Hæreſ. c. 65. loquitur

quitur

quitur apud Bernini.

Undecimo Fauſtus Manichæus inducitur, quem dixiſſe tradit Auguſtinus, apud Coccium, lib.20. c.2. contra Fauſtum: *Unum ſub triplici appellatione Numen colimus, ſed Patrem credimus lucem incolere ſummam, & inacceſſibilem: Filius in hac ſecunda luce conſiſtit, cujus virtus in ſole, ſapientia in luna habitat: Sedem Spiritus Sancti omnem mundi ambitum fatemur.* Fraſſen Coccio adhæret.

Duodecimo afferuntur a Coccio, & a Fraſſen, Theodorus Mopſueſtanus, & Neſtorius, qui, ut iidem ſcribunt, *dum impie negant Deum, ideſt Dei Filium de Virgine natum eſſe, nec tamen negant Filium Dei eſſe conſubſtantialem Patri, aut verum hominem aſſumpſiſſe, Quaternitatem pro Trinitate dogmatizant.* Et referunt Quintam Synodum Oecumenicam, & Maxentium in Fidei confeſſione.

Decimotertio ſcribitur Anaſtaſius Imperator, quia Edictum fecit, quo præcipiebat, non Trinitatem, ſed Quaternitatem, adorandam eſſe. Ob quam hæreſim, impiam ſane, ac putidam, fulmine percuſſus miſerrime interiit. Coccius, & Fraſſen adducunt teſtes Paulum Diaconum, Pomponium Lætum, & Blondum, in hujuſce Imperatoris vita.

Decimoquarto Chilpericus, Francorum Rex, cupiens Sabellianam hæreſim propagare, ac promulgare in regno ſuo, Galliarum Epiſcopis ſcripſit, ut abjecta Trinitate, unum tantum Deum aſſererent. Subdens, eundem eſſe Patrem, qui & Filius, & Spiritus Sanctus eſt; & eundem eſſe Filium, ac Spiritum Sanctum, qui Pater eſt; nec diviſionem Perſonarum in Deum ullo modo cadere. Teſtantur Gregorius Turonenſis hiſt. Franc. lib. 5. c. 44. Aimoinus lib. 3. c.41.

Decimoquinto Mahometus, ait Coccius, ponit unum Deum, univerſi auctorem, qui neque genitus ſit, neque generaverit: negat in unitate Trinitatem, & ſolum binarium numerum in Trinitate confitetur, ſcilicet ipſam divinam eſſentiam, & animam ejus: unde pluraliter loquentem ipſum introducit Azoara 11. & 122. Teſtatur etiam Fraſſen; uterque autem ex Damaſceno de hæreſibus, & Auctore Summolæ contra Saracenos. Item Mahometanorum hanc hæreſim ſectantium meminit Du-Hamel. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 7. c. 2. ar. 2. hæc ſcribit, de Mahometo loquens. ,, Deum unum præ-
,, dicat cum Chriſtianis, & Judæis, cumque
,, univerſi conditorem profitetur, pium;
,, miſericordem, ſolum colendum, ſolum
,, invocandum, bonorum remuneratorem,
,, malorum judicem. Deum Filium habere
,, negat, idque eo probat argumento, quod
,, nullius rei ſit indigus. Proinde Chriſtum
,, Filium Dei, Deumque eſſe inficiatur,
,, eoſque incredulos vocat, qui ipſum Deo
,, conſimilem, & æqualem ſtatuunt. Jeſum
,, a Deo increpitum, quod ſe, matremque
,, ſuam, velut duos Deos, ab hominibus co-
,, li juſſiſſet; ſe excuſaſſe, ac purgaſſe fabu-
,, latur, his verbis: *Tu ſcis me nihil homini-*
,, *bus, niſi mandata tua, dediſſe, ſcilicet quod*
,, *te Deum meum, atque ſuum invocent, & ado-*
,, *rent. Azoare 13. & 14.* ,, Falſus hic Propheta Cyreneus fuit a Saracenis raptus, in Arabiam deportatus, Iſmaeli, diviti mercatori, fuit venditus. Ab hoc camelorum Præfectus factus, eo defuncto, uxorem ejus viduam uxorem duxit. Prius, poſt nuptias mercator fuit, deinde miles poſtmodum Princeps eſſe voluit. Sergio Monacho ſibi adjuncto, Legiſlator cupiit fieri, & novam Religionem inſtituere. Legem publicavit, quam dixit *Alcoran* Arabice, hoc eſt volumen præceptorum. Sectam ſuam per novem annos concepit, ac parturiit; poſtea per decem, & novem ferro, & armis, dilatavit. Imperante Heraclio floruit, & ann.631. obiit. In oppido Mecha ſepultus, ibi convenit frequentiſſima Mahometanorum multitudo, religionis ergo. Ex Laonico lib. 3. de rebus turcicis refert Alexander loc.cit.

Decimoſexto Bogomili, qui originem ducebant a Bogomile, ut ait Coccius, ſed melius a Baſilio Medico, qui habitu Monachus incedebat, & qui fuit ab Alexio Comneno, Orientis Imperatore, in amphitheatro exuſtus, dixerunt, non eſſe in Deo Trinitatem. Ex Euthymio in Panoplia p.2. tit.23. referunt Coccius, & Fraſſen. Ex Paulicianorum, novorum Manichæorum, & Meſſalianorum, potri, hanc hæreſim, ſectamque Bogomilorum circa ann.1118. ortam fuiſſe, tradit Natalis Alexander. hiſt. eccl. 11. c.4. ar.5. De hac tamen eorum hæreſi idem Alexander habet: ,, Simplicibus fucum faciebant, di-
,, cendo, ſe credere in Patrem, & Filium,
,, & Spiritum Sanctum: Sed re vera Patri
,, hæc tria nomina tribuebant; eumque cor-
,, porea forma præditum, ex binis cerebri
,, panniculis binos radios emittere, alterum
,, Filium, alterum Spiritus Sancti delira-
,, bant ,,. Bogomili dicebantur, hoc eſt Dilecti Dei; ſic enim Bulgariæ vocabulum

latine ſonat; ut ait Berninus in ſec. 12. c. 1. ex Zonara, Euthymio, Baronio ad an. 1119. n. 28., aliiſque.

Decimo ſeptimo ſunt Loyſius, alii dicunt Liſojus, & Hæribertus, qui blaſphemabant, dicendo, deliramenta eſſe quicquid in veteri, ac novo teſtamento de Trinitate, ac Unitate Dei eſt ſcriptum. Ex Glabero Rodolpho lib. 3. c. 8. referunt Fraſſen, & Coccius. Hæc quidem de veterum Hæreticorum erroribus contra Trinitatem Perſonarum invenire potuimus apud Auctores, qui eoſdem referunt; & hæc quoque afferre Legentibus voluimus, ſi ſcire eoſdem volunt; ut ſcilicet laborem noſtrum ſua patientia ſuppleant, & pariter ſua acceptatione coronent.

DISSERTATIO CVI.

De Sectariis recentibus, & de eorum contra Trinitatem deliriis.

Quemadmodum in præterita Diſſertatione de illis egimus Heterodoxis, qui Perſonarum Trinitatem in ſacroſancto myſterio impugnarunt, non vero de illis, qui naturæ unitatem non agnoverunt: Ita ei modo in præſenti de illis loqui intendimus Sectariis, & quidem recentibus, qui contra Perſonarum Trinitatem, non vero naturæ unitatem, inſanientes deliraverunt. Nec pariter hic ſcribimus de iis, qui in eiſdem Perſonis inæqualitatem admiſerunt, aut Perſonas ipſas quomodolibet explicarunt; dummodo in earum numero convenerint. De his enim erroribus alibi erit locus, ubi referentur, & refellentur. Interim accedamus ad modernos Sectarios agnoſcendos, & enumerandos, qui contra Perſonarum Trinitatem ſua deliria oſtentarunt.

Primo occurrit Michael Servetus, qui, Coccio, & Fraſſen teſtibus, negat conſiſtere poſſe tres illas res incorporeas in una Deitate diſtinctas; qui atheos, & Tritheitas vocat omnes, qui Trinitatem ſtatuunt in eſſentia Dei, non habentes Deum, niſi tripartitum, & aggregatum. Denique, Theodoro teſte, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Cerberum tricipitem appellavit. Sic Servetus lib. 1. cont. Trinitatem; & Theodorus Beza epiſt. 1. De Serveto Jueninus hæc ſcribit. ,, Michael ,, Servetus, Hiſpanus, extinctam jamdiu ,, Sabelli hæreſim iterum elapſo proxime ,, ſeculo in orbem invexit, editis quibuſdam ,, libris, quos de erroribus Trinitatis in- ,, ſcripſit. Apud Polonos, ac Tranſilvanos, ,, obtinuit Serveti error, agentibus Georgio ,, Blandrata, Paulo Alciato, Franciſco Da- ,, vid, Fauſto Socino, Senenſi, qui peragratis ,, variis orbis regionibus, tandem ſedem fi- ,, xit ſuam in Polonia, ubi diem extremum ,, clauſit ,,. In Hæreſum hiſtoria, gallice ſcripta, cujus auctor eſt Dominus de Sancta Guardia, par. 2. de Socinianis, legimus; quod poſt Lutherum emerſerunt inter ejus diſcipulos Michael Servetus, Hiſpanus, Gregorius de Paulo, Georgius Blandrata, Pedemontanus, Valentinus Gentilis, Calaber, Franciſcus David, Paulus Alciatus, Mediolanenſis, Lælius Socini, aliique, qui publice docebant, non aliam Perſonam eſſe, niſi Patrem, quæ ſit Deus; Filium vero, & Spiritum Sanctum, eſſe quidem de Deo, at non eſſe Deum. Ex his plures ferro, & igne extincti ſunt; alii per orbem diſperſi. Poſtmodum Fauſtus Socini, Lælii nepos, profugus ex Italia, in Poloniam ſe recepit, ibique hæreſim cum Serveto propagavit, eo quidem ſucceſſu, ut deinde ejuſdem ſectatores non Servetiani, ſed Sociniani, communi vocabulo fuerint appellati; quanvis etiam aliqui Servitianos, & Antitrinitarios, eos appellent; ut apud Berninum. Genevæ crematus interiit, Calvino mandante; poſt illius mortem errores ejus, diſcipulis ſuis procurantibus, & præcipue Socinis, in Poloniam, Tranſilvaniam, & Hungariam, peragrarunt.

Secundo in aciem venit Martinus Lutherus, qui de abyſſo in abyſſum irruens, nullus fere fuit error, quem non patrocinatus fuerit, nulla impietas, quam non laudaverit, nulla fæditas, quam non amaverit. In enarratione Evangelii de ſancta Trinitate ſcribit: *Sanctiſſimæ Trinitatis diem hodie feſtum celebramus, ubi proſpiciendum eſt, ne in caſſum ſolemnem diem ducamus. Tametſi vocula hæc Trinitas nuſquam in divinis Scri-*

pturis

Digitized by Google

pturis reperiatur, cæterum humanitus tantum inventa ſit. Unde omnino frigide ſonat, & multo præſtabilius foret, ſi Deus potius, quam Trinitas diceretur. Et in confutatione Latomianæ rationis: *Si odit anima mea vocem homouſion, & nolim ea uti, non ero hæreticus &c. Nec eſt, quod mihi objectes adverſus Arianos receptum: Non fuit receptum a multis, quod & Hieronymus optavit aboleri, ideoque non effugerunt periculum, hoc inventò vocabulo, ut Hieronymus queratur neſcire, quid veneni lateat in ſyllabis, & literis, adeo ut illud Ariani magis, quam Scripturas, exagitabant*. Falſarius homo iſte de Hieronymo ſcribit, quæ Hieronymus nunquam ſomniavit; ut Coccius advertit. Quibus verbis non minus unitatem in natura divina, quam Perſonarum Trinitatem, intendit ab Eccleſia deturbare; itaut vere de ipſo dici poſſit, erroribus ſuis omnia Eccleſiæ dogmata de medio tollere voluiſſe, omnes Fidei articulos aboleri, Deum ipſum de cordibus hominum expellere; ut aliquando atheiſmus in mundo, Luthero protegente, triumphet.

Tertio Joannes Calvinus expreſſioribus verbis malignitatis ſuæ virus diffundit. Lib. 1. Inſtit. c. 13. §. 5. *Utinam ſepulta eſſent nomina (Trinitatis, Perſonæ, Conſubſtantialis); conſtaret modo inter omnes hæc fides, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum eſſe Deum: Nec tamen aut Filium eſſe Patrem, aut Spiritum Filium, ſed proprietate quadam eſſe diſtinctos*. Epiſtola ad Polonos pag. 946. *Unus Deus, ideſt Trinitas. Creditis in Deum, ideſt in Trinitate, ut cognoſcant te unum Deum, ideſt Trinitatem. Hoc non modo nunquam inſipidum, ſed ut profanum quoque repudiamus*. Ad cap. 1. Joannis: *Perſonas vocarunt diſcretas in Deo proprietates, quæ ſe mentibus conſpiciendas offerunt*. Et quanvis contra Servetum fol. 880. dicat: *Servetus Athanaſium dicit fuiſſe Sathanaſium, hunc tripartitum Deum inveniſſe; Nicænos Patres omnes fuiſſe cæcos Sophiſtas, miniſtros beſtiæ, mancipia Antichriſti, ejuſque præſtigiis faſcinatos*. Hæc tamen ſcommata impia, & ſacrilega quum non impugnet, approbare videtur.

Quarto Valentinus Gentilis protulit quoque, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres eſſe æternos ſpiritus, ejuſdem quidem naturæ, ordine tamen, gradu, & proprietate, diſtinctus. Pater ſolus habet αὐτουσίαν, & eſt αὐτόθεος, qui in ſe deitatis immenſam eſſentiam habet; ab hoc Filium, & Spiritum Sanctum eſſentiatos eſſe, qui ſuam deitatem ab illo dependentes habeant; & idcirco in Scripturis Deum unum dici; non quod ſit unus numero, ſed αὐθεντίας, principii nimirum, & originis, ratione. Ita ex Joſia Simlero de æterno Dei Filio c. 1. refert Coccius. At Fraſſen de eodem Gentili hæc dixiſſe refert: *Confuſio trium in unum, & eundem numero ſpiritum fundamentum, & origo omnium errorum fuit. Qui enim unum Deum in tres Perſonas diſtinguit, vel ſibi præſtigias facit, vel neceſſario unius Dei ſubſtantiam dividit, ac diſcerpit*. De huc Gentili plura diximus in 1. tom., ubi etiam probavimus, eum Calabrum non fuiſſe, ut plerique ſcribunt. Hic ſubnectimus hæc alia ex Bernino ſec. 16. c. 8. ,, Valentino Gentile, Antitrinitario Serveziano, per le ſue orribiliſſbeſtemmie decapitato in Berna dagli ſteſſi Eretici Calviniſti, del quale dice l' Iſtorico (Spondan. ad an. 1562. num. 34.) *Cum ad ſupplicium duceretur, non deſiit ingeminare, ſe pro gloria altiſſimi Dei Patris mortem oppetere, quod nemini hactenus contigiſſe dicebat, ſed omnes Apoſtolos, & Martires, pro Filii tantum gloria paſſos eſſe* ,,.

Quinto VVolfangus Muſculus 1. Anticolæo hæc effutiebat: ,, Nollem coram Ethnicis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, dicere tres Perſonas, ne viderer dicere tres Deos: vocabulum hoc Perſona non ita neceſſarium eſt ad Fidem Chriſtianam, ut ſine illo nequeas eſſe Chriſtianus, cum illud primi Chriſtiani ignoraverint ,,. Ita referunt Coccius, & Fraſſen.

Sexto Bernardinus Ochinus dial. 2. dicitur a Coccio, quod vehementer exarſit in hæc ſancta, divinaque nomina, Deum infinitum, Dei eſſentiam, & ſubſtantiam, Deum in Trinitate Perſonarum: ea vocans monſtra ſathanica, Prophetis, & Apoſtolis, incognita. Poſtmodum ipſemet inducitur dicens dial. 20. *Si Trinitas non aperte tradatur in ſacris literis, nemo ad eam credendam obſtringitur*. Et dial. 21. *Cum ſit una Eccleſia, & una Fides, non debemus plura credere, quam crediderunt Sancti fœderis antiqui: alioquin eſſemus deteriori, quam ipſi, conditione, qui ad plura, quam illi, credenda obſtringeremur. Illi autem non crediderunt Trinitatem, non Perſonas coæquales, conſubſtantiales, coæternas*.

Septimo Chriſtianus Francus lib. con. Trinitatem, Cracoviæ impreſſo, has venditat blaſphemias ſimul, & ineptias: ,, Quales fuerint, a quibus avidiſſime receptum, comprobatum, ac proſeminatum eſt Tri-

„ nitatis dogma, nemo ignorat: Eos enim
„ maxime omnium conſtat, imburos conſue-
„ tudine colendi multitudinem Deorum,
„ cum majorum, ut Apollinis, Martis, tum
„ minorum, ut Caſtoris, Pollucis, Liberi,
„ Proſerpinæ, Dianæ. Ex hoc uberrimo
„ Deorum fonte, & innumeri Sancti tan-
„ quam minores invocandi Dii, & tres
„ etiam divinæ Perſonæ, veluti majores Dii,
„ adorandi, in orbem chriſtianum proflu-
„ xerunt „. Referunt Coccius, & Fraſſen.

Octavo Theodoſius Schimbergius in epiſt. præfixa Scriptis Joannis Sommeri, hæc impudenti calamo exaravit: „ Manifeſtum
„ eſt, Trinitatem, & divinitatem Filii, non
„ eſſe articulos fidei veros, quia ſunt impoſ-
„ ſibilia mentis: Ideo in rei veritate ſunt
„ blaſphema dogmata, & horrenda, ex imo
„ orco, per filium perditionis, virtute Sa-
„ thanæ, Eccleſiis obtruſa. Falſus Deus, &
„ fictus a filio perditionis eſt, Deus unus, &
„ trinus. Hic enim nomine tenus Deus eſt,
„ reipſa autem Idolum „. Iidem Coccius, & Fraſſen, teſtantur.

Nono Nathanael Ælianus, libro germanico idiomate ſcripto, & inſcripto: *Matthan Ia:* verbis hiſce delirat: „ Quod Deus
„ unus ſit in eſſentia, & perſona, etiam
„ Chriſtus, & Apoſtoli, teſtantur in novo
„ teſtamento. Chriſtus cum dicit: *Audi Iſrael,*
„ *Dominus tuus, Deus unus eſt.* Item Joan-
„ nis 17. *Hæc eſt vita æterna, ut credant te*
„ *ſolum unum Deum;* Paulus autem 1. Co-
„ rinth. 8. *Etſi multi Dii, nobis tamen unus*
„ *eſt Deus Pater* „. Coccius eſt teſtis.

Decimo Theodorus Dorſchius, libro etiam germanice ſcripto, quo nititur tueri impia Franciſci Davidis dogmata, ait:
„ Falſus hic, & fictus Deus ab homine pec-
„ cati, eſt Deus trinus, & unus: Nam hic
„ nomine tantum Deus, revera autem Ido-
„ lum eſt, de quo Paulus ait, quod nihil ſit.
„ Nam impoſſibile omnino eſt, quod talis
„ aliquis exiſtens, qui unus, & trinus ſit,
„ poſſit, aut debeat, verus eſſe Deus. Nam
„ verus Deus non eſt tantæ potentiæ, ut
„ poſſit facere, eſſe eas res revera, quæ ſunt
„ impoſſibiles menti „. Coccius, & Fraſſen, eum adnumerant, & ſua verba recitant.

Undecimo Franciſcus Davidis, in diſput. Albana act. tertiæ diei: Item in defenſ. non invocand. Chriſt. hæc impuro ore eructavit: „ Dico ergo Chriſtum homi-
„ nem non eſſe illum altiſſimum Jeſum, ſed
„ Filium ejus: Patrem Deum altiſſimum ſo-
„ lum ab ipſo Deum dicimus: Filium vero
„ dicimus Deum communicatione. Item:
„ Si Chriſtus adorandus, & invocandus eſt,
„ Chriſtus erit ille ſolus verus Deus propo-
„ ſitus Deut. 6. At illud jam olim per nos
„ negatum, & deſtructum eſt. Non ergo di-
„ cere, & affirmare poſſumus, Chriſtum
„ adorandum, & invocandum eſſe, niſi præ-
„ varicatores eſſe velimus „. Fraſſeo hæc ſua verba reportat.

Duodecimo Georgius Blandrata dixit, eſſe quidem Patrem, eſſe Filium, eſſe Spiritum Sanctum; non tamen tres debere dici perſonas, quod ſic Scriptura non loquatur; multoque minus debere dici Deum trinum, & unum e tribus Perſonis; inſuper Symbolum Athanaſii Sathanaſii Symbolum appellavit. Refert Coccius ex Petro Carolino in explication. Fidei, & Georgio Majore in confutation. errorum Georgii Blandratæ.

Decimotertio Lambertus Danæus, lib. adverſ. Genebrardum, aſſerit; Orationem illam, qua dicimus in Litania: *Sancta Trinitas unus Deus miſerere nobis:* eſſe ineptam, inſanam, inconcionam, a Patribus male inventam, atque periculoſam. Conveniunt Fraſſen, & Coccius.

Decimoquarto ſunt illi de familia Amoris, quorum articuli Londini impreſſi ann. 1579. inter alia monſtra continebant, „
„ Trinitatem, & Chriſti divinitatem, paſſio-
„ nem, mortem, ac reſurrectionem, ut Pa-
„ piſtarum inventa, diligenter ſtudeant, tan-
„ quam vepres, & ſpinas, e vinea Domini
„ extrahere &c. Non eſt Trinitas: Impie lo-
„ quuntur, qui dicunt, Patrem eſſe Deum,
„ Filium eſſe Deum, & Spiritum Sanctum
„ eſſe Deum. Hoc enim eſt profiteri tres
„ Deos. „ Coccius pariter, & Fraſſen, tranſcribunt.

Si qui alii ſunt minoris notæ Scribentes in Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonarum myſterium, eos perluſtrandos remittimus apud illos, qui ex propoſito hæreſes, & illorum Auctores, tractant. Nobis vero alii non occurrerunt, etſi Hæreſum tractatores plures, quos apud nos habemus, legere non omiſerimus. Interim ad alia pergimus, & ad ea ſane, quæ dogmaticam partem reſpiciunt; quum uſque modo circa hiſtoricam dumtaxat, & forſan plus æquo, verſati ſimus.

DIS-

DISSERTATIO CVII.

De exiſtentia Trinitatis Perſonarum ex veteri Teſtamento contra Judæos.

I. Probatur ex Geneſ. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Et Geneſ. 2. 18. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Ubi verbum *Faciamus* denotat pluralitatem, quum non ſit loquutio unius, ſed plurium; atqui apud ipſos Judæos nequeunt plures iſti eſſe plures in natura: ergo ſunt plures in Perſonis. Minor eſt certa, quia Judæi non admittunt niſi unum Deum: non poſſunt plures illi eſse plures in natura. Tanto magis, quod naturæ unitas oſtenditur in aliis verbis in iiſdem Geneſis capitibus, nimirum c. 1. n. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; ad imaginem ſuam creavit illos: maſculum, & fœminam creavit eos*. Et c. 2. n. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ &c.* Unde in præfatis locis habemus, Deum in hominis creatione indicaſſe, & Perſonarum Trinitatem, & naturæ unitatem; hanc quidem per poſteriora verba, quæ in ſingulari numero proferuntur; *creavit, formavit, inſpiravit &c.* Trinitatem vero per priora verba, quæ in plurali numero dicuntur; *faciamus, faciamus &c.*

Ad hoc augumentum reſpondent Judæi I. Deum loquutum fuiſſe more Principum, qui ut plurimum loquuntur, & ſcribunt per *Nos*, & non per *Ego*; ut videtur in eorundem legibus, edictis &c. in quibus ſemper plurali numero utuntur, dicendo; præcipimus, mandamus, prohibemus &c. II. Deum, dicunt, Angelos fuiſſe alloquutum, ut ſcilicet eum Angeli in homine condendo adjuvarent; quatenus Angeli facerent corpus, Deus vero animam; quod dixit Aben Eſdra; vel quod Elementis imperaſſet; ut putavit Moyſes Gerundenſis; vel quod cum cœleſti, & terrena fabrica verbum feciſſet; ut ſcripſit R. Levi; vel quod cum cauſſis ſecundis quod facturus erat, communicaſset; ut R. Samo fabulatus eſt. III. Deum, ſubdunt, ſecum feciſſe verba, ſeipſum excitans ad hominis productionem; unde ſibimet dixiſſe faciamus. IV. concludunt, quod quum non poſſit a nobis determinari, cujus illa ſint verba, Patris ne, Filii, an Spiritus Sancti; & quum ex altera parte non poſſit eſſe eſsentiæ divinæ a Perſonis præciſæ; ſequitur, quod ſint ſolius Dei, qui ſolus in ſua perſona loquitur, abſque aliis Perſonis.

Contra I. Judæorum reſponſionem inſtamus. Etenim nullibi in ſacris Scripturis invenitur, quod quando de Deo loquuntur, ſeu Deum loquentem introducunt, de ipſo in plurali loquantur, vel faciant ipſum in plurali loqui. Ubique ſemper eſt Deus, eſt Rex Regum, eſt Dominus Dominantium; cur ergo in aliis locis in ſingulari loquitur, & ſolum hic, aut alibi, Perſonarum Trinitatem indicare ibi volens, in plurali loquens exhibetur? Quod quidem recte obſervavit Theodoretus q. 19. in Geneſ. Quod ſi Deus nullibi gentium in Scripturis ſanctis in plurali loquitur, & ita loquitur in hoc Geneſis loco, ubi hominem creat, myſterium ſane indicat; & hoc aliud eſse non poteſt, quam quod trium divinarum Perſonarum ſignificatio in creatione hominis præcedere, & figurare, debebat trium pariter divinarum Perſonarum invocationem in hominis regeneratione.

Contra II. reſponſionem urgemus. Et I. ad illos dirigitur Dei ſermo, qui hominem creaverunt; ſed Angeli, vel elementa, vel cœleſtis, & terrena fabrica, vel cauſsæ ſecundæ, ex divina Scriptura hominem non creaverunt: ergo Dei ſermo ad Angelos non dirigitur. Minor conſtat ex iiſdem locis Geneſis; *Creavit Deus hominem*; & c. 5. *in die, qua creavit Deus hominem &c.* Deus quidem, non Angeli. Si ergo Angeli, vel alii, creare non debebant, cur eos Deus alloquitur, quando vult hominem creare? Nec conſilium dare poterant, nec adjutorium: Superfluum igitur illos alloqui. II. Illos alloquitur Deus, ad quorum imaginem, & ſimilitudinem creandus erat homo; ſed homo non erat creandus ad imaginem, & ſimilitudinem Angelorum, vel aliorum: ergo illos non alloquitur Deus, quando hominem vult creare. Ex adductis verbis patet diſcurſus. Dicitur enim; *Faciamus hominem ad imaginem,*

& ſi-

Digitized by Google

& ſimilitudinem noſtram ; & deinde : *Creavit eum Dominus ad imaginem , & ſimilitudinem ſuam*; & rurſus c. 5. *ad ſimilitudinem Dei fecit illum* . III. Creatio hominis , ſive pro corpore , ſive pro anima , ſoli Deo tribuitur, non Angelis , ab illis Scripturæ verbis Gen. 2. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ , & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ ; & factus eſt homo in animam viventem* . Concinunt dictis Tertullianus lib.de reſurrect. carn. c. 6. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum c. 6.Irenæus lib. 4. c. 37.

Contra III. reſponſionem inſiſtimus . Et quidem verbis S. Baſilii hom. 9. Hexameron. utimur : *Quis enim faber , aut ærarius , aut lignarius, aut certe coriarius, ſutor , ſolus ipſe quidem , nec alio quodam ſibi cooperante ſtipatus , interque ſua artis inſtrumenta deſidens : Quis , inquam , ſibi ſoli admurmurat dicens : faciamus gladium , aut compingamus aratrum , aut conficiamus calceamentum ; ac non potius ſilentio ſuam , cum libuerit , accomodatam ad artem exequitur operationem ? Sunt enim inſignes profecto nugæ , unum aliquem inveniri, qui ſibi imperet* .

Contra IV. proſequimur ; Et quidem nulla ſequitur Inconvenientia ; ſi dicatur, verba illa fuiſse Dei Patris Filium alloquentis ; vel Dei Patris alloquentis Filium , & Spiritum Sanctum , vel denique omnium divinarum Perſonarum,inter ſe ſimul alloquentium . Primum dixit Auguſtinus lib. 1. de Trinitate c.7. , quia Filius in Scripturis dicitur magni conſilii Angelus , & conſiliarius Patris . Secundum aſseruit Baſilius lib. 4. cont. Eunomium . Tertium docuerunt Cyrillus Alexandrinus lib. 1. theſauri adverſ. Julianum, & Fulgentius lib. 1. de Fide ad Petrum . Quæcunque ex his tribus opinio admittatur , ratio ex verbis illis petita , ſemper ſtat , & pro Perſonarum pluralitate pugnat .

II. probatur ex eodem modo in plurali numero loquendo in aliis ſacræ Scripturæ locis, ad Perſonarum Trinitatem indicandam. Geneſ. 11. 7. *Venite igitur , deſcendamus , & confundamus ſibi linguam eorum.* Item Geneſ. 3. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* Nyſsenus lib. de Trinit. Baſilius lib. 5. cont. Eunomium , ex præfatis verbis Trinitatem Perſonarum probant; & Chryſoſt. ſer. de Trinit. hæc habet: *Dicendo* , Venite , *pares honore exhortando vocat; neque enim, ſi Angelis imperaſſet, dicere debuit*, Venite,*ſed imperando*, Ite. *Vide autem obſecro quomodo Patris vox Filium, & Spiritum Sanctum , vocet; nam ſi ad unum ſolum hoc dictum eſſet , debebat dicere*, Veni , & deſcendamus ; *quia autem dixit*, Venite, *unius eſt vox ad duos homines æquales* .

III. probatur. Gen. 1. 1. dicitur: *In principio creavit Deus cælum,& terram*; hebraice autem ſic exprimuntur hæc verba.

בראשית ברא אלהים את השמים: In quibus verbum *Elohim* in plurali . ואת הארץ numero ſignificat Perſonarum pluralitatem ; verbum vero *bara* in ſingulari , *creavit* , importat unitatem naturæ ; quum ſit ſenſus, ſecundum hebraicum textum , *In principio creavit Dii cælum , & terram.* Ineptus autem eſset ſenſus,ſi nomine *Elohim* non veniret Trinitas Perſonarum : ergo vere per hæc verba , ſecundum hebraicam loquutionem , importatur Trinitas Perſonarum, & naturæ unitas .

Reſpondent Rabbini , nomen Elohim eſſe pluralis pronunciationis , at ſingularis ſignificationis ; & quidem quod ſit pluralis pronunciationis patet , quia ſingulare nomen non habet . Si enim ſingulare haberet , eſſet *El*, vel *Elohah* ; at ſi hæc eſſent, pluralia deberent eſſe *Elim* , *Elohahoth* ; *Eloboth* , non *Elohim* ; *Elim* autem eſt nomen Deo indignum , & ſacrilegum ; *Elohahoth* vero , & *Eloboth* inepta ſunt , & barbara; ut obſervat P.Benetelli: ergo neceſſe eſt, ut qui nomen *Elohim* uſurpare vult , illud in plurali forma uſurpet , & retineat deinde ſingularis formæ ſignificationem . Ulterius nomen *Elohim* non ſignificat tantum Deos,verum quoque Angelos , Judices &c.

Contra autem Rabbinorum inſulſas imaginationes ſic procedimus . Quum ſint tot , tantaque apud Hebræos Dei nomina , ut vigintiquatuor numerentur , cur unum uſurpatum eſt , quod ſit pluralis formæ ; & non potius aliud ex tot aliis , quod ſit formæ ſingularis ? Præcipue quod agebatur de ſenſu verborum illorum , qui eſſe debebat proprius , legitimus , ſanus , & non ineptus , & ſolæciſmo incompoſitus? Signum eſt ergo , quod myſterium in verbo illo latebat ; & hoc eſt ſane , quia Perſonarum Trinitatem indicabat. Si dicant, alibi etiam in divinis Scripturis hoc idem nomen *Elohim* uſurpari ; videlicet Joſ.24. 19. Jer.10. 10. dicimus , quod his pariter in locis Perſonarum Trinitas indicatur ; ut P.Benetelli in ſagitta 1.c.5. probat contra

tra R.Chimchi, & R.Salomonem. Inepta eſt autem altera reſponſio, quod ſcilicet per nomen *Elohim* ſignificentur Angeli, Judices &c. Non enim iſti mundum creatunt, quum ibi de mundi creatore loquatur. Et ſemper etiam remanet difficultas, cur uſurpatum fuerit verbum *bara*, creavit, ſingularis formæ; quando poterat facer Scriptor plurali forma uti, & dicere, creaverunt?

IV. probatur ex illo Geneſ. 18. 1. & ſeqq. *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo fervore diei. Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum: Quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adoravit in terram. Et dixit: Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne transſeas ſervum tuum. Sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore*. In quibus verbis tres illos viros, quos Abraham vidit, Abraham modo ut plures, modo ut unum, alloquutum fuiſſe, apparet; ut unum dicens; *Domine, oculis tuis, tranſeas &c.*; ut plures, dicens; *pedes veſtros, requieſcite &c.* Quod quidem indicium eſt, in illis tribus viris Abrahæ Trinitatis myſterium fuiſſe a Deo revelatum; aliæ autem obſervationes adducuntur a Patribus, ut hoc idem contra Judæos oſtendatur; quas omnes complectitur S.Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Julianum circa medium: *Tres quidem fuiſſe, qui apparuerunt, ſubſtitiſſe, aut propriis ſubſiſtentiis, ſingulos ſermone conſubſtantialitatis in unum comprehenſos, & ita dedita opera colloquta inter ſe miſcuiſſe*. Et clariori modo Auguſtinus declarat lib. 2. de Trinit. c.12. *Quod tres viri viſi ſunt; nec quiſquam in eis, vel forma, vel ætate, vel poteſtate major cæteris, dictum eſt: Cur non hic accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Perſonis unam eandemque ſubſtantiam?*

Reſpondent Rabbini, quod verbum illud *Domine*, in textu hebraico legitur אדני, *Adonai*; & verbum *Adonai* idem importat, ac *Domini mei*; unde deducunt, quod Abraham tres illos viros, non in ſingulari, *Domine*, ſed in plurali, *Domini mei*, alloquutus eſt. Secundo ſubdit Aben Eſdra, quod viri illi ſunt poſtmodum inter ſe diviſi, quia duo ex illis Sodomam perrexerunt; Perſonæ autem divinæ inter ſe nec dividi, nec diſtingui poſſunt: ergo per tres illos viros Perſonarum Trinitas non ſignificabatur. Tertio idem Aben Eſdra inquit, ex aliorum Rabbinorum ſententia, quod Dominus antea Abrahæ apparuerat, & poſt Domini apparitionem, tres viri illi apparuerunt; unde non mirum, ſi Abraham dixit, *Domine*, & non *Domini*, quia cum Domino loquebatur, non vero cum tribus viris illis.

Contra I. Rabbinorum imaginationem dicimus cum citato P. Benetelli ſagitt. 1. c. 8. falſam eſſe reſponſionem illam ex duplici capite; primo, quia aliter facer textus in grammatica erraret; dicit enim אל תעבור; ideſt *ne tranſeat*, quod eſt numeri ſingularis; Si autem *Adonai* eſſet pluralis numeri, dicere deberet אל תעברו, ſcilicet, *ne tranſeatis*. Secundo, quia quando *Adonai* importat *Domini mei*, notatur *Patach*, dummodo non ſit in *Athnach*, aut in *Soph paſſuch*; hoc in loco non eſt in *Athnach*, nec in *Soph paſſuch*, ſed in *Reviah*: ergo eſt Dei nomen; & ita legitur in Targum cum verbo יי *Jejà*, quod reſpondet nomini eſſentiali Dei, quod eſt *Jehovà*. Et hæc eo magis locum habent, quod Rabbini aſſerunt, puncta in literis hebraicis a Deo fuiſſe Moyſi data; vel quod Sinagogæ Patres ex Dei inſpiratione addiderunt illa.

Contra II. reſponſionem addimus, quod quando duo viri illi Sodomam perrexerunt, primus ex illis cum Abrahamo remanſit; & hunc Abraham veluti Deum alloquebatur; quia in illo vel Deum unum, vel Deum Patrem, agnoſcebat. Et hæc eſt ſententia S.Auguſtini, S. Epiphanii, Juſtini martiris &c., ut refert Mariana in hoc Geneſis loco. Perſonæ igitur diſtinctæ ſunt itaque, ſed eſſentia una eſt, quæ indiviſa in tribus remanſit, quanvis duæ ex illis perſonæ fuerint ſeparatæ. Cæterum figurati diviſio repugnat, non vero diviſio figuræ; aliter Politheiſmus in mundum induceretur, & inter Chriſtianos vigeret, a quo poſtmodum in Atheiſmum dilaberentur; quod nec fuit, nec erit unquam; & utinam inter Judæos neque ſit, nec fuerit aliquando, ſaltem inter non paucos ex illis, qui vere in corde, & novam reſpuunt legem, & veterem non credunt.

Contra III. reſponſionem proferimus R. Joſue, Galilæum, qui apud R. Salomonem docet, in quolibet quaſi Scripturæ facto inve-

inveniri ſummarium, poſt quod hiſtoria ſequitur, & deinde hiſtoriam, quæ eſt ſummarii declaratio. Sic Moyſes dixit: *In principio creavit Deus cælum, & terram*; deinde ſubdit, quod fecit firmamentum, & vocavit cœlum. Nunquid duæ creationes fuerunt iſtæ. Nequaquam; una tantum fuit; ſed prima ſummarii locum, ſecunda vero tenuit locum narrationis. Sic pariter: Deus creavit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; & deinde, Deus fecit hominem de limo terræ. Non fecit duos homines, ſed unum; ſed in primo eſt ſummarium, in ſecundo loco eſt narratio. In caſu noſtro ſic etiam Deus primo apparuit Abrahæ, & hoc eſt ſummarium; ſecundo vidit tres viros, & hæc eſt narratio, quæ apparitionis modum exprimit, atque declarat. Ulterius, Dominus nuſquam in Scripturis apparuit, quin etiam loquutus fuerit; in hoc tamen loco apparuiſſet, Abrabæ, & nihil Abrabæ dixiſſet; quia ſemper tres viri illi cum Abrahamo loquuti ſunt. Denique, ſi Dominus antea Abrabæ apparuiſſet, non dixiſſet Abraham: Domine ne tranſeas, ſed Domine ne diſcedas; quod quidem eſt ſignum, Dominum apparuiſſe ei in forma trium vivorum illorum. Quod confirmar ipſemet Philo Hebræus in lib. de Abraham, ſcribens: *Cum enim ille ſapiens ſuppliciter orat tres viatoribus ſimiles, ut ſuo veliut uti hoſpitio, alloquitur non tanquam tres, ſed tanquam unum: Domine, ſi inveni gratiam coram te, ne prætereas ſervum tuum. Nam hæc verba, Domine, apud te, ne prætereas, ſimiliaque, ad unum, non ad plures, dici convenit*. Quæ quidem Philonis verba conveniunt cum illis, quæ adhibet Eccleſia, quando de Abrahamo dicit, quod *tres vidit, & unum adoravit*.

V. probatur ex illo Deuteronomii 6.4. *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*. Ubi dicitur in Vulgata *Dominus*, in hebraico textu ponitur nomen tetragrammaton יְהֹוָה Jebovà, & hoc deſignatur naturæ unitas; trina autem Perſonarum repetitio Perſonarum indicat Trinitatem. His ſimilia ſunt verba Pſalmi 66. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*. In quibus Pater ſignificatur per verba, *benedicat nos Deus*; Filius per verba; *Deus noſter*; Spiritus Sanctus per verba; *benedicat nos Deus*. Ad quid igitur trinæ repetitiones iſtæ, ſi in illis myſterium non eſſet? Et quodnam aliud myſterium, ſi non Trinitatis myſterium?

Reſpondent Hæbrei, valde ſe mirari, nos pluralitatem Deorum colligere ex illo maxime loco, in quo Deus aperriſſime ſuam unitatem manifeſtavit. Si enim dicitur in illo Deuteronomii, quod unus eſt, quomodo nos ex illo eodem loco colligimus eſſe trinum? Et ſi Trinus nominatur non eſt niſi major expreſſio vocis, non autem pluralitas ſignificati; aliter pluralitas appellaret non Perſonas, ſed Deos; quum ibi Dei nomen, quemadmodum in altero loco Pſalmi, triplicetur.

Contra Judæorum reſponſionem dicimus; quod in præfatis locis dicitur utique Deum eſſe unum, ſed in natura; in Perſonis vero eſſe trinum; falſum autem eſt, quod ipſi dicunt, nos ex illis locis colligere pluralitatem Deorum, tantum enim pluralitatem colligimus Perſonarum, ut diximus. Et quum verbis illis indicentur tres, tres ſcilicet Perſonæ; & unaquæque ex Perſonis ſit Deus; ideo dicitur tribus vicibus Deus. Cæterum tantum abeſt, ut Judæi unum Deum adorent, quod potius modo, in obſtinatione ſua permanentes, nec unum Deum agnoſcant. Et quanvis ante Chriſti adventum vere agnoſcebant unum Deum verum; hoc ideo erat, quia Trinum non credebant, ſed non negabant; & implicite etiam credebant, ut diximus, licet explicite non crederent. Modo autem quia expreſſe negant, & tenentur expreſſe credere, ideo eſt, quod Deus, quem ipſi modo agnoſcunt ut unum, & negant ut trinum, non eſt verus Deus, ſed falſus, quem ipſi ſibi temere fingunt. Quod nos quoque alibi adnotavimus, & hic ex Buſtorphio confirmamus; qui dicit Deum, quem modo agnoſcunt Judæi, eſſe Deum ſecundum dici, non vero Deum ſecundum eſſe. Buſtorphii verba referuntur a P. Benetelli in ſagitta 1. c. 18. num. 70. *Deus Rabbinicus non eſt Deus ſecundum eſſe, ſed tantummodo ſecundum dici: Judæi cum Trinitatem Deo negant, imperfectionum abyſſum in Divinitatem inducunt*.

VI. Probatur ex illo Pſalmi 32. 6. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt; & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. In quibus verbis per vocem *Domini* importatur *Pater*, qui per Verbum operatur; per vocem *Verbo* ſignificatur *Filius*, quia per Verbum omnia facta ſunt; & per vocem *Spiritu oris ejus* indicatur *Spiritus Sanctus*, quia eidem peculiari modo applicatur, & appropriatur virrus, & perfectio divinorum operum. Et quum ipſis divinis Perſonis tribuatur eadem operatio totius mundi, fit manifeſtum,

ſtum,

ſtum, quod in ipſis ſit identitas potentiæ, atque naturæ. Sic præfata verba explicant Sancti Patres, quos congerit Ruiz diſp. 36. ſeſs. 5. apud Fraſsen loc. cit., & pariter ita intelligunt ſapientiores Rabbini, quos affert Galatinus lib. 2. de arcanis c. 4.

VII. Probatur ex illo Iſaiæ 6. 3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus*. Hunc textum interpretantur non ſolum ad catholicorum ſenſum Sancti Patres Eccleſiæ, verum quoque Judæorum Doctores, & Sinagogæ Rabbini. Ex Patribus ſufficiat Ambroſius lib. 2. de fide ad Gratianum c. 4. *Quid ſibi vult ſub uno ſanctitatis nomine trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, niſi quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ſanctitate unum ſunt? Non dixit ſemel, ne Filium ſequeſtraret: Non bis, ne Spiritum Sanctum præteriret: Non quater, ne creaturas conjungeret, & ut oſtenderet, Trinitatis unam eſſe Deitatem, cum ter dixiſſet Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit ſingulariter, Dominus Deus Sabaoth*. Ex Rabbinis adducimus R. Simeonem dicentem: *Sanctus hic eſt Pater; Sanctus hic eſt Filius; Sanctus hic eſt Spritus Sanctus*. Quod refert Galatinus, a Fraſſen citatus, qui ex eodem pariter refert, Talmudiſtas ſtatuiſſe, ut præfatum Triſagium bis in die, mane ſcilicet, & veſpere, ab unoquoque Judæorum diceretur; quod nos quoque alibi diximus.

VIII. Probatur iterum ex verbis Geneſis 19. 24. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham, ſulphur, & ignem, a Domino de cælo*. Ubi adnotanda ſunt verba, *Dominus a Domino*; ſcilicet Filius diſtinguitur a Patre in Perſona; quanvis in operatione ſit unum & idem cum illo; *pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham*. Hoc Scripturæ teſtimonio utitur contra Judæos Juſtinus Martir, & Philoſophus in Dial. cum Tryphone; utitur Irenæus lib. 3. adverſ. hæreſes c. 7. Et denique tantam vim habere contra Sabellianos judicarunt Patres Concilii Sirmii, ut dixerint anathema contra Photinum, & alios, qui idem teſtimonium in alium ſenſum reportarent. *Si igitur Pluit Dominus a Domino, non de Filio, & Patre intelligat, ſed ipſum a ſe dicat pluiſſe, anathema ſit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre*.

IX. Probatur ex verbis Pſalmi 2. 7. *Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Verba quidem hæc intelligi haud poſſunt de Davide, aut de aliquo alio, præter Meſſiam; de quo vere ea intellexerunt Judæi, qui Chriſti tempore vivebant. Chriſtus enim iiſdem verbis utebatur Matth. 22. 44., ut ſe Filium Dei contra Judæos eſſe probaret. Si ergo de Meſſia intelliguntur, ut Judæi concedebant; ergo pariter de Filio intelligi oportet: ergo jam David in ſpiritu cognovit Filium in Trinitate: ergo Patrem quoque: ergo &c. De Filio etiam intelliguntur verba Pſal. 2. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*; item verba Pſalmi 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis*; ubi Deus Pater alloquitur Filium a ſe genitum; ſubdit enim: *Ex utero ante Luciferum genui te*. In quibus ſemper innuitur Perſonarum diſtinctio; non enim eadem Perſona poteſt ſibimet dicere, vel *ſede a dextris meis*; vel *dabo tibi hæreditatem*; vel *ego hodie genui te*.

X. Probatur ex illo Iſaiæ 48. 16. *Ex tempore, antequam fieret, ibi eram: Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus*. Hieronymus in Iſai. hoc pacto verba iſta interpretatur: *Quando fiebant omnia a Patre, ipſe* (intellige, Filius) *erat cum eo, cui adgaudebat, qui etiam nunc dixit; ego, qui ſemper eram cum Patre, & cum Patre, & ſine Patre nunquam eram: Etiam nunc loquor, & juxta fragilitatem carnis aſſumpta dico, quod Dominus Deus miſerit me, & Spiritus ejus: Brevique verſiculo Trinitatis nobis oſtenditur Sacramentum*.

Argumenta in contrarium, quæ poſſent Judæi afferre, in Diſſert. Cl. Lectores invenient ſoluta; eadem enim ſunt, quæ poſſunt, & contra Trinitatis poſſibilitatem, ſeu non repugnantiam, fieri, & quæ fieri poſſunt contra ejuſdem exiſtentiam. Attamen quia illa ex naturali ratione deſumpta ſunt, alia hic afferimus, quæ ex veteris teſtamenti auctoritate deſumuntur.

Arguunt igitur Judæi I. Pſal. 85. 10. *Tu es Deus ſolus*: ergo non eſt in Deo ſocietas Perſonarum. II. Deuteron. 6. 4. *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*: ergo ita eſt eſſentialis Deo unitas, ut non ſit Deus, ſi non ſit unus. III. Deuter. 4. 35. *Ut ſcires, quoniam Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius, præter eum*: ergo non eſt alius Deus præter Deum Patrem. IV. Ex S. Epiphanio in Anchorato habemus: *Una Deitas a Moyſe præcipue annunciata eſt; Perſonarum dualitas vehementer a Prophetis prædicata: Trinitas vero Perſonarum in Evangeliis manifeſta facta eſt*: ergo non eſt verum, quod in veteri in teſtamento Tri-

Digitized by Google

nitatis Perſonarum ſit mentio. V. Pſal. 61. 12. *Semel loquutus eſt Deus, duo hæc audivi.* Hebræus textus legit: *Unum loquutus eſt Deus.* Aut ergo per hoc unum nihil intelligitur; aut ſi intelligitur, una Perſona intelligitur, & deficit tertia: ergo vere in veteris teſtamenti libris omnes tres divinæ Perſonæ non exprimuntur. VI. Sicut Trinitas eſt poſt Chriſti adventum, ita erat ante Chriſti adventum; & ſicut erat vera tunc, ita & poſtea; & quemadmodum credibilis fuit poſtmodum, ſic & prius: ergo vel tunc tenebantur eam Fideles credere, vel nunc non tenentur.

Reſpondemus ad I. Deum dici ſolum per excluſionem aliorum Deorum, non vero per Perſonarum excluſionem. Et ſic dicitur pariter Baruch 3. 36. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum.* Et num. 38. ſubdit: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* En quomodo ſit ſermo de aliis Diis, qui excluduntur, per hoc quod Deus ſit ſolus, non vero de Perſonis, quæ potius includuntur.

Ad II. diximus in Probatione quinta hujuſce Diſſertationis, verba hæc eſſe potius pro Trinitatis myſterio, quam contra illud; etenim per eadem indicatur ſimul, & naturæ unitas, & Perſonarum Trinitas; ut ibi fuit explicatum.

Ad III. Clara ſunt verba, ut quilibet poſſit in iiſdem agnoſcere, excludi alium Deum, non vero Perſonas. Utique Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius Deus præter ipſum; ſed ſtat cum hoc, quod in hoc uno Deo, extra quem non eſt alius in natura, identificentur in eadem natura divina tres Perſonæ, quæ ſint inter ſe realiter diſtinctæ.

Ad IV. Non diximus nos, in veteri teſtamento Trinitatis myſterium fuiſſe clare, & expreſſe revelatum, ſed tantum implicite omnibus, & ſingulis, majoribus vero expreſſe, & explicite, Quod docet Angelicus. *Ante Chriſti adventum fides Trinitatis erat occultata in fide Majorum; ſed poſt Chriſti adventum manifeſtata eſt mundo.* Et hoc ipſum intendit Epiphanius.

Ad V. Auguſtinus intelligit verba illa pro Trinitatis myſterio, non contra illud. Etenim in Pſal. 61. hæc ſcribit: *Apud ſe ſemel loquutus eſt, quia unum Verbum genuit Deus, per quod facta ſunt omnia.* Quod autem tertia Perſona non exprimatur, nil officit, quia alibi exprimitur; ſufficit, quod exprimantur pro modo duæ, & non una tantum, ut Adverſarii intendebant.

Ad VI. Erat Trinitas ante Chriſti adventum, erat vera, erat credibilis, ſed non erat ab omnibus credenda, quia non erat omnibus, & ſingulis ſufficienter revelata; cujuſmodi eſt nunc, & proinde modo omnes, & ſinguli debemus eam expreſſe credere. Nec modo pariter omnia quæ ſunt in Deo, ſunt nobis revelata; & tamen vera ſunt, credibilia ſunt, & non credenda.

DISSERTATIO CVIII.

De exiſtentia Trinitatis Perſonarum ex novo Teſtamento contra Heterodoxos.

I. PRobatur ex illo Joannis 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* In his verbis diſtinguitur Verbum a Deo Patre; quia dicitur eſſe Verbum apud Deum: ergo apud alium; nemo enim dicitur eſſe apud ſemetipſum. Non diſtinguitur autem ratione naturæ; quia idem Verbum ibidem dicitur, quod eſt Deus; unde eandem naturam, eandem ſcilicet divinitatem, cum Deo Patre habet. Remanet ergo, ut diſtinguatur Perſona: ergo ſunt plures Perſonæ in una natura; quod erat probandum. Hoc argumento utitur Tertullianus adverſus Praxeam c. 26., hoc idem adhibet Athanaſius oratione contra Sabellii Gregales.

II. Probatur I. Joannis 5. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt, Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis; & hi tres unum ſunt.* Tres iſti, qui ſunt in cœlo, non ſunt Angeli; Angeli enim ſunt pluſquam tres. Sunt ergo Perſonæ divinæ, quæ quidem ternarium numerum faciunt, & Trinitatem conſtituunt, Neque Adverſarii dicant, verba illa; *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo;* a ſolo Hieronymo legi, non vero ab

alius

aliis Patribus: ergo revera in ſacro textu non ſunt: Non dicant quidem; etenim præter Hieronymum producimus S. Cyprianum, qui eadem legit lib. de unitate Eccleſ.; Fulgentium lib. contra decem objectiones Arianorum; Idacium Clarum lib. cont. Varimadum Arianæ Sectæ Diaconum; alios quoque refert Jueninus Diſſer. 1. de Trin. c. 2. Profertur etiam Epiſtola prima Hygini Papæ; ſed de ejus genuitate non conveniunt Eruditi omnes. Alias Arianorum reſponſiones afferemus, quando de Perſonarum unitate in eſſentia tractabimus; hìc ſolum de Trinitate agimus, contra quam nil aliud, circa hæc verba, opponunt.

III. Probatur Joannis 10. 30. *Ego, & Pater, unum ſumus*. En Perſonarum diſtinctio in his verbis; *Ego, & Pater*. En naturæ unitas, in verbo *Unum*. En denuo Perſonarum Trinitas in verbo *Sumus*. Sic eadem intelligit Auguſtinus lib. 5. de verbis Domini: *Quod ait, Unum, audiant Ariani; quod ait, ſumus, audiant Sabelliani; & nec illi æqualem, nec illi alterum, negando ſint vani*. Idem Auguſtinus tract. 36. in Joann. ſic iterum argumentatur: *Non dicit Pater ego ſum, aut Ego, & Pater unum eſt; ſed cum dicit, Ego, & Pater unum ſumus, utrunque audi, & unum, & ſumus, & a Charybdi, & a Scylla, liberaberis. In duobus iſtis verbis, quod dixit unum liberat te ab Ario; quod dixit ſumus, liberat te a Sabellio. Si unum: non ergo diverſum: Si ſumus: ergo & Pater, & Filius. Sumus enim non diceret de uno: Sed unum non diceret de diverſis*.

IV. probatur. Joannis 14. 7. *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis; & amodo cognoſcetis eum, & vidiſtis eum*. Et n. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*. Et n. 10. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Et n. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis; ut maneat vobiſcum in æternum*. Et n. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo*. Et cap. 15. n. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Ex his præmiſſis teſtimoniis ſic argumentamur. Ubi eſt alius, & alius, ibi eſt diſtinctio Perſonarum, ſed inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, eſt alius, & alius: ergo inter ipſos eſt realis diſtinctio Perſonarum. Minor probatur. Etenim non poteſt eſſe realiter eadem Perſona viſa, & non viſa, cognita, & non cognita, miſſa, & non miſſa, procedens, & non procedens: ergo debent eſſe plures Perſonæ: ergo inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, eſt alius, & alius.

V. probatur ex illo Matth. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quibus verbis non ſolum innuitur unitas naturæ per vocem *in nomine*, ſed etiam Trinitas Perſonarum per voces *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et particula illa *Et*, replicata in expreſſione cujuſcunque Perſonæ, denotat non ſolam diverſitatem vocis inter Perſonas, vel ſignificationis, vel connotationis, ut Hæretici dicunt; ſed quoque realem diverſitatem inter Perſonas, tanquam inter res, & res. Non enim dicimus, loquentes de uno, eodemque homine, qui vocatur Joſeph Antonius Maria, & Joſeph, & Antonius, & Maria; qui loquendi modus indicat tres Perſonas, & non unam. Sed dicimus abſolute abſque *Et* Joſeph Antonius Maria. Denique Ariani victi ab illa voce *in nomine*, de medio eam tollere conati ſunt, dicendo, quando baptizabant: *Baptizo te in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*. Quod refert Athanaſius lib. 7. ad Teophilum.

VI. probatur Matth. 3. 16. & 17. *Et ecce aperti ſunt Cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe: Et ecce vox de cœlis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Marci 1. 10. & 11. *Vidit cœlos apertos, & Spiritum tanquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo. Et vox facta eſt de cœlis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui*. Et Lucæ 3. 21. & 22. *Et Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum: & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum: Et vox de cœlo facta eſt: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*. In his verbis exprimitur Pater, qui dicit: *Hic eſt Filius meus dilectus &c.* Exprimitur Filius, qui in Jordane baptizatur, & de eo dicitur: *Hic eſt Filius meus &c.* Exprimitur Spiritus Sanctus, qui in columbæ ſpecie apparuit: *Vidit Spiritum Dei deſcendentem &c.* Tres ergo Perſonæ exprimuntur, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Reſpondent Sociniani, I. Qui appellatus eſt Filius, non eſt Filius naturalis, ſeu conſubſtantialis Patri; ſed dictus eſt Filius per unionem quandam, quam habet cum Deo Patre per charitatem. Ac proinde Filius appellatus eſt Chriſtus, qui per unionem illam per charitatem dicitur largo modo Deus.

Deus. II. Nomine Spiritus Sancti venire virtutem tantum Divinitatis, qua fuit Chriſtus in baptiſmo abunde cumulatus; non vero intelligi Perſonam a Deo Patre diſtinctam.

Contra I. Reſponſionem dicimus primo, quod etiam Chriſtus eſt vere, & proprie Deus, ut ſuo loco contra Neſtorium probabimus; & hoc ratione ſubſtantialis unionis naturæ humanæ cum Perſona Verbi: Unde etiam Verbum eſt Deus vere, & proprie, & vere, & proprie Filius. Secundo Chriſtus in loco illo non dicitur Filius utcunque; ſed dicitur tali modo, ut vere poſſit cognoſci, quod non dicatur Filius per adoptionem, quemadmodum dicuntur alii, ſed per naturam, ut dicitur ipſe ſolus. Quis enim credat, Patrem voluiſſe Chriſtum Filium ſuum declarare per illa verba: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: non excellentiori modo, quo cæteri Filii ſunt? Si ergo cæteri ſunt adoptivi, Chriſtus eſt naturalis Filius; quum non ſufficiat ad verba illa verificanda, quod ſit Filius adoptivus modo nobiliori, ut Sociniani intendunt.

Contra vero II. Reſponſionem dicimus, verba illa in Evangelio tum Matthæi, tum Lucæ, non indicare virtutem, ſed Perſonam. Dicitur enim: *Et deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum*. Deſcenſus utique eſt perſonalis actio, quæ nunquam dicitur, nec dici poteſt, de Dei virtute, de Dei proprietate, ſed tantummodo de Perſona. Cæterum communiter Eccleſiæ Patres in citatis Evangelii verbis tres Perſonas agnoſcunt; ſcilicet Patrem loquentem; Filium, quem alloquitur; & Spiritum Sanctum ſuper Chriſtum deſcendentem. Nunquid enim credere quiſquam poterit, quod Spiritus Sanctus ſupra Chriſtum deſcenderet, ſi non eſſet cum Patre, & Filio, ejuſdem naturæ, potentiæ, & auctoritatis?

VII. probatur ex I. Joannis 4. 13., & 14. *Quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum Salvatorem Mundi*. Ubi obſervare oportet, quod in his verbis fit mentio expreſſa de Patre, Filio, & Spiritu Sancto; & quidem non tanquam de quatuor nominibus, ſeu ſynonimis, rem eandem ſignificantibus; ut Sabelliani delirabant; ſed tanquam de tribus Perſonis, realiter exiſtentibus, & realiter inter ſe diſtinctis. Non enim convenit nomini, ſed Perſonæ, quod mittat, & mittatur; quod donet, & fit donum; unde ſi Patri, & Filio, & Spiritui Sancto hæc applicantur; dicendum eſt omnino, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non eſſe tria tantum nomina diſtincta, aut ſynonimos varios, ſed eſſe veras, & reales Perſonas, inter ſe quidem realem habentes diſtinctionem, ſed in propria eſſentia habentes quoque realem identitatem, & omnimodam unitatem.

VIII. probatur ex Epiſtola ad Titum 3. 4. *Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei: Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti; quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum*. In verbis hiſce tres deſignantur Perſonæ; nimirum Perſona, quæ effudit Spiritum Sanctum; Perſona, per quem effudit Spiritum Sanctum; Perſona, quæ eſt Spiritus Sanctus effuſus. Prima eſt Pater, ſecunda eſt Filius, tertia eſt Spiritus Sanctus.

IX. probatur ex Epiſtola ad Romanos 11. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, ſunt omnia: Ipſi gloria in ſecula. Amen.* Quum ter prioribus verbis exprimatur Deus, Trinitas Perſonarum oſtenditur; quum vero in ſingulari dicatur, *ipſi gloria in ſecula*, unitas naturæ manifeſtatur. Quod confirmat Apoſtolus II. Corinth. 13. 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus vobis*. Ubi pariter aperta fit mentio de Deo Patre, per verba, *charitas Dei*; de Deo Filio, per verba, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti*; de Deo Spiritu Sancto, per verba, *& communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus vobis*. Et quidem hæc tria intelligi nequeunt de una, eademque Perſona; tum per replicationem particulæ *Et*, quæ reperitur in primis verbis; tum per diverſas expreſſiones, & quidem realiter diſtinctas, quæ in alteris verbis obſervantur.

X. probatur ex illo Apocalypſis 4. 8. *Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas; & in circuitu, & intus plena ſunt oculis: & requiem non habebant die, ac nocte; dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*. En in his verbis Trinitas Perſonarum, per illa: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; en unitas naturæ, per illa; *Dominus Deus Omnipotens*. Et ſimilia ſunt quidem Iſaiæ verbis, quæ in præterita Diſſertatione contra Judæos exhibuimus.

XI. pro-

XI. probatur ex Joann. 17. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Quorum verborum ſenſus hic eſt, ut docet Alphonſus de Caſtro adv. hæreſ. lib. 5. verb. Deus, hæreſ. 5. ut cognoſcant Te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, eſſe ſolum verum Deum; & rationem adducit, dicens; quia quum Patrem, & Jeſum Chriſtum conjunctione copulativa numeraſſet, eos dixit, eſſe verum Deum. Unde ex verbis dictis colligimus, & Perſonarum pluralitatem, & naturæ unitatem.

XII. probatur ex verbis Joannis 8. 16. & ſeqq. *Et ſi judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: Sed ego, & qui miſit me, Pater. Et in lege veſtra ſcriptum eſt; quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo: & teſtimonium perhibet de me qui miſit me, Pater*. Ex quibus verbis ſic argumentatur citatus Alphonſus de Caſtro. „ Si enim Pater, & Filius, una eſt „ Perſona, ut Sabellius ſonniavit, Filius „ ſolus eſſe dicitur, etiamſi cum illo ſit Pa- „ ter: Quemadmodum dicerem, ſolum Tul- „ lium ſcripſiſſe Tuſculanas Quæſtiones, „ etiamſi Cicero ſcripſerit eas, quoniam „ Tullius, & Cicero una eſt perſona, quan- „ vis diverſa ſint nomina. Quod vero ſe- „ quitur, apertius adhuc eſt. Volens enim „ probare teſtimonium ſuum eſſe verum, „ citavit pro ſe legem dicentem, duorum „ hominum teſtimonium eſſe verum. Cum „ ergo ipſe, & Pater illud teſtimonium per- „ hiberent, oportet, ut illud ſit verum. Ec- „ ce quo argumento Phariſæos convincit. „ Si vero Pater, & Filius una eſſet Perſona, „ male argumentaretur, nec bene pro ſe „ legem citaret; quia lex teſtimonium duo- „ rum probat, non teſtimonium unius. O- „ portet ergo, ut Pater, & Filius duæ ſint „ Perſonæ, ſi Chriſti argumentum alicujus „ eſt valoris „. His efficaciora, & clariora, dare, impares nos omnino fatemur; hinc ab ulterioribus abſtinemus, & ad Contrariorum ſolvenda argumenta pergimus.

Opponunt Heterodoxi I. Joannis 10. 30. dicitur: *Ego & Pater unum ſumus*: ergo ſunt una perſona, & pluralitas eadis potius in nominibus, quam in Perſonis. II. Joannis 14. 10 *Ego in Patre, & Pater in me eſt*: ego Pater, & Filius ſunt una Perſona, quæ eſt tantum duobus nominibus diſtincta. III. Quando omnia quæ ſunt in uno, ſunt etiam in altero, non eſt inter eos diſtinctio; ſed omnia, quæ ſunt in Patre, ſunt in Filio: ergo non eſt inter eos diſtinctio. Minor probatur ex illo Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*; ex illo Joannis 16. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*; ex illo Joannis 17. 10. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea*. IV. 1. ad Timotheum 1. 17. *Regi ſæculorum, immortali, inviſibili, ſoli Deo*: Ergo Deus ſolitarius eſt; atqui ſolitudo nequit ſtare cum Perſonarum pluralitate: ergo plures Perſonæ non ſunt in Deo admittendæ. V. Ad Epheſios 4. 6. *Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*: ergo non eſt alius Deus præter Patrem. VI. I. Corinth. 6. *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: Et unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*: Solus ergo Pater dicitur Deus, & non Jeſus Chriſtus: ergo tantum eſt Deus una Perſona, quæ dicitur Pater, & non ſunt aliæ Perſonæ. VII. Joannis 17. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*: ergo ſolus Pater eſt Deus, & non alia Perſona ultra ipſum. VIII. Solus Pater dicitur in Scripturis ſanctis Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob: ergo ſolus Pater eſt Deus. Probatur antecedens ex illo Actorum 3. 13. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum, glorificavit Filium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti*; quibus verbis Pater, & non Filius dicitur Deus: ergo ſolus Pater dicitur in Scripturis ſanctis Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.

Reſpondemus ad I. verba illa Joannis intelligenda eſſe, ut ea intelligit, & explicat, Auguſtinus, pluribus in locis, a nobis adductis in tertia probatione hujus Diſſertationis; ſcilicet, per *unum* intelligi unitatem naturæ; per *ſumus* intelligi Trinitatem Perſonarum. Et ultra Auguſtini explicationem, aliam ſubdimus Gregorii Nazianzeni lib. de Fide: *Unum ad unitatem Divinitatis refert; ſumus autem Perſonis adſignat*. Aliam quoque ſubnectimus Tertulliani lib. 4. cont. Marcionem, ubi exponens illud I. Joannis 2. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt*; hæc ſcribit: *Qui tres, unum ſunt, non unus, quomodo dictum eſt, ego, & Pater unus ſumus? Et* reſpondet: *Ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem*.

Ad II. dicimus, quod verba illa pariter Sancti

cti Patres intelligunt de Perſonarum diſtinctione, non vero de earundem identitate. Sic S. Athanaſius dialog. 3. de Trinitate. Et S. Hilarius lib. 4. de Trinit. explicans illud Iſaiæ 43. & 44., quod cum allatis verbis habere videtur ſimilitudinem: *Tantum in te Deus, & non eſt abſque te Deus; vere tu et Deus abſconditus*; hæc habet: *Habitantem ab eo, in quo habitat, diſcernens* Iſaias, *Perſonæ tantum diſtinctionem, non generis: Deus enim in eo eſt, & in quo eſt Deus, Deus eſt; non enim Deus in diverſa, atque aliena a se natura habitaculo eſt*. Verba adeo ſunt clara, ut noſtra explicatione non egeant.

Ad III. Patres ex verbis illis colligunt Perſonarum Trinitatem; quia nemo dat ſibi ipſi, ſed alteri; & Pater dedit omnia Filio, præter eſſe Patrem. Unde Concilium Florentinum in literis unionis docet: *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem.* Hoc ipſum docuerat Nazianzenus orat. 44. in S. Pentecoſten. *Omnia quæcunque Pater habet, ſunt Filii, præterquam ingenitus non eſt: Omnia quæcunque Filius, Spiritus Sancti ſunt, ſi generationem exceperis*. Vere tamen exceptio hæc in prædictis verbis ſubintelligitur, & continetur; quod clare docet Athanaſius orat. 4. cont. Arianos: *Sed ne quis videns Filium habere omnia quæcunque Pater habet ex indiſcreta ſimilitudine eorum, quæ habentur, Sabelliano more deceptus, impie ſentiat; exiſtimetque Filium etiam Patrem eſſe: Ea de cauſa hoc verbum prolatum eſt: Datum eſt mihi, & accepi, & traditum eſt mihi, nulla alia de cauſa, quam ut oſtenderet, ſe Patrem non eſſe.* Et poſt non multa expendens illud Joannis 5. *Quemadmodum Pater habet vitam in ſemetipſo, ita quoque Filio dedit, vitam habere in ſemetipſo*; ſubdit: *Nam ex hac voce* dedit *indicat ſeſe Patrem non eſſe; ex ipſo autem dicto ita Filii ſimilitudinem, proprietatemque cum Patre ſignificat*.

Ad IV. Deus eſt quidem ſolus, at non eſt ſolitarius. Solus importat alterius Dei excluſionem; & hoc pacto Deus eſt ſolus. Solitarius vero dicit excluſionem Perſonæ; & ita Deus non eſt ſolus. Verba præfata intelliguntur primo modo, non autem ſecundo. Cæterum ipſemet Chriſtus Joan. 10. dicit: *Solus non ſum; ſed ego, & qui miſit me, Pater. Et in lege veſtra ſcriptum eſt; quia duorum hominum teſtimonium verum eſt: Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater.* Athanaſius ad hæc verba ita loquitur contra Gregales Sabellii: *En tibi duas Perſonas, & niſi dicas vere duos eſſe, cum hæc loquitur, non permittis teſtimonium verum exiſtere; id enim teſtimonium confirmat, ſed ſi non ab uno, ſed a duobus perhibeatur*.

Ad V. Utique unus eſt Deus Pater, & non eſt alius Pater; & hoc ſi explicare velimus verba illa cum conjunctione copulativa Deus, & Pater. Poſſumus tamen dicere, unum eſſe Patrem omnium, quatenus omnes ſumus filii adoptivi ipſius; & ſic Patrem in hoc loco non intelligi de operatione ad intra, ſed de operatione ad extra; & idem eſt dicere eſſe Patrem omnium, ac eſſe omnium Creatorem. Et hoc pacto unus eſt Creator, & eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; quia creatio, quum ſit operatio ad extra toti ſimul Trinitati convenit.

Ad VI. Pater dicitur unus cum excluſione inanium Deorum, quos adorabant Gentes. Non vero dicitur unus cum excluſione Filii. Et ratio eſt; quia in iiſdem verbis eodem modo Pater dicitur unus Deus, quo Chriſtus dicitur unus Dominus; ſed Chriſtus non dicitur unus Dominus cum excluſione Patris: ergo nec Pater dicitur unus Deus cum excluſione Filii, & Spiritus Sancti. Minor negari non poteſt; quia eſſe dominum toti Trinitati convenit, adeoque Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Ad VII. Verba illa Joannis exponi debent, ut nos eadem cum Alphonſo de Caſtro in Probatione XI. expoſuimus; & ita expoſita faciunt potius pro nobis, quam contra nos. Verum adhiberi pariter poteſt reſponſio, quam alibi dedimus; ſcilicet Patrem vocari Deum ſolum, & verum, ad excluſionem Deorum, qui non ſunt nec ſoli, nec veri. Ita Athanaſius orat. 4. cont. Arianos: *Quapropter cum Pater ſolus Deus, & verus, appellatur, non ad exauctorationem ejus appellatur, qui dicit: Ego ſum veritas; ſed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non ſunt, qualis eſt Pater, & Patris Verbum; neque veri Dii ſunt*.

Ad VIII. dicitur, quod in Scripturis ſanctis Deus Abraham aperte opponitur Filio, ut eſt homo, non vero ut eſt Verbum. Deus enim Abraham dicitur, quod glorificavit Filium ſuum, in quantum ſcilicet erat humana carne indutus, non vero prout erat Verbum, altera ſcilicet Trinitatis Perſona. Hoc probatur; quia Deus Abraham illum Filium glorificavit, per quem noviſſime loquutus eſt nobis; ut ait Apoſtolus eodem loco; ſed non loquutus eſt

nobis

nobis per Filium, ut eſt Verbum, & ſecunda Trinitatis Perſona, ſed per Filium, prout eſt Verbum cum humana carne unitum, hoc eſt per Chriſtum, ergo Chriſtum, ut eſt homo, glorificavit.

DISSERTATIO CIX.

De exiſtentia Trinitatis Perſonarum, ex Eccleſiæ definitionibus, Patrum traditione, & theologicarum rationum momentis.

Roboratur I. ex Conciliis. Concilium Aquilejenſe, celebratum ann. 381., cui præfuit S. Ambroſius, Mediolanenſis Epiſcopus, ſub Damaſo Papa, & Gratiano Imperatore. Scimus controverſiam de hoc Concilio eſſe, quam innuit Bail; attamen ex libro Synodico, quem latine reddidit Puppus, & Argentorati editus eſt ann. 1601., & denuo Lutetiæ Pariſiorum ann. 1661. conſtat, vere hoc Concilium fuiſſe coactum contra duos Arianos Epiſcopos, Palladium, & Secundianum, & in eo Perſonarum Trinitatem agnoviſſe omnes, & proclamaſſe. Cartaginenſe ann. 217., & fuerunt in eo Epiſcopi 423.; ut aſſerit Dominicus a SS. Trinitate in bibliot. theolog. t. 5. par. 2. lib. 4. ſect. 11. c. 3. At apud Bail, cæteroſque, hunc numerum non invenimus. Celebratum ajunt tempore Zephyrini Papæ, ut ſe opponeret Concilio Africano, coacto eodem anno ab Agrippino, Cartaginenſi Epiſcopo, in quo Rebaptizantium error firmatus fuerat. Baptiſmi occaſione de Perſonarum quoque Trinitate actum eſt; ut remur. Cartaginenſe ann. 396., quod ordine eſt II., quanvis vulgo inſcribatur III. illi præfuit Aurelius Cartaginenſis Epiſcopus, ſub pontificatu Siricii. Bail aſſerit fuiſſe celebratum ann. 397. In hoc Concilio expreſſa invenitur Perſonarum divinarum mentio, quum in eodem ſtatuatur, ut aſſerit S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum c. 2. *omne cujuslibet honorificentiæ, & ſacrificii ſalutaris, obſequium, & Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, hoc eſt ſanctæ Trinitati, ab Eccleſia Catholica pariter exhiberi*, Toletanum I. pari voto Perſonarum Trinitatem cum novendecim Epiſcopis agnovit, & in aſſertione Fidei, in eodem Concilio edita, publicavit. Legitur enim ibi: *Credimus in unum verum Deum, Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum Sanctum, viſibilium, & inviſibilium factorem, per quem omnia facta ſunt in cœlo, & in terra, unum Deum, & unam eſſe divinæ ſubſtantiæ Trinitatem. Patrem autem non eſſe Filium ipſum, ſed habere Filium, qui Pater non ſit. Filium non eſſe Patrem, ſed Filium Dei de Patris eſſe natura. Spiritum quoque eſſe Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed a Patre, Filioque procedens*. Celebratum eſt hoc Concilium ann. 400. contra Priſcillianiſtas a Patrono, Toletano Epiſcopo, ſub Anaſtaſio Papa, & Honorio, & Arcadio, Imperatoribus, Stilicone Conſule, ſub die ſeptimo idus ſeptembris; Bail teſte, quem in omnibus conſulere, utpote exactum, & veridicum, non omittimus.

Subdit Dominicus a SS. Trinitate Concilium Pariſienſe ſub Pelagio I. ann. 567. Concilium Pariſienſe ſub Pelagio I. ait Bail, celebratum fuiſſe circa annum 555. fuit convocatum propter cauſſam Saphoraci, Pariſienſis Epiſcopi; præſedit, Sapandus, Arelatenſis Epiſcopus, ſub Childeberto Rege; ſed in eo nulla Trinitatis Perſonarum eſt mentio. Nec pariter eſt in altero Pariſienſi Concilio, quod dicitur III. & fuit convocatum tempore Joannis Papæ III. contra Sacrilegos, & ambitioſos, circa ann. 557. Addit idem Dominicus Concilium Aurelianenſe, quod celebratum dicit anno ſequenti, hoc eſt 568. ſub Joanne III. Sed nec pariter hoc Concilium apud Bail potuimus invenire. Invenimus Bracharenſe I., quod Dominicus a SS. Trinitate omittit, celebratum ſub Theodomiro, Suevorum Rege, ann. 563. tempore Joannis Papæ III. contra Priſcillianiſtas; in cap. 1. ſic legimus: *Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non confitetur tres Perſonas unius ſubſtantiæ, & virtutis, ac poteſtatis, ſicut catholica, & apoſtolica Eccleſia docet, ſed unam tantum, & ſolitariam dicit eſſe Perſonam, itaut ipſe ſit Pater, qui Filius, ipſe etiam ſit Paracletus Spiritus, ſicut Sabellius,*

bellius, & Priſcillianus, dixerunt, anathema ſit. Et in cap. 2. *Si quis extra ſanctam Trinitatem alia (neſcio qua) Divinitatis nomina introducit, dicens, quod ipſa Divinitas ſit Trinitas, ſicut Gnoſtici, & Priſcillianus, dixerunt, anathema ſit.*

Additur Concilium Toletanum IV., anno 643. dicit Dominicus, ann. 633. aſſerit Bail, celebratum; tempore Honorii Papæ I. in quo ſeptuaginta Epiſcopi interfuerunt. In ejus cap. 1. legitur Confeſſio Fidei, in qua ſic dicitur: *Secundum enim divinas Scripturas, & doctrinam, quam a Sanctis Patribus accepimus, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unius Deitatis, atque ſubſtantiæ confitemur, in Perſonarum diverſitate Trinitatem credentes, in Divinitate unitatem prædicantes, nec Perſonas confundimus, nec ſubſtantias ſeparamus.* Concilium Toletanum VI. ann. 648. ſecundum Dominicum, ann. 638. juxta Bail, coadunatum, tempore Honorii Papæ I., in cujus capitulo 1. legimus: *Credimus, & profitemur ſacratiſſimam omnipotentiſſimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum ſolum, non ſolitarium, unius eſſentiæ, virtutis, poteſtatis, majeſtatis, uniuſque naturæ, diſcretam inſeparabiliter Perſonis, indiſcretam eſſentialiter ſubſtantia Deitatis, creatricem omnium creaturarum &c.* Concilium Toletanum XI. habitum juxta Dominicum ann. 660. juxta Bail ann. 675. in cujus Expoſitione Fidei hæc leguntur: *Confitemur, & credimus ſanctam, atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter eſſe, unius ſubſtantiæ, unius naturæ, unius quoque majeſtatis, atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, ſed ingenitum profitemur. Ipſe enim a nullo originem ducit, ex quo & Filius nativitatem, & Spiritus Sanctus proceſſionem accepit &c.* Concilium Toletanum XII. ann. 674. ex Dominico, ex Bail vero ann. 719. coactum, circa tempora Agathonis Papæ, vel Leonis Papæ II. Et in eo santiſſimæ Trinitatis fit expreſſa confeſſio in Symbolo, quod in eodem inſeritur.

Citat inſuper Dominicus a SS. Trinitate Concilium VVormatienſe, quod aſſerit celebratum ann. 860. Apud Bail unum Concilium VVormatienſe legimus, quod dicit habitum ann. 890. ſed nulla in hoc fit Trinitatis Perſonarum mentio, quum tantum tradat fuiſſe convocatum in cauſſa Hermanni Colonienſis, & Adelgarii, Hamburgenſis, Epiſcoporum, de Bremenſi Eccleſia contendentium. Invenimus tamen apud Battaglini Concilium VVormatienſe, habitum ann. 868., ut dicit, & in eo aſſerit fuiſſe recitatum Symbolum, continens confeſſionem omnium articulorum, in generalibus Conciliis definitorum, ac declaratorum, & damnans hæreſes omnes diſſentientes ab iiſdem. Hæc peculiaria Concilia a præfato Dominico citantur; modo adducimus generalia, quæ ab eodem quoque adducuntur.

Concilium Epheſinum I. quod eſt generale III., celebratum ann. 431. ſub Cœleſtino Papa, in cauſſa Neſtorii; Continetur in ipſo explicatio myſterii Incarnationis, & in ea expreſſa eſt mentio Trinitatis Perſonarum. Concilium Chalcedonenſe, quod eſt generale IV. habitum ann. 450. ſub Leone I. contra Eutychen, & Dioſcorum. In eo fuit lectum Symbolum Nicænum, & fuit ab omnibus Patribus receptum, & acclamatum; ut patet in definitione quarti Concilii, in qua ſic legitur: Et poſtea ſancto Nicæno Symbolo, & centum, atque quinquaginta Sanctorum Patrum decreto lecto, intulerunt: *Satis igitur ad perfectam veræ pietatis cognitionem, & confirmationem eſt, ſapienter conceptum, & ſalutare illud divinæ gratiæ Symbolum. De Patre enim, & Filio, & Spiritu Sancto, abſolutam continet doctrinam &c.* Concilium Conſtantinopolitanum II. quod eſt generale V. ann., ſecundum Dominicum a SS. Trinitate, 500. ſecundum Bail ann. 553. coadunatum ſub Vigilio Papa, Juſtiniano Imperatore; in Anathematiſmis ſic legimus c. 1. *Si quis non confitetur Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unam naturam, ſive ſubſtantiam, & unam virtutem, & poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, unam Deitatem in tribus ſubſiſtentiis, ſive Perſonis, adorandam, talis anathema ſit. Unus enim Deus, & Pater, ex quo omnia; & unus Dominus Jeſus, per quem omnia; & unus Spiritus Sanctus, in quo omnia.* Concilium Conſtantinopolitanum III. quod eſt generale VI., ann. 670. juxta Dominicum, juxta autem Bail ann. 681. convocatum ſub Duno Papa, & celebratum ſub Agathone, & terminatum ſub Leone II. contra Monothelitas, tempore Conſtantini Pogonati Imperatoris; in cujus Actione 10. & 11. expreſſa habetur Trinitatis Perſonarum confeſſio, a Patribus Concilii facta. Concilium Nicænum II., quod eſt generale VII., ann. 780. a Dominico dictum celebratum, a Bail vero ann. 787. ſub Hadriano I., & Imperatore Conſtantino IV., ac Irene, ejus Matre, contra Iconomachos, & tempore

etiam

etiam Caroli magni, Occidentis Imperatoris; in cujus Concilii definitione fidei hæc legimus: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium: Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri ante omnia ſecula, per quem cuncta facta ſunt.... Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre, Filiaque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur &c.* Concilium Conſtantinopolitanum IV., quod eſt generale VIII. habitum ann. 870. per Dominicum, per Bail vero ann. 869. inchoatum, & ann. 870. abſolutum, Hadriano II. Papa, & Baſilio Imperatore, in cauſſa Photii, & Ignatii, pro Conſtantinopolitano Patriarchatu. Poſt canonem 27. hujus Concilii legimus apud Bail:
,, Poſtremo juſſu Vicariorum ſenioris Ro-
,, mæ prolatus eſt, & lectus terminus (ut il-
,, li vocant,) in quo per modum epilogi con-
,, tinentur omnia, quæ acta ſunt in hac
,, ſancta Synodo. Primo ibi paucis expli-
,, cantur myſteria ſanctæ Trinitatis, & Do-
,, minicæ Incarnationis ,,. Et hæc ſunt generalia Concilia in Oriente celebrata; modo devenimus ad illa, quæ in Occidente habita ſunt.

Concilium Lateranenſe I. generale IX. celebratum ann. 1122. ſub Callixto II., & tempore Henrici Imperatoris V., ubi interfuerunt trecenti, & amplius Epiſcopi, innumeri pene Abbates, aliique multi. In hoc Concilio ſtatuitur, quod ingreſſus in Chriſtianam Religionem *in baptiſmo fiat per fidem expreſſam myſteriorum Trinitatis, Incarnationis, ac Redemptionis humani generis per Chriſtum*. Concilium Lateranenſe IV. generale XII. habitum ann. 1215. ſub Innocentio Papa III., & tempore Friderici, Regis Germaniæ, & poſtea Imperatoris, contra hæreſes Albigenſium, & Almarici, & errores Abbatis Joachimi. Ejus decretum habetur in corpore juris c. 1. de ſumma Trinitate, & fide catholica: *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus, & Immenſus, omnipotens, incommutabilis, incomprehenſibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Pater a nullo, Filius autem a ſolo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter, abſque initio ſemper, & fine. Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens; conſubſtantiales, & coæquales &c.* Concilium Viennenſe; quod eſt generale XV. coactum ann. 1311. ſub Clemente Papa V., & tempore Henrici Imperatoris, contra hæreſes Petri Joannis, Beguardorum, & Beguinarum. In ejus decreto de ſumma Trinitate, & fide Catholica, quod refertur Clement. 1. ſub eodem titulo, hæc legimus: *Fidei catholicæ fundamento, præter quod, teſte Apoſtolo, nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærentes; aperte cum ſancta matre Eccleſia confitemur Unigenitum Dei Filium in his omnibus, in quibus Deus Pater exiſtit, una cum Patre æternaliter ſubſiſtentem, partes noſtræ naturæ ſimul unitas &c.* Concilium Florentinum, quod eſt generale pariter, ann. 1439. habitum ſub Eugenio IV. contra errores Græcorum in præſentia Joannis Paleologi, Conſtantinopolitani Imperatoris; in decreto Eugenii expreſſa habetur mentio Trinitatis Perſonarum. Concilium Lateranenſe V. coactum ann. 1511. ſub Julio II., & terminatum ann. 1518. ſub Leone X. in orationibus antea recitatis, & in gratiarum actionibus in fine decantatis, manifeſtiſſimam Trinitatis Perſonarum confeſſionem exhibuit. Demum Concilium Tridentinum, inceptum ann. 1545., & abſolutum ann. 1563. ſub Pio IV. non ſemel, nec bis, Trinitatem Perſonarum apertiſſime confitetur.

II. probatur ex Patribus Græcis. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ Clementis Romani nomine ornatæ circumferentur, lib. 6. c. 11. *Confitemur unum Deum, unius Filii Patrem, & non plurium; unius Paracleti per Chriſtum aliorum ordinum effectorem.*. Auctor pariter Epiſtolæ ad Philippenſes, quæ s. Ignatii martiris nomen gerit: *Unus Deus Pater, non duo, neque tres. Unus qui eſt, nec alius eſt præter ipſum, ſolus, & verus. Unus & eſt Filius Verbum Deus. Unus & Paracletus. Non itaque tres Patres, neque tres Filii, neque tres Paracleti; ſed unus Pater, unus Filius, & unus Spiritus Sanctus. Quare & Dominus mittens Apoſtolos ad docendum omnes gentes, præcepit illis, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; non in unum trinominem, neque in tres increatas, ſed in tres ejuſdem honoris.* Auctor quoque libri de divinis nominibus, qui S. Dionyſio Areopagitæ tribuitur, c. 1. *Quo circa in omnibus ferme ſanctis libris advertimus Divinitatem ſancte prædicari, ut ſingularem quidem, atque unicam, ob ſimplicitatem, atque unitatem excellentis illius individui, ex quo veluti vivifica virtute in unum evadimus, dividuiſque noſtris alteri-*

tatibus, ſupra mundanum modum conglobatis, in divinam monadem, atque unionem Deum imitantem colligimur. Ut Trinitatem vero propter divinæ fœcunditatis in tribus Perſonis expreſſionem, ex qua omnis paternitas in cœlo, & in terra, eſt, & nominatur. Auctor Vitæ S. Joannis ſub ficto nomine Prochori c. 5 *Joannes cœpit eos docere de una ſola Divinitate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quam deberent adorare; & quod tres hypoſtaſes ſint una ſubſtantia.* Auctor Expoſitionis fidei, ſeu de recta confeſſione, quæ S. Juſtino Philoſopho, & Martiri, tribuitur: *Unum nos convenit profiteri Deum, cujus eſt in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, notio; qua quidem Pater, Filius & Spiritus Sanctus, unius divinitatis exiſtentias agnoſcentes: qua vero Deus exiſtentiarum ſecundum naturam, & eſſentiam communionem intelligentia complectentes. Unitas nanque in Trinitate intelligitur, & Trinitas in Unitate cognoſcitur. Quonam vero id modo, neque ex aliis percontari ipſe velim, neque mihi ipſi perſuadere paſſim, rerum arcanarum, & ineffabilium rationem ut lingua lutea, & carne ſqualida proferre audeam.*

Poſt hos addimus alios, de quorum genuinitate librorum eruditi Critici non dubitant, ſi intemperantiores non fuerint. Athanagoras in Legatione pro Chriſtianis: *Deum aſſerimus, & Filium ipſius Verbum, & Spiritum Sanctum. Tria quidem ſecundum potentiam, Patrem, Filium, & Spiritum; actu vero & eſſentia unum. Filius enim Patris mens, Verbum, & Sapientia eſt; & ab eodem Spiritus, ut lumen ab igne præfluit.* Irenæus lib. 1. c. 2. *Eccleſia per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & a diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt; & in unum Jeſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute; & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit diſpoſitiones Dei.* Clemens Alexandrinus lib. 3. Pedagogi c. 12. *Laudemus unum Patrem, & Filium: Filium inquam Pedagogum, & magiſtrum, una cum ſancto Spiritu, qui unus eſt omnia, in quo omnia, & per quem omnia unum; per quem eſt quod ſemper eſt, cujus membra omnes, cujus ſunt gloria & ſecula, qui eſt undequaque bonus, undequaque juſtus.* Athanaſius contra Sabellii gregales: *Ne igitur, quaſi in corpore, tria membra indiviſa imaginemur, ſed accipiamus indiviſam coexiſtentiam, invicem ſibi coexiſtentibus ſine ullo intervallo: Et tres cum re vera ſint, unam formam intelligamus, quæ quidem incipit a Patre, ſed reſplendet in Filio, apparet autem, & demonſtratur in Spiritu Sancto.* Baſilius in Hexamerone hom. 10. *Dixit, faciamus hominem, ut hoc inſigni dicto agnoſcas Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum... Neutiquam dixit: Fecerunt Dii hominem, ſed fecit Deus; diſcreta licet ſit Patris, ac propria hypoſtaſis, perſona videlicet, propria item Filii, propria quoque Spiritus Sancti. Quidni igitur tres ſunt? Quod una ſit Divinitas.* Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 16. *Neque ſeparamus ſanctam Trinitatem, ſicut quidam; neque contrahimus, ſicut Sabellius; ſed agnoſcamus eam religioſe, unum Patrem, qui miſit nobis Salvatorem Filium, promittentem mittere a Patre Spiritum Sanctum Paracletum.* Nazianzenus orat. 29. *Unus Deus retinendus eſt, & tres hypoſtaſes, ſive tres Perſonæ confitendæ, & quidem unaquæque cum ſua proprietate.* Epiphanius hæreſ. 62. *Trinitas ſemper eſt Trinitas, & nunquam Trinitas appoſitionem accipit, una exiſtens Deitas, una dominatio, una glorificatio; ſed Trinitas numeratur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, non veluti unum quiddam tribus nominibus appellatum, ſed vere perfecta nomina, perfectæ ſubſtantiæ, nihil immutatum.* Nyſſenus ſer. de Trinitate cont. Judæos. *Quæ cum ita ſint perſpicue, & clare ſancta Trinitas, Patris inquam, & Filii, & Spiritus Sancti, demonſtrari, atque probari poteſt.* Chryſoſtomus hom. 11. in Marcum: *Nos in Trinitate credimus, non credimus in quaternitate, duas in Chriſto eſſe Perſonas. Si enim Chriſtus duas Perſonas habet, Pater, & Filius, id eſt Chriſtus, duplex eſt: ergo quatuor Perſonæ ſunt. Nos ergo credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.*

III. probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus adverſ. Praxeam c. 2. *Perverſitas hæc damnanda eſt, quæ ſe exiſtimat meram veritatem poſſidere, dum unicum Deum non alias putat credendum, quam ſi ipſum, eundemque & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicat; quaſi non ſic quoque unus ſit omnia, dum ex uno omnia, per ſubſtantiæ videlicet unitatem, & nihilominus cuſtodiatur œconomiæ ſacramentum, quæ unitatem in Trinitatem diſponit, tres dirigens Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Cyprianus de Orat. Dominic. *In orationibus celebrandis invenimus, obſervaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captivitate victores, horam tertiam, ſextam, nonam, Sacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in noviſſimis*

tem-

temporibus manifeſtari habebat. Oſius Cordubenſis in Nicæna Synodo lib. 2. *Divinitas non eſt una Perſona, ut Judæi opinantur; ſed tres Perſonæ vere ſubſiſtentes, non ſolo nomine*. Hilarius de Synodis adverſ. Arianos: *Manifeſta utique Patris vere Patris, certaque Filii vere Filii, notaque Spiritus Sancti vere Spiritus Sancti; hiſque nominibus non ſimplicitet, neque otioſis, propoſitis, ſed ſignificantibus diligenter propriam uniuſcujuſque nominatorum ſubſtantiam, & ordinem, & gloriam, ut ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam vero unum.* Ambroſius lib. 2. de fide c. 4. *Unus Deus, non ut ipſe ſit Pater, & Filius, ſicut impius Sabellius aſſerit; ſed quia Patris, & Filii, Spirituſque Sancti una divinitas ſit. Ubi autem una divinitas, una voluntas, & una perceptio.* Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum: *Interrogamus, quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi. Tres Perſonas ſubſiſtentes, ajunt. Reſpondemus, nos ita credere. Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant; quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus, ſi quis tres hypoſtaſes, aut tria enypoſtata, hoc eſt tres ſubſiſtentes Perſonas, non confitetur, anathema ſit*. Gaudentius tract. de Exod. *Eſt enim ſola in Trinitate Perſonarum diſtinctio, non naturæ diverſitas.* Auguſtinus de Trinit. lib. 1. c. 4. *Non ſunt tres Dii, ſed unus Deus; quanvis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non ſit qui Pater eſt; Filiuſque a Patre ſit genitus, & ideo non ſit Pater qui Filius eſt; Spirituſque Sanctus nec Pater ſit, nec Filius, ſed tantum Patris, & Filii Spiritus, Patri, & Filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem*. Petrus Chryſologus ſer. 60. *Divinitas in Perſonis trina eſt, ſed una eſt in Trinitate Divinitas. Perſonis Trinitas diſtincta eſt, non eſt diviſa ſubſtantiis. Deus unus eſt, ſed Trinitate; Deus ſolus eſt, ſed non ſolitarius. Divinitas nec Trinitate dividitur, nec confunditur unitate.* Leo magnus ſer. 1. de Pentecoſte c. 3. *Cunque in Perſonarum proprietatibus alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus. Sanctus; non tamen alia deitas, nec diverſa natura eſt*.

IV. probatur Rationibus. I. ratio eſt, quæ dicitur argumentum Præſcriptionis, & ſic proponitur a Juenino. Argumentum Præſcriptionis eſt, quod fundatur in fide, quam profeſſa eſt Eccleſia certo ſeculo, & ex fide illa colligitur, antecedentibus ſeculis Eccleſiam tenuiſſe ſemper fidem illam ſine intermiſſione; ſed hoc argumento demonſtratur Trinitas Perſonarum in Deo: ergo demonſtrari poteſt argumento præſcriptionis. Minor probatur. Tertio ſeculo hanc fidem profitebatur Eccleſia: ergo antecedentibus ſeculis eandem fidem tenebat. Probatur antecedens. Tertio ſeculo Sabellius in aperto poſuit hæreſim huic fidei contrariam; ſed ſtatim omnes orbis Eccleſiæ contra Sabellii hæreſim inſurrexerunt: ergo tertio ſeculo hanc fidem Eccleſia profitebatur. Minor probatur teſtimoniis Scriptorum, qui tempore illo florebant. Primo Dionyſius, Epiſcopus Alexandrinus, hæc ſcripſit Xiſto, Romano Pontifici, quod refert Euſebius hiſt. eccl. lib. 7. c. 6. *Nam de dogmate illo, quod nuper apud Ptolemaidem, urbem Pentapoleos, commotum eſt, pleno impietatis, ac blaſphemiæ, adverſus omnipotentem Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti; pleno etiam incredulitatis erga Unigenitum ejus Filium, primogenitum omnis creaturæ, Verbum, quod inter homines verſatum eſt; pleno denique ſtuporis adverſus Spiritum Sanctum: Cum ab utraque parte & literæ ad me allatæ eſſent, & Fratres mecum diſſerturi veniſſent, epiſtolas quaſdam, quantum Deo juvante potui, tractatoris more fuſius ſcripſi, quarum exemplaria ad Te miſi.* Secundo Xiſtus, Romanus Pontifex, acceptis literis Dionyſii, non accuſavit illum, ſed potius Sabellium, violatæ fidei. Tertio Dionyſius, Romanus Pontifex, qui Xiſto in Pontificatu ſucceſſerat, pariter Dionyſio Alexandrino adhæſit; quia a Pentapolitanis accuſatus Dionyſius apud ipſum, quod deſtrueret unitatem naturæ divinæ, admittendo Perſonarum divinitatem contra Sabellium; accuſationem apud ipſum depulit Dionyſius, ſed dogma ſemper defendit; & a Dionyſio Pontifice prædicto tam depulſio accuſationis, quam dogmatis defenſio, acceptata fuit; ut teſtatur Athanaſius lib. de ſententia Dionyſii adverſus Arianos conſcripto. Hiſpoſitis, ſic diſcurrimus. Si tertio Eccleſiæ ſeculo erat in tota Eccleſia fides diſtinctionis Perſonarum, fuerat quoque eadem in ſecundo, & in primo ſeculo, & nunquam fuit immutata. Et hoc ulterius prubatur, quia non aſſignatur ab Adverſariis tempus, in quo facta fuerit mutatio illa; quia non exhibentur Scriptores, qui teſtentur mutationem illam accidiſſe; quia demum nec fuit opera Dionyſii dogma illud in Eccleſias invectum; ſi enim Dionyſius hoc attentaſſet, inſurrexiſſent contra eum aliarum Eccleſiarum Epiſcopi, & ipſimet Romani Pontifices, Xiſtus, & Dionyſius, cum non commen-

daſsent, ſed potius redarguiſſent; quod non fuit ullo modo factum.

II. Ratio dicitur ab eodem Juveninn argumentum diſcuſſionis; & ſic proponitur. Argumentum diſcuſſionis eſt, quo veritas aliqua Scripturarum auctoritatibus, & Patrum teſtimoniis, firmatur; ſed ſic eſt veritas diſtinctionis Perſonarum in Deo: ergo probatur pariter argumento diſcuſſionis. Minor probatur ex allatis a nobis Scripturarum auctoritatibus in præcedentibus Diſſertationibus, & ex congeſtis in hac præſenti Patrum teſtimoniis. Verum nos addimus, argumentum diſcuſſionis pariter eſſe, quando veritas aliqua fuit inter partes diſputata, atque diſcuſſa; & quum fuerit pro una parte definita, ſemper ſtetit in poſſeſſione definitionis, abſque eo quod ullus contra ipſam declamaverit. Sic fuit veritas Trinitatis Perſonarum; fuit enim diſcuſſa contra Sabellium, fuit definita, & Sabellii hæreſis damnata; & uſque ad decimum ſextum ſeculum, in quo Servetus, & Socinus, contra eam inſurrexerunt, per tredecim ſere ſecula in tota Eccleſia veritas eadem in ſuæ poſſeſſione definitionis perſtetit: ergo vere pro illa facit argumentum diſcuſſionis, etiam hoc modo ſumptum. Et quanvis aliqui Hæretici, a nobis allati, poſterioribus ſeculis contra eam ſenſerint; ſemper tamen fuerunt ab Eccleſia repreſſi, atque damnati; quod eſt ſignum majoris firmitatis, quod dogma de Trinitate Perſonarum ſemper habuit in Eccleſia; unde ex hoc firmiores deſumit vires argumentum diſcuſſionis.

III. Ratio probat, non poſſe eſſe in Deo nec plures, nec pauciores, quam tres Perſonæ. Si eſſent plures, quam tres, non eſſet unus Deus, ſed plures Dii; non poſſunt eſſe plures Dii: ergo non poſſunt eſſe plures, quam tres Perſonæ. Probatur major. Ideo in Deo, quanvis ſint in ipſo tres Perſonæ, eſt una natura divina, quia prima Perſona communicat ſecundæ ſuam naturam per generationem, quæ eſt per intellectum; & quia prima, & ſecunda communicant tertiæ per ſpirationem, quæ eſt per voluntatem; ſed hujuſmodi communicationes eſſent in Deo impoſſibiles, ſi in Deo eſſent plures Patres, ſi eſſent plures Filii, ſi eſſent plures Spiritus Sancti: ergo ſi eſſent in Deo plures, quam tres Perſonæ, non eſſet unus Deus, ſed plures Dii. Minor probatur ex S. Baſilio lib. 3. con. Eunomium: *Sic in Trinitate unitatis ratio conſervabitur, ſi unum Patrem profiteamur, unum Filium, unum Spiritum Sanctum*: Ex S. Epiphanio hæreſ. 64. *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus, Trinitas in veritate, & Monas; propterea enim unus Deus, quoniam nec duo Patres, neque duo Filii, neque duo Spiritus Sancti*: Ex S. Fulgentio in Reſponſione ad I. Objectionem Arianorum: *Si ambo vocarentur Patres, eſſent profecto natura diſſimiles; unuſquiſque enim ex ſemetipſo conſtaret, & communem ſubſtantiam, cum altero non haberet, nec Deitas una eſſet, quibus una natura non eſſet*: Et in Reſponſione ad 5. Objectionem ſubdit: *Duo quippe Ingeniti non poſſunt unam habere naturam, ubi nec unus in uno veram ex ſe generationem invenit, nec unus ex uno vere in ſe ſubſtantiam nativitatis agnoſcit*.

IV. Tot eſſe debent divinæ Perſonæ, quot eſſe poſſunt Perſonæ improductæ, & productæ; ſed iſtæ nequeunt eſſe plures, nec pauciores, quam tres: ergo tres pariter debent eſſe illæ. Probatur minor. Perſona improducta non poteſt eſſe, niſi una; Perſonæ productæ non poſſunt eſſe, niſi duæ: ergo Perſonæ improductæ, & productæ nequeunt eſſe plures, nec paucinres, quam tres. Probatur antecedens. Si Perſonæ improductæ eſſent pluſquam una, eſſent infinitæ; non conceditur eſſe infinitas: ergo nec concedi debet, quod ſint pluſquam una. Minor eſt certa; quia Perſonæ ille improductæ infinitæ, vel eſſent ejuſdem ſpeciei, vel diverſæ; non ſecundum, quia non eſſent divinæ, quum non haberet unaquæque perfectionem alterius: Neque primum, quia quum numero differrent, haberent naturam communem, ut habent homines, & non unam, & eandem naturam, ut habent Perſonæ divinæ. Major etiam conſtat; quia quicquid poteſt eſſe in pluribus, & non determinatur per aliquid a se diſtinctum ut ſit in tot, & non pluribus, ex ſua ratione poteſt eſſe in infinitis; & ſi eſt ens neceſſarium, de facto eſt in infinitis; Perſona autem divina improducta non habet aliquid a ſe diſtinctum, a quo determinetur, & eſt ens neceſſarium: ergo Perſona improducta ſi non eſt una, & eſt pluſquam una, infinitæ debent eſſe Perſonæ improductæ. Veniamus modo ad Perſonas productas; hæ non poſſunt eſſe niſi duæ; & probatur. Tot debent eſse Perſonæ productæ, quot ſunt in producente principia productiva adæquata, & ſufficientia diverſæ rationis; atqui hæc principia tantum duo ſunt, intellectus ſcilicet, & voluntas: ergo duæ

go duæ

go duæ tantum ſunt perſonæ productæ. Hoc totum clarius conſtabit, quando de divinis Proceſſionibus loquemur. Hæc ratio eſt Scoti in 1. diſt. 2. q. 7. & affertur a Fraſſen.

V. ratio eſt S. Bonaventuræ in 1. diſt. 2.ar. 1. q. 4. Prima Perſona debet eſſe innaſcibilis, & inſpirabilis; & debet generare,& ſpirare; & hæc eſt Pater. Secunda Perſona debet eſse inſpirabilis, & genita; & proinde non generat, ſed ſpirat; & hæc eſt Filius. Tertia Perſona, quia ſpiratur, & procedit a generante, & a genito, nec generat, nec ſpirat; & hæc eſt Spiritus Sanctus. Atqui nec plures his, nec pauciores, excogitari poſsunt: ergo &c.

VI. ratio eſt Ricardi a S. Victore lib. 3. de Trinit. c. 20., & eam deſumit ex triplici amore. Triplicem ponunt quidem amorem, gratuitum ſcilicet, debitum, & ex utroque permixtum: ergo tres poni debent divinæ Perſonæ, ut triplici amori reſpondeant. Probatur conſequentia. Una Perſona debet eſse, quæ tantum donat, & in ea eſt amor gratuitus; & hæc eſt Pater. Altera Perſona, quæ tantum accipit; & in ea eſt amor debitus; & hæc eſt Spiritus Sanctus. Alia Perſona, quæ donat, & accipit; & in ea eſt amor mixtus ex gratuito, & debito amore; & hæc eſt Filius.

VII. ratio eſt, quam idem S. Bonaventura colligit ex origine. Intelligimus Perſonam, quæ eſt principium Perſonæ, & non eſt principiatum; & hæc Perſona eſt Pater; Intelligimus Perſonam, quæ eſt principiatum,& non principium Perſonæ; & hæc Perſona eſt Spiritus Sanctus. Intelligimus Perſonam, quæ eſt principium, & principiatum;& hæc Perſona eſt Filius. Non poſsumus vero intelligere Perſonam, quæ nec ſit principium, nec principiatum, quia eſt inintelligibilis, & impoſſibilis: ergo Tres tantum ſunt Perſonæ divinæ, & non plures, nec pauciores, quam tres.

VIII. Aut admitti non debet Trinitas, quia in Deo dicit imperfectionem, vel quia Scripturæ de illa non loquuntur, vel quia Patres eam non profitentur, vel quia Eccleſia eam non declaravit, nec definivit; ſed quodcunque ex his dicatur, falſum eſt: ergo admitti debet Trinitas. Probatur major; & quidem conſtat apertiſſime, quod Eccleſia Trinitatem Perſonarum definierit, ex tot Conciliis, ſive peculiaribus, ſive generalibus, quæ in hac Diſſertatione adduximus; quod Patres eam profiteantur, ex tot ipſorum clariſſimis teſtimoniis, quæ in hac eadem Diſsertatione recitavimus; quod Scripturæ de illa loquuntur, ex tot locis, ſive veteris, ſive novi teſtamenti; quæ in præcedentibus Diſsertationibus attulimus. Quod vero in Deo imperfectionem non dicat, ſic probatur. Vel diceret imperfectionem, quia induceret pluralitatem naturarum, vel quia firmaret pluralitatem Perſonarum; atqui pluralitatem naturarum non inducit, & quod firmet pluralitatem Perſonarum tantum abeſt, ut imperfectionem dicat, quod potius perfectionem importat: ergo nullam in Deo dicit imperfectionem Trinitas Perſonarum. Probatur minor pro ſecunda parte. Perfectio eſt in Deo, quod ſit ſæcundus, quod ſit ſe communicans, quod ſit ſolus, at non ſit ſolitarius, quod ſit bonus, & ideo ſe ad intra communicet, quod ſit intellectivus, & per intellectum generet, quod ſit volitivus, & per voluntatem ſpiret; ſed hæ omnes perfectiones in Deo ſupponuntur, & manifeſtantur per Trinitatem Perſonarum: ergo tantum abeſt ut pluralitas Perſonarum imperfectionem in Deo dicat, quod potius perfectionem denotat, & importat.

Arguunt I. Admittenda eſt in Deo generatio ex fæcunditate naturæ: ergo præter duas proceſſiones eſt in Deo admittenda altera. Antecedens negari non poteſt; quia in creatis omnis generatio procedit ex fæcunditate naturæ. Conſequentia probatur. Admittitur una proceſſio per intellectum, admittitur altera per voluntatem; ſed natura ex his eſt ex fæcunditate naturæ: ergo præter has duas admitti debet altera; ſed admittendo alteram debet admitti alia Perſona; ergo non tres, ſed quatuor erunt divinæ Perſonæ. II. Quanvis ſint in Deo duo principia productiva, poſsunt tamen eſse plures Perſonæ productæ: ergo non eſt ſufficiens ratio, perſonas productas eſse duas, quia duo ſunt in Deo principia productiva. Antecedens probatur. Intellectus eſt principium productivum verbi mentis; & tamen non unam habet productionem in creatis, nec unum verbum mentis producit; ita pariter voluntas: ergo &c. III. Superfluum reputari debet in Deo omne id, quod ſi auferatur, remanet Deus pari modo infinitus, & perfectus; ſed ſi auferatur Trinitas Perſonarum Deus pari modo remanet infinitus, & perfectus: ergo ſuperflua eſt Trinitas Perſonarum in Deo. IV. Ex

Ex Gregorio Nazianzeno orat. 13. habemus , quod tres Perſonæ divinæ diſtinguantur ſolum mente ; poſtquam enim attulit tria divina ſuppoſita , & nominibus propriis appellavit , dixit : *Deum unumquodque ſi ſeorſim conſideretur , mente videlicet ea , qua ſeparari nequeunt , ſeparante:* Et orat. 35. *Unam quoque Dei eſſentiam, & naturam , & appellationem eſſe ; tametſi per cogitationes quaſdam diſtinctas nomina quoque ſimul diſtinguantur .* V. quod eſt argumentum Valentini Gentilis . Qui non generat , nec generatur , non ſpirat , nec ſpiratur , non eſt verus Deus ; ſed unus Deus in eſſentia non generat , nec generatur, non ſpirat, nec ſpiratur : ergo unus Deus in eſſentia non eſt verus Deus. Major probatur . Nullus eſt Deus præter Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum ; ſed Pater generat , & ſpirat , Filius generatur, & ſpirat, Spiritus Sanctus ſpiratur: ergo qui non generat, nec generatur, non ſpirat , nec ſpiratur , non eſt verus Deus . Minor prioris argumenti etiam probatur. Deus in eſſentia nil aliud eſt , quam ipſa eſſentia communis tribus; ſed eſſentia non generat , nec generatur , non ſpirat , nec ſpiratur: ergo unus Deus in eſſentia non generat , nec generatur , non ſpirat , nec ſpiratur . VI. quod eſt argumentum Tranſylvanorum lib. 1. c. 5. Si tres Perſonæ dicuntur unum in eſſentia, jam in Deo erit quaternitas, non Trinitas ; & ſic probant: Eſſentia , Pater , Filius , & Spiritus Sanctus , ſunt quatuor nomina , & non ſunt ſynonima : ergo ſignificant quatuor res diverſas: ergo in Deo datur quaternitas , non Trinitas . VII. Nos in Symbolo dicimus , *Credo in unum Deum* , & ſcribimus virgulam , ne dicamus, *Credo in unum Deum Patrem :* ergo diſtinguimus Deum a Patre; atqui etiam diſtinguimus Patrem a Filio , & Filium a Spiritu Sancto : ergo quatuor in Deo ponimus, non tres. VIII. Perſona divina vel eſt finita , vel infinita; ſi infinita : ergo una tantum eſſe debet : ſi finita : ergo debent eſſe infinitæ , ut infinitati eſſentiæ reſpondeant . IX. In Deo idem ſunt intellectus , & voluntas , idem ſunt quoque intellectio , & volitio : ergo pariter ſunt idem Verbum , & Amor; Filius ſcilicet, & Spiritus Sanctus . X. In Deo nihil aliud eſt niſi eſſentia , & relatio; ſed eſſentia non generat , nec generatur , relatio non generat , nec generatur; ergo nihil eſt in Deo , quod generat , nihil eſt, quod generatur : ergo in Deo non ſunt Perſonæ .

Reſpondemus ad I. cum Scoto ; quod in Deo admittitur productio ex fæcunditate naturæ , non tanquam ex principio adæquato , ſed tanquam ex principio inadæquato, & partiali. Nomine principii adæquati , & totalis reſpectu Filii venit intellectus , & eſſentia divina ; reſpectu Spiritus Sancti venit voluntas , & eſſentia divina . Attamen eſſentia divina concurrit ut quo , intellectus , vel voluntas concurrit ut quod ; & inde eſt , quod eſſentia divina non habet rationem principii diſtincti adæquati , & per ſe productivi alicujus Perſonæ divinæ; habet tamen aliquo modo, quatenus concurrit cum intellectu, & voluntate , licet ut quo , & non ut quod . Et quia tantum duo ſunt principia adæquata productiva Perſonarum , duæ etiam ſunt Perſonæ divinæ , quæ producuntur .

Ad II. dicitur , quod argumentum procedit de terminis productis, quia non ſunt adæquati, tam extenſive, quam intenſive, omnimodæ perfectioni principii producentis, & in eſſendo, & in operando; iſti enim quum non adæquent principium producens , poſſunt ab hoc produci plures , & plures . Non vero procedit de terminis productis , qui adæquant in omni modo perfectionem omnimodam principii producentis ; quemadmodum eſt Verbum in divinis , quod adæquat omnem perfectionem ſui principii productivi ; & in eſſendo , quia eſt conſubſtantiale Patri ; & in operando , quia exhaurit fæcunditatem omnem divini intellectus . Idem dicendum eſt de Spiritu Sancto .

Ad III. negatur minor ; tum quia conditio illa eſt omnino impoſſibilis ; tum etiam quia ſublata una perſona non remanet alia infinite perfecta . Ratio eſt, quia omnes perſonæ identificantur cum eſſentia realiter , unde in ratione eſſentiæ identificantur etiam omnes perſonæ invicem realiter ; eſt vero implicantia , quod auferatur unum realiter identificatum, & quod aliud ſubſiſtat; quia ſequeretur, quod idem eſſet ablatum, & non eſſet ablatum, quod repugnat .

Ad IV. Nazianzenus intelligendus eſt, quod perſonæ ita ſunt cum eſſentia identificatæ , ut vix mens noſtra poſſit unam perſonam ſeorſim ab alia concipere , & ſeparare ; & ratio eſt , quia per circuminceſſionem quælibet perſona habet in ſe duas alias , & in ratione eſſentiæ eſt idem cum illis, unde non poteſt ab illis realiter ſejungi , ac ſeparari . Cæterum quod Nazianzenus agnoverit veram , & realem

Per-

Perſonarum diſtinctionem, fit manifeſtum ex verbis ipſius orat. 49. *Quippe tum & hanc ſectam* (intelligit Sebellianam) *in eodem libello damnaverim, & perſonarum diſtinctionem ſecundum vocabulum ſcripſerim, nam & nemo pro una perſona poteſt, unum ſunt, dicere, & unitatem generis niſi perſonis aſſignare*. Et orat. 35. *Paris impietatis eſt, vel Sabellii more perſonas connectere; vel Arii inſtar naturas diſtinguere, ac ſeparare*.

Ad V. reſpondet Bellarminus lib. 2. de Chriſto c. 7. explicandu minorem primi argumenti; ſed unus Deus in eſſentia non generat, nec generatur, non ſpirat, nec ſpiratur; ſi vox *unus Deus* accipiatur pro perſonis in communi, falſa eſt propoſitio; quia verum eſt dicere, unus Deus in eſſentia generat, & generatur, ſpirat, & ſpiratur; quum ille unus Deus ſit Pater, qui generat, & ſpirat, ſit Filius, qui generatur, & ſpirat, ſit Spiritus Sanctus, qui ſpiratur. Si vero vox *Deus* ſumatur pro Deitate, propoſitio etiam eſt falſa, quia in Deo non diſtinguitur perſona a natura. Si vero vox Deus accipiatur pro perſona divina in communi, propoſitio eſt vera; quia qui non generat, nec generatur, non ſpirat, nec ſpiratur, non eſt perſona divina. Pariter ſi intelligatur pro eſſentia ipſa, vera eſt etiam propoſitio. Sed ex hoc infertur tantum, eſſentiam non eſſe perſonam divinam formaliter, non autem infertur, eſſentiam non eſſe verum Deum. Aliam reſponſionem affert Bellarminus, quæ eſt Joannis VVigandi lib. cont. novos Arianos; ſed illam impugnat.

Ad VI. idem Bellarminus reſpondet, dicendo, illa nomina non eſſe ſynonima; & tamen non ſignificare quatuor res, ſed vel unam, ſi intelligantur de re abſuluta, vel tres, ſi intelligantur de relativis. Quod docuit Auguſtinus lib. 1. de doctrin. Chriſti c. 5. *Res, quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt; eademque Trinitas una quædam ſumma res*. Anſelmus pariter lib. de incarn. Verbi c. 3. clarius afferit, tres perſonas eſſe tres res, & unam rem; tres res relativas, & unam abſolutam. Cæterum dicit, nun eſſe inſolitum, plura nomina non ſynonima ſignificare unum, ſed diverſo modo. Nec per hoc, quod ſignificentur una res abſoluta, & tres relativæ, inferre quis poteſt, quod ſignificentur quatuor res; quia res illa abſoluta non diſtinguitur re, ſed ratione tantum ab illis tribus relativis; unde vere in Deo eſt unitas eſſentiæ, eſt Trinitas Perſonarum, & nulla eſt quaternitas.

Ad VII. idem Cardinalis reſpondet, rationem hanc habere vim contra Benedictum Aretium Zuinglianum, qui in hiſt. de ſupplicio Valentini Gentilis c. 6. & 11. neſciens reſpondere ad Gentilis argumentum, quo probabat, ſolum Patrem eſſe verum Deum unum, quia in Symbolo dicitur, Credo in unum Deum Patrem, recurrit ad virgulam illam, quam dixit, poni debere inter Deum, & Patrem. Hanc tamen virgulam non habent omnes Catechiſmi catholici; & antiqui Patres, qui Symbolum expoſuerunt, ſemper verba illa legerunt abſque virgula. Videndi ſunt Irenæus lib. c. 2. Cyrillus catech. 7. Ruffinus in explicat. Symboli. Et quanvis virgula illa ponatur, non per hoc admitteretur quaternitas; quia in hoc ſenſu Deus diſtinguaretur a Patre, ut ſignificaretur tantum, nomine Dei non comprehendi ſolum Patrem.

Ad VIII. idem reſpondet, perſonam divinam ut talem eſſe infinitam, & per conſequens dicere ſummam perfectionem; nec poteſt ex hoc inferri, perſonam divinam eſſe unam tantum; ſed ſolum hoc; ergo una eſt perfectio omnium perſonarum; quia eſt una, & eadem infinita perfectio in omnibus perſonis, ſed non eodem modo; quum in Patre perfectio illa ſit paternitas, in Filio filiatio, in Spiritu Sancto paſſiva ſpiratio.

Ad IX. idem quoque reſpondet, quod minor diſtinctio requiritur in principiis, quam in terminis. Deus enim creat tot genera rerum, & tamen unus eſt. Intellectus noſter parit tot conceptus diverſus, & nihilominus unus eſt. Truncus producit tot ramos, & pariter unus eſt. Sufficit autem diſtinctio rationis inter intellectum, & voluntatem, ad hoc ut habeant terminos, qui realiter ſint diſtincti.

Ad X. dicimus, in Deo eſſe relativa, nequit enim eſſe relatio, niſi ſint relativa; & relativa ſunt, quæ generant, & generantur, quæ ſpirant, & ſpirantur. De eſſentia vero dicitur quod dictum eſt in reſponſione ad primum argumentum, & in ſubſequentibus pariter reſponſionibus eſt replicatum.

DIS-

DISSERTATIO CX.

De Vocibus, quæ in explicando Trinitatis Myſterio a Sanctis Patribus, vel a Theologis Scholaſticis uſurpantur.

VOces; quas adhibemus, explicantes quæ de Trinitate dicimus, vel propugnantes quæ pro ejuſdem myſterio credimus, ne hæretici homines derideant, quaſi a nobis proprio marte inventas, vel ne iidem traducant, alieno a nobis ſenſu venditantes eaſdem; hac in Diſſertatione, ſecundum Patrum mentem, & juxta Theologorum Scholaſticorum rationem, ſuſcipimus ſimul, & ex vi nominis, quos ſignantur, exponere, & ex vi rei, quam ſignificant, explanare. Quis enim neſcit, & Valentini Gentilis Gregales, & Tranſylvanorum greges, voces haſce deridere; quia contrarias eas inveniunt figmentis ſuis, & apprime proprias ſciunt ad Catholicorum veritates explicandas, atque firmandas? Inter Noſtros vero utinam non eſſent, vel qui eas muſſitando excipiunt, quia ſe pares ad eaſdem intelligendas non inveniunt; vel qui eas turpiter errando adhibent, quia nunquam earum ſtudio ex propoſito, ut decebat, ſe applicarunt! Ne ergo Hæretici rideant, & ne, ſi qui ſunt, ex Catholicis non volentes quidem, aliquando errent; harum omnium explicationes in hac peculiari Diſſertatione afferre, non incongruum viſum eſt. Quod etiam juvabit, ut Sanctorum Patrum loquendi modum percipientes, eorundem verba juxta catholicum ſenſum, ut vere decet, intelligamus.

Cardinalis Bellarminus t. 1. controv. lib. 2. de Chriſto c. 2. hanc eandem provinciam ſumens, quæ ſequuntur nomina ſibi explicare proponit. Eſſentia, Homouſios, Hypoſtaſis, Subſtantia, Perſona, Proprietas, Relatio, Notio, Circumſeſſio, Trinitas. In quibus explicandis vult primo refellere quæ Tranſylvani lib. 2. c. 9. in iiſdem in communi reprehendunt; deinde ſigillatim vult eaſdem exponere. Et quidem Tranſylvani dicunt, hujuſcemodi nomina, etſi profana, a Cathulicis adhiberi quinque ob cauſſas. Quarum prima eſt, quia cenſent, ea utilia eſſe ad Hæreticos confutandos; ſecunda, quia Patres iiſdem nominibus uſi ſunt; tertia, quia juvant nos, non ut aliquid dicamus, ſed ut non taceamus; quarta, quia utilia cenſemus ea ad Scripturæ myſteria explicanda; quinta, quia intendimus, quod etſi eadem in Scripturis non reperiantur, ſunt tamen in illis alia nomina, quæ hiſce æquivalent. Poſt quæ pergunt refellere has omnes quinque cauſſas, quas in nobis inveniſſe, gloriantur. Pro prima refellenda dicunt, quod non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Hæreticos autem vocibus iſtis nunquam confutari; quia ſi Scripturis non convincuntur, multo minus vocibus hiſce oppugnantur. At Bellarminus ait, nominibus iſtis Hæreticos non oppugnari, ſed damnari, & ab Eccleſia excludi. Nec mirum nova nomina introduci; quia dum novæ emergunt hæreſes, nova nomina invenimus, ut Catholici ab Hæreticis diſtinguantur. Auguſtinus trac. 97. in Joannem oſtendit, etſi fugiendæ ſint profanæ vocum novitates, non tamen fugi deberi nomina nova, quæ contra novas hæreſes introducuntur. Pro ſecunda refellenda inferunt: ergo omnes Patrum errores recipiendi ſunt. At Bellarminus conſequentiam negat; quia nunquam Patres errant, quando omnes ſimul idem aſſerunt, & docent; etſi aliquando aliquis ipſorum in particulari erret. Exemplum affert Cypriani, quem non ſequimur dicentem, nullum eſſe baptiſmum ab Hæreticis collatum, ſequimur tamen docentem, Chriſtum eſſe verum Deum. Pro tertia refellenda dicunt, ſtultum eſſe loqui, ut nihil dicas. At Bellarminus occurrit dicendo, Transylvanos non intellexiſſe Auguſtinum docentem lib. 4. de Trinit. c. 9. dici tres perſonas in Deo, non ut dicatur, ſed ut non taceatur. Auguſtinus intendit per hæc verba dicere, nullam ſufficere vocem ad illa tria explicanda; vocamus tamen eadem perſonas, non ut credamus, per hanc vocem perfecte declarari illarum vim, & naturam, ſed ne omnino reddamur muti, quando nos alii interrogant, quid ſint il-

la

la tria? Pro quarta refellenda dicunt, eſſe nomina iſta exotica, & obſcura, & proinde ad fidei myſteria explicanda prorſus inutilia. At Bellarminus ait, exotica non eſſe, quum fuerint per tot ſecula, communi omnium conſenſu, uſurpata. Si vero ſint utilia, vel ne, videbitur, quando eadem explicabimus. Pro quinta demum refellenda negant, in Scripturis inveniri nomina, quæ ſint iiſdem ſynonima, & æquivalentia. At Bellarminus dicit, hoc putidum eſſe mendacium, quod paulo inferius oſtendetur, quodlibet ex iiſdem nominibus exponendo, & æquivalens nomen pro quolibet afferendo. Modo ad eaſdem ſigillatim explanandas devenimus.

Prima vox eſt Eſſentia. Eſſentia græce dicitur οὐσία. In Scripturis invenitur, aut vox, aut ſignificatum vocis, per aliam vocem ſynonimam, & æquivalentem. Luc. 15. 12. dicitur; *da mihi portionem ſubſtantiæ*. Græcus Textus habet, μέρος τῆς οὐσίας. In quo οὐσία ſignificat ſubſtantiam Patris, ſeu paternas opes. Habetur igitur vox; quanvis non habeatur ſignificatum; unde Epiphanius ſcripſit hæreſ. 73. *Eſſentiæ nomen nudo modo in veteri, ac novo teſtamento non habetur*. Habetur tamen ſignificatum ipſius; quod idem Epiphanius docuit, loc. cit. ſubdens: *Senſus autem, & ſignificatio ubique habetur*. Ad Rom. 1. 20. legitur: *Sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas*; græce ſcribitur; θειότης; quod idem eſt ac οὐσία τοῦ Θεοῦ. Ad Philippenſ. 2. 6. habetur *forma Dei*; græce dicitur: μορφῇ τοῦ Θεοῦ. II. Petr. 1. 4. ſcribitur; *divinæ conſortes naturæ*; græce: Θείας φύσεως. In quibus liquido apparet, haberi naturam, quæ idem eſt cum eſſentia; haberi divinitatem, haberi formam Dei; quæ synonima pariter ſunt cum eſſentia. Denique Exod. 3. 14. legitur: *Ego ſum, qui ſum; ... Qui eſt, miſit me ad vos*; græce ὁ ὤν. Ubi ſi Deus dicitur ens, ejus quoque natura dici poterit eſsentia; radix enim eſſentiæ eſt ens; quia eſſentia dicitur ab eſſe, & eſt abſtractum ejus nominis, quod in concreto dicitur eſſentia; ut loc. cit. c. 3. docet Bellarminus.

Reſpondent Transylvani, Deum vocari poſſe ens, ſed non eſsentiam; ſicuti Petrum vocari poſse hominem, ſed non humanitatem. Et hac reſponſione vere demonſtrant, ſe rerum theologicarum omnino ignaros eſse. Deus enim, quia ſimpliciſſimus eſt, cujuſmodi non ſunt omnia entia creata, æque vocari poteſt nominibus abſtractis, ac concretis. Sic in Scripturis dicitur bonus, & bonitas, verus, & veritas, ſapiens, & ſapientia; eodenque modo poterit quoque dici ens, & eſsentia. Attamen quod hic contendimus non eſt, an Deus vocari poſſit eſsentia, ſed an hoc nomen eſsentiæ in Scripturis inveniatur; vel an ſit alienum a Scripturis prout a nobis accipitur, ipſum pro Dei natura accipientes. Ex eſsentiæ nomine fit ὁμοούσιος, nempe *ejuſdem eſſentiæ*; & hoc erat, quod Ariani maxime adverſabantur, & quia in Scripturis non erat, & quia novum ipſis videbatur. Attamen non advertebant, quod nova quoque erant nomina, & neutiquam in Scripturis inveniebantur, quæ ipſimet uſurpabant; nimirum ἑτερούσιος, *alterius eſſentiæ*, & ὁμοιούσιος, *ſimilis eſſentiæ*. Attamen Patres reſpondebant Arianis, in Scripturis reperiri, ſi non vocem nominis, ſenſum tamen ipſius. Joan. 10. dicitur: *Ego & Pater unum ſumus*. Et hæc eſt reſponſio Auguſtini tract. 97. in Joan., & in diſput. cum Paſcentio. Dicebant quoque, nomen hoc alienum a Scripturis non eſse, quia ſimilibus nominibus utitur. Sic Ambroſius lib. 3. de fide c. 7., Cyrillus lib. 1. de Trin. Ulterius addebant Patres, nomen illud non fuiſse in Nicæno Concilio inventum, ſed fuiſse a vetuſtioribus Patribus uſitatum; quod plane teſtimoniis plurimis oſtendit Bellarminus, a quo quæ uſque modo ſcripſimus, mutuati ſumus.

Attamen, ſi credere volumus Du-Hamel, ſubdere quoque poſsumus, quod antiqui Philoſophi voce hac οὐσίας uſi ſunt. Eamque explicarunt pro ſingulari, individuaque ſubſtantia, quam primam ſubſtantiam appellabant; unde apparet, quod ipſi perſonam cum ſubſtantia confundebant. Et hinc eſt, quod Hæretici, tum Sabelliani, tum Ariani, aut unam ſubſtantiam, aut tres ſubſtantias, inducebant. Conſuetudo tamen Eccleſiæ fuit, ut nomine οὐσίας eſsentia intelligeretur; prima vero, & individua ſubſtantia hypoſtaſis dicta eſt. Verum eſt, quod ex antiquis quidam pro hypoſtaſi aliquando intellexerunt naturam, ut dicemus; at nemo pro οὐσία, ſeu eſsentia, intellexit hypoſtaſim, ſeu perſonam. Cæterum etſi Ariani vocem eſsentiæ, & hypoſtaſis, repudiarent, Semi-Ariani tamen, qui Sirmii ann. 357. convenerant, vocem οὐσίας dixerunt, in Scripturis inveniri, ſi non in materialitate vocis, ſaltem in formalitate ſignificationis; adducentes illud exodi, quod diximus: *Ego*

ſum, qui ſum: Petavius vero de Trinit. lib. 4. c. 1. docet, non eodem modo hac voce οὐσίαν Gentiles, ac Chriſtianos Philoſophos fuiſſe uſos. Et citat Anaſtaſium in Ὁδηγῷ c. 6. p. 96., & Theorianum in Legatione ad Armenos p. 110., qui teſtatur: *Exteri ſapientes individuum, ſive hypoſtaſim, & quod unum eſt numero, definiunt uſiam; quod ſane divini Patres non admittunt. Quippe Patres illi Deiferi uſiam, & naturam eſſe dicunt univerſalia, quam Scriptores exteri formam, ſive ſpeciem appellarunt. Ideo in ſancta Trinitate naturam unam, & uſiam eſſe profeſſi ſunt, hypoſtaſes vero tres: natura nimirum, & uſia, plures hypoſtaſes continente.*

Denique, ut eſſentiæ explicationem terminemus, ſubdimus quoque, nomen hoc uſiæ diſplicuiſſe Arianis, ut dictum eſt; & diſplicuiſſe quoque Catholicis quibuſdam, ut aſſerit Bellarminus, eo quia Patres Concilii Antiocheni aperte negarunt, Filium eſſe Patri homouſion contra Paulum Samoſatenum; & hoc Arii hæreſim præceſſiſſe: Attamen nos habemus ex Athanaſio Dionyſios duos, Romanum, & Alexandrinum, qui Concilium Antiochenum præceſſerunt, & dixerunt, Filium Patri homouſion eſſe. Unde Athanaſius idem conciliat omnes dicendo, Patres Antiochenos negaſſe Filium eſſe homouſion Patri ad mentem Samoſateni. Mens Samoſateni erat, homouſion ſignificare conſubſtantialitatem Patris, & Filii, uti eſt conſubſtantialitas Petri, & Pauli, qui ſunt duæ ſubſtantiæ, ſed unius, & ejuſdem ſpeciei. Teſtis eſt S. Hilarius in lib. de Synod. extr. *Male homouſion Samoſatenus confeſſus eſt, ſed nunquid melius Ariani confeſſi ſunt? Octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt, ſed trecenti decem, & octo nuper receperunt. Illi contra Hæreticum improbaverunt; nunquid & iſti non contra Hæreticum probaverunt? Si & probando, & improbando unum utrique ſtatuerunt, quid bene conſtituta convellimus?* Cæterum hoc unum nomen inter ſe contrarias hæreſes Sabellii, & Arii, uno eodenque ictu confodit. Homouſios enim dicitur de iis, quorum eſt una, eadenque omnino ſubſtantia, vel eſſentia, & quorum proinde unum eſt ab alio, & ab alio recipit eſſentiam eandem. Quod docent Athanaſius lib. de Synod. Arim., & Seleuc., & Baſilius in epiſt. ad ancillas Dei. Et hoc eſt contra Sabellium, fatentem quidem Patrem, & Filium habere eandem eſſentiam, ſed unum ab alio eſſe, negantem. Eſt quoque contra Arium, fatentem quoque, Filium eſſe a Patre, ſed eandem eſſentiam a Patre accepiſse negantem. Ex quo factum eſt, quod Ariani omnium aliarum vocum, quas Catholici uſurpabant, ſonum tolerantes, hujus unius tantum non poterant ullo modo ſonitum perferre; quia hanc unam tantum ad ſuum ſenſum trahere non poterant; ut reſtatur Athanaſius in lib. de decr. Nicæn. Synod. Concilium quoque Nicænum dixit in Symbolo: *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, & ex ſubſtantia Patris natum*; at non contentum his vocibus, quas poterant eludere Ariani, ſubdit quoque, *homouſion Patri*. Epiphanius quoque in Ancorato obſervat, aliud eſse συνούσιον, aliud ὁμοούσιον, quia primum recipiebant Sabelliani, non vero ſecundum. Synuſion enim ſignificat unitatem ſine diſtinctione; homouſion vero unitatem cum diſtinctione, & proceſſione unius ab altero. Unde Ambroſius lib. 3. de fide c. 7. *Recte homouſion Patri Filium dicimus, quia verbo eo, & perſonarum diſtinctio, & naturæ unitas, ſignificatur*; ut apud Bellarminum cit. loc.

Poſt eſsentiam explicamus hypoſtaſim. Hypoſtaſis ſignificat ſuppoſitum, quod dicitur in omnibus, & in naturis intelligentibus dicitur perſona; & vocatur quoque univerſim prima ſubſtantia. Diſtinguitur ab eſsentia, quod hæc in hypotheſi Ariſtoteleorum concipitur ut forma in alio exiſtens; hypoſtaſis vero accipitur ut totum, non in alio, ſed in ſe, & per ſe exiſtens. Unde dicimus, hypoſtaſim non addere ad eſsentiam aliquem naturæ gradum, aut actum, ſed eſsendi modum dumtaxat; quod docet S. Thomas 1. p. q. 25. ar. 2. Unde eſsentia dicitur communicabilis, hypoſtaſis vero incommunicabilis. Et quia hypoſtaſis addit aliquid ſupra eſſentiam, quid ſit hoc, quod addit, inter Philoſophos controvertitur. Thomiſtæ enim docent, eſse aliquid poſitivum phyſicum; Scotiſtæ vero, eſse aliquid negativum; Magnaniſtæ demum eſse aliquid poſitivum morale, quod explicant per hoc, quod ſit juris ſui, & non juris alterius.

Ex duplici capite vox iſta hypoſtaſis videtur poſse aliquam inducere ſuſpicionem; primo, quia quidam antiqui Patres non aliam inter eſsentiam, & ſuppoſitum poſuerunt differentiam, quam illam, quæ eſt inter ſpeciem, & individuum; inter hominem ut ſic, & Franciſcum. Secundo, quia a quibuſdam etiam Patribus ad ſignifi-

can-

candam ſubſtantiam videtur uſurpata. At, duobus hiſce non obſtantibus, dicimus, eſse illam omnino recipiendam, quod eſt indubitatum apud omnes Catholicos, firmiter aſserentes, tres hypoſtaſes in Deo eſse. Et quidem primum non obſtat, quia etſi Baſilius ep. 43., Nyſsenus in lib. de differ. eſsent. & hypoſt., Damaſcenus lib. 3. c. 3., Cyrillus lib. 1. de Trinit., Juſtinus, aut quicunque ſit auctor libri de recta fidei confeſſione, & Theodoretus in libello contr. Sabellium, qui legitur t. 2. Conciliorum, in additionibus ad Breviarium S. Liberati, videantur illud dixiſſe; tamen iidem quoque profitentur, Deum ita eſse unum numero, non ſpecie, ut tres hypoſtaſes divinæ dici non poſſint tria individua divina, ratione naturæ, quaſi tres ſint individuæ deitates; ſed ſolum dici tria ratione hypoſtaticæ proprietatis; ut ex eorum mente aſserit Bellarminus cit. loc. c. 4. Nec obſtat ſecundum, quod videtur aſsertum a Hieronymo in epiſt. duab. ad Damaſ. de hypoſt., a Nazianzeno orat. de laud. Athanaſii, & a Mario Victore in lib. de homouſ., quia non ex rei ſignificatione, ſed ex vocis tantum intelligentia, loquebantur. Etenim, ut aſserit Du-Hamel, de Trinit. lib. 3. diſſert. 1. c. 1. Antiochiæ non conveniebant Catholici inter ſe in quarundam vocum explicatione; quia quidam, Paulino adhærentes, unam hypoſtaſim tuebantur, alii vero, Meletium ſequentes, tres hypoſtaſes admittebant. Athanaſius vero in Alexandrina Synodo cenſuit, quemlibet poſse, aut unam, aut tres hypoſtaſes, dicere, dummodo Nicænæ Synodo conformaretur. Inſuper aſserit in Epiſtola Synodica, ſe interrogaſse eos, qui tres hypoſtaſes admittebant, an hypoſtaſes intelligerent per ſe, ac ſeparatim exiſtere, ac ab ſe invicem alienas, uti Arius intelligebat; & inveniſse eos intelligere ſic hypoſtaſes ut vere ſubſiſterent, nec præterea tria eſse principia, aut tres Dii, ſed eſse Trinitatem in una eſsentia. Inſuper interrogaſse eos, qui unam hypoſtaſim admittebant, an cum Sabellio ſentirent; & inveniſse eos, admittere hypoſtaſim ut unum quid cum natura, aut *ὄντα*; ac proinde accipere hypoſtaſim pro natura. Unde Athanaſius judicavit diverſitatem eſse in vocibus, non in rebus; *diverſæ fidei ſpeciem præbuit levis illa, & jejuna de vocum ſono altercatio*; quod pariter Nazianzenus commemorat orat. 32. Alia remittimus videnda apud Bellarminum, Petavium, Du-Hamel, loc. cit. alioſque.

Perſona accipitur a Scripturis, & Patribus, pro ſubſtantia prima, Actor. 10. 34. Ad Rom. 2. 11. dicitur, quod *Deus non ſit acceptator Perſonarum*; & perſonarum nomine veniunt hypoſtaſes humanæ. Hoc explicat S. Auguſtinus lib. 2. ad Bonifac. c. 7. apud Bellarminum dicens, quod tunc eſt acceptio perſonarum in diſtributione præmiorum, quando qui diſtribuit non reſpicit merita hominum, ſed ipſos homines, ideſt tribuit plus uni, quam alteri, non quia ille plus meretur, ſed quia illam perſonam plus diligit. Inſuper Tertullianus lib cont. Praxeam, Hilarius lib. de Synod. Hieronymus in epiſt. ad Damaſum, Auguſtinus lib. 5 & 7. de Trinit., Nazianzenus in orat. in Athanaſ., & alibi, vocant tres Perſonas Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; Gregorius Nazianzenus vero græce nominat *πρόσωπα*. Laurentius Valla perſonæ nomine intellexit qualitatem hominis; ſed a Bellarmino egregie impugnatur. Et quidem ut Theologus, qui vere non erat, Perſonam non explicat; ſed neque ut Grammaticus, qui eſſe gloriabatur; nam Cicero lib. de invent. in Topicis, & Partionibus, nomen etiam perſonæ uſurpat, ut nos accipimus. Dicit enim, alia eſſe rerum, alia Perſonarum attributa; & rurſum perſonam in Deo, & in homine conſiderari. Valerius Maximus lib. 2. c. 21. homines vocat etiam perſonas. Et Civilium Inſtitutionum lib. 2. tit. 9. perſona pariter in hac ſignificatione accipitur. Hæc apud Bellarminum leguntur. Apud Du-Hamel vero dicitur, quod Perſona, vel etiam Hypoſtaſis, aut ſignificat ſubſtantiæ conditionem, & qualitatem, aut ſubſtantiæ ſingularitatem. Primo modo perſonæ nomen intelligebant Sabelliani; & ſic nos dicimus, Oratorem Regis loqui ex perſona Regis. Et hac ratione Patres quidam aſſerunt identitatem Perſonæ. Sic Ambroſius: *Et miraris ſi ex perſona hominis Patrem dixit majorem, qui in perſona hominis ſe vermem dixit eſſe, non hominem.* Quando hæreſis Sabellii orta eſt, teſtatur Facundus lib. 1. Perſonæ vocem adhiberi cœptam. *Perſonarum autem nomen, nonniſi cum Sabellius impugnaret Eccleſiam, neceſſario in uſum prædicationis aſſumptum eſt; ut qui ſemper tres crediti ſunt, & vocati Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unoque ſimul, & communi perſonarum nomine vocarentur.* Sabelliani in ipſorum ſenſu perſonæ nomen non repudiabant,

ſed tres hypoſtaſes fateri omnino nolebant. Et tunc ſubdit idem Facundus, ſubſiſtentiæ nomen uſurpari cœpiſſe. Nanzianzenus vero orat. 21. docet: *Qui tres Perſonas profiterentur, iis Sabellianus error impingi conſueverat; ii autem, qui tres hypoſtaſes defenderent, arianæ perfidiæ affines eſſe credebantur. Sabellius enim varias Deum induiſſe perſonas, cum mundum condidit, Patris; cum humanam ſubiit naturam, Filii; cum Eccleſiam ſanctificavit, Spiritus Sancti perſonam exhibuiſſe.*

Proprietas eſt nomen, quod in Scripturis non invenitur, ſed ex Scripturis colligitur. Joannis 1. 18. Filius dicitur *Unigenitus*; igitur proprium eſt illi eſſe Filium: ergo filiatio eſt ejus proprietas. Item 1. Corinth. 8. 6. habetur: *Nobis tamen unus Deus Pater*; igitur proprium eſt illi eſſe Patrem: ergo paternitas eſt ejus proprietas. Ulterius Joann. 14. 26. ſignificatur, quod ſolus Spiritus Sanctus procedit a Patre, & Filio; igitur proprium eſt illi ſic procedere: ergo hæc proceſſio eſt ejus proprietas. Nomine tandem proprietatis in hoc ſenſu, de quo loquimur, utuntur Hilarius lib. 2. de Trinit., Baſilius epiſt. 43. Nazianzenus orat. 3. de Theologia, Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 11. & 12., & ſequentibus, Cyrillus lib. 1. de Trinit., aliique plurimi videndi apud Petavium de Trinit. lib. 4. in procemio; qui ex Baſilio lib. 2. cont. Eunomium aſſerit: *Nam proprietates notæ quædam, & formæ, quæ in ſubſtantia conſiderantur, dividunt quod eſt commune propriis characteribus; at ejuſdem communionem ſubſtantiæ non diſcindunt.* Sic pariter loquitur Tertullianus cont. Praxeam c. 2.

Relatio, quæ eſt in creatis, eſt pariter in divinis; unde ſicut in creatis inter Patrem, & Filium eſt relatio, ita pariter eſt inter Patrem, qui eſt verus Pater, & inter Filium, qui eſt verus Filius, in divinis. Si autem Filius nullam haberet relationem ad Patrem, non verus, ſed fictus, Filius eſſet; & Pater, & Filius, revera his nominibus abuterentur. Hujuſcemodi relationes dicuntur etiam proprietates relativæ, ex quibus perſonæ, ſive hypoſtaſes, aut conſtituuntur, aut certe dignoſcuntur, & explicantur; ut ait Petavius loc. citato. Apud eundem legimus ex Caleca lib. contra Græc. c. 38. *Quædam enim* ὑποστατικὰ *vocantur* ἰδιώματα, *hoc eſt proprietates, quæ maxime propria ſunt perſonarum, & eas conſtituunt; velut eſt paternitas, quæ perſonam Patris ſubſiſtentem facit.*

Notio quoque in divinis eſt nomen, quo Pater e. g. a cæteris Perſonis diſtinctus cognoſcitur. Unde Paternitas dicitur Patris notio, quia per hanc Pater a Filio, & a Spiritu Sancto, diſtinguitur. Sic pariter filiatio reſpectu Filii; & ſpiratio paſſiva, ſeu proceſſio, reſpectu Spiritus Sancti. Theologi Scholaſtici hoc notionis nomine utuntur, & deſumpſerunt illud a Sanctis Patribus Baſilio epiſt. 43. & Auguſtino lib. 5. de Trinit. c. 6., ut Bellarminus docet. Aliter tamen intelligit Auguſtinum Petavius loc. cit. ſcribens: „ Latini Theologi proprietates utraſque Perſonarum *notiones* appellare ſolent: atque ita videri poſſit Auguſtinus nominare, dum in 5. de Trinitate cap. 5. ſic ſcribit: *Alia notio eſt, qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus.* Verum notio hic communi ſignificatione pro ἔννοια, & pro intelligentia ſumitur: quaſi dicat, alia ratione intelligi, & cogitatione percipi „. Affirmat tamen idem Petavius, quod Auguſtini auctoritate Scholaſtici Theologi ſuas notiones non male ſtatuerunt. S. Thomas 1. par. q. 32. ar. 3. ſic notionem definit: *Notio eſt id, quod eſt propria ratio cognoſcendi divinam Perſonam.* Quinque dicuntur eſſe notiones in divinis apud Scholaſticos communiter, quas etiam amplectuntur, & referunt, Bellarminus, & Petavius. Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio paſſiva. Spiratio activa dicitur etiam ſpiratio communis; & ſpiratio paſſiva vocatur quoque proceſsio. Ex his quinque quatuor dicuntur proprietates, & quatuor dicuntur relationes. Proprietates ſunt Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio paſsiva. Relationes ſunt: Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio paſsiva.

Circuminſeſsio, quæ dicitur græce περιχώρησις, eſt illa intima, & perfecta inhabitatio unius perſonæ in alia, & e converſo. Joann. 14. 10. de hac circuminſeſsione dicit Chriſtus. *Ego ſum in Patre, & Pater in me eſt.* Auguſtinus lib. 6. de Trinit. c. ult. de eadem hæc ſcribit: *Singula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia. Qui videt hoc, vel ex parte, vel per ſpeculum, & in ænigmate, gaudeat cognoſcens Deum, & ſicut Deum honoret, & gratias agat: Qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum. Quoniam unus eſt Deus, ſed tamen Trinitas: nec con-*

fuſe

ſuſe accipiendum eſt . Ex quo omnia , per quem omnia, in quo omnia: Nec Dijs multis, ſed ipſi gloria iu ſecula ſeculorum . Eadem fere habent Hilarius lib. 4. de Trinitate, Ambroſius in c. 13. II. ad Cor. , & Damaſcenus , qui adhibet vocem illam περιχώρησιν lib. 1. c. 11. , & ex hoc , ait Bellarminus , circuminſeſsionis vocabulum Scholaſticos Theologos deſumpſiſſe. Cæterum circuminſeſsio etſi ſecundum vocem in Scripturis non reperiatur , continetur tamen ſecundum ſignificationem; quemadmodum quoque habetur in Patribus, ut vidimus .

Trinitas, græce pariter dicitur Τριάς , & in Scripturis ſecundum hanc vocem expreſſe non legitur ; continetur tamen id omne , quod per hanc vocem ſignificatur. Matth. ult. 19. legimus : *Euntes ergo docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et I. Joann. 5. 7. *Quoniam tres ſunt , qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus* . Hoc nihilominus etiam nomine , non tantum nominis ſignificato, utuntur omnes Patres; inter quos citantur a Bellarmino Auctor libri de divinis nominibus, c. 1., Juſtinus de recta confeſsione fidei , Gregorius Thaumaturgus in ſua fidei confeſsione , Tertullianus lib. cont. Praxeam, Cyprianus lib. de orat. Dominic. & omnes, qui eos ſequuti ſunt . Advertere hic nihilominus oportet , Valentinum Gentilem, de quo alias diximus, impie, ac falſo aſſeruiſſe , Trinitatem trium unitatem ſignificare . Veritas tamen eſt , Trinitatem ſignificare ſimpliciter ternarium perſonarum . Et hoc innoteſcit tum ex græca voce Τριάς , tum ex aliis conſiderationibus , quæ ad hoc probandum a Bellarmino ſcribuntur , ad quem remittuntur Legentes . Et quanvis S. Thomas 1. p. q. 31. ar. 1. dicat, Trinitatem videri dictam quaſi trium unitatem ; hoc tamen dixit , ſonum vocis conſiderans; quum de cætero ibidem affirmet, ſi rei ſignificatio conſideretur , non ſignificari proprie ea voce trium unitatem , ſed ſolum numerum trium Perſonarum ; ut apud eundem Bellarminum legimus .

DISSERTATIO CXI.

De modo loquendi circa Trinitatem.

SUB hoc eodem nomine caput inſcribit Cacheranus trac. 2. de Deo trino , quod pluribus §§. abſolvit , alii quoque Theologi peculiarem ſuſcipiunt tractationem ; ſed præ cæteris Diſſertationem inſtituit Jueninus , quæ eſt numero ſexta in par. 2. inſtit. theolog. Et in ea quinque quæſtionibus pertractat quæcunque ſpectare poſſunt ad rectum inſtituendum modum loquendi circa omnia, quæ reſpiciuot Trinitatis myſterium . Illa autem diſtinguit primo agens de nominibus, quibus debent exprimi numerus , diſtinctio, & unitas Perſonarum in divinis. Secundo tractans de modo, quo eſſentialia de relativis, & relativa de eſſentialibus, in Trinitate prædicantur. Tertio quærens, an eſſentialia pro relativis ſupponere poſsint? Quarto, exponens , utrum abſtracta prædicentur de concretis? Et quinto , explicans , an concreta de abſtractis pariter prædicari poſsint? Quæ omnia , ex ipſo , & ex aliis hac in Diſsertatione explebimus .

Nomina, quibus exprimitur Perſonarum numerus , reducuntur ad hæc ; Pluralitas, Multiplicitas, Trinitas ; & quidem omnia recte in divinis adhibentur ; quod ſic oſtendimus. Ubi ſunt plura , quam unum, eſt pluralitas ; in divinis ſunt plura, quam unum: ergo eſt pluralitas. Major patet ex perceptione terminorum . Minor probatione non indiget , quia in Deo ſunt tres Perſonæ. Conſequentia ſequitur . Et hæc de Pluralitate. De Multiplicitate autem , ſive ſine addito , ſive cum addito *Perſonarum* , quod admitti , & adhiberi debeat in divinis , ſic probatur . Si admitti non deberet , ideo eſſet , quia includeret multiplicitatem naturarum ; ſed non includit: ergo &c. probatur minor . Multiplicitas ſine addito abſtrahit a multiplicitate ſive naturarum, ſive perſonarum : ergo non includit : Quod ſi non includit : ergo nihil exprimit, quod Deo repugnet . Multo magis poſtea cum addito Perſonarum , quia jam penitus excluditur multiplicitas naturarum. Unde quum dicamus , in Deo eſſe multiplicitatem Perſonarum, dicimus quoque eſſe multiplicem proceſſionem , multiplicem relationem ; & pariter eſſe

mul-

multiplicitatem relationum, multiplicitatem proceſſionum. Denique optimo quoque jure Trinitatis nomen adhibemus, quando de divinis ſimpliciter, & ſine addito loquimur; quod quidem in præterita Diſſertatione firmavimus. Hic pariter addimus ex Concilio Toletano XI. *Confitemur, & credimus ſanctam, atque ineffabilem Trinitatem*; ex Concilio Lateranenſi IV. c. 2. *Et ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas*; ex Concilio Florentino: *In nomine igitur Sanctæ Trinitatis*; habet Eugenius IV. in Synodi definitione.

Dices I. Nomen Pluralitas, ſi aliquid non additur, poteſt æque intelligi de naturis, & de Perſonis: ergo non debet in divinis adhiberi. II. Non poteſt dici: Deus eſt multiplex: ergo multiplicitas ſine addito nequit in divinis admitti. III. Concilium Toletanum XI. docet: *Nec recte dici poteſt, ut in uno Deo ſit Trinitas*: ergo Trinitatis nomen non debet in divinis uſurpari. IV. Si in Deo admitti poſſet Trinitas, Deus dici poſſet Trinus; ſi dici poſſet Trinus, diceretur etiam triplex; atqui ex Auguſtino lib. 6. de Trinit. c. 7. triplex dici non poteſt: ergo &c. V. Nomen Trinitatis non ſignificat ſubſtantiam, quia hæc una eſt; neque relationem, quia hæc eſt ordo unius ad aliud; non poteſt autem hic ordo nomine hoc ſignificari: ergo &c.

Reſpondemus ad I. quod, quum nomen *pluralitas* ſit indifferens ad ſignificandum potius unum, quam aliud, determinatur ejus ſignificatio a ſubjecto, de quo prædicatur. Quia ergo Deus in ſuo conceptu excludit pluralitatem naturarum, cum de eo prædicatur pluralitas, ratione ipſius, qui eſt ſubjectum, reſtringitur pluralitas ad ſignificandam Perſonarum pluralitatem. Ad II. dicitur, quod multiplicitas ſimpliciter enunciata non includit naturam: unde poteſt ſimpliciter de Deo prædicari. Quando autem dicitur: Deus eſt multiplex; tunc Deus non abſtrahit a natura, ſed illam formaliter includit: unde propoſitio illa admitti nequit. Ad III. Concilium Toletanum loquitur de Trinitatis nomine, quatenus pro eſſentia ſupponit, non vero quatenus ſupponit pro perſonis. Unde poſt relata verba: *Non recte dici poteſt, ut in uno Deo ſit Trinitas*; ſtatim ſubdit: *ſed unus Deus Trinitas*. Ad IV. Deus dici poteſt trinus, non autem poteſt dici triplex. Ratio eſt, quia trinus importat unum exiſtens tribus diſtinctis modis; triplex vero non ſolum dicit tres diſtinctos exiſtendi modos, ſed etiam tres res, & tres eſſentias. Ipſummet Auguſtinum adducimus lib. 6. de Trinit. c. 7. hæc ſcribentem: *Nec quoniam Trinitas eſt, idea triplex putandus eſt; alioquin minor erit Pater ſolus, aut Filius ſolus, quam ſimul Pater, & Filius*. Et c. 8. *Cum itaque tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nullo modo triplex dicendus*. Et Concilium Toletanum XI. in profeſſione fidei. *Hæc eſt Trinitatis relatæ narratio; quæ non triplex, ſed Trinitas & dici, & credi debet*. Ad V. dicitur, in Deo præter ſubſtantiam, & relationem, eſſe numerum relationum, ſeu perſonarum; & hic numerus eſt, qui per Trinitatis nomen ſignificatur. Unde de una ſola perſona nequit dici, quod ſit Trinitas; quia de una ſola ternarius perſonarum numerus non verificatur.

Ex his colligimus I. Trinitatis nomen ita eſſe proprium divinorum, ut in creatis inveniri non poſſit; trini vero nomen etiam in creatis invenitur. Unde dicimus trinam monitionem &c. Ita Albertus 1. p. ſum. q. 45. memb. 1. ar. 15. ad 1. *Trinitas eſt in divinis, & non eſt niſi in divinis, & hoc eſt divinis proprium*. II. Trinum ſecundum vim nominis, & Theologorum uſum, importare ita diſtinctionem, & numerum, ut ſimul unitatem importet. Triplex vero importare præciſe diſtinctionem, & numerum, & nullo modo unitatem importare. Et quia Deus admittit diſtinctionem cum unitate, non vero ſine unitate, ideo dicitur trinus, & non triplex. Ita S. Bonaventura in 1. diſt. 19. III. Sicut dicitur trina deitas, ita pariter dici poteſt trina eſſentia. Trina deitas dicitur in hymno *Sacris Solemniis*, qui recitatur in feſto corporis Chriſti, & qui ab Angelico Doctore compoſitus creditur, ut egregie contra Papebrochium vindicavit Natalis Alexander. Legitur enim ibi: *Te trina deitas, unaque poſcimus*. Verum non in hoc ſenſu dicitur, ut eſſentia, vel deitas ex ſe importet multitudinem, ſed quod deitas una, & indiviſa ſit tribus perſonis identificata. Primo modo eſt falſa propoſitio, ſecundo autem vera. IV. dici etiam poſſe trinam unitatem, ſeu unitatem trinam; quia hoc non ſignificat aliud, quam quod eſſentia una tribus diſtinctis perſonis identificata exiſtat. V. Trinitatem non poſſe dici trinam; quia aliter diceretur trina Trinitas, quod non ſignificaret tres, ſed novem. Concilium Toletanum

tanum XI. in profeſſione fidei dicit : *Hac eſt ſancta Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, ſed trina dici, & credi debet.* Attamen dicitur, quod in voce *trina* eſt mendum, & corrigi debet, dicendo, *Trinitas.* Labbæus in ſua Conciliorum editione ſic legit : *Hac eſt ſancta Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, ſed Trinitas dici, & credi debet*. VI. Admittendum eſſe hunc loquendi modum; *Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate.* Sic legitur in Athanaſii Symbolo, de cujus genuinitate in ſequentibus erit ſermo. Et quanvis Concilium Toletanum XI. habeat: *Nec recte dici poteſt, ut in uno Deo ſit Trinitas, ſed unus Deus Trinitas*; attamen ſenſu horum verborum eſt, quod in uno Deo non ſit Trinitas eſſentiæ, ſed quod Deus unus, aut eſſentia una, ſit idem cum tribus Perſonis, quarum numerus Trinitatem conſtituit; ut ſcribit Jueninus. VII. Rectiſſime pariter dici; *Sancta Trinitas unus Deus*; ut in Litaniis canimus. Hic loquendi modus diſplicet Calvino, ejuſque Sectariis; vel propter vocem *ſancta*, quia faceret ſenſum eundem, ac quando dicimus; *Sancta Thereſia* e. g. Sed immerito, quia etiam Græci addunt eandem vocem nomini ἡ τριὰς: Vel propter vocem, *Trinitas*; quia hæc appellat Trinitatem Perſonarum cum eſſentiæ unitate: Vel propter vocem *Unus Deus*; quia hæc denotat unitatem eſſentiæ in tribus Perſonis. Hoc docet Auguſtinus trac. 39. in Joannem: *Quanvis nec ille, qui eſt Pater, ſit Filius; nec ille, qui eſt Filius ſit Pater; nec Spiritus Sanctus Patris, & Filii, ſit vel Filius, vel Pater: Tres Deos tamen eſſe non dicimus; quanvis de ſingulis ſi quæratur, neceſſe eſt, de quocunque interrogati fuerimus, Deum eſſe fateamur*.

Modo accedimus ad explicanda nomina, quibus exprimitur numerus, & diſtinctio manifeſtatur, in Perſonis. Et ſunt hæc: Diſtinctus, diſcretus, ſecretus, alius, alter, non unus, diſſimilis, alienus, diſpar, diſcrepans, diverſus, differens, diviſus, ſeparatus, ſolus. Et circa hæc nomina dicimus I. Tres Perſonas recte dici diſtinctas, diſcretas, ſecretas, non unam. Ratio eſt; quia in Concilio Toletano XI. legimus: *Trinitatem igitur in Perſonarum diſtinctione agnoſcimus*. In Concilio Lateranenſi IV. c. 2. invenimus : *Ut diſtinctiones ſint in Perſonis, & unitas in natura*. Inſuper hæc erat Sabellii hæreſis, quæ Perſonas ab invicem non diſtinguebat. Denique diſtinguere idem eſt, ac diſcernere, & ſecernere; unde ſi diſtinctæ dicuntur, pariter diſcretæ, & ſecretæ, dici poſſunt. Dicimus II. Vocem *alius* recte uſurpari in divinis Perſonis, non vero vocem *aliud*. Ratio eſt; quia in Concilio Lateranenſi IV. c. 11. habemus : *Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud*. Et rationabiliter quidem, quia vox *alius* denotat perſonam; vox vero *aliud* ſignificat naturam. Angelicus Doctor 1. p. q. 31. ar. 2. ad 4. docet : *Unde etiam in rebus humanis ſi quæratur; quis eſt iſte? Reſpondetur; Socrates, quod nomen eſt ſuppoſiti. Si autem quæratur; quid eſt iſte? Reſpondetur; animal rationale, & mortale.* Vincentius Lirinenſis: *In Trinitate alius, atque alius, non aliud, atque aliud: In Salvatore aliud, atque aliud, non alius, atque alius.* Auguſtinus trac. 36. in Joannem : *Quid vis ire in alteram partem, ut dicas, aliud eſt Pater, Filius aliud? Alius eſt, recte dicis; aliud, non recte. Alius enim eſt Filius, quia non eſt ipſe qui Pater; & alius Pater, quia non eſt ipſe qui Filius : Non tamen aliud, ſed hoc ipſum eſt & Pater, & Filius.* Dicimus III. Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas dici non poſſe diſſimiles, alienas, diſpares, diſcrepantes, differentes, diviſas, ſeparatas. Ratio eſt, quia hi omnes termini ſignificant naturam, non perſonam; & quum in divinis Perſonis natura ſit eadem, quanvis diſtinctæ ſint Perſonæ, termini illi adhiberi non poſſunt. S. Thomas 1. p. q. 36. ar. 2. in corp. docet : *Ne tollatur ſimplicitas divinæ eſſentiæ, vitandum eſt nomen ſeparationis, & diviſionis, quæ eſt totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas, vitandum eſt nomen diſparitatis. Ne vero tollatur ſimilitudo, vitandum eſt nomen alieni, & diſcrepantis.* Dicimus IV. dictionem excluſivam, *ſolus*, categorematice ſumptam, non poſſe habere locum in divinis; ſyncategorematice vero acceptam, poſſe habere locum. Ratio eſt; quia dictio excluſiva, *ſolus*, tunc categorematice ſumitur, quando ſumitur per ſe, & ſignificative; ita quidem, ut ſuam ſignificationem, nempe ſolitudinem, vel ſolitarietatem, applicet, vel ſubjecto, de quo prædicatur, vel termino, cui adjungitur. Tunc vero accipitur ſyncategorematice, quando accipitur conſignificative, & modificative; ita quidem, ut modificet unum extremum in ordine ad aliud; nec applicet ſignificationem ſuam aut ſubjecto, aut prædicato ſecundum ſe, ſed vel ſubjecto in ordine ad prædicatum, vel prædicato in ordine ad ſubjectum. Sic

ex-

explicat Cacheranus; Juveninus vero ſic dicit. Quando ponit excluſionem in ſubjecto, ſeu efficit ut ſubjectum ſit ſolitarium; ut quando dicitur; Joannes eſt ſolus; tunc eſt categorematice ſumpta: Quando vero denotat ordinem prædicati ad ſubjectum, ſeu ſignificat prædicatum non convenire alteri, quam ſubjecto; ut quando dicitur; ſolus Deus eſt æternus; tunc eſt ſyncategorematice accepta. Hinc propoſitio hæc: Deus eſt ſolus; quia primo modo ſumitur, eſt falſa: hæc vero altera; ſolus Deus eſt bonus; quia accipitur ſecundo modo, eſt vera. Et non ſolum cum termino eſſentiali, verum quoque cum notionali, ſecundo modo ſumpta, conjungi poteſt dictio, *ſolus*; dicendo nimirum; & ſulus Deus eſt ſanctus; & ſolus Pater generat; & ſolus Filius generatur; & ſolus Spiritus Sanctus ſpiratur; & ſemper bene.

Devenimus ad explicationem nominum, quæ adhibenda ſunt, ut divinarum Perſonarum unitas recte explicetur. Et ſunt quæ ſequuntur; Idem, Unus, Solitarius, Singularis, Unicus, Unitus, Conjunctus. Et dicimus I. Nomen *idem*, *&* *unum* in neutro genere de Perſonis divinis dici poſſe; in genere vero maſculino dici poſſe, ſi jungantur termino relativo, ſecus vero ſi abſoluto. Ratio eſt; quia *idem*, *&* *unum* in genere neutro ſignificant eſſentiam, non vero perſonas: unde recte dicere poſſumus; Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt unum, & idem. Si vero idem, & unus in genere maſculino jungantur termino relativo, ſignificant unitatem ſuppoſiti; in Deo autem ſuppoſitum non eſt unum, ſed multiplex. Unde hæc propoſitio: Pater, & Filius ſunt unus, & idem, eſt Sabelliana, & ſalſa. Si tandem jungantur termino abſoluto, ſignificant naturam, vel attributa; & ſic poſſunt de divinis dici: Unde veræ ſunt propoſitiones iſtæ: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt unus, & idem creator, unus, & idem infinitus, unus, & idem omnipotens, ſanctus &c. II. dicimus, vocem, *ſolitarius*, de Perſonis divinis dici non poſſe. Ratio eſt; quia vox iſta excludit non ſolum naturæ, ſed perſonarum quoque pluralitatem. Auguſtinus lib. 6. de Trinit. c. 7. audiatur: *Quanquam non invenitur, quomodo dici poſſit, aut Pater ſolus, aut Filius ſolus, cum ſemper, atque inſeparabiliter & ille cum Filio ſit, & ille cum Patre: non ut ambo ſint Pater, aut ambo Filius; ſed quia ſemper in invicem, neuter ſolus.* Ulterius, vox, *ſolitarius*, ſignificat ſeparabilitatem; ſcilicet, quod una perſona poſſit eſſe ſine aliis; hoc tamen in divinis nequit eſſe. Concilium Toletanum XI. in fidei profeſſione habet: *Tria ergo iſta unum ſunt, natura ſcilicet, non perſona, nec tamen tres iſtæ perſonæ ſeparabiles æſtimandæ ſunt; cum nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia, vel extitiſſe, vel quidpiam operaſſe aliquando, credatur. Inſeparabiles enim inveniuntur, & in eo quod ſunt, & in eo quod faciunt* III. dicimus, vocem, *ſingularis*, loquendo in divinis, adhiberi non poſſe. Ratio eſt, quia hæc vox ſignificat incommunicabilitatem naturæ; unde hæc propoſitio eſt falſa: Pater eſt Deus ſingularis. S. Thomas 1. p. q. 31. ar. 2. in corp. docet: *Ad vitandum Sabellii errorem, vitare debemus ſingularitatem, ne tollatur communicabilitas eſſentiæ divinæ. Unde Hilarius dicit 7. de Trinit. Patrem, & Filium, ſingularem Deum prædicare, ſacrilegum eſt.* Dicimus IV. vocem, *Unius*, non deberi in divinis admitti. Ratio eſt, quia idem ſignificat *unicus*, ac *ſingularis*; ſed ſingularis in divinis admitti non poteſt: ergo unicus admitti non debet. S. Thomas 1. p. q. 31. ar. 2. docet: *Debemus etiam vitare nomen unici, ne tollatur numerus Perſonarum: Unde Hilarius in eodem libro dicit, quod a Deo excluditur ſingularitas, atque unica intelligentia.* Dicimus V. Voces has, *unitus, conjunctus, quid unitum,* non admitti in divinis. Ratio eſt, quia compoſitionem denotant, quæ omnimodæ ſimplicitati Dei omnino repugnant.

Dices I. Propoſitio iſta: Pater eſt idem cum Filio; vel eſt vera, vel falſa; non vera ſi idem ſumatur in genere maſculino; non falſa, ſi idem ſumatur in genere neutro: ergo neque vera, neque falſa. II. De natura divina dici poteſt, quod ſit individua natura, ſeu natura in particulari: ergo dici poteſt, quod ſit ſingularis. III. Concilium Toletanum XI. in profeſſione fidei, adhibet vocem *ſingulariter*, dicens: *Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus ſingulariter dicitur....Singulariter ergo, ut unaquaque perſona plenus Deus, & tota tres perſonæ unus Deus confitetur, & creditur*: ergo poteſt etiam adhiberi vox ſingularis. IV. Dicimus Filium unicum: ergo dicere quoque poſſumus Deum unicum. V. Propoſitio; Unicus eſt Deus; eſt vera: ergo pariter propoſitio; Deus eſt unicus. VI. Quæ non ſunt diviſa, ſunt unita; Perſonæ divinæ non ſunt diviſæ:

er-

ergo ſunt unitæ.

Reſpondemus ad I. Propoſitionem illam in uno ſenſu eſſe veram, in uno ſenſu eſſe falſam; unde nulla ſequitur repugnantia. Verum aſſerit Cacheranus, eſſe propoſitionem ambiguam, ac ſuſpectam; & ad tollendam ambiguitatem, & ſuſpicionem, debere addi aliquid, quod determinet To *idem* ad genus neutrum; dicendo ex. gr. Pater eſt idem, quod Filius; non vero eſt idem, qui Filius; ſicuti bene dicitur, Pater eſt id, quod Filius; non vero eſt is, qui Filius &c. Ad II. dicitur, quod natura divina eſt individua natura communicabilis, ac proinde non eſt ſingularis. Natura individua incommunicabilis hæc quidem eſt particularis, & ſingularis; & de hac procedit argumentum, quod Cacheranus nobis opponit. Ad III. dicitur, quod Concilium uſurpat vocem illam *ſingulariter*, quatenus opponit eam multiplicitati naturæ, vox vero *ſingularis* opponitur naturæ communicabilitati. Unde recte dicitur; tres Perſonæ ſunt ſingulariter Deus; hoc eſt ſunt unus Deus, non plures Dii: Non vero recte dicitur: tres perſonæ ſunt Deus ſingularis; quia eſſet ſenſus, quod unaquæque Perſona eſſet Deus ſingularis; ſcilicet haberet naturam, quam aliæ Perſonæ non haberent. Ad IV. Diſpar eſt ratio; quia cum dicitur unicus Filius, eſt ſenſus, quod non ſint plures Filii: cum vero dicitur unicus Deus, eſt ſenſus, quod una in Deo ſit Perſona. S. Thomas p. 1. q. 31. art. 2. docet: *Dicimus unicum Filium, quia non ſunt plures Filii in divinis; neque tamen dicimus unicum Deum, quia pluribus Divinitas eſt communis*. Ad V. Quando dicimus; unicus eſt Deus; propoſitio eſt vera; quia To *unicus* cadit ſupra naturam; quando vero dicimus; Deus eſt unicus; propoſitio eſt falſa; quia To *unicus* cadit ſupra perſonam. Ad VI. Perſonæ divinæ reſpectu naturæ divinæ nec ſunt diviſæ, nec ſunt unitæ, ſed ſunt identificatæ; ubi autem eſt identitas, neque eſt diviſio, neque unio.

Explicantes modo nomina omnia, quæ in divinis de ſe invicem prædicari, aut poſſunt, aut non poſſunt; diſtinguimus nomina abſoluta, & relativa. Abſolutis nominibus ſignificantur eſſentia divina, & attributa; relativis denotantur perſonæ, & notiones. Diſtinguimus pariter abſtracta, & concreta; prima exprimunt formam ſine ſubjecto; ut deitas, ſapientia, paternitas, filiatio &c. Altera ſunt, quæ exprimunt formam, & ſubjectum, ſeu ſubjectum habens formam; ut Deus, Pater, Filius &c. Diſtinguimus tandem concreta in adjectiva, & ſubſtantiva; illa ſunt ſapiens, juſtus, bonus &c. Hæc vero Deus, Dominus &c. His adnotatis, de horum nominum prædicatione modo quærimus.

Dicimus I. nomina abſoluta abſtracta non prædicari de Perſonis in plurali, ſed in ſingulari. Sicque valet hæc propoſitio: Tres Perſonæ ſunt deitas, immenſitas, omnipotentia &c. Non valet autem hæc altera: Tres Perſonæ ſunt deitates, immenſitates, omnipotentiæ &c. Dicimus II. nomina abſoluta concreta ſubſtantiva prædicari de tribus perſonis in ſingulari, non autem in plurali. Et ita falſa eſt propoſitio: Tres Perſonæ ſunt tres Dii; vera tamen hæc: Tres Perſonæ ſunt unus Deus. Auguſtinus lib. 1. de Trin. c. 4. docet: *Omnes, quos legere potui, qui ante me ſcripſerunt de Trinitate, quæ eſt Deus, divinorum librorum veterum, & novorum catholici tractatores hoc intenderunt ſecundum Scripturas docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unius, ejuſdemque ſubſtantiæ, inſeparabili æquitate divinam inſinuent unitatem: Ideoque non ſunt tres Dii, ſed unus Deus*. Dicimus III. nomina abſoluta concreta adjectiva prædicari de divinis Perſonis in plurali. Unde dicimus: Totæ tres Perſonæ coæternæ ſunt, & coæquales. Dicimus IV. nomina relativa adjectiva in divinis non prædicari de eſſentialibus; ſicque dici non poteſt: eſſentia divina eſt generans, ſpirans, generata, ſpirata, procedens; ut contra Abbatem Joachimum Concilium Lateranenſe IV. c. 2. definivit. Dicimus V. nomina relativa ſubſtantiva in divinis de eſſentialibus prædicari, unde dicimus: Eſſentia eſt tres perſonæ; eſſentia eſt Pater; eſſentia eſt Filius; eſſentia eſt perſonalitas; eſſentia eſt paternitas, eſſentia eſt filiatio, ſpiratio, &c. Et ratio eſt, quia hæc omnia ſunt in divinis realiter idem cum eſſentia, ſive ſint concreta, ſive abſtracta, dummodo ſint relativa, & ſubſtantiva.

Dices I. Vera eſt propoſitio, ſi dicatur: Tres Perſonæ ſunt tres res: ergo nomina ſubſtantiva prædicantur de Perſonis etiam in plurali. Antecedens patet ex Auguſtino lib. 1. de doct. chriſtian. c. 5. docente: *Res, quibus fruendum eſt, ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. II. Eſt vera propoſitio hæc: *tria ſunt alba*; ſi per divinam omnipotentiam una nume-

ro albedo in tribus ſubjectis eſſet; ergo etiam eſt vera hæc in divinis Perſonis: tres ſunt Domini. III. Perſona eſt nomen concretum ſubſtantivum; ſed prædicatur in plurali: ergo &c. Probatur minor. Sicuti eſt vera propoſitio hæc: tres Perſonæ ſunt unus Deus; ita etiam eſt vera hæc alia: unus Deus eſt tres Perſonæ: ergo Perſona prædicatur in plurali. IV. Nomina adjectiva in divinis non prædicantur in plurali, ſed in ſingulari; & probatur ex illo in Athanaſii Symbolo: *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus; immenſus Pater &c., æternus Pater &c. Et tamen non tres immenſi, non tres increati, non tres æterni; ſed unus increatus, unus immenſus, unus æternus*: ergo fallit regula, qua diximus, nomina adjectiva prædicari in plurali, quando de multis ſuppoſitis prædicantur.

Reſpondemus ad I. Nomen hoc *Res* eſſe ſubſtantivum tranſcendens, quod & in abſolutis, & in relativis verificatur; cum hac tamen differentia, quod in plurali prædicatur de relativis, quia relativa ſunt plura; de abſolutis prædicatur in ſingulari, quia abſoluta ſunt unum. Unde propoſitio illa Auguſtini eſt vera, & eſt de ejus mente, ſi res ſumatur ſubſtantialiter, & abſolute; ſecus vero, ſi accipiatur relative eſt vera in plurali, ut diximus nos, non autem in ſingulari. Ad II. diſcrimen eſt inter duas illas propoſitiones, quod in una prædicatur To *alba*, quod eſt adjectivum; in altera prædicatur To *Domini*, quod eſt ſubſtantivum. Ratio eſt, quia ſubſtantiva ſignificant formam, & ſuppoſitum, ut unum; adjectiva vero ſignificant ut duo. Ad III. dicitur, quod Perſona eſt nomen concretum relativum; & nomina relativa, quæ Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ſunt communia, prædicantur in plurali; quia formæ, quæ ſignificantur per illa relativa, vere a parte rei in divinis multiplicantur. Perſonalitates ſunt formæ, quæ ſignificantur per Perſonam; Perſonalitates ſunt plures; unde plures ſunt Perſonæ. Ad IV. dicimus, quod nomina illa immenſus, æternus, increatus &c. ſunt quidem nomina adjectiva, ſed quæ nonnunquam ſubſtantive ſumuntur; prout de facto accipiuntur ab Athanaſio. Unde S. Thomas 1. p. q. 39. ar. 3. *Dicimus enim vel tres ſapientes, & tres æternos, & increatos, & immenſos, ſi adjective ſumantur. Dicimus autem unum increatum, immenſum, & æternum, ut Athanaſius dicit.* Concilium Toletanum XI. pariter in fidei profeſſione dicit: *Item & Pater omnipotens, & Filius omnipotens, & Spiritus Sanctus omnipotens, ſingulariter dicitur; nec tamen tres omnipotentes, ſed unus omnipotens; ſicut & unum lumen, unumque principium prædicatur.* Ulterius in eodem Symbolo eadem nomina adjective ſumuntur; *tota tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Et in Concilio Lateranenſi IV. c. 1. pariter accipiuntur adjective: *Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens; conſubſtantiales, & coæquales, coomnipotentes, & coæterni.*

Videndum quoque ſupereſt, an, & quomodo in divinis relativa prædicentur de eſſentialibus? Et dicimus I. quod nomina relativa, ſi ſint adjectiva, in divinis non prædicantur de eſſentialibus. Ratio eſt, quia aliter hæc nomina, Generans, Spirans, Generata, Spirata, Procedens, prædicari poſſent de eſſentia divina; quia ſunt ſimul nomina relativa, & adjectiva; hoc autem eſt falſum; quod patet ex Concilio Lateranenſi IV. c. 2. definiente contra Abbatem Joachimum, nomina hæc, Generans, Spirans, Generata, Spirata, Procedens, de eſſentia dici, & prædicari non poſſe. Dicimus II. Si autem relativa ſint ſubſtantiva, poſſe in divinis prædicari de eſſentialibus. Ratio eſt, quia relativa hæc ſubſtantiva, ſive concreta, ſive abſtracta, idem ſunt cum eſſentialibus; aliter Deus non eſſet omnino ſimplex; ſi autem ſunt idem, poſſunt de iiſdem prædicari, ut clarum eſt. Veræ ſunt proinde propoſitiones hæ: Eſſentia eſt tres Perſonæ. Eſſentia eſt Pater. Eſſentia eſt Filius. Eſſentia eſt perſonalitas. Eſſentia eſt Paternitas. Eſſentia eſt Filiatio, Spiratio &c.

Dices I. Falſa hæc propoſitio eſt: Pater eſt Trinitas; & tamen, juxta a nobis dicta, deberet eſſe vera; quia Trinitas prædicatur de eſſentia, & per conſequens prædicatur de ſingulis perſonis; quum quod convenit eſſentiæ, tribus perſonis eſt commune. II. In divinis relativa ſunt inferiora reſpectu eſſentialium, quia ſunt minus communia, quam eſſentialia; ſed inferiora non prædicantur de ſuperioribus; non enim homo, qui eſt inferior, prædicatur de animali, quod eſt ſuperius: ergo &c.

Reſpondemus ad I. Verum eſſe, quod prædicatur de eſſentia ſine notionibus accepta, prædicari de ſingulis perſonis; at de eſſentia concepta cum notionibus, eſſe falſum. Quando dicimus: Eſſentia eſt Trinitas; eſſentia ſupponit cum notionibus; quia hæ ſignificantur per nomen Trinitas; falſum

ſum eſt autem, quod hæc propoſitio non ſit vera in hoc ſenſu; quia vere eſſentia cum notionibus, ſcilicet cum Paternitate, Filiatione, & Spiratione paſſiva, eſt Trinitas. Ad II. reſpondet S. Thomas 1. p. q. 39. ar. 6. *Ad ſecundum dicendum, quod cum dicitur, Deus, vel divina eſſentia eſt Pater, eſt prædicatio per identitatem, non autem ſicut inferioris de ſuperiori: quia in divinis non eſt univerſale, & ſingulare: Unde ſicut eſt per ſe iſta: Pater eſt Deus; ita & iſta, Deus eſt Pater, & nullo modo per accidens.*

Denique, quum loquuti fuerimus de prædicatione, remanet, ut de ſuppoſitione loquamur. Et dicimus I. nomina eſſentialia abſtracta non ſupponere pro perſonis. Ratio eſt; quia eſſentia, deitas, ſapientia, bonitas, ſunt nomina eſſentialia abſtracta, quia ſignificant formam ſine ſubjecto; verum hæc nomina non ſupponunt pro perſonis; quia aliter veræ eſſent propoſitiones iſtæ: Eſſentia generat, eſſentia ſpirat; contrarium autem definivit Concilium Lateranenſe IV. c. 2. ubi loquens de eſſentia, ſeu natura divina, dicit; *& illa res non eſt generans, neque genita, neque procedens*. Ulterius; ſi poſſemus dicere: Eſſentia generat, poſſemus quoque dicere: eſſentia eſt genita: ergo eſſentia generaret ſeipſam; quod non eſt dicendum. Dicimus II. Nomina eſſentialia concreta ſupponere pro perſonis. Ratio eſt; quia hoc nomen, Deus, eſt nomen eſſentiale concretum; & ſupponit pro perſona; quum ei tribuatur generatio tum activa, tum paſſiva. Legimus enim in Symbolo: *Deum verum de Deo vero*. Et apud Auguſtinum lib. 15. de Trinit. c. 14. *Verbum ergo Dei Patris unigenitus Dei Filius, per omnia Patri ſimilis, & æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, ſapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia &c.*

Dices I. Apud Patres impugnantes Arianos, & apud illos confutantes Sabellianos, habetur, Filium eſſe de ſubſtantia Patris, & Patrem eſſe fontem totius deitatis: ergo vere ſubſtantia, deitas, quæ ſunt nomina abſtracta, ſupponunt pro perſonis. II. Nomina hæc, res generans, ſupponunt pro perſona, non pro eſſentia, quia eſſentia nec generat, nec generatur; ſed hæc ſunt nomina abſtracta; quia dicunt formam, & non ſubjectum: ergo nomina abſtracta ſupponunt pro perſonis. III. Si dicamus, Deus creat; nomen Deus ſupponit pro eſſentia, non pro perſona; quia creare eſt terminus abſolutus, non relativus: ergo nomina concreta eſſentialia pro perſonis non ſupponunt.

Reſpondemus ad I. Patres, quando dicunt, Filium eſſe de ſubſtantia Patris, non intelligere, ſubſtantiam Patris eſſe principium productivum, ſed tantum accipere pro aliquo, quod ſignificet veluti cauſſam materialem, ſcilicet ad inſtar cauſſæ materialis; quod nimirum Filius ſit ipſamet ſubſtantia Patris, quum ei Pater ſuam ſubſtantiam integre, ac perfecte communicet. Quando vero dicunt; Patrem eſſe principium totius deitatis, ſumere nomen Deitatis pro eſſentia; non tamen quod per hoc intelligant, deitatem a Patre generari, vel ſpirari, ſed quod deitas a Patre communicetur tanquam a principio primo, quod a nullo alio recipiat ſuum eſſe. Ad II. dicitur, nomina illa, res generans, dicere eſſentiam non ſimpliciter, & in ſe ſumptam, ſed reduplicative, prout ſcilicet eſt idem cum Perſona Patris. Ad III. dicimus, quod nomina concreta per ſe, & in ſe conſiderata ſignificant perſonas; per accidens vero ſignificant eſſentiam, quando ſcilicet aliquid additur, quod determinet illa nomina ad ſignificandam eſſentiam.

Regulas quaſdam affert denique Cacheranus, quas dicit generales, circa modum in myſterio Trinitatis loquendi; & alias exponit Jueninus, quem uſquemodo fere tranſcripſimus, ad cognoſcendum, quando nomen hoc, Deus, ſupponat pro perſona, & quando pro eſſentia. Primas Regulas primo afferimus; ſed indicamus ſolum, non autem probare proſequimur; quia apud Cacheranum citatum qui vult probatas inveniet.

I. Regula eſt: In myſterio Trinitatis, loquendo de Perſonarum diſtinctione, utendum eſt propoſitionibus, & vocibus, quæ non ſapiant eſſentiæ diverſitatem. II. In myſterio Trinitatis, loquendo de unitate eſſentiæ, utendum eſt propoſitionibus, & vocibus, quæ non ſapiant confuſionem, & indiſtinctionem Perſonarum. III. In myſterio Trinitatis circa nomina adjectiva duo ſunt obſervanda; primum, quod ſequuntur exigentiam nominis ſubſtantivi, cui adjunguntur; ſecundum, quod faciunt ſenſum formalem, non identicum. IV. In myſterio Trinitatis circa nomina ſubſtantiva hæc non multiplicantur ſine multiplicatione formarum; unde non poſſunt magis multiplicari nomina ſubſtantiva concreta, quam multiplicentur nomina abſtracta. V. In myſterio Trinitatis nomina eſſentialia ſumpta in concre-

ro ſupponere poſsunt pro perſonis, quoties determinantur a prædicato ad talem ſoppoſitionem. VI. In myſterio Trinitatis non debemus laborare in reddenda ratione vocabuli, vel loquutionis, ſed artendendus eſt in pluribus uſus Sapientum, qui juxta temporum, nationum, aliarunque circumſtantiarum varietatem varius eſse poteſt. Hæ ſunt Regulæ, quas a Cacherano ad verbum ſcripſimus. Quæ ſequuntur ſunt a Juenino excerptæ.

I. Regula eſt. Quando nomini Deus nihil adjungitur, quod vel ampliet, vel reſtringat, ejus ſignificationem, ſupponit pro natura divina, ut eſt eadem in tribus Perſonis; unde æque principaliter, & primo ſupponit pro perſona, ac pro natura. Patet in hac propoſitione: *Soli Deo honor, & gloria*. II. Quando nomini, Deus, tribuitur actus eſsentialis, qui convenir perſonis ratione eſsentiæ; runc ſupponir principaliter pro eſſentia, & ſecundario pro perſonis: ur Deus creat. III. Quando eidem nomini tribuitur actus eſſentialis, qui convenit eſſentiæ, prout ipſa diſtinguitur a perſonis; tunc ſupponir tantum pro eſſentia: ut Deus eſt communis tribus Perſonis: Deus eſt Trinus: Deus eſt Trinitas &c. IV. Quando eidem nomini tribuitur actus notionalis; tunc ſupponir pro Perſona: ut Deus generar Deum; ſubjectum ſupponit pro Patre, & prædicatum pro Filio: Deus ſpirat Deum; ſubjectum ſupponit pro Parre, & Filio; prædicarum pro ſolo Spiritu Sancto. Has omnes Regulas faretur Jueninus a Sylvio accepiſſe; ſicuti nus non diffitemur ab ipſomet Juenino tranſcripſiſſe.

DISSERTATIO CXII.

De Proceſſionibus in divinis Perſonis; de Erroribus contra eaſdem, illorumque Auctoribus; & de Scholaſticorum ſententiis circa illas.

AD inſtar actionum, quæ ſunt in creatis, concipimus quoque illas, quæ ſunt in divinis; etſi has ex omni imperfectionum labe depuratas concipere nitamur. Actiones iſtæ in creatis proprie dicuntur emanationes, in divinis vocantur Proceſſiones; quauvis aliquando proceſſionis nomen etiam in creatis, ſicut illud emanarionis in divinis, ſed improprie quidem, uſurpentur. Igitur in creatis proceſſio idem ſonat, ac origo, ſeu emanatio unius ab alio, tanquam a principio, vel a cauſſa. Duplex proinde ſtatuitur emanatio, & per conſequens etiam proceſſio; immanens nimirum, & tranſiens. Hæc ultima eſt, cujus terminus eſt extra ſuum principium, vel cauſſam, a qua producitur; ut ſunt actiones ad extra. Prima vero eſt, cujus terminus eſt intra principium, vel cauſſam ſuam, ut ſunt actiones ad intra. Hæc quidem in creatis; at in divinis proprie proceſſio ſignificat veram, & realem emanationem unius perſonæ ab alia, quæ extra Deum non exeat, ſed intra entitatem divinæ ſubſtantiæ maneat; & veluti in ſinu perſonæ producentis æternum ſubſiſtat; ut ex illo Joannis 1. 18. *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris*; explicat Fraſſen. Hic idem ulrerius obſervat, quod quanvis Teologi ad explicandum myſterium unius perſonæ procedentis ab alia utantur nominibus productionis, proceſſionis, & originis, ſeu emanationis; attamen ſic in rigore accipiuntur hæc nomina, ur productio ſignificet actionem unius perſonæ producentis aliam; alia vero nomina exprimanr exitum, ſeu emanationem unius perſonæ ab alia. Diſtinguunt proinde duplicem proceſſionem, activam ſcilicet, & paſſivam. Activa eſt ipſa actio perſonæ producentis; paſſiva eſt emanatio perſonæ productæ. Denique advertitur, quod quanvis proceſſio tribuatur ex Eccleſiæ uſu emanationi Spiritus Sancti; unde dicitur in Symbolo Athanaſiano; *non genitus, ſed procedens*: Apud Theologus ramen uſurpatur proceſſio ad ſignificandam originem, & emanationem utriuſque divinæ perſonæ, Filii ſcilicer a Patre, & Spiritus Sancti a Patre, & Filio. Eriam Proceſſio immanens, vel eſt proceſſio unius ab alio tanquam a cauſſa, vel tanquam a mero principio. Illa importat receptionem eſſe in termino cum dependentia a principio, a quo orirur; hæc vero dicir quidem receptionem eſſe, ſed ſine dependentia. His adnotatis.

Con-

Contra divinas Proceſſiones error fuit aliquorum, qui dicebant, divinam eſſentiam ex ſe determinari ad tres Perſonas ſicut ad primam ſine ulla productione. Hi fuerunt dicti Autotheani, qui aſſerebant, omnes divinas Perſonas a ſe ipſis eſſe, & non ab aliis. Refert Fraſſen trac. 3. diſp. 1. ar. 2. q. 1. Cacheranus trac. 2. libr. 1. c. 1. §. 4., qui §. 1. teſtem adducit Genebrardum in præſatione librorum de Trinitate, aſſerentem Hæreticos hoſce, declinantes ab Arianis in extremum oppoſitum, dixiſſe, perſonam Filii, & perſonam Spiritus Sancti, eſſe a ſe æque, ac perſonam Patris. Subdit quoque Cacheranus dicto §. 4. catholicam veritatem errori huic oppoſitam conſtare non ſolum certitudine fidei, ſed etiam evidentia ſcientiæ. Contra hunc errorem.

Dicimus, de Fide conſtare, in divinis eſſe reales Proceſſiones ad intra, ſecundum quas Filius procedit, & producitur a Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque.

I. probatur ex Scripturis. Joan. 7. 29. *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum*. Joan. 8. 42. *Ego ex Deo proceſſi*. Sunt pariter alia novi teſtamenti teſtimonia, quæ aſſerunt, Filium accepiſſe a Patre vitam, poteſtatem, auctoritatem &c. Joan. 5. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*. Joan. 17. 2. *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis*. Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo.* Hæc autem perfectiones omnes divinas divina eſſentia realiter continet; unde ſi Pater dedit Filio omnes haſce perfectiones, dedit quoque eſſentiam. Hæc dicta ſunt de Filio, ſequentia de Spiritu Sancto dicuntur. Joan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*. Et cap. 16. 14. *Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Item ex veteri teſtamento Pſal. 2. 7. *Ego hodie genui te*. Eccleſ. 24. 5. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*; ſenſus eſt de Patris intellectu; *primogenita ante omnem creaturam*.

II. probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Symbolo fidei habet: *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non factus*; hæc de Filio; de Spiritu Sancto quoque: *Qui ex Patre procedit*: Concilium Conſtantinopolitanum I. *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, & ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum*. Concilium Lateranenſe III., & refertur in cap. *firmiter, de ſumma Trinitate, & fide catholica*. Concilium Florentinum generale in literis unionis. Concilium Toletanum XI. celebratum ann. 675. in fidei expoſitione. *Confitemur, & credimus ſanctam, atque ineffabilem Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unum Deum naturaliter eſſe, . . . Et Patrem quidem non genitum, non creatum, ſed ingenitum profitemur: ipſe enim a nullo originem ducit, ex quo & Filius nativitatem, & Spiritus Sanctus proceſſionem accepit*.

III. probatur ex Patribus. Ambroſius ad verba Joannis 1. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*; hæc ſcribit lib. 4. de fide c. 5. *Quis non advertat, ad unitatem vitæ, quod eadem Patris, & Filii vita ſit, eſſe referendum?* S. Hilarius lib. de Synodis ad can. 4. Orientalium: *Quod in utroque vita eſt, in utroque ſignificatur eſſentia . . . Non enim aliud habet quod dedit, & ſicut vitam habet, ita habendam dedit vitam*. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 26. *Sicut Filio præſtat eſſentiam, ſine initio temporis, ſine ulla mutabilitate naturæ de Patre generatio; ita Spiritui Sancto præſtat eſſentiam, ſine initio temporis, ſine ulla mutabilitate naturæ de utroque proceſſio*. Nazianzenus orat. 35. proponens ſibi hanc quæſtionem: *Quomodo igitur non ſunt* (Filius, & Spiritus Sanctus) *ſimul cum Patre principii expertes, ſiquidem æterni ſunt?* Ita ſibimetipſi reſpondet: *Quia inde procedunt, etſi non poſt illum ſunt*; & reſponſionis rationem reddens, ſubdit: *Equidem quod principio caret, etiam æternum eſt: quod autem æternum eſt, non protinus omni caret principio, quandiu ad Patrem, velut ad principium, refertur. Ergo illi, quantum ad cauſam, non carent principio*. Athanaſius orat. cont. Sabellii gregales, Patrem, ait, jure merito dici ſolum Deum, *quod ſolus ingenitus ſit, & ſolus fons Deitatis*. Auctor libri de Trinitate, qui reperitur inter opera Tertulliani, & qui Auctor creditur Novatianus, c. 31. *Quidquid eſt Filius, non ex ſe eſt, quia nec innatus eſt, ſed ex Patre eſt, quia genitus eſt; ſive dum Verbum eſt, ſive dum virtus eſt, ſive dum ſapientia eſt, ſive dum lux eſt, ſive dum Filius eſt, & quidquid horum eſt, non aliunde eſt, quam ex Patre, Patri ſuo originem ſuam debens*. Fulgentius ad quintam objectionem Arianorum: *Duo quippe ingeniti non poſſunt unam habere naturam, ubi nec unus in uno veram ex ſe generationem invenit; nec unus ex uno vere in ſe ſubſtantiam nativitatis cognoſcit*. Cyrillus lib. 2. theſaur. c. 1. *Divina ſubſtantia ineffabili quadam, ſupremaque*

natu-

natura conſtituta, Filium ex Patris hypoſt.ſi genuit: Non enim poteſt eſſe perfecta Deitas, niſi Filium habeat, & filium ex ſe pariat.

IV. probatur Rationibus. I. Nequit eſſe realis diſtinctio inter divinas Perſonas ſine reali productione, & proceſſione unius perſonæ ab alia; ſed de fide habemus realem diſtinctionem inter divinas Perſonas: ergo etiam de fide habemus productionem, & proceſſionem unius perſonæ ab alia. Probatur major. Sine proceſſione non eſt oppoſitio; ſine oppoſitione non eſt diſtinctio: ergo ſine proceſſione non eſt diſtinctio. Hoc totum patet; quia natura divina, quum ſit infinita, omnia ſibi identificat, cum quibus oppoſitionem non habet. Eſſentia autem divina non poteſt habere oppoſitionem, niſi propter relationes oppoſitas; quia omnia in divinis ſunt idem, ubi non obſtat oppoſitio relativa. Omnis autem relatio in divinis eſt propter proceſſionem; quia omnis relatio eſt vel propter menſuram, quæ in ente infinito non habet locum; vel propter unitatem, quæ nec pariter habet locum in natura divina, quæ omnem naturæ diſtinctionem excludit; vel propter productionem, quæ ſola in Deo reperitur. II. Nequit in divinis admitti conſubſtantialitas naturæ, & diſtinctio perſonarum, niſi admittantur reales proceſſiones; ſed illæ admittuntur: ergo & iſtæ. Probatur major. Quia ſine realibus proceſſionibus perſonæ aut eſſent improductæ, aut productæ a principio extrinſeco, & in eſſentia diverſo; ſi primum; non eſſet major ratio, cur perſonæ non eſſent infinitæ, quum omnes a ſe eſſent; quod Adverſarii non dicunt: Si ſecundum: ergo non haberent eandem naturam: ergo non eſſet in ipſis conſubſtantialitas naturæ. III. In Deo eſt intellectus habens objectum actu intelligibile ſibi præſens, & proportionatum, ſcilicet eſſentiam divinam: ergo producet terminum ſibi adæquatum, ſcilicet notitiam genitam infinitam; atqui nullum infinitum poteſt in alio exiſtere: ergo notitia illa genita, quum ſit infinita, erit per ſe ſubſiſtens; ſed præter Deum, & extra ipſum, nihil eſt per ſe ſubſiſtens infinitum: ergo notitia illa genita infinita, & per ſe ſubſiſtens, & Deus. Idem argumentum efformari poteſt de Voluntate Dei reſpectu Spiritus Sancti.

Arguunt I. Ens a ſe nequit ab alio originem habere; ſed quælibet divina Perſona eſt ens a ſe: ergo nequit habere originem ab alio. II. Quod ab alio procedit debet habere naturam ſpecie eandem, ſed numero diverſam; ſed perſonæ divinæ habent unam naturam ſpecie, & numero: ergo una ab alia non procedit. III. Proceſſio importat prius, & poſterius; principium enim prius eſt termino, qui ab ipſo procedit; ſed in divinis non dantur prius, & poſterius: ergo in divinis non dantur proceſſiones. IV. Perſonæ divinæ nequeunt habere eſſe receptum, quia hoc eſſe dicit imperfectionem; at ſi una perſona procederet ab alia perſona procedens haberet eſſe receptum: ergo &c. V. Quælibet perſona divina eſt ex ſe ens neceſſarium; ſed nullum ens productum eſt ens neceſſarium: ergo nulla perſona divina eſt producta. Minor probatur. Nullum ens neceſſarium indiget alio, ut ſit; ſed quodlibet ens productum indiget alio, ut ſit: ergo nullum ens productum eſt ens neceſſarium. VI. Multæ ſunt imperfectiones, quæ comitantur generationem; atqui nullæ in divinis eſſe poſſunt imperfectiones: ergo nulla in divinis eſt generatio. VII. S. Epiphanius hæreſ. 69. vocat Filium Autotheon, quod Hæretici Autotheam interpretantur, a ſeipſo eſſentiam habere. VIII. Auguſtinus in pſal. 109., & Cyrillus lib. 7. de Trinit. docent, *Patrem, & Filium eſſe unum principium*: ergo ſicut Pater principio caret, ita & Filius; & per conſequens Filius non eſt a Patre, ſed a ſeipſo.

Reſpondemus ad I. diſtinguendo majorem: Ens a ſe non poteſt habere originem ab alio, ut principio diverſæ naturæ, vel ut cauſa extrinſeca, concedimus, ut a principio ejuſdem naturæ, excludente omnem dependentiam, cauſalitatem, & contingentiam, negamus. Igitur ens a ſe, ut ait Fraſſen, poteſt dupliciter intelligi; vel ut excludit principium extraneum, & alterius naturæ; & ita omnes divinæ perſonæ ſunt a ſe: Vel ut excludit reale principium, quod ſit ejuſdem naturæ; & ita ſolus Pater eſt a ſe.

Ad II. diſtinguimus pariter majorem: Si proceſſio eſt finita, corporea, & materialis, conceditur diverſitas naturæ; negatur vero, ſi proceſſio eſt infinita, intellectualis, & ſpiritualis. Ratio eſt, quia infinitas omnia ſibi identificat, quæ non dicunt oppoſitionem; quum autem nulla ſit oppoſitio inter naturam, quæ eſt in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto; hinc eſt, quod quanvis Filius procedat a Patre, & Spiritus Sanctus a Patre, & Filio, non per hoc habere debent naturas numero diſtinctas.

Ad

Ad III. quoque diſtinguimus majorem: Proceſſio importat prius, & poſterius, vel temporis, vel originis, concedimus; temporis tantum, negamus. In divinis habet tantum locum prioritas originis, quæ ſufficit ad ſalvandas proceſſiones;non autem eſt neceſſaria prioritas temporis, quæ nequit habere locum in illis Perſonis, quæ æternæ ſunt; ut ait Nazianzenus: *Quod autem æternum eſt, protinus omni caret principio.*

Ad IV.concedimus majorem propoſitionem in creatis, in divinis vero negamus. Ratio eſt, quia in creatis non datur id, quod eſt idem numero cum dante, ſed datur quid ſimile. Sic homo generat hominem, & dat illi naturam ſuam,ſed non eandem numero, bene vero ſimilem. In divinis vero eadem omnino numero eſt natura, quam Pater communicat Filio, & Pater, & Filius Spiritui Sancto. Et hinc eſt, quod in creatis recipere dicit imperfectionem, quia dicit dependentiam; in divinis vero non dicit, quum idem non poſſit a ſeipſo dependere; ſcilicet eadem natura, quæ eſt in tribus perſonis.

Ad V. diſtinguimus minorem primi argumenti: Nullum ens contingenter productum eſt ens neceſſarium, concedimus; nullum ens neceſſario productum eſt ens neceſſarium, negamus. Divinæ perſonæ ſunt entia neceſſaria, & quæ neceſſario producuntur. Eadem diſtinctio adhiberi poteſt in majori, & minori propoſitione, quibus præfata minor probatur.

Ad VI. dicitur, quod in divinis non ſunt imperfectiones generationis, eſt tamen generatio; quia eſt productio, quæ connotat rem productam. Hæc autem res producta tunc in divinis implicaret, quando in ſui productione tranſiret de non eſſe ad eſſe; at non eſt ita, quia in divinis res producta accipit idem omnino eſſe, quod habet principium producens. Unde in hac generatione non eſt mutatio, quanvis ſit productio.

Ad VII. Epiphanius explicatur aſſerendo, quod verbis illis intelligat, Dei Filium eſſe vere, & proprie Deum, non vero ſuppoſititium, & fictitium; nec divinitatem quaſi alienam, & indebitam habere, ſed propriam, & ſibi debitam, non minus, quam Patri, qui eam communicavit. *Auto* enim nil aliud importat, quam proprie, & per ſe; ut ex Platone, & Ariſtotele, notat Genebrardus lib. 1. de Trinit., & obſervat Ruiz, & refert Fraſſen.

Ad VIII. Patres aliquando appellare Filium nomine principii,ſed comparative, & reſpective ad Spiritum Sanctum, aut ad creaturas; unde reſpectu Spiritus Sancti ſunt revera Pater, & Filius unicum principium; ita etiam reſpectu creaturarum ad extra.

Certum eſt autem, in divinis non dari proceſſionem unius perſonæ ab alia tanquam a cauſſa, ſed tanquam a principio. Et ratio eſt, quia repugnat Deo proceſſio unius perſonæ ab alia tanquam a cauſſa; & adeo repugnat, quod ipſam deſtruit divinitatem. Et hoc probatur. Procedere ab alio tanquam a cauſſa importat eſſentialiter dependentiam, quam ſcilicet neceſſario habere debet effectus a ſua cauſſa; ſed Deus eſt eſſentialiter independens, quum eſſentialiter ſit a ſe: ergo proceſſio unius perſonæ ab alia tanquam a cauſsa adeo Deo repugnat, quod ipſam deſtruit divinitatem. Et in hoc re vera conveniunt tum Græci, tum Latini; quanvis in loquendi modo diſconvenire videantur. Græci enim pro cauſsa intelligunt principium, quando dicunt, unam perſonam ab alia procedere tanquam a cauſsa; quia ſumunt cauſsam improprie, quatenus ſcilicet eſt ſimplex communicatio eſse; præſcindendo deinde, an per communicationem illam dependeat terminus a principio, aut non dependeat. Et quod Græci, quando aſserunt, unam perſonam dependere ab alia tanquam a cauſsa, non intelligant cauſsam proprie, ſed improprie, ſumptam, evidenter habemus ex eo quia iidem Græci fatentur, Verbum eſse verum, & ſubſtantialiter Deum; ergo fatentur pariter, Verbum non eſse terminum, qui dependeat a ſuo principio, ſcilicet Patre, tanquam effectus a cauſsa. Illo autem loquendi modo utebantur, ut clarius perſonarum diſtinctionem contra Sabellianos,aliosque Hæreticos,demonſtrarent. Sic igitur, & non aliter, intelligendi ſunt Patres Græci, quando unam perſonam in divinis aſserunt alterius eſse cauſsam. Ita Juſtinus in Dialogo cum Tryphone docet, Deum Patrem eſse Filio *cauſſam cur ſit*. Conſtantinus magnus in orat. ad Sanctorum cœtum apud Euſebium hæc habes: *Pater quidem Filii cauſa eſt, Filius vero eſt cauſatum*. Baſilius lib. 1. contra Eunomium: *Nos autem ſecundum cauſarum habitudinem ad ea, quæ ex illis oriuntur, Patrem collocari ante Filium aſſerimus*. Idem in eodem libro: *Vox ipſa Patris quid aliud ſignificat, niſi hoc, quod cauſa eſt, & principium ejus, qui ex ipſo genitus eſt*. Nazian-

zenus

zenus orat. 29. *Deus quidem, hoc eſt Pater, eſt Deus ; ſiquidem Filius, & Spiritus Sanctus ad unam cauſam referuntur* . Et hæc profecto apud omnes Theologos ſunt inconcuſſa .

De divinarum Proceſſionum numero in præſenti agendum eſt, ac de earundem diſtinctione . Et quidem recolentes quæ Diſsertationis hujuſce in exordio diximus, Proceſſiones eſse vel activas, vel paſſivas ; modo ſubdimus, has omnes Proceſſiones quatuor modis poſse inter se comparari . Primo modo comparantur proceſſiones activæ inter se, ut generatio, & ſpiratio ; ſecundo proceſſiones paſſivæ inter se, ut generari, & ſpirari; tertio activa comparatur cum paſſiva ſibi reſpondente, ut generare cum generari; quatto activa comparatur cum paſſiva ſibi diſparata, ut generare cum ſpirari. Venientes modo ad diſtinctionem earundem Proceſſionum; dicimus, Proceſſiones paſſivas realiter inter se diſtingui ; quia aliter Perſonæ divinæ realiter inter se non diſtinguerentur . Ulterius dicimus, ſpirationem activam realiter diſtingui a paſſiva ſibi reſpondente ; quia aliter perſona producta non diſtingueretur realiter a producente . Adhuc ſubdimus, quod num proceſſio activa diſtinguatur a paſſiva ſibi diſparata, dependet a deciſione quæſtionis illius inter Scholaſticos ; Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, an ab eo realiter diſtingueretur ; circa quam in ſequentibus noſtram mentem aperiemus . Demum remanet modo examinare, quomodo Proceſſiones activæ inter se invicem diſtinguantur.

Cohærenter ad hæc, quæ diximus, videre debemus primo, an Proceſſiones in divinis paſſivæ ſint duæ tantum, & an poſſint eſse plures ? Secundu, quot ſint in divinis Proceſſiones activæ, & quomodo inter se diſtinguantur ? Tertio, quid revera, & proprie ſint divinæ Proceſſiones? Pro primo quæſito refert Fraſsen errorem Raymundi Lullii, qui, Eymerico teſte, aſserebat, vel unicam in Deo dari Proceſſionem, vel plures, & pene innumeras. Unicam aſserebat, quando dicebat intra Deum unum eſse tantum *bonificandi* actum, hoc eſt cummunicandi bonitatem, & eſsentiam divinam ; ſubdens, quia ſi eſsent plures actus, quilibet ipſorum eſset finitus, & limitatus, atque adeo incompetens, & repugnans Deo, qui eſt omnimode infinitus. Plures etiam admittebat, quia lib. 1. ſent. q. 2. hæc ſcribebat: *In divinis eſſentia non eſt otioſa, ſed eſſentiat ; & natura naturificat, bonitas bonificat, & infinitas infinitificat, & æternitas æternificat* . Et quidem verbis hiſce intellexit, varias eſse eſsentiæ, & attributorum operationes, quemadmodum ſunt intellectus, & voluntatis intelligere, & amare . Quod ipſemet expreſſit his aliis, quæ ſubjunxit, verbis : *Sicut Deus naturale habet intelligere, & amare intrinſece ; ita intrinſece habet naturale bonificare, æternificare, poſſificare, & virtuificare* . Pro ſecundo vero quæſito Scholaſtici diſtinctionem illam admittunt, quam quique juxta propria principia propugnat ; formalem nimirum ex natura rei Scotiſtæ; virtualem Thomiſtæ, vel rationis ratiocinatæ ; ex parte actus Neuterici, vel Nominales ; ut alibi nos etiam explicavimus, quando nimirum de Attributorum diſtinctione agebamus . Pro tertio tandem varias quoque Schulaſticorum opiniones afferemus, & ex illis ſeligemus, quæ magis videbitur fidei, & rationi, conſentanea .

Dicimus I. Duas eſse tantum in divinis Proceſſiones paſſivas, & nun poſse eſse plures .

I. probatur . Perſonæ productæ in divinis duæ ſunt tantum : ergo pariter duæ ſunt tantum proceſsiones paſsivæ. Antecedens patet ; quia, quum Pater, ex communi Patrum traditione, ſit fons, & origo totius deitatis, nequit ab alia perſona generari, aut produci; remanet ergo, quod ſoli Filius, & Spiritus Sanctus producantur . Conſequentia ſequitur ; quia quot ſunt termini producti, tot debent eſse productiones, quæ ſunt proceſsiones paſsivæ. II. Ex Scripturis, Conciliis, & Patribus, Filius dicitur unigenitus : ergo unica eſt generatio, & unius termini eſt generatiu; atqui eodem modu dicendum eſt de Spiritu Sancto : ergo &c. III. Si in Divinis poſsunt eſse plures productiones ejuſdem rationis, poterunt etiam eſse infinitæ; immo infinitæ neceſsario erunt, quia in ente neceſsario idem eſt eſse, & poſse; hoc nemo dixit, nec dicet unquam: ergo proceſsiones paſsivæ in divinis ita ſunt duæ, ut plures eſse non poſsint . Sequela probatur ex S. Auguſtino lib. 3. cont. Maximinum c. 12. *Immoderata eſſet divina generatio, ſi genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia & ipſe nepos niſi Avo ſuo pronepotem gigneret, ſecundum veſtram mirabilem ſapientiam impotens diceretur . . . . . Nec impleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero gigneretur, nec etiam ullus perfice-*

fice-

Digitized by Google

ſecret eam, ſi non ſufficeret omnipotens unus. IV. Potentia generativa divina generans Filium habet actum ſibi adæquatum: ergo non poteſt alium habere. Antecedens probatur. Filius eſt terminus infinitus, ſicut eſt intellectus, qui ipſum generat: ergo habet actum ſibi adæquatum. Conſequentia ſequitur; quia quævis potentia, quæ habet actum adæquatum, dum illum habet, non poteſt alium habere.

Dicimus II. Duas quoque tantum in divinis eſſe proceſſiones activas.

I. probatur. Duo ſunt in divinis actus immanentes: ergo duæ tantum ſunt proceſſiones activæ. Conſequentia ſequitur; quia actus illi immanentes in divinis dicuntur proceſſiones, ut diximus. Antecedens probatur. Sunt enim intelligere, & velle; ſed hi duo tantum ſunt actus: ergo &c. Et quidem alii actus omnes ſunt tranſeuntes; ut ſunt creare, conſervare, deſtruere, punire &c. II. Duo tantum in divinis ſunt termini producti: ergo duæ tantum ſunt proceſſiones activæ. Antecedens negari non poteſt; quia Filius, & Spiritus Sanctus tantum, ſunt in divinis termini producti. Conſequentia probatur. Si eſſent proceſſiones plures, quam duæ, quum duo ſint termini, altera ex illis proceſſionibus eſſet abſque termino; quod non eſt dicendum. III. Intellectus divinus producens Filium vel explet totam ſuam virtutem, vel non explet; ſi explet, unicum tantum poteſt habere Filium; ſi non explet: ergo Filius non adæquat totam ſuam virtutem. De diſtinctione autem nihil hic innovamus, vel reperimus, præter ea, quæ diximus de Attributis; illa enim omnia hic etiam poſſunt pari ratione applicari.

Dicimus III. Proceſſiones in divinis eſſe proprie actiones vitales, non ſimplices emanationes; non eſſe dictionem, vel ſpirationem activam, prout diſtinctas ab actibus eſſentialibus intelligendi, & volendi in Deo; ſed eſse actiones, quæ habent divinam eſsentiam pro principio quo mediato, & remoto; habent intellectum, & voluntatem pro principio quo immediato, & proximo; & eſſe per conſequens intellectionem, & volitionem, non eſsentiales pure, & ſecundum ſe conſideratas; nec addere ſupra intellectionem, & volitionem eſsentiales aliquid ſpectans ad lineam intelligendi, & volendi; ſed addere ſolam relationem propriam perſonæ producentis; ſeu eſſe ipſaſmet intellectionem & volitionem eſſentiales, ut affectas ſpeciali relatione perſonæ producentis. Plures habet partes Concluſio; & pro ſingulis explicatur, & ſuadetur.

Pro prima Concluſionis parte, in Ariſtotecorum ſyſtemate ſupponuntur accidentia quædam, quæ dicuntur emanare, reſultare, effluere, ex ſubjectis; ſicut ajunt eſſe relationes, quæ non producuntur per veram actionem, ſed per ſimplicem emanationem effluunt. Et hoc pacto eſſe Proceſſiones in divinis, ſecluſis tamen imperfectionibus omnibus, docent Suarez, & Thomiſtæ quidam; ſi fides ſit adhibenda Fraſſen, cujus teſtimonio utimur. Ipſemet Fraſſen Concluſionem ſic probat: Alio modo eſſentia divina determinatur ad Patrem, ac ad Filium, & Spiritum Sanctum; ſed ad Patrem determinatur per ſimplicem reſultantiam: ergo ad Filium, & Spiritum Sanctum non per ſimplicem reſultantiam, ſed per vitalem actionem, determinatur. Majorem ſupponit certam; quia eſſentia divina determinatur ad Filium, & ad Spiritum Sanctum, quatenus dicuntur produci; ſed Pater a nullo producitur: ergo alio modo &c. Minorem quoque dicit eſſe evidentem; quia ratio formalis conſtitutiva primi ſuppoſiti non producitur ab aliquo, ſed effluit ex natura divina quaſi proprietas ex eſſentia. Subdit ulterius, quod ſimplex reſultantia, emanatio &c. eſt a natura divina immediate, ſi igitur proceſſiones eſſent reſultantiæ, emanationes &c. eſſent pariter a natura divina immediate; quod mox impugnabimus contra Durandum. Denique concludit, quod perſona ſubſiſtens debet produci per veram actionem; ſed proceſſiones in divinis producunt perſonas ſubſiſtentes; ergo ſunt veræ actiones.

Pro ſecunda parte Concluſionis ſumus contra Scotum, qui in 1. diſt. 2. q. 7. §. ad ſecundum dubium; & quodlibet. 14. §. hic intelligendum, diſtinguit, tanquam duos actus intellectus, intelligere, & dicere; & tanquam duos actus voluntatis, amare ſimpliciter, & amare productivum. Subdit, proceſſiones eſſe dicere, & amare productivum, qui ſunt actus notionales, & eſſe diverſos ab actibus eſſentialibus, qui ſunt intelligere, & amare ſimpliciter. Dicit etiam Cacheranus, eſſe concluſionem contra Henricum quolib. 6. q. 1., & in ſumma q. 54., & contra Valentiam 1. p. diſp. 2. q. 1. punct. 3., ſed ob alios dicendi, & explicandi modos, apud ipſum videndos. Ratio autem, quæ a Cacherano affertur, hæc eſt: Actus intellectus, & voluntatis, diverſi in linea intelligendi, &

volendi, ab intellectione, & volitione eſſentiali, in divinis non dantur; & probatur ex Angelico 1. p. q. 27. ar. 5. ad 3. *Deus uno ſimplici actu omnia intelligit, & ſimiliter omnia vult*. Item de potentia q. 9. ar. 9. in c. *Non eſt in Deo niſi unum ſimplex intelligere, & unum ſimplex velle; quia intelligendo eſſentiam ſuam intelligit omnia, & volendo bonitatem ſuam vult omnia, quæ vult*. Et probatur pariter ratione; quia non datur in Deo intellectus diverſus, & voluntas diverſa, ab intellectu, & voluntate eſſentialibus: ergo neque actus. Probatur conſequentia; quia nequeunt diverſificari inter se actus ſecundi, niſi diverſificentur primi; & per conſequens, nequeunt diverſificari actus intelligendi, & volendi, niſi diverſificentur intellectus, & voluntas.

Pro tertia concluſionis parte, quæ ſupponit fœcunditatem in natura divina, ſic contra Aureolum in 1. diſt. 9. p. 1. ar. 4. argumentamur. Ex Scriptura Iſaiæ 66. 9. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* En hic fœcunditas divinæ naturæ ad generandum; non quidem ut principium quod, aut quo proximum; quia ratio principii quod eſt propria ſuppoſiti, & perſonæ; & ratio principii quo proximi non eſſet ſufficiens ad diſtinguendas in Deo proceſſiones; ut mox dicemus. Pro eadem fœcunditate divinæ naturæ ſcribunt Hilarius, Pulgentius, Damaſcenus, quos refert Averſa 1. p. q. 27. ſect. 4. §. ſecundo dico; adducens etiam Dionyſium, & Ignatium. Si dicatur, Sanctos Patres velle, quod Filius in divinis non procedat modo libero, ſed neceſſario, & per hoc dicere, quod per naturæ fœcunditatem procedat: Adhuc admiſſo hoc, ſubdimus nos, non per hoc tamen naturæ fœcunditas negatur, ſed potius adſtruitur; & hæc nobis ſufficit ad intentum noſtrum probandum.

Pro quarta parte concluſionis, quod ſcilicet proceſſiones in divinis ſint actiones, quæ habent intellectum, & voluntatem pro principio quo immediato proximo; pugnamus contra Durandum, qui docuit, habere eſſentiam divinam pro principio immediato proximo; contra Richardum de S. Victore, qui voluit, utranque divinam proceſſionem eſſe per voluntatem; ſi verum eſt quod ipſi tribuunt nonnulli; contra Aureolum, qui poſuit in divinis principium quo tantum per modum actionis, nullatenus vero per modum potentiæ. Et ſic illam probamus. Dicendo, quod proceſſiones divinæ habeant intellectum, & voluntatem tanquam principium quo, immediatum, & proximum; hoc ipſo ſalvamus, eas eſſe per intellectum, & voluntatem; & pariter explicamus, quomodo ſint per intellectum, & voluntatem: ergo vere habent proceſſiones divinæ intellectum, & voluntatem pro principio quo immediato, & proximo. Probatur antecedens, & explicatur. Dicendo proceſſiones divinas eſſe per intellectum, & voluntatem, bene explicamus, qua ratione terminus unius proceſſionis ſit Verbum, alterius vero ſit amor; explicamus, quomodo termino unius approprientur quæ ad intellectum ſpectant, & termino alterius quæ ſpectant ad voluntatem; explicamus, quomodo una proceſſio ſit altera prior, quomodo ſint duæ proceſſiones, & non plures, nec pauciores. Hæc omnia fere inexplicabilia eſſent, ſi divinæ proceſſiones non ponantur eſſe per intellectum, & voluntatem. Inſuper dicendo, quod proceſſiones divinæ habeant intellectum, & voluntatem pro principio quo immediato, & proximo, cum facilitate aſſignamus principia illa reſpectu divinarum proceſſionum, quæ reſpectu cujuſcunque productionis aſſignari ſolent; hoc eſt aſſignamus pro principio quod Perſonam; pro principio quo remoto naturam, & quaſi formam principii quod; pro principio quo proximo virtutem, & potentiam conſequentem ad principium quo remotum; quæ omnia ſic optime exponit Cacheranus, cujus eſt diſcurſus, ut concludat, quod quanvis divina ad modum creatorum explicari non poſſint; quando tamen poteſt id commode fieri, non eſſe omittendum, ut ex duplici lumine, fidei, & naturæ, veritas clarior evadat.

Pro quinta concluſionis parte, quod ſcilicet intellectio, & volitio, quæ ſunt proceſſiones, & principia proceſſionum in divinis, non ſint intellectio, & volitio eſsentiales pure, & ſecundum ſe præciſe conſideratæ; habemus S. Thomæ patrocinium 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. & q. 37. ar. 1., & Scholaſticorum fere omnium ſuffragium, qui in hoc conveniunt, quanvis diſcrepent deinde in aſſignando illo, quod addunt actus, qui ſunt proceſsiones, & principia proceſsionum, ſupra intellectionem, & volitionem eſsentiales pure, & ſecundum ſe præciſe conſideratas. Et ſic eam probat

bat Cacheranus contra Gabrielem. Proceſſiones, & principia proceſſionum non ſunt in divinis quid commune omnibus perſonis; ſed intellectio, & volitio eſſentiales pure qua tales, & præciſe ſecundum ſe conſideratæ, ſunt quid commune omnibus divinis perſonis &c. Major conſtat, quia generare, & ſpirare, non ſunt quid commune omnibus divinis perſonis; aliter Filius generaret, & Spiritus Sanctus ſpiraret. Minor etiam patet; quia omnia eſſentialia, ſi pure, & ſecundum ſe præciſe conſiderentur in divinis, ſunt communia, quemadmodum eſſentia ipſa communis eſt.

Pro ſexta parte concluſionis, quod nimirum actus, qui ſunt proceſſiones, & principia proceſſionum, non addant ſupra intellectionem, & volitionem eſſentiales, aliquid ſpectans ad lineam intelligendi, & volendi; nec ſint actus intellectus, & voluntatis diverſi ab intellectione, & volitione eſſentialibus, habemus etiam pro nobis S. Thomam, alioſque Thomiſtas, inſuper & Lugum, Arriagam &c. apud Cacheranum, contra Scotum, atque Scotiſtas. Verum in ſecunda concluſionis parte hoc ſatis pertractavimus, & contra Scotum, atque Henricum, & Valentiam, peregimus.

Pro ſeptima demum parte concluſionis, quod nempe actus, qui ſunt proceſſiones, & principia proceſſionum, addant ſupra intellectionem, & volitionem eſſentiales, ſolam relationem propriam perſonæ producentis; ſeu quod ſint ipſamet intellectio, & volitio eſſentiales, ut affectæ ſpeciali relatione perſonæ producentis; utimur quoque hoc Cacherani ratiocinio. Actus, in quibus divinæ proceſſiones conſiſtunt, primo debent eſſe actus intellectus, & voluntatis, ut verificetur, proceſſiones eſſe per intellectum, & voluntatem; ſecundo non debent eſſe communes omnibus Perſonis, ut verificetur, Patrem tantum generare, non filium; Patrem, & Filium ſpirare, non Spiritum Sanctum: Sed hæc duo reperiuntur optime in intellectione, & volitione eſſentiali, ut affectæ ſpeciali relatione Perſonæ producentis; nec reperiri poſſunt in alio actu, aut intellectione, & volitione aliter conſiderata: ergo &c. Minor probatur. Intellectio eſſentialis eſt actus intellectus; volitio eſſentialis eſt actus voluntatis: ergo habent primam conditionem. Inſuper utraque ut affecta ſpeciali relatione perſonæ producentis convenit ſoli illi perſonæ, in qua reperitur talis ſpecialis relatio: ergo habent ſecundam pariter conditionem. Quod autem reperiri non poſſint hæ duæ conditiones in alio actu, aut intellectione, & volitione aliter conſiderata, probatur ſic. Non poteſt dari in Deo actus intellectus, & voluntatis, qui non ſit intellectio, & volitio eſſentialis; ut dictum eſt; nec intellectio, & volitio eſſentialis poteſt aliunde haberi, quam a relatione, quod non ſit communis omnibus perſonis; quia ſola prædicata relativa non ſunt communia in divinis: ergo duæ illæ conditiones reperiri non poſſunt in alio quocunque actu, ſeu intellectione, & volitione, aliter conſiderata.

Ex his infert Cacheranus, intellectionem notionalem, dictionem, & proceſſionem activam, eſſe ſynonima in divinis, & importare unum, & eundem actum intellectus, ſeu intellectionem eſſentialem, ut affectam ſpeciali relatione perſonæ producentis, ſcilicet affectam relatione Paternitatis. Pariter dilectionem notionalem, ſpirationem, & proceſsionem activam, eſſe quoque ſynonima, & ſignificare unam, eandemque volitionem eſſentialem, ut affectam ſpeciali relatione perſonæ producentis, ſcilicet affectam relatione Spiratoris ſibi identificante relationem tum paternitatis, tum filiationis. Unde intellectio notionalis ab intellectione eſſentiali nec etiam ratione diſtinguitur; quia intellectio notionalis ſe habet ad intellectionem eſſentialem tanquam includens ad incluſum, tanquam totum ad partem; unde nec etiam ratione ratiocinata diſtinguitur; ut apud Cacheranum fuſius, & expreſsius inveniuntur.

DISSERTATIO CXIII.

De Relationibus inter divinas Perſonas; An ſint? Quid ſint? Quot ſint? Quam habeant diſtinctionem? An conſtituant Perſonas? Et an perfectionem dicant? Et de peculiari pro his ultimis P. Magnani ſententia.

Relationum nomine intelligimus proprietates divinas, non quidem abſolutas, ſed relativas, quæ realiter in Deo ſunt, & realiter divinas Perſonas conſtituunt. Et quum relationes in creatis diſtinguantur a Philoſophis ſecundum eſſe *in*, & ſecundum eſſe *ad*; quas ultimas Peripatetici ſub accidentium nomine collocant; Alii vero nonniſi ſub accidentium prædicabilium, non vero prædicamentalium, genere agnoſcunt: nihilominus in divinis totum quod habent, reale eſt, & ſubſtantiale; quia eſt a Deo realiter indiſtinctum, in quo accidentia, quæ phyſica vocitantur, locum habere nullo modo poſſunt. Sed de hoc fuſior erit ſermo inferius; interim quæ in Diſſertationis titulo expoſuimus, expleamus.

Dicimus I. Vere dari in Deo ad intra Relationes reales, tum ſecundum eſſe *in*, tum ſecundum eſſe *ad*.

I. probatur ex Scripturis. Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Nomina Patris, & Filii, ſunt nomina relativa, & innuunt, dari relationes paternitatis, & filiationis; & quia Perſonæ Patris, & Filii reales ſunt, reales quoque ſunt ipſæmet relationes. Alia etiam ſunt in Scripturis loca, in quibus de Patre, & Filio fit ſermo; & ex iiſdem poteſt eodem modo argumentari, ſicut modo factum eſt. Expreſſius tamen loquitur textus ad Epheſ. 3. 14. & 15. *Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur*. Hic igitur non ſolum Paternitatis relatio proprio nomine memoratur, verum quoque ejuſdem relationis realitas ex ipſomet dicendi modo evincitur.

II. probatur ex Conciliis. Concilium Remenſe in Symbolo, a Patribus illius Concilii pronunciato, expreſſe divinas relationes memorat. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III., & refertur in cap. *firmiter*, & in cap. *damnamus*, de ſumma Trinit., & fide catholic. Concilium Florentinum ſeſſ. 18., & 19., & in litteris unionis; ubi præcipue in Seſs. 18. Joannes, Theologus Latinorum, hæc aſſerebat: *Sola relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latinos Doctores, divina proceſſione Perſonas multiplicat; itaut non alia ratione, quam vi relationis, una Perſona ab alia differat*. Concilium Toletanum XI. in Confeſsione, in qua relationes divinæ exprimuntur verbis ſequentibus: *In relativis vero Perſonarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrunque refertur, quæ cum relative tres Perſonæ dicantur, una tamen naturalis ſubſtantia creditur*.

III. probatur ex Patribus. Cyrillus Alexandrinus dialog. de Trinit. lib. 4. *Si non eſt Filius exiſtens genitus, neque Pater eſſet juxta rationem congruam; Pater ſiquidem eſt, quia genuit: igitur & ſimul ſubſiſtere, & ſimul tolli utrunque verum*. Baſilius lib. 2. cont. Eunomium: *Ex quo Pater eſt, & Filius eſt, & illico cum quis Patris cogitationem capit, Filii etiam incurrit, nam Pater, Filii videlicet Pater*. Cyrillus Jeroſolymitanus catecheſ. 7. *Patris nomen ſimul cum ipſius nominis appellatione exhibet intelligendum & Filium; quemadmodum ſimiliter Filium quis nominans, etiam Patrem intelligit*, Nyſſenus epiſt. cont. Apollinarem: *Ubi quis Patrem nominaverit, certum eſt eum Filii cujuſpiam ſignificationem intuliſſe; quomodo enim Pater appellabitur, niſi Filius etiam intelligatur?* Hilarius lib. 7. de Trinit. *Nomen Patris habet in ſe Filii nomen, non enim niſi per Filium Pater eſt; & ſignificatio Filii demonſtratio Patris eſt, quia nonniſi ex Patre ſit Filius*. Boetius lib. de Trinit. circa finem: *Subſtantia præbet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem*.

IV. pro-

Google

IV. probatur Rationibus. I. In divinis ad intra eſt reale fundamentum proximum Relationis, & eſt terminus realiter diſtinctus: ergo in divinis eſt realis relatio ad intra. Sequitur conſequentia; quia hæc ad relationem fundandam requiruntur, fundamentum proximum, & terminus, ſeu fundamentum, ratio fundandi, & terminus; & quando fundamentum proximum reale eſt in ſe, & realiter a termino diſtinctum, tunc habetur realis relatio: Si ergo hæc ſunt in divinis, in divinis quoque ſunt relationes reales. Probatur autem antecedens. In divinis habemus Perſonam producentem, realem productionem, & terminum productum realiter diſtinctum: ergo in divinis habemus reale fundamentum proximum relationis, & terminum realiter diſtinctum. II. Perſonæ divinæ realiter diſtinguuntur inter ſe; ſed diſtinguuntur per relationes: ergo relationes ſunt reales. Major eſt certa; minor patebit clarius infra; conſequentia ſequitur. III. Relationes ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; ſed omnis perfectio, quæ in Deo eſt, realis eſt: ergo Relationes ſunt reales. IV. In divinis ſunt paternitas, filiatio, & ſpiratio, & ſunt reales; ſicut ſunt in Deo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui ſunt reales; ſed paternitas, filiatio, & ſpiratio, ſunt relationes, & ſunt reales: ergo &c. V. Pater independenter a noſtro intellectu eſt Pater; ſic aliæ perſonæ divinæ: ergo relationes, quæ importantur a Patre, & a cæteris perſonis, ſunt tales, etiam nullo cogitante intellectu: ergo ſunt reales. VI. In Deo dantur reales proceſſiones: ergo dantur reales relationes. Probatur conſequentia. Realis proceſſio eſt origo unius ab alio; ex hac origine ſequuntur relationes, quæ ſunt habitudines principii ad principiatum, & principiati ad principium: ergo ſi in Deo ſunt reales proceſſiones, ſunt etiam reales relationes.

Arguunt I. Relationes important dependentiam in divinis perſonis; ſed Deus omnem dependentiam excludit: ergo non dantur in divinis. Probatur major. Divinæ Perſonæ, quæ eſſent relationum extrema, ab ſe invicem dependerent: ergo relationes important &c. II. Relationes in divinis non ſupponunt in extremis realem diſtinctionem, ſed faciunt; atqui omnis relatio realis ſupponit in extremis realem diſtinctionem: ergo &c. Major patet; quia in divinis Perſonæ, quæ ſunt extrema relationum, non diſtinguuntur per eſſentiam, ſed per relationes: ergo relationes non ſupponunt in divinis diſtinctionem inter extrema, ſed faciunt. III. In Deo non datur ordo unius ad aliud; quia quicquid in Deo eſt, Deus eſt; ſed relatio eſt ordo unius ad aliud: ergo in Deo non dantur relationes. IV. Relationes dicuntur de ſubjecto vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum accidens; neutro modo poſſunt eſſe in Deo: ergo &c. Probatur minor. Non ſecundum ſubſtantiam; quia efficerent, quod eſſentia divina non eſſet eadem in ſingulis perſonis: Non ſecundum accidens; quia in Deo non dantur accidentia. V. Boetius docet, relationes in Deo prædicari non poſſe, & eſſe ejuſdem ad ſeipſum; ſed relatio, quæ eſt ejuſdem ad ſeipſum, non eſt realis; ſicuti non eſt reale in Deo quod prædicari non poteſt in divinis: ergo relationes in Deo non ſunt reales. Major patet ex Boetii verbis lib. de Trinit. *Cum quis prædicamenta in divinam vertit prædicationem, cuncta mutantur in ſubſtantiam, quæ prædicari poſſunt: Ad aliquid vero omnino non poteſt prædicari*. Item: *Similis eſt relatio Patris ad Filium, & utriuſque ad Spiritum Sanctum, ſcilicet ut ejus, quod eſt idem, ad id, quod eſt idem*. VI. Relationes ſecundum eſſe *Ad* ſunt ſemper rationis: ergo in Deo relationes ſecundum eſſe *Ad* non ſunt reales. VII. In divinis non datur aliud; ſed relationes ſemper important aliud: ergo in divinis non dantur relationes. VIII. Relativa important ſimultatem cognitionis; ſed perſonæ divinæ non habent ſimultatem cognitionis: ergo non ſunt relativæ. Probatur minor. Non habent ſimultatem originis: ergo non habent ſimultatem cognitionis.

Reſpondemus ad I. tunc eſſe dependentiam inter extrema relationis, quando dependent per modum cauſæ, vel per modum effectus, non vero quando dependent per modum ſimplicis termini; ſcilicet, ex ſuppoſitione, quod inter duo ſit mutua relatio tranſcendentalis, unum non poteſt eſſe ſine alio. Relationes in divinis faciunt, ut ipſarum termini, ſcilicet perſonæ, ſibi invicem coexiſtant, ſed non faciunt, ut ab ſe invicem dependeant, tanquam effectus a cauſa; quia producuntur actionibus, quibus eandem numero naturam una habet ab alia, a qua producitur; unde omnis dependentia excluditur.

Ad II. dicitur, quod hæc eſt differentia inter relationem in creatis, & relationem in divinis; quod relatio in creatis ſuppo-

nit

nit extrema realiter diſtincta; ſecus vero in divinis, in quibus non ſupponit, ſed facit diſtinctionem, quum conſtituat extrema relativa prout ſunt relativa.

Ad III. dicimus, relationem eſſe ordinem unius ad alium; & ſic nulla eſt implicantia ut in divinis admittatur. Si vero objectio dicere intendat ad aliud, & non ad alium; reſponſionem dabimus quando mox reſpondemus ad VII.

Ad IV. teſtatur Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 3., argumentum hoc fuiſſe olim ab Arianis contra Catholicos objectum, verbis hiſce: *Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non ſecundum accidens, ſed ſecundum ſubſtantiam dicitur. Quapropter ingenitum eſſe Patri ſecundum ſubſtantiam eſt, & genitum eſſe Filio ſecundum ſubſtantiam eſt. Diverſum eſt autem ingenitum eſſe, & genitum eſſe: Diverſa eſt ergo ſubſtantia Patris, & Filii.* Auguſtinus autem reſpondebat his aliis ſolidioribus, & expreſſioribus verbis: *Si quidquid de Deo dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur, ergo quod dictum eſt, ego, & Pater unum ſumus, ſecundum ſubſtantiam dictum eſt. Una eſt igitur ſubſtantia Patris, & Filii. Aut ſi hoc non ſecundum ſubſtantiam dictum eſt, dicitur ergo aliquid de Deo non ſecundum ſubſtantiam, & ideo jam non cogimur ſecundum ſubſtantiam intelligere ingenitum, & genitum.* Subdit idem Auguſtinus cit. lib. c. 4. *Accidens non ſolet dici, niſi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti poteſt . . . . Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut amiſſibile.* Dicimus ergo, dari medium inter dici ſecundum ſubſtantiam, & dici ſecundum accidens, quod eſt dici ſecundum eſſe relativum; etenim eſſe relativum, præciſe ut relativum, abſtrahit a ſubſtantia, & accidente, quia in ſuo conceptu nil aliud dicit, quam referre unum ad aliud. Quod docet Auguſtinus c. 5. *Dicitur enim ad aliquid, ſicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non eſt accidens, quia & ille ſemper Pater, & ille ſemper Filius. . . . Quamobrem quanvis diverſum ſit, Patrem eſſe, & Filium eſſe, non eſt tamen diverſa ſubſtantia, quia hæc non ſecundum ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundum relativum, quod tamen relativum non eſt accidens, quia non eſt mutabile.*

Ad V. Boetius loquitur de relationibus ad extra, quæ concedi poſſunt reales non eſſe. Vel ut reſpondet S. Thomas 1. p. q. 28. ar. 1. ad I. Boetius non excludit relationem a Deo, ſed excludit relationem prout eſt in creatis, quæ prædicatur per modum inhærentis; in Deo autem prædicatur per modum inexiſtentis. Dicitur etiam, Boetium voluiſse, relationes divinas convenire in aliquo cum relatione identitatis; quatenus divina eſsentia per relationes non diverſificatur, quemadmodum non diverſificatur per relationem identitatis, ſeu per relationem ejuſdem ad ſeipſum. Quod docet pariter Angelicus Doctor cit. loc. ad II.

Ad VI. cum eodem Angelico dicimus, ſub formali conceptu relationis contineri relationes aliquas rationis, aliquas reales; quaſdam ad aliquid rationis, quaſdam ad aliquid reale. Si igitur quælibet relatio *ad* eſset rationis, non eſset verum, quod ſub ſuo formali conceptu continetur relatio rationis, & relatio realis. Docet hoc S. Thomas 1. p. q. 28. ar. 1. in c., & de Veritate q. 1. ar. 5. ad 15., & quodlib. 9. ar. 4. in c. Negatur ergo abſolute, quod relationes ſecundum eſse ad ſint ſemper rationis. Cæterum dici etiam poteſt, propoſitionem veram eſse in creatis, ſecus vero in divinis, de quibus loquimur.

Ad VII. dicimus, de conceptu relationis eſſe, quod ſit ad aliquid, non vero ut ſit ad aliud. Verum eſt, quod ad hoc, ut ſit realis, requirit alietatem termini; ſufficit tamen alietas ſuppoſiti, & indifferens eſt, ut ſit ad alium, vel ad aliud. At in divinis quia datur alius, & non aliud; alius enim indicat perſonam, aliud vero naturam; ſufficit dari alium ad faciendam diſtinctionem realem, quæ requiritur ad realem relationem; quanvis non detur aliud.

Ad VIII. dicitur, ſimultatem cognitionis convenire etiam Perſonis divinis eo modo, quo cæteris relativis convenit. Et ratio eſt, quia una Perſona divina, ut formaliter relativa ad aliam, non eſt aut prior alia, aut cognoſcibilis ſine alia. Ad habendum autem ſimultatem cognitionis falſum eſt, quod requiratur ſimultas originis.

Pro ſecunda Diſsertationis Parte, in qua quæritur, quid ſint in divinis Relationes, dicimus, quod ſi loquimur de relationibus ſecundum eſse *in*, jam diximus, quod conſiſtunt in fundamento, ratione fundandi, & termino; hæc autem ſunt Perſona producens, realis productio, & terminus productus realiter diſtinctus; & de hoc omnes conveniunt. Si vero loquimur de relationibus ſecundum eſse *ad*, hic eſt diſcurſus P. Magnani Philoſ. ſacr. cap. 20. prop. 8. Admittit quidem relationes, quas dicit integrare proprietate

rela-

relativa , origine , & ratione formali eſse reales,& eſse perfectiones; quærit deinde, an tales ſint ſe totis;hoc eſt ſimul,& æque ſecundum hæc tria integrantia , an vero ſecundum aliqua eorum , ſcilicet ſecundum aliquam ſolum ſui velut partialem rationem.Sabdit,negari non poſse abſque aliquali cenſura, eſse reales, abſque reſtrictione , & abſolute ; unde affirmat, proprietatem Patris eſse etiam realem ſecundum rationem *ad* . Et ratio ipſius eſt, quia relatio realis eſt , quæ fundamentum habet reale ; ſed generatio , & fœcunditas , quæ ſunt reale fundamentum adæquatum paternitatis præciſe ſumptæ ut eſt relatio formalis, & dicit ſolum rationem *ad*, reales ſunt : ergo pariter relatio paternitatis ſecundum eſse *ad* realis eſt . Quia tamen dicit , aliud eſse , formalem relationem paternitatis eſse vere realem propter veram realitatem fœcunditatis,& generationis, ſecundum ſe ſumptarum , ex qua reſultat; & aliud eſse, realem eſse ſecundum ſe , ac ſecundum formalem præciſam raſionem *ad* , quæ eſt ipſa : Hinc cum diſtinctione aſserit , Patris relationem integre ſumptam, ratione fœcunditatis,& generationis , eſse realem phyſice ; ratione vero formalis relationis,ſeu præciſe ſumpti *ad* eſse realem prædicamentaliter, hoc eſt juxta naturam prædicamenti *ad*;quod ita, ait , eſse genus entis, ut ſecundum propriam ſuam rationem,prout ſcilicet a cæteris prædicamentis differt, nihil ſuperaddat enti relativo, niſi logicum , & metaphyſicum . Hæc ſua ſunt ipſiſſima verba.

Objicere tamen poſsunt , qui volunt, contra P. Magnani explicationem , I. Hoc logicum, ſeu metaphyſicum eſset ens rationis, ſeu fictum ; quod non eſt in Deo admittendum. II. P. Magnani explicatio eſt contra S. Thomam , a quo , in re tam gravi , non eſt recedendum. III. Paternitas eſt id , quo dicitur Pater, & eſt Pater: ergo ſi paternitas non eſt realis , neque realiter eſt in Deo , neque in Deo realiter eſt Pater, ſed tantum ſecundum rationem intelligentiæ ; atqui hoc importabat hæreſis Sabellii : ergo &c. IV. Relationes ſecundum eſse *ad* ſunt paternitas , filiatio, ſpiratio activa , ſpiratio paſsiva , ſed hæc omnimode,& in omni ſenſu, reales ſunt: ergo explicatio P. Magnani omnimode reprobanda .

Reſpundet P. Magnanus ad I. negando , quod quicquid eſt logicum, aut metaphyſicum ſit continuo fictum; cæterum ratio *ad* in eo , quod addit de ſuo formali , non addit ens rationis , ſeu fictum , ſed addit quid reale , quatenus ipſamet ratio *ad* eſt realis, ſed prædicamentaliter,ideſt logice, aut metaphyſice .

Ad II. explicationem ſuam probat P. Magnanus etiam ratione S.Thomæ, aſserens:
,, Et hoc innuit ſatis clare D. Thomas q.
,, 28. ar. 1. in corp. , ubi poſtquam dixit ,
,, hoc eſse peculiare prædicamento *ad*,quod
,, cum alia ſecundum propriam rationem,
,, ſive, ut vocant , modum intrinſecum, ſi-
,, gnificent aliquid alicui inhærens(hoc eſt,
,, ut Cajetanus ibi §. ad has dubitationes ,
,, circa finem explicat , *aliquid exiſtens* , ut
,, vox inhærens importet omnem modum
,, eſsendi ex ſua ratione vere in rerum natu-
,, ra) , prædicamentum *ad* ſignificat ſolum
,, reſpectum ad aliud ; concludit ſic : *Cum*
,, *igitur proceſſiones in divinis ſint . . . . neceſ-*
,, *ſe eſt, quod relationes, quæ ſecundum proceſ-*
,, *ſiones divinas accipiuntur , ſint relationes*
,, *reales.* Concludit enim, ut patet, eſse rea-
,, les , in quantum accipiuntur ſecundum
,, proceſſiones ; proceſſiones autem ſive
,, actus notionales exiſtimat S. Doctor . . .
,, eſse fundamentum; & ex iis reſultare for-
,, males relationes , quæ ſunt paternitas , fi-
,, liatio &c. ſumptas nimirum ſecundum
,, præciſam rationem *ad* juxta modum pro-
,, prium intrinſecum hujus prædicamenti .
,, Cum ergo concludit , relationes iſtas in
,, Deo eſse reales, quia proceſſiones ſunt
,, reales, aut ſumit relationes integre, prout
,, includunt proprietatem relativam , pro-
,, ceſſionem , & relationem formalem,juxta
,, dicta prop. 7. num. 22. , aut concludit ,
,, ſicut ego concludebam hic num. 2. rela-
,, tionem formalem eſse realem , eo quod ,
,, & ſecundum quod , fundamentum habet
,, reale , videlicet proceſſionem ,, . Alia etiam in ſequentibus ſibi objicit ex eodem Angelico , ad quæ omnia opportune reſpondet .

Ad III. dicit , quod hæreſis Sabellii eſset , ſi acciperetur paternitas , ſeu relatio paternitatis, pro toto integrato ex fœcunditate, generatione , & relatione formali , & diceretur, non eſse realem, nec eſse realiter in Deo . Sabellius enim negabat realem eſse fœcunditatem , generationem &c. Aliud tamen eſt accipere formalem illam relationem, ſeu præciſam rationem *ad* toſius integræ ſumptæ paternitatis , ſicut ipſe accipit, & dicere, ſecundum ſe ut ſic non eſse realem ; neque ut ſic habere rationem *in*; ideoque ut ſic non eſse in Deo realiter. Hoc enim non ſpectat ad Sabellii hæreſim, ſed ad doctrinam logicam , aut

meta-

metaphyſicam de prædicamento *ad*. Unde concludit, controverſiam, ſi qua eſset, eſse tantummodo logicam, aut metaphyſicam, non vero theulogicam.

Ad IV. eadem adhibetur diſtinctio, quæ ad tertium data eſt, & in qua tota P. Magnani explicatio conſiſtit. Videlicet, quod Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio paſſiva, quæ ſunt relationes ſecundum eſse *ad*, integre ſumptæ, reales ſunt, ut nos quoque paulo ante probavimus, reales quidem phyſice; acceptæ vero ſecundum præciſam rationem *ad*, ſunt reales pariter, in quantum non ſunt fictæ, ſed non ſunt reales phyſice, at logice tantum, aut metaphyſice. Qui plura de hoc cupit, P. Magnanum conſulat. Nos autem pro relationum quidditate explicanda, ſive ſecundum eſse *in*, ſive ſecundum eſse *ad*, his, quæ uſque modo diximus, contenti ſumus.

Ad tertiam modo Diſsertationis partem devenientes, dicimus, Relationes quatuor eſse in Deo in ordine ad divinas Perſonas; ſcilicet Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam, & Spirationem paſſivam, quæ vocantur relationes reales originis. Hæc concluſio eſt communis inter Theologos; adeo ut oppoſita cenſeatur temeraria, & a Molina etiam dicatur erronea. Verum, ut ait Cacheranus, de fide eſt, dari in Deo realiter ſpirationem activam ſub ratione originis, & notionis, at non ſub ratione relationis. Gabriel, & Ariminenſis, non negant relationem ſpirationis activæ, diſcrepant tamen a communi ſententia in modo loquendi, quia aſserunt, ſpirationem activam eſse eandem relationem cum paternitate, & filiatione, cum quibus identificatur; unde non poſſit dici quarta relatio. Hugo Etherianus, & Albinus Flavius, relati a Cardinali de Lugo, ex citato Cacherano, magis directe ſentiunt contra communem ſententiam.

I. probatur ex Conciliis. Concilium Lugdunenſe generale ſub Gregorio X. definit, Spiritum Sanctum a Patre, & Filio unica ſpiratione procedere; & refertur in c. unic. de ſumma Trinitate in VI.: ergo præter tres relationes, communiter admiſsas, datur etiam quarta, ſcilicet ſpiratio activa, quæ eſt realis relatio originis. Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. in literis unionis hoc idem ſtatuit, & expreſſit. Concilium Toletanum XI. in Confeſſione docet, Perſonas divinas ad invicem relative dici; ſed quatuor modis poſsunt relative dici: ergo &c.

II. probatur ex Patribus. S. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 11. *Donum ergo Donatoris, & Donator doni, cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus*. Idem ſer. 38. de tempore: *Ipſa relatio Spiritus Sancti non ita reciproca relatione converti poterit ſicut Pater, & Filius; nam Pater Filii Pater dicitur, & Filius Patris Filius dicitur. Spiritus vero Sanctus uniformiter dicitur ad Patrem, & Filium, quia Patris, & Filii Spiritus eſt; dicimus enim Spiritum Sanctum Spiritum Patris.... Sed non viciſſim dicimus Patrem Spiritus Sancti, ne Filius ejus intelligatur Spiritus Sanctus. Item dicimus Spiritum Sanctum Spiritum Filii, ſed non dicimus Filium Spiritus Sancti, ne Pater ejus intelligatur Spiritus Sanctus*. Ex quibus conſtat, præter relationem mutuam ratione paternitatis, & filiationis, eſſe aliam mutuam admittendam ratione ſpirationis activæ, atque paſſivæ. Idem lib. 5. de Trinit. c. 12. *Cum dicimus donum Patris, & Filii, non quidem dicere poſſumus, Patrem doni, aut Filium doni, ſed ut hæc ſibi viciſſim reſpondeant, dicimus donum donatoris, & donatorem doni, quia hic potuit inveniri uſitatum vocabulum, illic non potuit. Dicimus ergo relative Pater, idemque relative dicitur principium, & ſi quid forte aliud, ſed Pater ad Filium dicitur, principium vero ad omnia, quæ ab ipſo ſunt*. Boetius lib. de Trinit. circa finem: *Similis eſt in Trinitate relatio Patris ad Filium, & utriuſque ad Spiritum Sanctum*. Anſelmus lib. de Proceſſ. Spir. Sanct. c. penult. *Eſt tribus commune ad duos habere relationem: Pater enim ad Filium, & Spiritum Sanctum refertur &c. Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium &c.*

III. probatur Rationibus. I. Numerus relationum in divinis deſumendus eſt a numero reſpectuum, ſeu ordinum, qui ſunt unius ad alterum; ſed hic numerus eſt quaternarius: ergo & ille. Probatur minor. Pater dicit ordinem ad Filium, & hic eſt unus reſpectus; Filius ad Patrem, & hic eſt alius; Pater, & Filius ad Spiritum Sanctum, & hic eſt tertius; Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, & hic eſt quartus; ergo quaternarius eſt hic numerus. II. Relationes tot ſunt in divinis, quot provenire poſſunt ex proceſſionibus, quæ in Deo ſunt; ex proceſſionibus, quæ in Deo ſunt, quatuor tantum provenire poſſunt relationes: ergo quatuor tantum ſunt in Deo relationes. Major eſt patens, quia fundamenta relationum proceſſiones ſunt. Minor probatur. Datur proceſſio per intellectum, &

datur

datur proceſſio per voluntatem; ex proceſſione per intellectum reſultant paternitas, & filiatio; ex proceſſione per voluntatem reſultant ſpiratio activa, & paſſiva; atqui non dantur plures his proceſſiones: ergo non dantur plures his relationes. III. Spiratio paſſiva reſultat ex ſpiratione activa; ſed datur in divinis ſpiratio activa: ergo & ſpiratio paſſiva; Atqui hæ duæ duas conſtituunt relationes: ergo quatuor ſunt in divinis relationes. Probatur minor primi argumenti. De fide eſt dari in Deo proceſſionem activam, qua Spiritus Sanctus producitur: ergo datur in Deo ſpiratio activa; ſi de fide eſt, dari ſpirationem activam, pariter de fide eſt, dari ſpirationem paſſivam. Subſumpta etiam probatur. Per hoc, quod Filius a Patre procedat, dantur duæ relationes: ergo per hoc quod Spiritus Sanctus procedat a Patre, & Filio duæ pariter dari debent relationes. IV. Ex Scriptura, & ex Patribus, Pater refertur, Filius etiam refertur ad Spiritum Sanctum; ſed Pater non refertur ut Pater, nec Filius refertur ut Filius; ergo refertur ut Spirator. Ita etiam Spiritus Sanctus refertur ad Patrem, & ad Filium; ſed non refertur ut Filius: ergo refertur ut Spiritus. Hoc argumento uſus eſt Cardinalis Beſſarion in Concilio Florentino c. 6., probans inter Filium, & Spiritum Sanctum eſſe mutuam relationem ut cauſſæ ad cauſſatum, & cauſſati ad cauſſam, loquens more Græcorum, qui nomen cauſſæ pro principio intelligunt; ac proinde relationem illam, deducit, per filiationem non fieri. Placet nobis ſua verba referre: *Cum Filius prout Filius non referatur ad Spiritum, non enim dicitur Filius Spiritus, reſtat, ut referatur ad Spiritum tanquam aſpirans, cum ſpiritus etiam referatur ad Filium tanquam Spiritus; Spiritus enim Spiranti, & paſſiva ſpiratio activa ſpirationi correſpondet. Spiritus vero, & Spiritus Filii multis locis ſacra Scriptura dicitur, & ſpiratio ejus. Hic enim Spiritus, ut facer Athanaſius, ſpiratio eſt Filii. Cum igitur ad Filium Spiritus, & tanquam ſpiratio, & tanquam Spiritus refeératur, Filius quoque tanquam ſpirans referatur ad Spiritum.*

Arguunt I. Plures Sancti Patres docent apud Ruiz diſp. 16. ſect. 1. relationem Spiritus Sancti ad Patrem, & Filium, non eſſe reciprocam: ergo non ſunt quatuor relationes. II. Si in Deo eſſent quatuor relationes, & omnes reales eſſent, non eſſet in Deo trinitas, ſed quaternitas; at in Concilio Lateranenſi IV. c. 2. definitum eſt, *in Deo trinitatem eſſe ſolummodo, non quaternitatem*: ergo &c. III. Patres communiter docent, tres tantum eſſe in Deo relationes perſonales: ergo non ſunt quatuor. IV. S. Joannes Damaſcenus lib. 1. de fide c. 10. & 11. de divinis relationibus luculenter tractat; ſed nec verbum de activa ſpiratione inſtituit: ergo inter relationes adnumeranda non eſt. V. Spiratio activa vel conſtituit Patrem, & Filium, vel non conſtituit; non poteſt dici, quod conſtituat, quia invenit, & ſupponit illos jam conſtitutos; ſi non conſtituit; ergo illis eſt adventitia, & accidentaria; quod non eſt dicendum. VI. Deus etiam eſt principium creaturarum, & tamen non dicit realem relationem ad creaturas: ergo quanvis ſit principium Pater, & Filius Spiritus Sancti, non per hoc dicendum eſt, quod dicant realem relationem ad Spiritum Sanctum.

Reſpondemus ad I. dicendo, Sanctos Patres docuiſſe, Patrem, & Filium non reſpicere Spiritum Sanctum per paternitatem, & filiationem; & primam, & ſecundam Perſonam non poſſe appellari Spiritus Patris, & Filii. Non negant tamen, Patrem, & Filium, ſub ratione Spiratoris, reſpicere Spiritum Sanctum per relationem reciprocam activæ ſpirationis. Et hoc pacto Lugus intelligit, quoque loquutos fuiſſe Albinum Flavium, & Hugonem Etherianum; de quibus ſupra ſermonem fecimus.

Ad II. negatur major; quia ſpiratio activa, quæ eſt actio productiva Spiritus Sancti, non diſtinguitur realiter a paternitate, & filiatione; unde nullo modo poteſt quartam rem in Deo conſtituere.

Ad III. dicitur, ideo Sanctos Patres aſſignaſſe tres tantum proprietates perſonales realiter diſtinctas, quia loquebantur tantum de relationibus, quæ conſtituunt perſonas, & realiter diſtinguunt. Et hæ revera tres ſunt; paternitas ſcilicet, filiatio, & ſpiratio paſſiva. Spiratio vero activa perſonam non conſtituit, nec realiter diſtinguitur a paternitate, & filiatione; unde de illa Patres pro hac ratione tantum non loquebantur.

Ad IV. S. Jonnes Damaſcenus loc. cit. c. 11. hæc habet: *In ſolis proprietatibus paternitatis, filiationis, & proceſſionis, ſecundum cauſam, & cauſale, Deum intelligi*. In quibus verbis innuit, eſſe mutuam reciprocationem principii producentis, & termini producti, inter Spiritum Sanctum, & Patrem, & Filium; hæc autem nequit eſſe paternitas, nequit eſſe filiatio: ergo ſpiratio activa.

Ad V. dicimus, ſpirationem activam non conſtituere Patrem, & Filium, quia ſupponit ipſos jam conſtitutos per paternitatem, & filiationem. Non eſſe tamen adventitiam, ſeu accidentariam, quia ab intrinſeco eſt, & eos conſtituit in ratione Spiratoris, ſeu in ratione Spirantis, quæ quidem ratio accidentaria non eſt.

Ad VI. dicitur, quod relatio creatoris ad creaturas eſt ad res diverſi ordinis, & naturæ, & Deo advenit tantum in tempore; & inde eſt relatio rationis. Spiratio vero activa eſt ad terminum ejuſdem ordinis, & naturæ, & Deo ab æterno convenit, & proinde non eſt relatio rationis, ſed realis.

Pro quarta Diſſertationis parte, quæ reſpicit diſtinctionem relationum ab eſſentia, & relationum inter ſe, recolenda ſunt, quæ diximus, quando de diſtinctione attributorum ab eſſentia, & attributorum inter ſe, agebamus. Superfluum enim judicamus illa eadem hic repetere; unde illuc remittendo Legentes, hic ſolum addere animus eſt, quæ proprie relationes, & earum diſtinctionem reſpiciunt. Ibi ergo invenient errores Eunomii, Porrectani, Palamæ, hiſtorice expoſitos, & dogmatice impugnatos, qui legere exoptant; & impugnationes ibidem factas facile ad rem, quam modo tractamus, applicabunt; eadem enim eſt ratio pro hoc, & de attributis, & de relationibus. Invenient quoque ſententias Scotiſtarum, Nominalium, & Thomiſtarum, illarumque confutationes, & explicationes, quas quoque, ſine alio verborum diſpendio, applicare ad rem noſtram poterunt. His præmiſſis, ſic mentem noſtram aperimus.

Dicimus, Relationes reales in divinis tres tantum diſtingui inter ſe realiter, ſcilicet Paternitatem, Filiationem, & Spirationem paſſivam; Spirationem vero activam diſtingui ſolum virtualiter, & ratione ratiocinata. Hac eadem diſtinctione diſtinguuntur pariter relationes omnes ab eſſentia. At quia diximus, hanc virtualem diſtinctionem eſſe vel extrinſecam, vel intrinſecam; & hanc rationis ratiocinatæ, vel eſſe tantum formalem, qualem Neoterici defendunt, vel eſſe ſolum objectivam, qualem amplectuntur aliqui ex Thomiſtis; nos ibidem admiſimus diſtinctionem, quam appellavimus formalem objectivam, fundatam ſcilicet in re diſtinguibili, & in intellectu diſtinguente; Hanc eandem quoque admittimus hic, formalem videlicet objectivam, fundamentum habentem in limitatione, & imperfectione intellectus noſtri, & in objecti operationibus. Verum in attributis, & eſſentia admiſimus virtualem extrinſecam, quæ conſiſtit in eminentia, æquivalentia &c. jam explicatis; in relationibus modo admittimus virtualem intrinſecam, quæ conſiſtit, vel in eo, quod habeat fundamentum tantum in Deo, & non in aliis extra Deum; vel in eo, quod ipſa impediat contradictoria, quæ non poſſunt per virtualem extrinſecam impediri; vel quomodocunque aliter explicetur, ſemper tamen ab illa diſtinctione, quæ dicitur virtualis extrinſeca, ſuo modo diverſa, & ſupra illam aliquid aliud addens, per quod contradictoria impediantur.

I. probatur, Relationes reales in divinis tres tantum diſtingui inter ſe realiter, paternitatem ſcilicet, filiationem, & ſpirationem paſsivam; quæ quidem concluſio eſt de fide, & eſt contra Sabellii gregales. Per relationes prædictas diſtinguuntur realiter Perſonæ per ipſas conſtitutæ: ergo multo magis inter ſe diſtinguuntur realiter relationes ipſæ. Conſequentia ſequiquitur, ex illo principio; Propter quod unumquodque tale, & illud magis. Antecedens probatur. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt perſonæ inter ſe realiter diſtinctæ, & ſunt realiter diſtinctæ per paternitatem, quæ conſtituit Patrem, per filiationem, quæ conſtituit Filium, per ſpirationem paſſivam, quæ conſtituit Spiritum Sanctum: ergo per relationes prædictas, quæ ſunt Paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva, diſtinguuntur realiter perſonæ per ipſas conſtitutæ. II. probatur, quatenus negat concluſio realem diſtinctionem ſpirationis activæ a paternitate, & filiatione; contra Durandum in 1. diſt. 13. qu. 2., qui diſtinguit ſpirationem activam a paternitate, & filiatione, pluſquam ab eſſentia; quia diſtinguit ſpirationem, & alias relationes ab eſſentia realiter, tanquam modum a re, ſpirationem vero activam a paternitate, & filiatione realiter, tanquam rem a re. Si ſpiratio activa diſtingueretur realiter, tanquam res a re, a paternitate, & filiatione, darentur in divinis quatuor res, ſaltem relativæ; ſed quatuor res dari non poſſunt in divinis ex Concilio Lateranenſi generali IV. ergo ſpiratio activa non diſtinguitur realiter, tanquam res a re, a paternitate, & filiatione. Probatur major. Quia paternitas diſtinguitur realiter a filiatione, & quia ſpiratio paſſiva diſtinguitur realiter a paternitate, & filiatione,

tione, ex omnium Theologorum ſententia dantur in divinis tres res relativæ: ergo ſi per Durandum ſpiratio activa diſtingueretur realiter, tanquam res a re, a paternitate, & filiatione, darentur in divinis quatuor res, ſaltem relativæ. III. Spiratio activa eſt communis Patri, & Filio: ergo eſt identificata cum paternitate, & filiatione. Probatur conſequentia. Spiratio activa eſt communis Patri, & Filio, non ratione eſſentiæ, aliter eſſet communis etiam Spiritui Sancto: ergo eſt communis ratione paternitatis, & filiationis, adeoque eſt communis paternitati, & filiationi: ſed omnis communicatio in divinis eſt per identitatem: ergo ſpiratio activa ſi eſt communis paternitati, & filiationi, eſt eadem cum illis. IV. probatur, quod ſpiratio activa diſtinguatur formaliter objective a paternitate, & filiatione; adeoque virtualiter intrinſece, quemadmodum etiam relationes ab eſſentia, & intellectus, & voluntas in Deo. Hæc dicta diſtinguuntur aliqua diſtinctione; non quidem diſtinctione reali, ut contra Porretanum probatum eſt de Attributis; non diſtinctione formali ex natura rei, ut contra Scotum perfecimus; non diſtinctione rationis ratiocinantis, ut contra Nominales oſtendimus: ergo diſtinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ, quam diximus formalem objectivam. Atqui diſtinctio virtualis extrinſeca non ſufficit: ergo neceſſaria eſt diſtinctio virtualis intrinſeca. Hæc ſola minor ſubſumpta probanda eſt; cæteræ enim propoſitiones jam ſupponuntur alibi probatæ; & probatur. Diſtinctio virtualis intrinſeca ſtat non in hoc ſolum, quod illius extrema ob ſui eminentiam æquivaleant pluribus realiter diſtinctis in creatis, quod præſtat diſtinctio virtualis extrinſeca; ſed etiam, quod realis, & formalis identitas extremorum æquivaleat pluralitati, & diſtinctioni eorundem extremorum; ſed hoc habetur, & verificatur inter eſſentiam, & relationes in divinis, inter intellectum, & voluntatem, inter ſpirationem activam, & paternitatem, atque filiationem: ergo inter hæc eadem datur diſtinctio virtualis intrinſeca, & non tantum extrinſeca. Probatur minor. Extrema identitatis eodem eminenti modo, quo identitas ipſa eſt ſibi eminens: ergo ſi hæc extrema ob ſui eminentiam æquivalent pluribus diſtinctis, ipſa quoque identitas æquivalet pluralitati, vel diſtinctioni. V. hoc ipſum probatur, & modo facta probatio explicatur. Illa diſtinguuntur virtualiter intrinſece, quæ ita conveniunt formaliter in uno, ut exerceant in illo uno propria utriuſque; ſed ita ſe habent in Deo abſolutum, & relativum, ſcilicet in divina realitate, in qua conveniunt quoque formaliter: ergo virtualiter intrinſece diſtinguuntur. Probatur minor. Entitas illa, & formalis divina Patris ita eſt una entitas, & formalitas abſoluta, & relativa, ut qua abſoluta eſt, ſit a parte rei communicabilis ſine ulla oppoſitione, & diſtinctione reali a Filio; qua vero relativa, ſit incommunicabilis, diſtincta, & oppoſita illi: ergo ita in una realitate conveniunt, & divina formalitate, ut utriuſque propria exerceant.

Obſtant Adverſarii I. Magis diſtinguitur relativum ab abſoluto, quam relativum a relativo; ſed relativum a relativo diſtinguitur in divinis realiter actu: ergo ſic ſaltem pariter diſtingui debet relativum ab abſoluto. Major videtur, quod negari non poſſit, quia relativum, & relativum ſunt in eodem ordine, relativum vero, & abſolutum in diverſo ordine. Minor etiam patet, quia in divinis eſt realis diſtinctio, ubi eſt relativa oppoſitio. II. Dicuntur prædicata contradictoria de eſſentia, & de relationibus in Deo: ergo realiter diſtinguuntur. Probatur antecedens. De eſſentia dicitur, quod communicatur, de relationibus dicitur, quod non communicantur; de intellectu dicitur, quod producit Verbum, de voluntate dicitur, quod non producit Verbum, de Spiratione activa dicitur, quod ſit productiva Spiritus Sancti, de Paternitate, & filiatione dicitur, quod non ſunt productivæ Spiritus Sancti; ſed hæc omnia ſunt contradictoria: ergo &c. III. Major omnium oppoſitionum eſt contradictoria, ut patet ex Logicis; ſed in divinis oppoſitio relativa, quæ eſt minor, parit diſtinctionem realem: ergo a fortiori oppoſitio contradictoria, quæ eſt major. IV. Natura, & Perſona ex SS. Patribus in Deo non ſunt idem: ergo diſtinguuntur realiter. Probatur antecedens. Theodoretus apud Porretanum docet: *Qui naturam, & perſonam idem eſſe intelligit, in diviſionem Arii incidet, aut in confuſionem Sabellii*: Et Hilarius apud eundem: *Non eſt idem natura, quod res naturæ*. V. In Concilio Florentino ſeſſ. 13. dictum fuit a Joanne Epiſcopo, qui pro Latinis arguebat: *Divinam ſubſtantiam, & perſonam, re quidem idem eſſe, ſecundum autem modum intellectionis noſtræ videri differre*; & huic aſſertioni Marcus Epheſinus, qui Græco-

rum partes agebat, aſſentiit. In eodem Concilio ſeſſ. 19. dicitur, ſubſtantiam, & perſonam in divinis *ſola ratione, ac intelligentia* differre: ergo ſola diſtinctione rationis ratiocinantis diſtinguuntur. IV. Prædicata abſoluta, & relativa in Deo conveniunt actu formaliter: ergo diſtinctio, quæ vincat eorum oppoſitionem, nequit eſſe virtualis, nec formalis per intellectum, ſed actualis realis; non realis realis: ergo realis formalis. VII. Eſſe communicabile, & incommunicabile, & ſimilia, ſunt actu in Deo ante omne opus intellectus: ergo actu petunt diſtinctionem, quæ eorum ſuperet oppoſitionem: ergo non ſufficit diſtinctio virtualis. VIII. Diſtinctio virtualis vel ponit in extremis aliquid actu diverſum a parte rei; vel non: Si ponit: ergo non eſt diſtinctio virtualis, ſed actualis: Si non ponit: ergo non eſt diſtinctio, ſed virtus, ſeu potentia, ſive poſſibilitas diſtinctionis.

Reſpondemus ad I. negando majorem; ratio eſt, quia inter relativum, & abſolutum non eſt oppoſitio, quanvis ſint ordinia diverſi; inter relativum vero, & relativum, licet ejuſdem ordinis, eſt oppoſitio, & talis oppoſitio in divinis, ut ab ſe invicem excludantur; qui enim dicit principium, dicit terminum, qui a principio diſtinguitur. Hac reſponſione utebantur Patres contra Sabellium, ut realem Perſonarum diſtinctionem probarent; & hac eadem utuntur Theologi, firmantes commune illud effatum: *Omnia ſunt unum in divinis, ubi non obſtat oppoſitio relativa*.

Ad II. dicimus, quod tunc de una, & eadem re non poſſunt dici prædicta contradictoria, quando non eſt virtualiter multiplex; quando vero eſt multiplex virtualiter, æquivalet pluribus actu realiter diſtinctis, & ſic prædicata vel non ſunt contradictoria, vel ſi ſunt, ſecundum unam rationem, ſeu virtualitatem dicuntur, ſecundum aliam non dicuntur; quod pariter idem eſt, ac impedire contradictoria, ne ſint, non eſt autem ea verificare, ut ſint.

Ad III. dicitur pariter, quod in divinis oppoſitio contradictoria non eſt, quanvis appareat quod ſit. Et non eſt, quia eam impedit infinita Dei eminentia, ſupra quam diſtinctio virtualis fundatur, ne ſit. Oppoſitio vero relativa vere eſt in Deo, nec ullatenus poteſt impediri; & inde eſt, quod ratione hujus oppoſitionis eſt realis diſtinctio in divinis, ubi eſt hujuſmodi relativa oppoſitio.

Ad IV. diſtinguitur antecedens: Non ſunt idem virtualiter, conceditur; non ſunt idem realiter actu, negatur. Patres, qui opponuntur, hoc tantum volunt, quod conceptus naturæ non ſit conceptus perſonæ, & conceptus perſonæ non ſit conceptus naturæ; hoc totum a nobis libenter conceditur. At ex hoc potius fit, ut quanvis natura realiter actu ſit idem cum perſona, poteſt nihilominus ratione infinitatis ipſius ab intellectu noſtro concipi modo ſub naturæ, modo ſub perſonæ conceptu.

Ad V. tam Latini, quam Græci Patres, in Concilio Florentino, aſſerebant, eſſentiam, & perſonam differre ſola intelligentia, ſola ratione, ſed cum fundamento in re, non autem ſine fundamento in re. Et quanvis hujuſcemodi fundamenti expreſſe mentionem non fecerint, illud tamen abſque dubio ſupponebant; aliter chimærica fuiſſet diſtinctio, quam inter illas eſſe, dicebant; quod non eſt de iiſdem aſſerendum.

Ad VI. cum retorſione argumenti dicimus, quod prædicata abſoluta, & relativa in Deo conveniunt non tantum actu formaliter, ſed etiam realiter: ergo ſi ex actuali formali convenientia excludenda eſt virtualis diſtinctio tanquam inſufficiens, ex actuali reali excludenda quoque eſt ut inſufficiens formalis Scotica. Directe negatur conſequentia; & ratio eſt, quia diſtinctio virtualis oritur ex Divinitatis eminentia; unde ſupplet omne id, quod realis diſtinctio præſtare poſſet; quemadmodum per Scotiſtas ſupplet diſtinctio formalis ſine reali.

Ad VII. diſtinguimus antecedens; ſunt actu in Deo diſtinguibilia concedimus; diſtincta, negamus. Diſtinguimus pariter conſequens: ergo actu petunt diſtinctionem virtualem, concedimus; realem, negamus. Quia enim aſſeret, quod prædicata illa actu in Deo realiter ſint diſtincta? Hoc eſſet in Porretani, vel in Palamæ, errores incidere. Sunt quidem diſtinguibilia; at hæc diſtinguibilitas eſt virtualis diſtinctio. Unde ſequitur, quod actu petunt diſtinctionem virtualem, non vero realem; vel, ſi mavis, actu petunt diſtinctionem faciendam per intellectum, quæ eſt formalis objectiva, & quæ diſtinguibilitatem illam, ſeu virtualem diſtinctionem, habet pro fundamento.

Ad VIII. dicimus, quod non ponit aliquid actualiter diverſum, ſed tantum virtualiter; ſcilicet eminentiam illam, quæ continet diſtinctionem actualem, quæ reperitur inter extrema limitata, & finita; & per

hoc

hoc ſit, quod ejus continentia, ſeu eminentialis diſtinctio ſuppleat omne id in Deo, quod præſtat in nobis actualis diſtinctio. Ad id, quod dicitur: ergo non eſt diſtinctio; diſtinguitur conſequens; ergo non eſt diſtinctio actualis, conceditur; virtualis, negatur. Sed eſt virtus, ſeu potentia, ſeu poſſibilitas diſtinctionis, conceditur totum; quia vere diſtinctio, quæ eſt actualis, non eſt ante opus intellectus, ſed per opus intellectus; ante opus intellectus eſt diſtinguibilitas, ſeu virtualis diſtinctio, quæ eſt actualis virtus diſtinctionis, ſed non actualis diſtinctio.

Ad quintam Diſſertationis partem accedimus, in qua diſſerendum eſt, an Relationes conſtituant Perſonas? Pro qua obſervamus, quod ſicut noſtro intelligendi modo in Perſonis divinis ponimus diſtinctivum, ita etiam ponimus conſtitutivum; idem enim eſt conſtitutivum intrinſecum alicujus, ac diſtinctivum. Abſit autem, quod hoc intelligatur de conſtitutivo phyſico, quod ſummæ Dei ſimplicitati obſtat; nequit etiam intelligi de ſolo conſtitutivo metaphyſico, quod cum Dei realitate non compatitur. Eſt autem, ut ait P. Magnanus prop. 7. num. 1., aliquis medius modus realiter conſtituendi, quo non ſit conſtitutio phyſica, ob indiſtinctionem realem conſtituentium; nec pure metaphyſica, ob realem, non pure metaphyſicam, communitatem naturæ. Hoc poſito, controvertitur inter Scholaſticos, an formale cujuſque perſonæ conſtitutivum, ſeu proprietas, ſit aliquid abſolutum, an vero relatio?

Dicimus, Perſonam quamlibet divinam in ratione perſonæ formaliter conſtitui per Relationem. Eſt communis aſſertio, ſi pauci ex Scholaſticis excipiantur:

I. probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe IV. in cap. *damnamus* habet: *Una ſumma res eſt, quæ nec eſt generans, neque genita, nec procedens: Sed eſt Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus Sanctus, qui procedit; ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura*. En quomodo in divinis unitas habetur ex natura, numerus vero, & multiplicatio ex relativis; ſed numerus, & multiplicatio conſtituit perſonas: ergo perſonæ per relationes conſtituuntur. Concilium Toletanum XI. *In relatione perſonarum numerus cernitur, in divinitatis vero ſubſtantia quid enumeratum ſit, non comprehenditur. Ergo hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, & in hoc numero carent, quod ad ſe ſunt*. Ex quibus verbis arguitur, quod per relationes, quæ importantur per ad invicem eſſe, numerus habetur, non vero per ſubſtantiam, quæ exprimitur per eſſe ad ſe. Concilium Florentinum generale in Decreto Fidei docet: *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſum Patrem Unigenito Filio ſuo gignenda dediſſe, præter eſſe Patrem*.

II. probatur ex Patribus. Baſilius ep. 391. *Commune deitas, proprium eſt paternitas: utroque ergo copulato dicere oportet: Credo in Deum Patrem*. Nazianzenus orat. 23. *Commune eſt enim Patri quidem, & Filio, & Spiritui Sancto, non eſſe factos, necnon divinitas ipſa: At Filio, & Spiritui Sancto, commune eſt produci a Patre: proprium eſt autem Patris quidem eſſe ingenitum, Filii vero generatio, Spiritus Sancti proceſſio*. Et orat. 24. *Cum legitur: Ego, & Pater unum ſumus, eſſentiæ conjunctionem ob oculos habendam: Cum autem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomen audiuntur, proprietates tres eſſe cogitandas*. Et orat. 37. reſpondens Ariano, qui quærebat, quid Spiritui Sancto deerat, ne Filius eſſet, docet: *Nihil deeſſe: neque enim deeſſe rem ullam Deo: Verum manifeſtationis, ut ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, differentem, & ipſorum facit appellationem. Non enim Filius eſt Pater; ſed non defectus propterea ullus intelligitur, nec eſſentiæ ſummiſſio. Verum illud ipſum non eſſe genitum, & eſſe genitum, & procedere, huic quidem Patris, iſti vero Filii, illi Spiritus Sancti appellationem indidit*. Nyſſenus lib. 1. cont. Eunomium: *Cum Patris nomen audimus, hanc notionem animo concipimus; quoniam nomen iſtud non in ſe tantum intelligitur, ſed etiam habitudinem quandam ad Filium propria vi, & ſignificatione declarat: Non enim ſeparatus Pater, & per ſeſe comprehendi animo poteſt, niſi ſimul & Filius in ipſa Patris appellatione jungatur; quam cum Patrem diſcimus, eadem voce fidem etiam in Filium edocti ſumus*. Cyrillus lib. 11. Commentariorum in Joannem: *Nihil eſſe, quod Filium a Patre dividat, ac differre faciat, quo minus in omnibus ſimilis, æqualiſque ſit, præter hoc unum, quod Pater eſt*. Theodoretus. dialog. 1. *Mox ea, quæ de divina natura dicuntur, communia ſunt Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut ſunt; Deus, Dominus, Omnipotens, & id genus alia. Quæ vero hypoſtaſes ſignificant, non jam ea ſanctæ Trinitatis communia ſunt, ſed illius hypoſtaſis unumquodque eſt, cujus eſt proprium*. Auguſtinus epiſt. 74. *His enim appellationibus perſonarum, hoc ſignificatur, quod ad ſe invicem referuntur, non*

ipſa

ipſa ſubſtantia, quâ unam ſunt. Nam & Pater cum dicitur, nonniſi alicujus Filii dicitur; & Filius nonniſi alicujus Patris intelligitur; & Spiritus Sanctus ſecundum id, quod ad aliquid refertur, Spirantis alicujus eſt. Et tract. 39. in Joan. *Iſta, quæ dico, poteſt is de ſimilitudinibus agnoſcere quotidianis. Homo, & alter homo, ſi ille ſit Pater, ille Filius, quod homo eſt, ad ſeipſum eſt; quod autem Filius eſt, ad Patrem eſt. Pater enim nomen eſt dictum ad aliquid, & Filius ad aliquid .... Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, non quod ad ſe ſunt.* Et lib. 7. de Trinit. c. 2. *Et propterea non eo Verbum, quo ſapientia; quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relative ad eum, cujus eſt Verbum; ſicut Filius ad Patrem: Sapientia vera eo, quo eſſentia; & ideo quia una eſſentia, una ſapientia.* Et lib. 11. de Civit. Dei: *Sed ideo ſimplex dicitur, quoniam quod habet, hoc eſt; excepto, quod relative quæque perſona ad alteram dicitur. Nam utique Pater, nec tamen ipſe eſt Filius; & Filius habet Patrem, nec tamen ipſe eſt Pater. In quo ergo ad ſeipſum dicitur, non ad alterum, hoc eſt quod habet.* Et ſer. 58. de verb. Domini: *Nec aliqua alia cauſa eſt, quæ diviſionem faciat perſonarum, niſi quod hic ingenitus eſt, & ille genitus; ideſt hic Pater eſt, & ille Filius.* Fulgentius lib. de Trinit. *Pater non ſibi eſt, ſed Filio. Filius non ſibi eſt, ſed Patri. Spiritus alicujus eſt aſpirantis: ergo ad Patrem, Filiumque, refertur. Illa itaque relativa nomina Trinitatem faciunt; eſſentialia vero nullo modo multiplicantur.* Bernardus ep. 190. contra Petrum Abaelardum hæc ſcribebat: *Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum, veraciſſime dicitur, perſonarum ſane deſignatio eſt, non unitatis diviſio.*

III. probatur Rationibus. I. Nihil deficit relationibus divinis realiter diſtinctis, quin ſint perſonales proprietates, & conſtitutiva ultima divinarum perſonarum: ergo vere ita ſunt. Probatur antecedens. Relationes ſunt tres diſtinctæ realiter, ſunt incommunicabiles, ſunt ſingulæ ſingularum perſonarum propriæ, ſunt cum eſſentia identificatæ; quæ quidem eſſentia eſt alterum conſtitutivum commune omnibus perſonis; ſunt ſubſtantiales, ſunt infinite perfectæ &c.: ergo nihil deficit, quin ſint perſonales proprietates, & conſtitutiva ultima divinarum perſonarum. II. Perſonæ divinæ conſtituuntur per id, quod eſt ſingulare, non per id, quod eſt commune, in Trinitate; ſed per hoc importantur relationes: ergo per relationes conſtituuntur. Probatur minor. Omnia in divinis ſunt communia, præter relationes; paternitas enim ſoli Patri convenit, Filiatio ſoli Filio, Spiratio paſſiva ſoli Spiritui Sancto; alia vero, quæ ſunt abſoluta, ut natura, & attributa, in ſingulis perſonis reperiuntur: ergo relationes tantum ſunt ſingulare quid in Divinis. Major primi argumenti patet; quia quod eſt commune conſtituit eſſentiam, quod vero eſt ſingulare conſtituit perſonas in divinis. III. Perſonæ divinæ conſtituuntur per id, quod eſt ad alium, non vero per id, quod eſt ad ſe; ſed per id, quod eſt ad alium, intelliguntur relationes, per id vero, quod eſt ad ſe, intelligitur eſſentia divina: ergo Perſonæ divinæ conſtituuntur per relationes, & non per eſſentiam. Major propoſitio conſtat ex allatis auctoritatibus Conciliorum, & Patrum; minor non negatur; conſequentia ſequitur.

Objiciunt I. Conſtitutivum quodlibet non debet ſupponere ſuum conſtitutum; ſed relationes divinæ ſupponunt conſtitutas divinas perſonas: ergo illas non conſtituunt. Probatur minor. Relationes in divinis ſupponunt origines; ſed origines ſupponunt conſtitutas perſonas: ergo multo magis ſupponunt eas conſtitutas relationes. Major eſt certa; quia relationes fundantur in originibus: ergo origines ſupponuntur a perſonis. Minor probatur. Perſona Patris, ex. gr. ſupponitur conſtituta, antequam habeat originem Filii productivam, ſeu antequam generet: ergo a fortiori ſupponitur conſtituta antequam reſpiciat Filium: ergo antequam habeat paternitatem. Probatur conſequentia. Paternitas ſupponit actum generandi, ſeu originem Filii productivam, tanquam rationem fundandi: ergo prius eſt Patrem generare Filium, & deinde referri ad Filium. II. Ex Auguſtino lib. 7. de Trin. c. 6. *Non enim eſt aliud Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe, ſed omnino idem:* ergo ex Auguſtino perſonæ conſtituuntur per eſſe ad ſe, non per eſſe ad alium; ſeu, quod idem eſt, per abſolutum, & per relativum. III. Ex eodem Auguſtino loc. cit. habemus: *Quocirca ut ſubſtantia Patris ipſe Pater eſt, non quo Pater eſt, ſed quo eſt; ita & perſona Patris non aliud, quam ipſe Pater eſt: Ad ſe quippe dicitur perſona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum; ſicut ad ſe dicitur Deus, & magnus, & bonus, & juſtus, & ſi quid aliud hujuſmodi:* ergo per Auguſtinum Pater conſtituitur per id, quod dicitur ad se. IV. pariter ex Auguſtino eodem

loco:

loco: *Nam ſi eſſe ad ſe dicitur, perſona vero relative, ſic dicamus tres perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, quod ſint ad invicem, non quod unuſquiſque eorum ſit ad ſeipſum*; hoc autem non eſt dicendum, quia aliter eſſet unitas collectionis, non unitas identitatis: ergo neque illud. V. Prius concipimus perſonam in divinis, quam relativum: ergo perſona non conſtituitur per relativum. Probatur antecedens. Prius in divinis concipimus perſonam, quam illud, quod eſt principium relativi: ergo prius concipimus perſonam, quam relativum. Probatur antecedens. Principium *quo* relativi in divinis eſt intellectio, & volitio; ſed hoc principio prior eſt perſona in noſtro conceptu: ergo prius in divinis concipimus perſonam, quam illud, quod eſt principium relativi. VI. Prius eſt perſonam exiſtere, quam referri: ergo antequam referatur jam ſupponitur conſtituta perſona, quia jam ſupponitur exiſtens.

Reſpondemus ad I. cum Cacherano, qui multos reſpondendi modos affert ex aliis Theologis, & impugnat, aſſignando diſcrimen inter relationem prædicamentalem, & traſcendentalem; quia dicit, illam eſſe accidentalem, hanc vero eſſentialem; unde illa ſupervenit, hæc vero conſtituit. Eaemplum affert potentiæ activæ, qua caußa conſtituitur, & illam dicit eſſe relationem traſcendentalem ad effectus producibiles. Subdit deinde verba hæc: *Et ecce veſtigium aliquod veri modi, quo divinæ relationes perſonas conſtituunt*. Sequenti poſtmodum §. probat ſuam reſponſionem aſſerto, quod firmat; ut apud ipſum Legentes invenient.

Ad II. explicatur Auguſtinus, & intelligitur a parte rei, ſeu realiter, non vero ex parte intellectus noſtri, ſeu mentaliter. Scilicet, non aliud eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, a parte rei quidem, quia eſſe Dei non diſtinguitur realiter a perſona; quum, quicquid in Deo eſt, Deus ſit; non vero ex parte intellectus noſtri; quia hic etiam in Deo diſtinguit unum ab alio, fundamentum habens in re.

Ad III. pariter Auguſtinum eaplicamus, dicendo, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, poſſunt dici tres perſonæ, ſicut dicuntur tres amici &c. quantum ad aliquid, non vero quantum ad omnia. Quantum ad aliquid ſcilicet, quia totum eſſe amici, vicini, propinqui &c. eſt ad aliud; totum vero eſſe Patris in divinis non eſt ad aliud. In Patre enim perſona, & eſſentia a parte rei ſunt idem; at eſſentia prout eſſentia, & ſub conceptu formali eſſentiæ, non eſt ad aliud; unde ſequitur, quod perſona ſecundum totum, & adæquatum ſuum eſſe non ſit ad aliud, quanvis ſub conceptu formali perſonæ, prout diſtinguitur ab eſſentia, ſit ad aliud.

Ad IV. denique intelligimus Auguſtinum, quod Pater ut eſt ad ſe dicitur perſona, ſi perſona accipiatur indirecte, & in obliquo; quia ſic accepta idem eſt cum eſſentia; non vero ſi ſumatur directe, & in recto; quia ſic Perſona Patris dicit ordinem ad Filium, unde dicitur non ad ſe, ſed ad alium.

Ad V. dicitur, quod Perſona in divinis dicit eſſentiam divinam, tanquam materiale, noſtro intelligendi modo; & dicit reſpectum ad aliud, tanquam formale. Si primo modo accipiatur perſona, certum eſt, quod prius poteſt a nobis concipi, quam intellectio, & volitio; at ſi ſecundo modo ſumatur, non poteſt.

Ad VI. conceditur, quod ſuppoſitum debet exiſtere, antequam agat; ſed ſufficit ut ſupponatur exiſtens ſecundum aliquam confuſam rationem ſuppoſiti, non vero eſt neceſſe, ut ſit conſtitutum ſecundum rationem ſpecificam, & adæquatam ipſius ſuppoſiti. Cæterum hæc argumenta ut plurimum deſumuntur ex paritate rerum creatarum, quæ in divinis non habet locum. In divinis enim ſalvare debemus omnimodam a parte rei identitatem, & debemus omnem excludere imperfectionem; quæ quidem duo in creatis neutiquam inveniuntur.

P. Magnanus novam hac in re incedendi viam excogitavit, qua ſcilicet Theologorum diverſas, immo oppoſitas, ſemitas uniret, & Conciliorum, ac Patrum mentem amplectens, a Scholaſticorum ſenſu non diſcederet. Inter abſolutum, & relativum, poſuit medium, quod non ſit abſolutum, & ſic Conciliis, & Patribus non adverſaretur; & quod neque ſit relatio formalis, & ſic ſcholarum difficultates vitaret. Hoc autem medium, quod non ſit abſolutum, neque ſit formalis relatio, ab ipſo dicitur relativum. Nomine vero relativi non intelligit, quod ſit nude referibile, vel in potentia ad referri, vel cum indifferentia ad referri, & non referri; ſed intelligit, quod ſit cum eaigentia ab intrinſeco, & neceſſario ex vi ſuæ conditionis, relativum; unde non poſſit, niſi relative intelligi, ſi diſtincte,

prout

prout in se eſt, inrelligatur. ;

Sic poſtmodum clarius, & in particulari, ſe explicat. Primo ſupponit, quod ſit impoſſibile intelligere relationem, niſi præſuppoſito ejus fundamento; unde impoſſibile eſt intelligere paternitatem, niſi præintelligatur generstio, quæ eſt fundamentum paternitatis, quæ eſt relatin. Secundo impoſſibile dicit eſſe intelligere, generationem eſſe ab aliquo, quin præintelligatur in eo aliqua perfectio, vi cujus ſit fœcundum, & veluti generans in actu primo. Poſt hæc ait; quod perfectio hæc propria, quæ conſtituit Patrem formaliter in eſse fœcundi velut in actu primo; & quod actualis fœcunditatis uſus, ſeu realis actualis actin generandi, quæ conſtituit Patrem formaliter in eſſe genitoris; non ſint pure abſolutæ; vel quod idem eſt, non poſſins intelligi, niſi relative, & tamen non eſſe formales relationes.

Primum probat, & alterum quoque, ſequentibus verbis, quæ ad literam referimus, ut melius ejus mens a Legentibus percipiasur, & nos abſque mutatione apicis quoque referamus. „ De primo res eſt evidens,
„ quia & generatio nequit intelligi, niſi us
„ alicujus geniti generatio; & conceptus fœ-
„ cunditatis, prout fœcunditas eſt, formari
„ non poteſt, niſi dun includat, directe qui-
„ dem ipſammet illam perfectionem, quæ
„ eſt fœcunditatis; indirecte vero illum, ad
„ quem ut gignendum eſt fœcunditas. De
„ ſecundo etiam res eſt pariter evidens. Quia
„ cum relatio paternitatis ſupponat ſuum
„ fundamentum, fieri nequit, ſaltem ſecun-
„ dum modum intelligendi, ut fundamen-
„ tum ſit ipſa formalis relatio paternitatis.
„ At vero generatio actualis eſt paternitatis,
„ ſeu relationis, quæ eſt paternitas, funda-
„ mentum proximum; & fœcunditas eſt fun-
„ damentum remotum; nempe id, quod re-
„ fertur, ſive id, ſecundum quod Pater re-
„ fertur; non enim refertur ſecundum eſſen-
„ tiam communem: ergo &c. Conſtat ita-
„ que ex his proprietatem quaſi geminam,
„ quæ ſcilicet Patrem conſtituit tum in actu
„ primo, tum in actu ſecundo, neque eſſe
„ abſolutam, neque eſſe formalem relatio-
„ nem; ſed eſſe relativam, nempe eſſe fun-
„ damentum hinc primum, hinc remotum
„ relationis formalis, quæ vocatur paterni-
„ tas „.

Pergit poſtmodum oſtendere, quod proprietas illa, quam dicit geminam, ita ſit relasiva, ut non ſit mere referibilis cum potentia illa nuda, quæ quid accidentale importat, vel cum indifferentia; ſed ſit neceſſario, & ab intrinſeco, ac formaliter vi ſui, relativa. Et ſic explicat ſimul, & probat: Supponit primo, actionem univerſaliter non diſtingui ab agente, & termino; ſupponit ſecundo in ſententia S. Thomæ, creationem non diſtingui realiter a creasore, & creatura; ſupponit tertio, in creasore omnipotentiam, & in quavis agente vim activam, eſſe quodammodo relativam; ſcilicet eſſe fundamentum relationis, in quantum eſt ad aliquid agendum. Quia samen ſeparabilis eſt ab actione, quum Deus non ſemper creet, & alia agentia non ſemper agant; hinc ſit, quod quanvis habeant relationem fœcundi in actu primo, non tamen habent neceſſario relationem fœcundi in actu ſecundo. Unde infert, quod quanvis illa ſint referibilia, ſeu poſſint eſſe fundamentum relationis, quando advenit actio, non tamen ſunt ſecundum se, ac vi ſui, ſic proprie relativa, ut intelligi non poſſint, niſi relative.

In Trinitate vero non ſic. Fœcunditas enim Patris, ait ipſe, tanta neceſſitate nexa eſt cum actuali ſui uſu, ſive cum actuali generatione, ut ſit ipſamet ſua formalis actio generandi; & eatenus ſit ſe ipſa, & vi ſui fundamentalis relatio, ſeu ſundamentum immediatum formalis relationis, quæ eſt paternitas. Poſtmodum in paternitate Patris tria diſtinguit, vel quaſi tria, quibus integratur; ſcilicet id, quod refertur, quod eſt fundamentum remotum, & eſt fœcunditas de se relativa; id quod eſt fundamentum proximum, ſeu formalis ratio relationis, & eſt actio generandi, quæ vocatur relatio fundamentalis; & relatio formalis, ſeu denominatio ab actu generationis; quæ eſt paternitas. Hæc autem omnia, ſcilicet, eſſe, generare, & referri, idem ſunt, quia non ſunt res diſtinctæ; propterea uno nomine relationis, ſeu paternitatis; vel etiam nomine originis, ſeu generationis; vel quoque nomine proprietatis paternæ ſimpliciter; venit ea perfectio, ſeu proprietas perſonalis per modum formæ conſtitutivæ, quæ eſt vi ſui tum fœcunditas in actu primo, tum ſimul generatio in actu ſecundo. Vel clarius ſe explicando dicit, quod nomine relationis, indiſcriminatim ſumpto, venit primum illud relationis integrans, hinc ſecundum, hinc tertium. Attamen ſi in modo intelligendi, & loquendi, hæc rite diſtinguantur, omnia argumenta in contrarium facile ſolventur, & repugnantiis omnibus, quæ forſitan adduci poſſent, prompte etiam occurretur. Verum, ut hæc quoque majori perſpicui-

tate

tate percipiantur, ex illius verbis objectiones efformamus, & ex iiſdem pariter reſponſiones exhibemus.

Arguunt contra P. Magnani ſententiam I. contra hanc explicationem militant Concilia, & Patres: ergo non ſuſtinenda. II. Explicatio iſta eſt nova, & prorſus uſque adhuc inaudita: ergo non admittenda. III. Nullum datur medium inter abſolutum, & relationem formalem; & probatur; quia ſi præſcinditur ratio *ad*, non remanet, niſi ratio *in*; atqui hæc eſt abſoluta: ergo ſi negatur, perſonam conſtitui relatione formali, remanet, ut dicatur, conſtitui per abſolutum. IV. Eſt contra omnes Scholaſticos hæc P. Magnani ſententia: ergo omnino rejicienda.

Reſpondemus ad I. Ex Conciliis, & Patribus nil aliud haberi expreſſe, quam perſonas per abſoluta non conſtitui. Immo Vaſquez addit, Concilia, & Patres, non loqui de conſtitutivo perſonarum, ſed de diſtinctivo; & nec etiam de iſto agunt in ſenſu ita formali, ut non poſſit dici, conſtitutivum perſonæ eſſe relativum, non formalem relationem. Quum igitur Concilia, & Patres, poſſint in utroque ſenſu intelligi, & Eccleſiæ auctoritas non determinaverit, in quo ſenſu intelligi debeant; liberum eſt Theologis ſenſum illum præeligere, qui ipſi rationi videbitur aptior, atque conformior.

Ad II. dicit Magnanus, ſuum dictum nemini debere eſſe aut mirum, aut novum; quia illi ipſi, qui aſſerunt, perſonas conſtitui proprietatibus ſecundum quod ſunt origines, non autem ſecundum quod ſunt relationes, non dicunt conſtitui per abſoluta; immo acriter illud negant. Ex his eſt S. Bonaventura diſt. 26. q. 3. ad 4., cujus adducit editionem romanam, & in margine verba hæc addita aſſerit: *Ex his patet falſo Scotum imponere Sancto Bonaventura, quod perſonæ conſtituantur per abſoluta*. Et tamen S. Bonaventura per relationes non conſtituit: ergo non eſt mirum, nec novum, aſſerere, perſonas non conſtitui per abſoluta, non conſtitui per relationes formales, ſed conſtitui per medium, quod S. Bonaventura dicit eſſe originem, & P. Magnanus dicit eſſe relativum.

Ad III. inquit, quod ratio *in*, hoc eſt fundamentum remotum, ſcilicet fœcunditas, prout eſt alicujus vel in aliquo fœcunditas, præciſe, & formaliter ut ſic, non eſt ratio *ad*; & ratio eſt, quia *in*, & *ad*, non ſunt idem formaliter; quanvis ſpecificative illi eidem, cui convenit ratio *in*, competat etiam ratio *ad*. Attamen eadem ratio *in*, ſeu fœcunditas, eſſet quid abſolutum, & pure referibile, ſi ei ratio *ad* accidentario adveniret. Si autem ei eſt annexa ratio *ad* ita intrinſece, ut intelligi non poſſit, ſicuti eſt, niſi relative; tunc eſt inſuper proprie relativum, & minime abſolutum ſpecificative, & ſecundum rem. Ad hæc addit; quod licet non ſit medium inter abſolutum, & relativum, eſt tamen medium inter abſolutum, & relationem; quod eſt relativum ipſum, ut diximus.

Ad IV. occurrit dicendo, quod Scholaſtici nullam habuerunt differentiam inter relationem, & relativum, & poſuerunt tantum diſcrimen inter abſolutum, & relationem. Hinc eſt, quod a communi Scholaſticorum mente non recedit, qui aſſerit, perſonas non conſtitui per abſolutum; hoc enim Scholaſtici intenderunt. Et ſic pariter nec diſcedit a mente Scripturarum, Conciliorum, & Patrum; quorum omnium una eſt vox, perſonas non conſtitui per abſolutum. An vero conſtituantur per relationem formalem, an per relativum, apud illos nullum eſt verbum. Verba denique ipſorum, quod aptius per relativum, quam per relationem, explicentur, P. Magnanus lato calamo oſtendit; apud quem Legentes, qui plura cupiunt, ad ſatietatem videbunt.

Pro ultima denique Diſſertationis parte, in qua quæritur, an Relationes perfectionem dicant? Lis eſt inter Thomiſtas, qui affirmant, & inter Scotiſtas, qui negant. P. Magnanus duplici modo quæſtionem intelligit; primo, de relationibus collective ſumptis, & quaſi per modum unius, prout ſimul dicunt eſſe trinum in unitate naturæ divinæ: Secundo de relationibus ſigillatim acceptis, prout ſeorſim dicunt, hinc eſſe Patrem, hinc eſſe Filium, hinc eſſe Spiritum Sanctum. Primo modo P. Magnanus tuetur, proprietates perſonales ad perfectionem Dei pertinere; & hoc tenet cum Vaſquez diſp 122. c. 2. contra Scotum. Secundo modo defendit quoque, eaſdem proprietates perſonales eſſe perfectiones; & hoc aſſerit cum Suarez lib. 3. de Trin. c. 9. contra Vaſquez.

Dicimus, proprietates perſonales in divinis, ſive collective, & quaſi per modum unius ſumantur, ſive accipiantur ſigillatim, ad Dei perfectionem pertinere, non minus, quam attributa.

I. Probatur pro prima parte a P. Magnano ratione, quam ait expreſſam verbis ipſius Vaſquefii; & hæc eſt: „ Quia ſicut Deus „ ob

„ ob ſuam infinitam perfectionem poſtulat
„ eſſe ſapientem, ſic etiam ob eandem fœ-
„ cundus eſt, ut ſit Pater, Filius, & Spiritus
„ Sanctus. Negari ergo non poteſt, paterni-
„ tatem eſſe aliquam Dei perfectionem, ſi-
„ cut ſunt attributa. Porro fœcunditatem,
„ & relationes ad Dei perfectionem perti-
„ nere non minus quam attributa, quanvis
„ non eodem modo, hac ratione probatur.
„ Quia ſicut melius eſt Deo eſſe ſapientem,
„ quam non eſſe ſapientem; ita melius eſt
„ Deo eſſe Patrem, Filium, & Spiritum
„ Sanctum, quam non eſſe. Illud autem,
„ quod melius eſt alicui rei, quam negatio
„ illius, non poteſt non eſſe perfectio rei;
„ quod enim alicui melius eſt, illi perfe-
„ ctius eſt; melius enim, & perfectius idem
„ ſunt, ſicut bonum, & perfectum „.

II. probatur pro ſecunda parte ab eodem P. Magnano, ratione, quam dicit a priori. Divinæ perſonæ ita ſunt realiter tres res, ut una realiter non ſit alia: ergo proprietates, quibus divinæ perſonæ differunt, & quibus intime conſtituuntur, etiam ſigillatim ſumptæ, quid amplius ſunt, quam merum nihil. Antecedens eſt certum, quia aliter Trinitatis myſterium rueret. Conſequentia ſequitur; quia ſi eſſet merum nihil, non diſtinguerentur, immo nec eſſent; quia per merum nihil eſſe, & conſtitui, idem eſt ac non eſſe; per merum nihil diſtingui, idem eſt ac non diſtingui. Subſumimus modo. Sed ſi non ſunt merum nihil, ſunt aliquid, & quidem aliquid reale: ergo bonum; ergo perfectum.

III. probatur. Actio generandi eſt realis, tum ex parte termini, tum ex parte principii; quia producit terminum realem, nempe Filium; & provenit a forma reali; quia aliter non produceret terminum realem; ſed hæc actio non eſt propria eſſentiæ; aliter non minus generaret Pater, quam Filius, & Spiritus Sanctus; ſed eſt propria Patris ratione proprietatis perſonalis: ergo in Patre connotat perfectionem realem. Et re vera non per purum nihil haberi poteſt actio realis generandi, nec ipſa eſt purum nihil: ergo aliquid, & quidem reale; non negativum; quia aliter eſſet nihil: ergo aliquid reale poſitivum; quod ad perfectionem, de qua loquimur, ſufficiens eſt.

IV. probatur. Implicat, ut attributa ſimul ſumpta ſint una totalis perfectio, & quodlibet attributum non ſit una partialis perfectio: ergo pariter implicat, ut proprietates perſonales ſimul ſumptæ ſint realis perfectio, & earum quælibet non ſit realis perfectio. Hæ quidem omnes, & aliæ etiam, quas, brevitati ſtudentes, hic non afferimus, ſunt rationes P. Magnani. Modo remanet, ut ſecundum communem loquendi modum Scholaſticorum rem explicantes, alias quoque rationes afferamus.

Et quidem Scholaſtici certum habent, relationes ſecundum *in* eſſe in Deo perfectiones, quatenus ſive ſumantur, ut ſunt idem realiter actu cum eſſentia divina, ſive ut ſunt ab eadem ratione noſtra diſtinctæ, ſemper ſunt perfectiones. Relationes vero ſecundum *ad*, ſecundum ſe ſpectatas, nolunt Scotiſtæ, & aliqui etiam ex Thomiſtis, ut ait Jueninus, eſſe perfectiones. Plures tamen ex iiſdem Thomiſtis perfectiones eſſe aſſerunt. Cum quibus

Dicimus, Relationes in divinis, etiam conſideratas ſecundum eſſe *ad*, ſeu prout dicunt reſpectum ad alias perſonas, eſſe perfectiones,

I. probatur ex Patribus. Cyrillus lib. 2. theſauri c. 1. *Non poteſt eſſe perfecta divinitas, niſi Filium habeat, & fructum ex ſe pariat.* Cohærenter ad hæc Cyrilli verba Angelicus Doctor opuſc. 1. contra errores Græcorum ſcribebat: *Non poſſet eſſe Pater perfectus, niſi Filium haberet; quia nec Pater ſine Filio eſſet, nec eſſet Deus perfectus, niſi haberet Verbum.* Auguſtinus lib. 6. de Trinit. c. 13. *Dicitur ergo relative Pater, idemque relative dicitur principium, & ſi quid forte aliud; ſed Pater ad Filium dicitur, principium vero ad omnia, quæ ab ipſomet ſunt. Item dicitur relative Filius, relative dicitur & Verbum, & imago, & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* Nunc eſt dubium, quod hic ſit ſermo de relatione ſecundum eſſe *ad*; & hanc Auguſtinus vult eſſe perfectionem, quia dicit, perfectionem eſſe Patrem referri ad Filium, Filium ad Patrem,

II. probatur rationibus. I. Relationes divinæ ſecundum eſſe *ad* ſunt reales; ut probatum eſt: ergo dicunt realitatem, ſeu realem entitatem: ergo dicunt veram, & realem perfectionem. Conſequentia patet ex Auguſtino lib. 83. quæſtionum q. 24. *Omne, quod eſt, in quantum eſt, bonum eſt.* II. Perſonæ divinæ perficiuntur per relationes: ergo relationes ſunt perfectiones. Conſequentia ſequitur; antecedens probatur. Perſonæ divinæ perficiuntur, per quod diſtinguuntur; per relationes formaliſſime acceptas diſtinguuntur: ergo per eaſdem perficiuntur. III. Relationes

in

in Deo non dicunt imperfectionem, nec præſcindunt a perfectione, & imperfectione: ergo dicunt perfectionem. Antecedens pro prima parte probatione non indiget; pro ſecunda parte probatur. Præſcindere a perfectione in Deo eſt imperfectio: ergo relationes in Deo non præſcindunt a perfectione, & imperfectione. Probatur antecedens. Præſcindere a perfectione eſt non dicere perfectionem ſaltem poſitive; ſed in ente perfectiſſimo; qualis eſt Deus, noo dicere perfectionem eſt imperfectio: ergo præſcindere a perfectione in Deo eſt imperfectio. IV. Non omnis perfectio eſt abſoluta: ergo in Deo præter abſolutas perfectiones ſunt etiam admittendæ perfectiones relativæ. Probatur antecedens. Noo eſt de conceptu perfectionis, ut ſit abſoluta: ergo non omnis perfectio eſt abſoluta. Probatur antecedens. Eſt de conceptu perfectionis, ut ſit de aliquo, quod realiter eſt ens, eſt unum, eſt verum; ſed non minus abſolutum, quam relativum, eſt ens, eſt unum, eſt verum: ergo non eſt de conceptu perfectionis, ut ſit abſoluta.

Obſtant I. Si Relationes io Deo eſſent perfectiones, ſequeretur, quod aliqua perfectio eſſet in una Perſona, quæ noo eſſet in alia; ſcilicet perfectio paternitatis eſſet in Patre, & non in Filio; & ſic de aliis; hoc non eſt dicendum: ergo, &c. II. Sequeretur, quod tres illæ perfectiones trium relationum in divinis, quum non eſſent ejuſdem ſpeciei, eſſent diverſæ, & oppoſitæ; hoc autem importaret, quod una perſona eſſet perfectior alia; & probatur; quia quum non eſſent æqualis perfectionis: ergo eſſent majoris, vel minoris perfectionis: ergo una eſſet perfectior alia; quod nec pariter eſt dicendum. III. Si paternitas in Deo eſſet perfectio, eſſet infinita perfectio: ergo includeret omnem perfectionem: ergo includeret quoque perfectionem filiationis; quod eſt abſurdum. IV. Si quælibet relatio in Deo eſſet perfectio, eſſet infinita, & eſſet infinita ſimpliciter; ſed eſſe infinitum ſimpliciter convenit ſoli Deo: ergo relatio non eſt perfectio. V. Ex Auguſtino lib. 7. de Trinit. c. 1. omnis perfectio eſt abſoluta; docet enim: *Deus ad ſe dicitur & magnus, & bonus, & juſtus*: ergo non datur perfectio relativa. VI. Sequeretur, ſi relationes eſſent perfectiones, quod Filius eſſet perfectior Spiritu Sancto; quia Filius haberet duas relationes, ſcilicet filiationem, & ſpirationem activam, Spiritus Sanctus vero haberet ſolam ſpirationem paſſivam. VII. Sequeretur pariter, quod ſola eſſentia non eſſet infinite perfecta, quia deficerent ei perfectiones relationum. VIII. Sequeretur quoque, quod in Deo eſſent tres res, ſi in Deo relationes eſſent perfectiones; ſed in Deo non ſunt tres res; & probatur, quia aliter eſſent tres ſubſtantiæ: ergo, &c.

Reſpondemus ad I. quod tunc illud eſſet abſurdum, quando perfectio, quæ eſt proprietas Patris ut talis, nullo modo eſſet in Filio; at non eſſe abſurdum, quando licet noo ſit formaliter, eſt tamen eminenter in Filio; & quidem eſt eminenter ratione eſſentiæ divinæ, quæ Patris proprietatem eminenter continet. Sic ad argumentum Vaſqueſii reſpondet P. Magnanus cum Suarez.

Ad II. dicitur, proprietates perſonales eſſe invicem æquales, tum propter eſſentiam, quam includunt, tum etiam propter ſeipſas, licet ſint diſtinctæ, & quaſi diverſæ ſpeciei, & diſſimiles. Et hoc ſic probat Magnanus contra Vaſqueſium: Vel prima proprietas plus confert, quam ſecunda, vel non? Si hoc ultimum: ergo habemus æqualitatem cum diverſitate; quia etſi diverſæ, æqualiter conferunt, conferendo totum, quod ſunt. Si primum: ergo Vaſquez negando earum perfectionem non vitat earundem inæqualitatem, quam alias vitare debet, ne in divinis perſonis aliquo modo detur inæqualitas.

Ad III. dicimus, Paternitatem eſſe perfectionem infinitam, ſed non eſſe omnem perfectionem. Ex Philoſophicis enim ſupponimus, infinitum non dicere omne; infinitos homines non dicere omnes poſsibiles homines; quia poteſt eſſe infinitum in aliquo genere, licet non omnia, quæ ſunt ejuſdem generis includat.

Ad IV. Proprietates perſonales eſſe infinitas ſimpliciter in ſuo genere, non vero in omni genere entis; ſcilicet eſſe infinitas in genere proprietatis perſonalis, vel in genere perfectionis divinæ relativæ; non vero in genere cujuslibet entis, adeoque etiam eſsentiæ. Quum enim ſumantur ſolum in genere proprietatis perſonalis relativæ, cum præciſione ab eſſentia, in hoc genere ſufficit, ut ſint perfectæ, & infinite ſimpliciter perfectæ.

Ad V. Auguſtinus in loco illo loquitur dumtaxat de perfectionibus abſolutis, quum dicat, *magnus, bonus, & juſtus*; magnitudo enim, bonitas, & juſtitia, ſunt abſolutæ perfectiones. Nequit autem a perfectio-

nibus abſolutis peti argumentum ad relativas.

Ad VI. realiter perfectionem cujuslibet perſonæ contineri in eſsentia divina, & ratione eſsentiæ divinæ contineri pariter in qualibet perſona, cum qua eſsentia realiter eſt idem. Et hoc propter circuminſeſſionem, de qua in ſuperioribus diximus. Et de hac loquitur Auguſtinus lib. 6. de Trinit. c. 8. docens: *Tantum eſſe ſolum Patrem, vel ſolum Filium, vel ſolum Spiritum Sanctum, quantum tres perſonæ ſimul ſumptæ.*

Ad VII. eadem eſt reſponſio; quum enim relationes ſint realiter idem cum eſsentia, itaut quælibet ex relationibus actu realiter ſit ipſamet eſsentia divina, & eſsentia divina actu realiter ſit quælibet ex relationibus; ſequitur, infinitam perfectionem, & cujuslibet relationis, & omnium divinarum relationum, in eſſentia divina eſse, & contineri realiter actu ante quodcumque intellectus opus.

Ad VIII. dicitur, quod in Deo ſunt tres res relativæ, quia ſunt tres perſunæ realiter diſtinctæ inter se, quæ ſunt vere tres res relativæ: Non vero ſunt tres res abſolutæ. Et hæc eſt aſſertio catholica, contra Sabellium, qui tres res relativas non admiſit; & contra Arium, qui tres res abſolutas poſuit; Unde Auguſtinus lib. 7. de Trin. c. 4. *Cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis pro captu tenet, de Domino Deo creatore ſuo, timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate ulla diverſitas. Rurſus non eſſe tria quædam, non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæreſim lapſus eſt.*

DISSERTATIO CXIV.

De unitate naturæ in tribus divinis Perſonis; de Hæreticis, qui tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis contra eandem erraruint; & de Patribus, qui eodem tempore pro eadem ſcripſerunt.

DUO ſunt eſſentialia ſacratiſſimi myſterii, de quo tractamus, trinitas nempe realis, & realiter diſtincta, perſonarum, de qua ſatis in ſuperioribus egimus; & unitas realis individua, & indiſtincta realiter naturæ, de qua inſtituimus in præſenti diſſerere. In illa realem diſtinctionem probavimus, in hac realem debemus aſtruere identitatem. Et quia hæc identitas eſſe nequit, niſi in ſingulis tribus perſonis natura divina probetur; hinc nobis onus eſt, divinitatem Verbi, & Spiritus Sancti, probare; de Patre enim conveniunt omnes, Deum eſſe, & nemo ex Hæreticis expreſſe inficiatur. Primo de Verbi divinitate, ſeu de Verbi cum Patre unitate, & identitate naturæ, loquimur; poſtmodum de Spiritus Sancti divinitate dicturi. Aliud autem eſt, Verbum eſſe Deum, aliud Chriſtum eſſe Deum; poteſt enim quis concedere, Verbum eſſe Deum, & poſtmodum hoc de Chriſto negare; ut de facto egit Neſtorius. Hic igitur de divinitate Verbi loquimur, de Chriſti autem divinitate ſuo loco agemus. Præcipuus contra Verbi divinitatem Adverſarius Arius fuit, qui quarto Eccleſiæ ſeculo ſuæ hæreſis virus evomuit; de illo peculiari Diſſertatione agendum eſt; interim de aliis, qui ipſum præceſſerunt, in hac pertractantes. Et quia antiqui Patres, qui ante Arium in Eccleſia fuerunt, a pleriſque inſimulantur, Verbi divinitatem non agnoviſſe; hinc eſt, quod in hac quoque Diſſertatione de iisdem agere volumus, & eorundem verba perpendere, ut poſſimus deinde concludere, an vere in Verbi divinitate neganda, Arium præcucurrerint; an vero in eadem aſſerenda, Catholicos præceſſerint, docuerint, atque firmaverint? Ab Hæreticis incipimus.

Primo, error, de quo ſcribimus, a S. Thoma 4. contra Gentes c. 6. circa finem, tribuitur Platonicis, aſſerentibus, Patrem eſſe ſummum Deum, & rerum omnium creatorem; & a quo primitus effluxit quædam

mens,

mens, in qua rerum omnium formæ continebantur, & hanc mentem dicebant, paternum eſſe intellectum. Unde poſtmodum Platonici aſſerebant, illud, quod in Scripturis dicitur Verbum, & Filius Dei, eſſe mentem creatam, & primam omnium creaturarum, & inter illas eminentiſſimam; ad differentiam mentis increatæ, quam ſolum Patrem eſſe, ſeu paternum intellectum, ut modo dictum eſt, profitebantur.

Secundo ponitur Dionyſius quidam, de quo loquitur Auguſtinus lib. de eccleſiaſticis dogmatibus c.3. Verum hic liber, etſi inter Auguſtini opera inveniatur, non eſt legitimus Auguſtini fœtus. Eruditi cenſent, ipſius Auctorem eſse Gennadium Maſſilienſem. Videatur Bellarminus, aliique de Scriptoribus eccleſiaſticis pertractantes. Hic igitur Auctor vocat Dionyſium hunc Arii fontem, verbis hiſce: *Nihil creatum, aut ſerviens, in Trinitate credamus, ut vult Dionyſius, Arii fons.* Quum autem non dicatur, quo tempore floruerit Dionyſius iſte; & quum de eo non Auguſtinus, ſed Gennadius, qui Auguſtino fuit poſterior, loquatur; nonniſi poſſumus eum dicere, tribus prioribus Eccleſiæ Seculis floruiſse, quam quia eum Gennadius dixit, Arii fuiſse fontem, ac per conſequens Arium præceſſiſse.

Tertio ſcribitur Origenes. Eum S. Thomas 1.p. q.34. ar.1. ad 1. vocat Arianorum fontem, ac per conſequens Arii præcurſorem. Sunt qui eum defendunt, dicentes, re vera Origenem errorem hunc non docuiſse; & ſi in libris ſuis hic error legitur, non fuit ejus manu, ſed manibus ejus inimicorum ſcriptus; ut tanti viri famæ calumniam ſtruerent, & Operum ejus doctrinæ detraherent. At pro modo nobis ſufficit, in ejus Operibus errorem hunc contineri, quoquo modo habeatur; unde poſtmodum ex illis Arius hauſit, & famoſiorem in mundo reddere conatus eſt.

Quarto ponuntur ab Alphonſo de Caſtro lib. 5. adv. hæreſ. verb. Deus, hæreſ. 6. Metangismonitæ, qui, Auguſtino teſte lib. de hæreſ. c.58. dicebant, Filium eſse in Patre, ſicut vas parvum in vaſe majore; unde Filium Patre minorem faciebant. Sic dicebantur, quia ἀγγεῖον græce, latine eſt vas; μεταγγισμὸς vero eſt dictio compoſita, & idem ſonat, ac infuſio unius vaſis in aliud. Unde dicti ſunt græce Metangismonitæ, quod latine idem eſset ac dicere Transvaſantes, vel Invaſantes; ut ait a Caſtro.

Quinto fuerunt Alogi, ſeu Alogiani, hoc eſt ſine Verbo; ita dicti, quia in Deo Verbum negabant. De his loquuntur Epiphanius hæreſ. 51., & Auguſtinus hæreſ. 30. & hos etiam præceſsiſse Arium, teſtatur Cacheranus tract. 2. de Deo trino c.1. §.1. Attamen Berninus in ſua Hæreſum hiſtoria in ſec.1. c.11. aliud de Alogis, ſeu Alogianis, judicium profert. Aſſerit enim illos ſic dictos, quia ſcientia, doctrina, ac judicio, expertes erant; nec ipſorum errorem alium fuiſse, quam quia dicerent, Verbum in Jeſum veniſse, in Jeſu operatum fuiſse, tanquam principium aſsiſtens, & a Jeſu denique diſceſsiſse, eique Dei filii nomen reliquiſse, tanquam præmium bonorum operum, quæ fecerat. Et ad hoc probandum, S. Epiphanium citat, ſed ejus verba non recitat. Verum, pace tanti Viri, nobis olim in primis cari, aliud ab ipſo judicamus. Quantum enim ad nomen attinet, ipſemet Auguſtinus de hæreſ. c.8. teſtimonium profert verbis hiſce: *Alogiani propterea ſic vocantur, ut tanquam ſine Verbo. Logos enim græce Verbum dicitur, quia Dei Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium reſpuentes, cujus nec Apocalypſim recipiunt: Has videlicet Scripturas negant eſſe ipſius.* Epiphanius hæreſ. 51. n. 1. nec aliter nomen exponit, ſed non ut exponit Berninus. Ait enim: *Quamobrem tum Verbum, a Joanne prædicatum, reſpuant, Alogi, hoc eſt, a Verbo alieni, nuncupandi ſunt.* Error ipſorum erat, non quod dicerent, aliquod non eſse Dei Verbum, quia ipſis etiam conſtabat, Deum fuiſse loquutum; ſed negabant Deum Verbum, ideſt Verbum eſse Deum. Hinc Iſidorus lib. 8. etymol. inquit: *Alogi vocantur tanquam ſine Verbo. Logos enim græce, latine Verbum dicitur. Deum enim Verbum non credunt, reſpuentes Joannis Evangelium, & Apocalypſim.* Et Damaſcenus tom. 1. monum. Eccleſ. græcæ, ſecundum Cotelerii verſionem, aſſerit: *Alogi a nobis nominati, Evangelium, & Apocalypſim Joannis rejiciunt; eo quod ipſi non admittant Deum Verbum, qui a Patre profectus eſt, eſtque æternus.* Alogorum, ſeu Alogianorum, Auctor fuit Theodotus; non ille, qui Bizantinus Coriarius, & Theodotianorum anteſignanus fuit; ut putarunt aliqui apud Cardinalem Cozzam in c. 8. de hæreſ., ſed alius, qui dictus eſt argentarius; ut citatus Berninus aſserit. Alii vero dicunt, horum auctorem fuiſse Artemonem quendam, de quo loquitur Euſebius lib. 5. hiſt. c.28. & hu-

jus

jus opinionis eſt Lambertus Danæus in lib. de hæreſ. c. 30. At hi pariter a præfato Cardinali Cozza rejiciuntur; qui & poſtremo concludit, *quosdam obſcuri nominis viros, antiquam Ebionis, Cerinthi, præcedentiumque Hæreticorum hæreſim adverſus Chriſti divinitatem reaſſumpſiſſe, & evulgaſſe.* At Alogi non contra Chriſtum, ſed contra Verbum pugnabant; ut ipſemet fatetur; & nos ſupra præmonuimus, diſtinctionem hanc eſſe neceſſario faciendam.

Igitur ſi qui aliqui ante Arium Chriſto divinam naturam denegarunt, non loquuti fuerunt de Verbo, ac proinde non ſunt hic adducendi, ubi de Verbo, non de Chriſto, loquimur. Fuerunt illi quidem Cerinthus, Ebion, aliique; ſed de his omnibus, quando de Chriſti agemus divinitate, ad ſatietatem quoque pertractabimus. Reſtat ut modo de Ario loquamur; ſed de hoc integram inſtituemus Diſſertationem, quæ erit immediate ſequens. Modo devenimus ad perluſtrandos antiquos Patres, qui Arium præceſſerunt, tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis; inquirendo nimirum, quid iidem de Verbi divinitate ſenſerint; an de ea tacuerint, ut plerique volunt; an eam faſſi fuerint, ut alii defendunt; an denique eam negaverint, ut pauci ex Hæreticis ſuſtinent. Et hoc ſane perficiendum eſt de ſingulis agendo, & ipſorum teſtimonia examinando, & ex iiſdem mentem eorundem qualis fuerit in rei veritate aperiendo. Sociniani ſunt quidem, qui ex parte aſſerunt, trium priorum ſeculorum Patres divinitatem Verbi agnoviſſe, ſed fuiſſe novatores doctrinæ illis traditæ ab Apoſtolis, quia Apoſtoli nunquam hoc docuerunt; ac proinde poſt Apoſtolorum mortem illos doctrinam ipſorum immutaſſe, docendo Verbum eſſe Deum, quod Apoſtoli non docuerant. Ex alia deinde parte iidem Sociniani contendunt, Patres trium priorum ſeculorum, uſque ad Nicænum Concilium, conſtanter docuiſſe, Verbum non eſſe Deum. Nos contra hos omnes probabimus, & Patres Græcos, & Patres Latinos, qui ante Nicænum Concilium floruerunt, & Arium præceſſerunt, unanimiter docuiſſe, Verbum eſſe Deum. A Patribus Græcis incipimus.

Ignatius Martir primo ſe offert. Is in epiſtola ad Epheſios hæc habet: *Unus eſt medicus carnalis, & ſpiritualis, factus, & non factus, in carne Deus, in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo.* Ubi quanvis loquatur de Chriſto, expreſſe tamen dicit, Verbum eſſe Deum. Quis enim aſſumpſit carnem, niſi Verbum? At Ignatius Deum vocat, qui carnem aſſumpſit; dicit enim, *in carne Deus*: ergo Verbum dicit Deum: ergo unitatem divinæ naturæ agnoſcit in Verbo. Iterum in epiſt. ad Philippenſes ait: *Unus Deus Pater, non duo, neque tres. Unus, qui eſt, nec alius eſt præter ipſum, ſolus, & verus. Unus & eſt Filius Verbum Deus. Unus & Paracletus.* Sed de hac ad Philippenſes epiſtola Eruditi non conſentiunt, ut eam Ignatio judicent tribuendam; quemadmodum illam ad Epheſios, ex auctoritate Euſebii, & Hieronymi, conſtanter adſcribunt; quanvis & hanc ad Philippenſes Bellarminus cenſeat quoque adſcribendam eidem eſſe.

Polycarpus in Doxologia in gloriæ ſocietatem conjungit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. In Oratione, quam habuit morti proximus, & quam refert Euſebius, invocat Deum Patrem, quem dicit Verbi Patrem, creaturarum vero creatorem, verbis hiſce: *Pater dilecti, & benedicti Filii tui, Jeſu Chriſti, per quem tui notitiam accepimus; Deus Angelorum, Poteſtatum, & univerſæ creaturæ.* Iterum ſubdit: *Propterea & de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per ſempiternum Pontificem Jeſum Chriſtum dilectum Filium tuum, per quem tibi cum ipſo in Spiritu Sancto, gloria nunc, & in futura ſecula ſeculorum: Amen.* In quibus verbis Filius dicitur ſempiternus: ergo Deus. Filio æqualis gloria cum Patre tribuitur: ergo eadem divinitas aſſeritur. At Sociniani opponunt. I. Solum Patrem dici Deum: ergo non Filius. II. Filius dicitur Sacerdos: ergo Miniſter: ergo non Deus. III. Dicitur in Spiritu Sancto, non Spiritui Sancto, vel cum Spiritu Sancto, ut dicitur cum Filio: ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus. Ad quæ dicimus reſpondendo ad I. Solum Patrem dici Deum, quia, ut ait Athanaſius, ſolus Pater eſt fons Deitatis. Concilium Nicænum I. habet: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium tam viſibilium, quam inviſibilium, creatorem*: At quis dicet, Nicænum Symbolum Verbi divinitatem non continere? Ad II. Vocat Sacerdotem ut hominem, non ut Deum; loquitur enim de Chriſto, non de Verbo ſolum. Ad III. Dicit in Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus eſt quaſi vinculum Patris, & Filii; ut a pleriſque pariter nominatur. Cæterum Smirnæi in fine epiſtolæ gloriam tribuunt Spiritui Sancto

una

una cum Patre, & Filio, ſcribentes: *Optamus Fratres in Domino valere, inhærentes præceptis, & Evangelio Jeſu Chriſti, cum quo gloria, & honos Deo Patri, & Sancto Spiritui.*

Juſtinus Martir in Apologia II. inſectatur illos, qui negant, Filium eſſe Deum; & hoc contra illos probat, quia Filius eſt primogenitus, & Dei Verbum, ſcribens: *Filium eſſe Patri univerſorum, qui quod Verbum Dei primogenitum ſit, Deus etiam exiſtit.* In Apologia I. *Chriſtus Filius Dei Patris, qui ſolus proprie Filius dicitur, eſtque Verbum, quod ſimul cum illo ante creaturas, & exiſtit, & gignitur, quando primitus per ipſum omnia creavit, & ordinavit.* Pariter in Dialogo cum Tryphone docet, Filium eſſe numero, ſeu perſona, diſtinctum a Patre, ſed non eſſe diſtinctum natura, & eſſentia: *Virtutem iſtam, quam Deum ſermo propheticus vocat, non ut ſolis lumen nomine tantum numerari, verum numero aliud quiddam eſſe, ratione exquiſita ſupra paucis explicavi: Virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute, & conſilio ipſius, non per abſciſſionem, tanquam diſpertita eſſet Patris eſſentia, prout alia omnia diviſa, & ſecta, non eadem ſunt, quæ ante fuerunt, quam ſcinderentur.* At Juſtino Sociniani opponunt I. In Apologia II. dixit, Chriſtianos *in ſecundo loco habentes cum ratione venerari* Filium Dei II. ibidem ſcribit, Filium eſſe primam *poteſtatem poſt parentem, & Dominum univerſorum Deum.* III. In Dialogo cum Tryphone vocat Filium *Deum, qui adminiſter eſt Dei univerſorum creatoris.* IV. in eodem loco docet, Deum non apparuiſſe antiquis Patriarchis, ſed Filium. V. dicit, Patrem eſſe Filio *cauſam ut ſit.* Verum ad primum, & ſecundum dicitur, Juſtinum loqui de prioritate originis, non dignitatis. Ad III. improprie vocatur miniſter Filius, quia non agit, niſi ratione eſſe, quod habet a Patre; quod quidem eſſe habitum a Patre, eſt ſuum proprium eſſe. Ad IV. intelligit, quod Deus pater non apparuit Patriarchis, ſed apparuit Deus Filius. Deus enim Pater non erat ſumpturus humanam carnem, quam ſumere debebat Filius. Ad V. nomine cauſſæ intelligit Juſtinus cauſſam late ſumptam, hoc eſt principium; non vero cauſſam ſtricte ſumptam; ut alibi adnotavimus.

Athenagoras in Legatione pro Chriſtinianis ſcribit: *Deum aſſerimus, & Filium ipſius Verbum, & Spiritum Sanctum: Tria quidem ſecundum potentiam, Patrem, Filium, & Spiritum: actu vero, & eſſentia unum; Filius enim Patris mens, Verbum, & Sapientia eſt, & ab eodem Spiritus, ut lumen ab igne profluit.* Ibidem ſubdit: *Quis igitur non miretur, cum audiat, nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine diſtinctionem explicantes, Atheos vocari!* Eodem quoque in loco aſſerit: *Eſt Filius Dei Verbum Patris in idea, & operatione. Ab ipſo enim, & per ipſum omnia facta ſunt, cum ſint unum Pater, & Filius, & ſit in Patre Filius, & Pater in Filio, unitate, & virtute Spiritus. Mens, & Verbum Dei Filius Dei eſt.* Sociniani obſtant, aſſerentes, Athenagoram docuiſſe, Verbum prodiiſſe a Patre tempore illo, quo Deus mundum creavit, verbis hiſce: *Sed ita ut cum materia concreta omnia, informiſque natura, atque terra inſtar vehiculi ſubjicerentur, in iiſque craſſioribus leviora admixta eſſent, ad hoc ut idea, & actus illorum eſſet, prodierit.* At reſpondetur, Athenagoram intellexiſſe, Verbum prodiiſſe exterius, non interius. Et revera Verbum prodiit exterius, quando per ipſum facta ſunt omnia. Hoc autem in tempore fuit, non ab æterno. Interius vero ab æterno prodiit, quia, ut ipſemet Athenagoras docet in eadem ſua Apologia: *A principio enim Deus, qui eſt æterna mens, habuit in ſe ipſo* λόγον, *cum æternum ſit* λογικός.

Irenæus lib. 3. adv. hæreſ. c. 6. *Neque Dominum, neque Spiritum Sanctum, neque Apoſtolos, eum, qui non eſſet Deus, definitive, & abſolute Deum nominaſſe aliquando, niſi eſſet verus Deus: neque Dominum appellaſſe aliquem ex ſua perſona, niſi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium.* Idem lib. 4. c. 1. confutat Ebionitas, probans, eos ſalvari non poſſe, *niſi Deus eſſet, qui ſalutem illorum ſuper terram operatus eſt; & quomodo homo tranſibit in Deum, ſi non Deus in hominem?* Et lib. 5. c. 17. *Peccata remittens Chriſtus, manifeſte reſpondit quis eſſet. Si enim nemo poteſt peccata remittere, niſi ſolus Deus: remittebat autem hæc Dominus; manifeſtum eſt, quoniam ipſe Verbum Dei.* Contra Irenæum objiciunt I. lib. 3. c. 8. *Cui ergo præcepit? Verbo ſcilicet, per quod cœli firmati ſunt.* Si ergo Pater præcepit Verbo, Verbum non eſt Deus. II. lib. 4. c. 17. *Miniſtrat enim ei ad omnia ſua progenies, & figuratio ſua:* Ergo ſi Verbum eſt miniſter, non eſt Deus: III. lib. 2. c. 48. *Patrem eſſe ſuper omnia, & ſuper Chriſtum, ipſo confitente, & dicente: Pater major me eſt.* At reſpondemus ad I. & ad II. ut reſponde-

ſpondimus ad Juſtinum; nomen præcepti, & miniſtri, improprie, non proprie, ab Irenæo ſumi; & illud dixiſſe, ut Hæreticos rejiceret, qui dicebant, Patrem per Angelos mundum creaſſe. Ad III. illud de Chriſto dixiſſe ratione humanæ naturæ; dicit enim ſuper Chriſtum, non ſuper Verbum.

Clemeos Alexandrinus lib. admooitionis ad gentes c. 8. *Nihil odio habet Deus; ſed neque Verbum; utrumque enim unum eſt, nempe Deus*. Idem lib. 3. Pædagog. c. 7. *Eſt enim minime indigens, qui Verbum habet Deum omnipotentem, & nullo eorum, quibus opus habet, unquam eget. Verbum enim poſſeſſio eſt, cui nihil deeſt, & eſt cauſa omnis copiæ*. Idem in Protreptici ioitio: *Verbum divinum, qui eſt manifeſtiſſime verus Deus, qui eſt univerſorum Domino exæquatus; quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo.* Contra Clementem opponunt I. Strom. 5. docet, creatam eſſe Sapientiam: ergo creatum Verbum, quod Sapientiæ nomine venit. II. Strom. 7. dicit, naturam Filii eſſe propinquiſſimam ſoli omnipotenti: ergo inferior. III. Strom. 6. aſſerit, Filium eſſe factum: ergo non Deus. Ad I. occurrimus, quod Græci Patres ante Concilium Nicænum nomine *κτίσιν* intelligebant omnem productiooem, non ſolam creatiooem; unde dixit potius, Sapientiam eſſe genitam. Ad II. dicitur, io illo loco pro natura iotelligere perſonam; Hæ enim ante Concilium Nicænum facile confundebantur. Ad III. eadem eſt reſponſio, ac ad I., quod nomine *factum*, intelligatur a Græcis productum, ſeu genitum.

Dionyſius Alexandrinus eo impetu Sabellii hæreſim debellare aggreſſus eſt, ut fere in ſimilibus advenit, in aliud extremum deflectere viſus eſt. Propugnabat enim contra Sabellium Perſonarum diſtinctionem, ſed Adverſarii ejus occaſionem hinc acceperunt, ut eum criminarentur, quaſi naturæ quoque diſtinctionem admiſiſſet. Accuſatio delata eſt ad Dionyſium, tunc temporis Romanum Pontificem; a quo Alexandrinus coactus eſt ſuam mentem aperire, & accuſationibus reſpondere. Quod quidem ſtatim, & egregie præſtitit Dionyſius; & omni prorſus ambiguitate rejecta confeſsus eſt, & probavit, ſe agnoſcere, & agnoviſse, in Divinis, Perſonarum diſtinctionem, naturæ vero identitatem. Ex quibus inferimus primo, tempore illo, ita apud omnes pro certo fuiſse, perſonas omnes eandem omnino naturam habere, ut Dionyſium accuſarent, qui aliter ſenſiſse ipſis videbatur. Dionyſius autem tantum abfuit, ut accuſationem defenderet, quod potius ab accuſatione ſe defendit, oſtendens illam falſam, & ſuam fidem ab orthodoxa confeſſione non diſceſſiſse. De hoc conveniunt Scriptores omnes; & Euſebius lib. 7. hiſt. c. 26. ejus meminit Apologiæ; expreſſius autem Athanaſius tom. 1. pag. 508. Superfluum eſt modo ejus proferre teſtimonia, quum facti ſeries teſtimoniis omnibus major ſit.

Gregorius Thaumaturgus par. 1. ejus Operum hanc fidei confeſſionem exhibet: *Unus Deus, Pater Verbi viventis, Sapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ, & characteris ſempiterni: Perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo.... Unuſque Spiritus Sanctus ex Deo exiſtentiam hab.us*. Sociniani dicunt, hanc fidei confeſſionem non eſse Gregorii, quia ejuſdem Euſebius, & Hieronymus, oon meminerunt. Refertur tamen a Gregorio Nyſseno in vita Gregorii Thaumaturgi; qui & ulterius ſubdit, in Eccleſia Neocæſarienſi, cujus erat Epiſcopus Thaumaturgus, illius confeſſionis traditionem inviolatam permanſiſse; quod etiam aſserit Baſilius tom. 2. ejus Operum pag. 360. Nec mirum, quod Euſebius, & Hieronymus de eadem confeſſione non fecerint verbum; quia non omnia retulerunt, quæ ſcripſerunt Patres, qui ante ipſos floruerant. Opponunt ulterius, Gregorium dixiſse in eadem, Patrem, & Filium eſse unum hypoſtaſi; Baſilius tamen dicit, id dixiſse ex Adverſariorum ſuppoſitiooe, contra quos ſcribebat. Denique objiciunt Gregorium vocaſse Chriſtum, creaturam, facturam &c.; At idem Baſilius reſpondet, nomina illa applicaſse humanæ, non divinæ, naturæ.

Lucianus, qui fuit Presbyter Eccleſiæ Antiochenæ, ut ſcribit Euſebius lib. 6. hiſt. c. 13. ſymbolum ſcripſit proprio charactere, his conceptum verbis: *Credimus in unum Deum Patrem.... Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum Deum, per quem omnia facta ſunt, & Deum ex Deo, totum ex toto, ſolum ex ſolo, perfectum ex perfecto, regem ex rege; Et in Spiritum Sanctum &c.* Opponunt ei tamen, quod ejuſmodi ſymboli nec Euſebius, nec Hieronymus meminerunt; ſubduntque, quod ipſum attributum eſt Luciano ab Epiſcopis Concilii Antiocheni, quod celebratum; eſt ad Encænia imperante Conſtantio, ut tradit Sozomenus lib. 3. hiſt. c. 5.

c. 5. Attamen opponitur ſilentio Euſebii, & Hieronymi teſtimonium Athanaſii lib. de Synodis Arimin., & Seleucienſi c. 1., & Socratis lib. 2. hiſt. c. 10. Quod autem Epiſcopi Antiocheni Concilii ſymbolum illud promulgaverint ſub nomine Luciani, non eſt argumentum, ut illud effinxerint; tum quia ex illis plures Arianis favebant, unde non eſt creditu dignum, quod evulgaverint monumentum Arianis contrarium; tum etiam, quia impoſtura detegi facile potuiſſet, apud Antiochenos ſaltem, qui Luciani ſcripta omnia cuſtodiebant.

Synodus Antiochena in epiſtola ad Paulum Samoſatenum hæc ſcribebat: *Quod ſi Chriſtus, Dei virtus, & Dei ſapientia, ante ſecula eſt, ita & quatenus Chriſtus, unum, & idem exiſtens ſubſtantia, licet maxime pluribus notionibus conſideretur.* Et poſt pauca ſubdens: *Hunc vero Filium genitum, unigenum Filium, imaginem inviſibilis Dei, primogenitum omnis creaturæ, Sapientiam, & Verbum, & virtutem Dei, qui & ante ſecula, non præſcientia, ſed ſubſtantia, & hypoſtaſi: Deum, & Dei Filium in veteri, & novo teſtamento agnoſcentes confitemur.* Cæterum hi fuerunt ſex Epiſcopi, qui antequam cæteri majoris numeri Epiſcopi ad Concilium convenirent, in quo fuit Paulus Samoſatenus damnatus, hanc Epiſtolam eidem Paulo dare, ut eum ad meliorem reducerent, convenientiſſimum judicarunt.

Pamphilus Martir in libro apologetico, quem ſcripſit pro Origene, ut memorat Euſebius lib. 6. hiſt. c. 33. probat, quod Origenes non erraverit, quando ſcripſerat, *eandem eſſe inconvertibilitatem Spiritus Sancti, quæ & Patris, & Filii, æqualem eſſe Trinitatem; ſicut Pater novit initia omnium, quæ ſunt & fines, ſic & Filium, ſic & Spiritum Sanctum ſcire, ὁμοούσιον eſſe cum Patre Filium, ideſt unius ſubſtantiæ.* Si non probat Origenis mentem, ſuam certe manifeſtat.

Methodius, Tyri Epiſcopus, in lib. de Martyribus dialog. 1. apud Theodoretum, nominat Chriſtum *Dominum, & Filium Dei, qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo:* ergo pariter Verbum. Inſuper apud Photium Cod. 237. inquit; exiſtentiam Verbi nec initium, nec finem habuiſſe, ſed ſemper fuiſſe eandem. Opponunt nihilominus Methodio, quod apud Photium Cod. 235. dixerit, I. in Deo eſſe duas potentias effectrices; II. quod tribuerit Patri creationem orbis; III. quod aſſeruerit, Filium a ſe ipſo non operari; ſed ſolum Patrem. At reſpondetur ad I. eſſe duas potentias effectrices perſonaliter, non ſubſtantialiter; quatenus ſunt plures perſonæ operantes, quanvis ſit una ſubſtantia operans. Ad II. dicitur, quod quemadmodum de ſchola Theologi per appropriationem tribuerunt potentiam Patri, ſapientiam Filio, bonitatem Spiritui Sancto, quanvis hæc æqualiter ſingulis tribus perſonis conveniant; ita pariter Patres aliquando dixerunt, quod ſecundum aliquem loquendi modum, non vero abſolute orbis creatio, quæ ab omnipotentia pendet, Patri tribueretur. Ad III. dicimus ſecundum Methodium, Filium non operari a ſe ipſo; ſcilicet per eſſe, quod ab alio non acceperat; quatenus ſuum eſſe, & ſuam omnem operationem ad extra, a Patre per generationem habuerat. Operatur tamen per eſſe, quod ab alio accepit, & a ſe ipſo operatur.

Remanet, ut pro coronide Græcorum Patrum de Origene agamus, de quo loco ſuo non fecimus verbum, ut huc ejus cauſsæ diſcuſſionem remitteremus. Parum certe referret, ſi in dogmate, de quo agimus, minus ſapiens Origenes inveniretur, quum in aliis multis eodem modo convictum inveniamus. Unde in ſuperioribus diximus, ſuam doctrinam fuiſſe fontem, ex quo Arius ſuum virus ebibit, illudque toto fere orbi propinavit. Attamen quia, ut pariter innuimus ſupra, multi doctrinam ejus defendunt, aſſeruntque libros ejus fuiſſe falſis dogmatibus, dolo male proſequentibus eum, refertos; hinc eſt, quod plures ſubire voluerunt laborem, quo invenirent in libris ſuis, quos fortaſſis interpolatos non credunt, aut innocentiam ejus, aut crimen. Inutilem nos hunc laborem ſuſcipere exiſtimamus pro viro, cujus laus non eſt in Eccleſia, ut eſt aliorum Patrum, quos uſque modo defendimus. Unde remittentes Legentes apud alios Scriptores, qui ipſum defendunt, ad alia properamus. Properamus quidem referre Latinos Patres, qui omnes, & ſinguli, pro divinitate Verbi orthodoxe ſenſerunt, ut data ſerie oſtendemus.

Tertullianus Apologet. c. 21. inquit: *Hunc ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum; & idcirco Filium Dei, & Deum dictum, ex unitate ſubſtantiæ:* ergo ex Patre genitus: ergo Deus: ergo unius ſubſtantiæ cum Patre. Lib. de Pudicitia c. 21. *Trinitatem unius Divinitatis, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum:* ergo non ſolius Ver-

bi, ſed totius Trinitatis eſt una, & eadem conſubſtantialis natura. Lib. cont. Praxeam c. 4. *Filium non aliunde deduco, quam de ſubſtantia Patris.* Et c. 12. *Cæterum ubique teneo unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus.* Et c. 9. *Ecce dico, alium eſſe Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum Sanctum. Male accepit Idiotes quiſque, aut perverſus, hoc dictum, quaſi diverſitatem ſonet, & ex diverſitate ſeparationem protendat Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* At contra Tertullianum arguunt I. ex Lib. cont. Hermogenem c. 3. *Quia & Pater Deus eſt, & Judex Deus eſt; non tamen ideo Pater, & Judex ſemper, quia Deus ſemper. Nam nec Pater eſſe potuit ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, quum & delictum, & Filius non fuit, quod Judicem & Patrem Dominum faceret*: ergo ex Tertulliano Deus non ſemper fuit Pater: ergo Filius non eſt æternus: ergo non eſt conſubſtantialis. II. Lib. cont. Praxeam c. 9. Patrem dicit inviſibilem, Filium vero viſibilem: ergo Filium facit Patre inferiorem. III. Et c. 12. aſſerit, Filium eſſe a Patre genitum, quando mundum Pater condidit: ergo non æternus: ergo non Deus. Ad I. Bellarminus reſpondet, intelligi de Filio per adoptionem, non per naturam. Jueninus reſponſionem Bellarmini non admittit, quia Tertullianus abſque ulla limitatione loquitur, Deum non ſemper fuiſſe Patrem. Sed nos objectionem Juenini non probamus, quia Tertullianus cum limitatione loquitur. De illo enim Filio loquitur, cujus eſt & Pater, & Judex; ſed Pater, & Judex eſt ſolius Filii per adoptionem, non per naturam: ergo de ſolo Filio per adoptionem cum limitatione loquitur. Ad II. dicimus, Filium fuiſſe viſibilem, vel quia Patriarchis inviſibili aſſumpta forma apparuit, vel quia viſibilem humanam naturam ſibi univit; at non per hoc eſt inferior Patre. Ad III. intelligendus eſt de externa Filii manifeſtatione in prima mundi creatione; quemadmodum ſuperius in confutatione ad ſimile argumentum diximus.

Dionyſius Romanus, qui fuit Romanus Pontifex, & ſub Imperatoribus Valeriano, & Gallieno floruit, ut ſcribit Euſebius lib. 7. hiſt. c. 7. contra Sabellianos epiſtolam dedit, quæ deperdita eſt; attamen inter ejus fragmenta, quæ refert Athanaſius lib. de decretis Nicænæ Synodi t. 1., legimus: *Audio, quoſdam apud vos eſſe catechiſtas, & doctores divini verbi, qui illius ſunt opinionis authores, qui ex diametro, ut ſic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blaſphemat, Filium ipſum aſſerens eſſe Patrem, & e converſo Patrem eſſe Filium. At iſti tres quodammodo Deos prædicant, dum ſanctam Monadem dividunt in tres hypoſtaſes peregrinas, a ſe invicem plane ſeparatas.* Hunc ultimum errorem poſtmodum impugnans, ſubdit: *Etenim neceſſe eſt uniri omnium Deo Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum Sanctum. Jam vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam, & ſummum, omnipotentem Deum univerſorum dico, colligi, & coaleſcere, prorſus neceſſe eſt.* Denique de Verbo expreſſe loquitur, quod dicit non factum, nec creatum, ſed genitum: *Cæterum non minus culpaveris eos, qui Filium Dei opus exiſtimant, & Dominum factum eſſe, ſicut cætera, opinantur, cum ſacra eloquia generationem ei congruentem, & decentem, non autem formationem, & creationem, teſtimoniis ſuis attribuant.* En in Eccleſia Romana, quæ mater eſt, & magiſtra omnium Eccleſiarum, & cujus caput Dionyſius erat, perpetua traditio trium divinarum perſonarum unius, ejuſdemque naturæ, atque ſubſtantiæ.

Cyprianus in epiſt. ad Jubajanum dicit: *Cum tres unum ſint*: ergo unitas naturæ in tribus divinis perſonis. In eadem epiſtola: *Quod ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat in plena, & adunata Trinitate*: ergo ſi Trinitas eſt plena, & adunata, una eſt in natura. Lib. 2. teſtimoniorum adverſus Judæos ad Quirinum, diſerte probat ex Scripturis, Chriſtum eſſe Deum: Si credidit Chriſtum eſſe Deum, credidit quoque Verbum eſſe Deum. Opponunt I. ex lib. de Idolorum vanitate: *Unus omnium Dominus eſt Deus. Neque illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cum ſola omnem teneat poteſtatem.* II. ex libro de Trinitate multa ſunt, quæ Verbi divinitati adverſantur. Verum reſpondemus ad I. loquutum fuiſſe de unitate naturæ, non de unitate Perſonarum; unde ſubdit ad allata verba: *Hic Deus noſter, hic Chriſtus eſt.* Ad II. dicitur, librum illum falſo tribui Cypriano, quum re vera ſit Novatiani, ut Eruditi omnes conveniunt. Cæterum quoque poſſunt illa omnia, quæ ex eodem libro opponuntur, benigna interpretatione ſalvari, data iiſdem reſponſione, quæ oppoſitis contra Tertullianum data eſt.

Lactantius lib. 4. c. 29. ſibi objicit ex Gentilibus; *Fortaſſe quærat aliquis, quomodo, cum Deum nos unum colere dicamur, duos tamen eſſe aſſeveramus, Deum Patrem, & Deum Filium.* Et reſpondet: *Cum dicimus Deum*

Patrem,

Patrem, & Deum Filium, non diverſum dicimus, nec utrumque ſecernimus, quia nec Pater ſine Filio eſſe poteſt, nec Filius a Patre ſecerni; ſiquidem nec Pater ſine Filio nuncupari, nec Filius poteſt ſine Patre generari. Et poſtmodum concludit: *Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem, una utrique mens, unus ſpiritus, una ſubſtantia eſt*. Multa ſunt, quæ Lactantio a Socinianis opponuntur. Verum omnia, quæ opponuntur, vel condonanda ſunt Viro, qui fuit quidem Rhetor, & Orator eximius, ac diſertiſſimus, at non Theologus; vel dicendum eſt cum aliis, fuiſſe ab Hæreticis ſuppoſita, & adulterata, præcipue lib. 2. c. 9., & lib.4. c.8.; vel denique eſſe benigne interpretanda, præcipue quum nuper allatis ejus verbis mentem ſuam manifeſtiſſime aperiat, & ſi quid alibi contrarium ſcribat, cohærenter ad hæc verba juſtiſſimum quidem eſt, ut exponantur ſimul, & explicentur.

Minutius Felix fuit etiam Cypriano antiquior, & contra Idololatras ſcribens unitatem Dei profitetur in ſuo Dialogo cum Octavio: *Nec nomen Deo quærendum, quia ſolus eſt*. Et poſtmodum ſcribit, Chriſtum eſſe Deum, & uti Deum a Chriſtianis coli: *Quod religioni noſtræ hominem noxium, & crucem adſcribitis, longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis, Deum credi, aut meruiſſe noxium, aut potuiſſe terrenum*. Si igitur negat, Chriſtum fuiſſe noxium, aut terrenum: ergo fatetur eſſe Deum. Si credidiſſet enim, Verbum non eſſe Deum, aut Chriſtum, illud aperte negaſſet; ſicut negavit, Chriſtum fuiſſe noxium, aut terrenum.

Arnobius lib. 1. adverſus Gentes ſcribit, Chriſtum *æqualiter bonis, maliſque ſubveniſſe*; & rationem reddens, ſubdit: *Hoc eſt enim proprium Dei veri, potentiaque regalis, benignitatem ſuam negare nulli*. Poſt quæ deſcendit ad aperte oſtendendam Patris, Filiique, divinitatem his aliis verbis in eodem libro: *Deus ille ſublimis, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, & ab omnium Principe Deus ſoſpitator eſt miſſus*. Et lib.2. apertioribus verbis Chriſti divinitatem prædicat: *Et ideo Chriſtus, licet vobis invitis, Deus: Deus, inquam, Chriſtus: Hoc eſt enim ſæpe dicendum, ut Infidelium diſſiliat, & dirumpatur, auditus: Dei principis juſſione loquens ſub hominis forma*.

DISSERTATIO CXV.

De Arianæ Hæreſis origine, ortu, & progreſſu; de variis illius Sectis; de Conciliis, & Conciliabulis, in quibus, aut damnata, aut palliata, fuit; & de illis, qui eidem, vel calamo, vel enſe, patrocinati ſunt; deque illis, qui contra eandem bellum implacabile geſſerunt.

ARiana Hæreſis, ut ex ipſomet nomine innoteſcit, Arium habuit auctorem. Arius in Lybia ſortitus eſt natale ſolum; in ea ſcilicet Lybia, quæ Ægypto eſt vicina, & Alexandriæ contributa: propter quod Conſtantinus, teſte Socrate lib. 1. hiſt. c. 19., Arium Alexandrinum appellat. Corporis forma, & habitus ſpecie, humilis apparebat, gravis, modeſtus; ac morum elegantia, comes, dulcis, urbanus. Primitus fuit ſchiſmaticus; nam, quum adhuc Diaconus eſſet, adhæſit Meletio, Lycopolitano in Thebaide Epiſcopo, qui, quod depoſitus a Petro, Alexandriæ Epiſcopo, fuiſſet, propterea quod Idolis in Diocletiani perſecutione ſacrificaſſet, ſchiſma compoſuit. Poſtmodum Arius ab Achilla, qui in cathedra alexandrina Petri ſucceſſor fuit, reconciliatus Eccleſiæ fuit, & Presbyter ordinatus. Hoc modo rem narrat Du-Hamel; at Natalis Alexander refert, quod ex ſchiſmate converſus, a Petro Alexandrino Diaconus eſt ordinatus. Et quia deinde Petrus fautores Meletii excommunicaverat, & eis prohibuerat, ne baptiſmum adminiſtrarent, & cætera eccleſiaſtica munera exercerent, Arius contra Petri ordinationem inclamavit, & ob-

obloquutus eſt; & propterea fuit ab eodem ex Eccleſia pulſus.

Baronius ad ann. 310. n. 4. & 5. narrat ex Actis S. Petri Alexandrini, quæ in latinum tranſtulit Anaſtaſius Bibliothecarius; quod Arius petens a Petro, qui erat in carceribus ob fidei confeſſionem, & proximus martirio, ut eum in communionem reſtitueret; a Chriſto, noctu Petro apparenti, veſte diſciſſa, fuit oſtenſus, ut cauſſa diſciſſionis illius; eique dicente: *Arius mihi ſcidit. Præcave omnino ne eum in communionem recipias. Quin potius jubeto Achillæ, & Alexandro, Presbyteris, qui poſt tuum exitum recturi ſunt Eccleſiam meam, ne eum in communionem recipiant.* At Alexander in ſec. 4. c. 3. ar. 3. §. 1. ſcribit, viſionem, & acta ipſa, in quibus refertur, ſuſpecta eſſe Eruditis; quod & ipſe ſingulari Diſſertatione confirmat.

Gelaſius Cyzicenus refert, Arium a S. Alexandro, Alexandriæ Epiſcopo, fuiſſe Presbyterum ordinatum, atque Eccleſiæ Baucalenſi regimini præfectum. At potius fides danda eſt S. Epiphanio, qui hæreſ. 69. aſſerit, eum fuiſſe ab Achilla in communionem ſuſceptum, ac Presbyterum factum. Achillæ in alexandrino throno Alexander ſucceſſit; cujus electioni dicit Philoſtorgius, hiſtoricus arianus lib. 2. c. 3. Arium fuiſſe libentiſſime ſuffragatum. At non ita res eſt, ut aſſerit Theodoretus lib. 1. hiſt. c. 2., & lib. 4. hæretic. fabul. c. 1. ipſemet enim Arius regimen alexandrinum ambiebat, & ægre tulit, ut Alexander ſibi præferretur. Hinc factum eſt, quod Alexandro, concinnes habenti, detrahere, & inſultare, incepit; & quum Alexander aliquando dixiſſet, Filium eſſe Patri æqualem, ac ejuſdem cum eo ſubſtantiæ; Arius non ſolum eum clam objurgare non erubuit, verum quoque palam, & apertiſſime, ſuggillavit, aſſerens, Verbum ex nihilo fuiſſe creatum, & ex natura ſua mutabile eſſe. Hæc prima Arianæ Hæreſis origo; hæc impii erroris primordia; quibus primo dicebat, ſolum Patrem eſſe Deum, & deinde Verbum Dei peſſime quidem habebat. Sic legitur in Arii Taleja, cujus fragmentum refert Athanaſius in epiſt. de Synodis Arimini, & Seleuciæ. *Solum ingenitum, ſolum æternum, ſolum nullo principio inchoatum, ſolum verum, ſolum immortalitate præditum, ſolum ſapientem, ſolum bonum, qui genuit Filium unigenitum ante tempora æterna, per quem ſecula condidit.* Poſt quæ hæc alia ſubdit verba. *Filium eſſe creaturam Dei perfectam, ſed tamen, non ut aliquid ex creaturis, non eſſe γέννημα Patri conſubſtantiale; voluntate Dei ante tempora conditum, non eſſe coæternum Patri; neque Patris naturam, ut in ſe eſt, cognoſcere, nec ſuam ipſius; alienum, externumque eſſe a Patre quantum ad ſubſtantiam; ex non extantibus factum eſſe, ἦν ὅτε οὐκ ἦν, fuiſſe tempus, quando non erat; Verbum mutabilitati obnoxium eſſe, ac in libero ejus arbitrio fuiſſe, quamdiu vellet, bonum permanere. Deum porro, cum præcognoſceret eum bonum futurum, anticipando illi hanc gloriam dediſſe, quam homo poſtmodum ex virtute mereretur: ipſum proinde participatu gratiæ Deum fieri; ut reliquos omnes, ſic & ipſum, titulo tenus Deum vocari.* Leguntur pariter hæc verba in epiſt. Diſcipulorum Arii ad Alexandrum, Alexandriæ Epiſcopum, quam idem Athanaſius refert cit. loc., in epiſt. ſynodic. Concilii Nicæni ad Eccleſiam Alexandrinam, quam Socrates affert lib. 1. c. 6., & alibi.

Hæc autem facta ſunt ann. Æræ chriſtianæ 317., iis ſcilicet diebus, quibus Criſpus, & Conſtantinus junior, Cæſares creati ſunt. Sic profert ex Oroſio lib. 7. c. 28. Natalis Alexander. Ex S. Hieronymo alii conſignant ad ann. 321. Arianæ hæreſis ortum. Baronius anno 315. affigit. Alii cum Lactantio ante Licinii perſequutionem ponunt; Lactantius enim lib. 4. divin. inſtit. c. ult. Arianos nominat. Sed forſitan melius alii putant, Arianorum nomen in Lactantii textum irrepſiſſe; quod quidem, ut ait Alexander, in melioris notæ Codicibus non legitur.

Interim Alexander, Alexandrinus Epiſcopus, manſuetudine, & humilitate, Arium ferens, omnem ſubibat curam, ut eum ad meliorem frugem reduceret, & ad catholicam ſemitam revocaret. At paternis hiſce ſtudiis Arius nil melior factus, Alexandrum demum coegit, ut ei palam interdiceret, ne quid contra a ſe dicta, aut ſentiret, aut doceret. Tunc ipſe obſtinatior redditus, omnem projecit, quam profeſſus Epiſcopo ſuo fuerat, obedientiam, omnem reverentiam aperte denegavit; erroremque ſuum publice prædicans, aliquos poſt ſe Presbyteros, aliquas etiam Virgines, protraxit, & hæreſi inſuper ſuæ Sectam adjunxit. Et tunc etiam fuit, quando tanquam pertinax in hæreſi, audax in ſchiſmate, de novæ Sectæ initiis elatior factus, ab Alexandro fuit demum publice excommunicatus.

Hucuſque diximus de Arianæ Hæreſis origine, ortu, & progreſſu, uſque ad tempus,

pus, quod Hæreſi Secta adjuncta eſt; ulteriora, quæ progreſſum reſpiciunt, in ſequentibus ſubjungemus. Modo de vaſiis illius Sectis, in quas diviſa eſt, dicturi, congruum ducimus ab iis incipere ſermonem, qui primo Ario adhæſerunt. Septem Presbyteros fuiſſe, narrat Epiphanius, Epiſcopum unum, qui fuit Secundus Pentapolitanus, & Virgines ſeptingentas. At Alexander in epiſtola encyclica, quæ legitur apud Socratem lib. 1. c.3. refert, tantum fuiſſe quatuordecim ejus diſcipulos, inter quos erant Secundus, & Theonas, ille Ptolemaidis, hic Marmaricæ, Epiſcopus. Relinquimus pro modo Sectas, quas mox reaſſumemus, & ad Concilia accedimus.

Primum Concilium, quod in Arii cauſſa coactum eſt, fuit Alexandrinum, quod S. Alexander Epiſcopus convocavit. In eo convenerunt centum circiter Epiſcopi, qui omnes uno ore Arium, & diſcipulos ejus, damnarunt; deque eorum damnatione Alexander epiſtolam encyclicam ad univerſos catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos dedit. Hujus primi Concilii, in quo anathemate percuſſus eſt Arius, ejus doctrina damnata, meminit Sozomenus lib.1. c.14.

Poſt hæc, Arius in Paleſtinam fugiens ſe contulit; ubi novos diſcipulos congregavit, inter quos eminuit Euſebius Nicomedienſis, ejus fautor, & protector inſatiabilis. Ut ipſe erat in dialectica inſignis, & in aſſentatione præcipuus, non paucos Paleſtinæ Epiſcopos dementare aggrediebatur; quando ab Alexandro datæ literæ ad hos pervenerunt, in quibus monebantur, ne Arii cuniculis darent manus; unde a multis quidem ex illis rejectus eſt. Hoc tempore dicitur Talejam compoſuiſſe; quæ erat cantilena mollis, & impura, in qua plenum ſuæ hæreſis venenum continebatur. De ea loquitur Athanaſius lib. de Synodis Arimini, & Seleuciæ; & orat. 2. contra Arianos. Conſtantinopolim deinde venit, & Conſtantiam auguſtam, Conſtantini magni ſororem, quam ſuæ doctrinæ tabe infecerat, ſuis partibus addictam reddidit, ſuique erroris habuit propugnatricem.

En primum Conciliabulum ab Arianis habitum. Illud indixit in Bythinia Euſebius Nicomedienſis, qui & Conciliabuli nomine literas dedit ad omnes Epiſcopos, eos rogans, ut Arium, ejuſque Sectatores, in communionem reciperent. Alexander, his auditis, libellum oppoſuit in Arium, illumque miſit Epiſcopis Ægypti, Thebaidis, Lybiæ, Pentapoleos, Syriæ, Lyciæ, Pamphiliæ, Cappadociæ, Aſiæ, & finitimarum provinciarum: Qui omnes Epiſcopi Alexandro adhæſerunt, catholicæ doctrinæ ſubſcripſerunt, & Arium communi voce damnarunt. Teſtatur Theodoretus lib. 1. hiſt. c.4.

Traxerat nihilominus Arius Euſebium Cæſarienſem, & Theodotum Laodicenum, Epiſcopos in Syria, in ſuas partes; & Euſebius Nicomedienſis, Paulino, Epiſcopo Tyri, ſcribens, gratulatur, quod Cæſarienſis veritatis defenſionem ſuſceperat, ariana dogmata amplexus. Nicomedienſis quoque Alexandro ſcripſit, eum rogans, ut priſtina concertatione extincta, excommunicationis ſententiam reſcinderet, & Arium in communionem reciperet. Arius quoque eidem Alexandro epiſtolam dedit, in qua aſſerit, Verbum a Patre creatum ante ſecula fuiſſe, eique Patrem ſic contuliſſe ſplendorem omnem ſuum, & gloriam, ut ſemper Patre remanſerit inferior, & neque æternum eſſe; putido demum mendacio epiſtolam concludens, dicit, ſe hanc doctrinam ab Alexandro didiciſſe. Epiſtolæ, quæ data eſt Nicomediæ, ſubſcripſit Arius, & cum eo ſubſcripſerunt Secundus, & Theonas, Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi, qui Arii Sectatores erant. Memoratur hæc epiſtola ab Epiphanio, & refellitur a S.Hilario lib.1., & 2. de Trinitate.

Magna hinc Orientis pars ab Ario commota eſt, & præcipue Alexandria clamoribus, contentionibus, turbiſque repleta. Quapropter Conſtantinus Imperator, poſt Licinium debellatum, Nicomediam ſe conferens, & ibi audiens ſciſſuras, quæ erant inter Catholicos, ut eos ad concordiam revocaret, ad Alexandrum, & Arium, ſcripſit, eoſdem ſuadens, ut exortis controverſiis finem imponerent. Has literas Conſtantinus tradidit Hoſio, Cordubenſi Epiſcopo, ut eas Alexandriam deferret, & totam ſuam impenderet operam, ut vel pacem inter diſſidentes firmaret, vel ſilentium diſſidio imponeret.

Secundum Concilium Alexandrinum tunc celebratum eſt ab Hoſio, quem miſerat quidem Conſtantinus, ſed erat Apoſtolicæ Sedis Legatus, a Silveſtro Papa miſſus. In eo concilio iterum damnatus eſt Arius; & quanvis ab Euſebio Nicomedienſi Conſtantino plurimum laudatus, & a Conſtantino non male habitus, Patrum tamen omnium contra ſe judicium vitare omni-

omnino non potuit.

Videns nihilominus Conſtantinus, augeri magis in dies jurgia, & contentiones, in Eccleſia, propter Arium, ejuſque fautores, & ſectatores; auctor fuit, ut a Silveſtro, Romano Pontifice generale Concilium Nicææ in Bythinia congregaretur. Concilium coactum eſt, in eo tercentum, & octodecim Epiſcopi in eo convenerunt, qui omnes Catholici erant, præter ſolos viginti, qui Ariani comperti ſunt. In eo etiam damnatus eſt Arius, & Conſtantino jubente exilio pulſus. Poſtmodum Conſtantia, Conſtantini ſoror, a fratre obtinuit, ut Arius ab exilio revocaretur, & in aulam conveniret. Interrugatus ab Imperatore, an Nicænæ fidei adhæreret; maxime reſpondit. Juſtus, ut fidei profeſſionem ſcriberet, hanc exhibuit, qua profitebatur *credere in unum Deum, Patrem omnipotentem, & in Dominum Jeſum Chriſtum, Filium ejus, ex ipſo ante omnia ſecula genitum, Deum Verbum, per quem omnia facta ſunt, cum qua in cœlis, tum qua in terris*. Subdola eſt hæc fidei profeſſio, & admodum æquivoca; at illa Arius Conſtantinum decepit.

Deinde Conſtantinus decrevit, ut Arius Alexandriam reverteretur. Quod factum eſt ann. 331., quando Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus jam erat Athanaſius. Et quanvis Euſebius cum Athanaſio etiam commendaſſet, noluit tamen Athanaſius recipere, & in communionem admittere; in nullo perterritus, quod ei Imperator, ſi Arium non reciperet, depoſitionem, & exilium, comminatus fuiſſet. Referunt Athanaſius ipſe in Apologia 2., & Socrates lib. 1. c. 20., & Sozomenus lib. 2. c. 26.

Tunc a Conſtantino Conciliabulo coacto Tyri, ann. 335., ibidem ab Epiſcopis, ut plurimum Arianis, fuit Arius in communionem admiſſus, probata ejus fidei profeſſiu, & Athanaſius citatus, & in Concilium vocatus. Comparuit Athanaſius, ne ſua abſentia ſe reum oſtenderet. Fuerunt eidem per calumniam multa capita oppoſita; ſed ab his omnibus ſe purum, & innocentem, probavit.

Eodem anno celebratum eſt Conciliabulum Hieroſolymitanum ab iiſdem Euſebianis, ſeu Arianis, Epiſcopis. In ipſo iterum admiſſa eſt Arii fidei profeſſio, & Arius Alexandrinæ Eccleſiæ reſtitutus. Athanaſius vero iterum accuſatus, ab Imperatore Conſtantino in exilium mittitur. Treviris recipitur a Maximino Epiſcopo, & non tanquam exul, ſed veluti triumphans, acclamatur.

Conciliabulum Conſtantinopolitanum ſequenti anno, vel ut aliis placet ann. 337., ab Arianis celebratur. In eo Marcellum Ancyranum, alterum poſt Athanaſium Nicænæ Fidei propugnatorem, hæreſis damnant; Epiſcopatu privant, & in exilium mittunt. Arius, quem Alexandrina Plebs ab Eccleſia etiam arcebat, Conſtantinopolim ab Imperatore vocatur. Euſebii Nicomedienſis patrocinio ſuffultus, & Conſtantini nimia credulitate ſecurus, in Conſtantinopolitanam Eccleſiam recipi procurat. At S. Alexander, Conſtantinopolitanos Antiſtes, & S. Jacobus, Niſibis Epiſcopus, immobiles Nicænæ Fidei columnæ, grande malum timentes, quod humanis viribus vitare non poterant, ad Deum preces fundunt, ut Eccleſiæ periculis proſpicere dignaretur. Annuit Servorum ſuorum precibus Altiſſimus, & Arium communione non ſolum, verum quoque vita privavit. Inexſpectato moritur Hæreſiarcha, a Deo inviſibili fulmine percuſſus, & infamem animam cum viſceribus in cloaca projecit. Teſtantur Epiphanius hæreſ. 69., Socrates lib. 1. c. 25., Athanaſius or. 1. cont. Arianos; Sozomenus lib. 2. c. 28., aliique.

Ad varias Arianæ Hæreſis ſectas regredimur. Primo referimus Epiſcopos Arianos, qui Nicæno Concilio interfuerunt, & quorum nomina a Scriptoribus exhibentur. Fuerunt quidem qui ſequuntur. Euſebius Nicomedienſis, Euſebius Cæſarienſis in Palæſtina, Theodotus Laodicenſis, Paulus Tyrius, Athanaſius Anazarbenſis, Gregorius Berytenſis, Arius Liddenſis in Palæſtina, Narciſſus Nerodiadis in Cilicia, Patrophilus Scytopoleos, Theognis Niææ, Theonas, Secundus, Maris Calcedonis Epiſcopus. Modo Sectas narramus.

Tres foerunt temporis progreſſu Arianæ Hæreſis Sectæ. Harum prima Arii errorem principalem, & primigenium ſequebatur, & ejuſdem blaſphemiam totis viribus propugnabat. Hujus ſectæ Coriphæi fuerunt Aetius, & Eunomius; qui alios proprios errures arianis erroribus addentes, ſectam propriis nominibus appellarunt. Horum fuerunt ſocii Georgius Alexandrinus, & Eudoxius Antiochenus, pariter Uranius Tyrus; Valens Murſæ, & Urſacius Singidonis, Epiſcopi; etiam Germinius Sirmienſis, Cajus, Demophilus, & Auxentius Mediolanenſis. Hi pariter anomii dicti ſunt; quod in Conciliabulo Antiochiæ ann. 360. coacto, formulam Fidei com-

compoſuerunt, in qua Dei Filium Patri per omnia diſſimilem conſitebantur.

Secunda Secta fuit Semi-Arianorum, qui aſſerebant, Filium non eſſe Patri conſubſtantialem, at per omnia ſimilem. Dicebant proinde, Filium non eſſe Patri ὁμοούσιον, hoc eſt ejuſdem ſubſtantiæ, ſed ὁμοιούσιον, ſcilicet ſimilis ſubſtantiæ. Hujus Sectæ principes fuerunt Baſilius Ancyranus, Georgius Laodicænus, Silvanus Tarſenſis, Sophronius Pompejopolitanus, Eleuſius Cyzicenus, Macedonius Conſtantinopolitanus, qui deinde hæreſim ſuam peculiarem contra Spiritum Sanctum evomuit, Marcus Arethuſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Euſebius Samoſatenus, & Meletius Antiochenus. Hi omnes propugnabant, Filium eſſe creaturam, non tamen cæteris ſimilem; ut aſſerit Epiphanius. Inter hos Baſilius Ancyranus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Meletius Antiochenus, Euſebius Samuſatenus, ab hæreſis labe liberandi ſunt; illos enim Sancti Patres laudant, Eccleſia aliquos colit, & quidam martirio etiam coronati ſunt. Fortaſſis vocis ὁμοούσιον, & vocis ὁμοιούσιον, decepti intelligentia, materiale tantum, non formale, erroris amplexi ſunt; quod poſtmodum quoque, veritatis lumine affulgente, rejecerunt.

Tertia Secta fuit Acacianorum. Sic dicti ſunt ab Acacio, qui fuit Epiſcopus Cæſareæ, & Sectæ anteſignanus. Hic Filium aſſerebat Patri conſubſtantialem non eſſe, ſed non eſſe creaturam; ſimilem quidem Patri, non tamen ſubſtantia, vel οὐσία, ſimilem. Unde non dicebat ὁμοούσιον, ut profitebantur Catholici; non ὁμοιούσιον, ut aſſerebant Semi-Ariani; non ἀνόμοιον, ut volebant Aetiani, Eunomiani, & Eudoxiani; ſed ὅμοιον prædicabat. Hoc autem ſic explicabat. Statuarius ſimulacrum conficit, quod vivi hominis effigiem, & ſimilitudinem exprimit; non tamen eſt ejuſdem ſubſtantiæ, & naturæ cum vivo homine, ſed tantum cum illo habet ſimilitudinem in corporis ſpecie, & in membrorum lineamentis. Sic Pater Filium procreavit, qui non fuit illi divinitate, & æternitate par, & æqualis, ſed ſimilis tantum. Acacium ſequuti ſunt Uranius Tyrius, & Eutychius Eleutheropolitanus. Additur Meletius ab Epiphanio; ſed immerito. Hic enim fuit Nicænæ Fidei acerrimus propugnator.

Ad Concilia modo redimus. Ann. 337. Concilium Romanum celebratum eſt a Julio I. Romano Pontifice, in quo centum, & ſexdecim Epiſcopi interfuerunt; & in ipſo Nicænum Symbolum profeſſi ſunt, & Nicænum Concilium amplexati; ac pariter Arianæ Hæreſi anathema dixerunt. Ann. 339. Alexandrinum Concilium fuit coactum, in quo Athanaſius, innocens repertus, Eccleſiæ ſuæ reſtituitur. Ann. 340. habitum eſt Concilium Antiochenum; & in eo prævalentes Ariani Epiſcopi, Conſtantii Imperatoris favore freti, Athanaſium iterum depoſuerunt, in exilium mandarunt, & Alexandrinæ Eccleſiæ Gregorium Cappodocem intruſerunt. Ann. 341. Concilium Romanum II. ſub Julio I. celebratur. In eo Athanaſius, qui Romam venerat, innocens iterum declaratur a quinquaginta Epiſcopis, qui in illo convenerant, in communionem receptus, & ſuæ Eccleſiæ reſtitutus. Ann. 341. Concilium Romanum III. ſub Julio I. iterum Athanaſium contra Arianorum calumnias defendit, ac ſuæ innocentiæ, communionis, & reſtitutionis, decretum confirmat. Ann. 344. Conciliabulum Antiochenum celebrant Ariani, aliam fidei formulam condunt, quæ in ſpecie quidem catholica erat, at in re perfidiæ arianæ ſubſtantiam continebat. Hanc Epiſcopis Occidentalibus miſerunt; ſed cognita, rejecta eſt. Ann. 344. Catholici congregant Concilium Mediolanenſe; in eo prædictam formulam, conditam in Conciliabulo Antiocheno, & ab Epiſcopis Orientalibus miſſam per Eudoxium, Martirium, Macedonium, & Demophilum, examinant; & quia conſubſtantialis vocem non invenerunt, rejiciunt iterum, atque iterum.

Sardicenſe Concilium, a Julio I. indictum, quod a quibuſdam generale dicitur, ab aliis vero dicitur appendix ad generale Nicænum, ann. 347. celebratum eſt. In hoc convenerunt Epiſcopi tercentum ſeptuaginta ſex; nimirum tercentum Occidentales, & ſeptuaginta ſex Orientales. Quia Occidentales in Concilium receperant Athanaſium, & Marcellum Aucyranum, quos Orientales execrabantur, ab illis illi ſe diviſerunt; & Philippopolim convenientes, inibi Conciliabulum celebrarunt. Unde duplex Concilium Sardicenſe; unum legitimum, & vere Concilium, a Catholicis habitum; alterum illegitimum, & Conciliabulum, ab Arianis compoſitum. In legitimo Concilio Nicæna Fides firmata; novi Canones non editi, ſed confirmati, vel explicati, qui Nicæni fuerant; unde Concilii Cartaginenſis VI. Patres Sardicenſes Canones Nicænos

cænos appellant: Ann. 350. Concilium Medinlanenſe II. a Catholcis in Arianos habetur. In eo Valens, & Urſacius, qui palinodiam cecinerant, & Athanaſio fuerant reconciliati, in communionem recipiuntur, & ad Julium Romanum Pontificem mittuntur, ut coram ipſo hæreſim abjurarent, & exomologeſim agereot. Eodem anno Hieroſolymitanum agitur a Maximo, Hieroſolymitano Antiſtite; in quo Epiſcopi, qui contra Athanaſium ſubſcripſerant, confitentes errorem ſuum, atque delictum, reconciliatinnem petunt, & Athanaſii communinnem, & impetrant. Et hoc etiam ſub Julio, Rom. Pont.

Mediolanenſe, quod quidam univerſale dicunt, ſub Liberio, Rom. Pont. ann. 355. celebratum eſt. Conſtantius Imperator Edictum promulgaverat, qun Athanaſii condemnationem, ab omnibus Occidentalibus Epiſcopis faciendam, præcipiebat. Liberius ad avertendam perſequutionem hanc, quam Eccleſiæ imminere cngnoſcebat, Concilium hoc Mediolani rercenrum, & amplius Epiſcoporum congregavit. Comparuerunt in Concilin Valens, & Urſacius, dudum in communionem Catholicorum recepti, ſed in hæreſim poſtmodum relapſi; & vim omnem adhibuerunt, ut Athanaſius, urgente etiam Imperatore, condemnaretur. Athanaſii condemnationi, ex eo quod per hoc ſperarent Eccleſiæ pacem, plures Epiſenpi ſubſcribunt. At Lucifer, Epiſcopus Calaritanus, Pancratius Presbyter, & Hilarius Diaconus, Apoſtolicæ Sedis Legati, Dionyſius Mediolanenſis, Euſebius Vercellenſis, Epiſcopi, ſubſcribere renuunt, ne Athanaſii condemnationi cnnſentiendo, fidem quoque Nicænæ Synodi damnare viderentur. Proinde in remotas provincias relegantur; & ipſemet Romanus Pontifex Liberius, in Mediolanenſem civitatem vi, & furtim tractus, ſubſcribere omnino nolens, exul in Thraciam mittitur. Hinc omnes Concilium hoc Conciliabulum dicunt.

Sequitur Biterrenſe Conciliabulum aliud; ann. 357. Celebratur a Saturnino, Arelatenſi Epiſcopo Ariann, quod fuerat Conſtantii favore convocatum. Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus, libellum obtulit Catholis legendum, ne ab Arianis deciperentur; & obtinuit in præmium, ut in Phrygiam relegaretur, operante cum Conſtantio Arelatenſi Epiſcopo Saturninn, qui & Arianus erat, & Arianis favebat.

Sirmienſe Concilium habetur Sirmii in Pannonia ann. 357. Tercentum Epiſcopi adfuerunt, præſente Liberio Papa, in eadem urbe exulante. Contra Photinum, Sirmienſem Epiſcopum, celebratum dicitur. Ariani duas ibi produxerunt fidei formulas, catholicam ſecundum ſe unam, alteram hæreticam. In prima continebatur, Chriſtum eſſe Patri ſimilem ſecundum ſubſtantiam, tacebatur tamen conſubſtantialitas; in altera ſubſtantiæ nomen omittebatur. Pro Phorini damnatione, aſſerentis cum Pauln Samoſatenn, Magiſtrn ſuo, Chriſtum non eſſe Deum, ſed purum hominem, approbatum eſt Concilium; reprobatum vero, pro illo, quod docebat, Filium Dei, qua Deus eſt, eſſe Patri obſequentem, & miniſtrum. Liberius Papa, per vim impulſus, primæ formulæ ſubſcripſit, Athanaſium damnavit, & cum Arianis communicavit. Non ideo tamen dicendus eſt hæreticus, quia formula illa bonum ſenſum habere poterat, & quia coactus Athanaſium damnavit, & cum Arianis communicavit. Hoſius vero ſecundæ formulæ ſubſcripſit; at poſtmodum pœnituit, aſſerens, ſe vi illud feciſſe; & Arianam Hæreſim iterum damnans, in communionem Catholicorum receptus eſt.

Ancyranum habitum eſt ann. 358. a Semi-Arianis Ancyræ in Galatia. In eo damnata eſt ſecunda fidei formula Sirmienſis, & ſtatutum, Filium Dei ſecundum ſubſtantiam per omnia ſimilem eſſe Patri. Ediderunt Orientales Epiſcopi, qui Conciliabulum componebant, duodecim fidei definitinnes, quæ ſecundæ fidei formulæ Sirmienſi opponebantur; eaſque ad Conſtantium, Sirmii degentem, miſerunt.

Ariminenſe Concilium ann. 359. ſub Liberio celebratur. Occidentales tantum Epiſcopi interfuerunt, Orientales vero Seleuciæ in Iſauria remanſerunt. Arimini quadringenti numerati ſunt Epiſcopi, Seleuciæ circiter ducenti. Voluit Conſtantius Imperator, ut hæc duo Concilia unum dicerentur; attamen a majori Epiſcoporum numero Ariminenſe appellatum eſt. Seleuciæ congregati omnes erant Ariani, vel ſaltem Semi-Ariani, aut Acaciani, præter Hilarium, Pictavienſem Epiſcopum, tunc exulantem in Phrygia, & alios paucos Ægypti Epiſcopos; unde Conciliabulum evaſit, in quo Acaciani a Semi-Arianis damnati ſunt. Congregati vero Arimini omnes erant catholici, præter quinquaginta, juxta Severum Sulpitium, vel octoginta, juxta Athanſium, qui erant Ariani; & inter ipſos eminebant

bant

bant Urſacius, Valens, Germinius &c. Inter Catholicos vero præcipui erant Phæbadius, Aginnenſis Epiſcopus, Servatius Tungrenſis, Reſtitutus Cartaginenſis, & alii. Catholici omnes Nicænam fidem firmarunt, Sirmienſem damnarunt, Valentem, Urſacium, & alios Arianos divis devoverunt. Legatos ad Conſtantium mittunt Catholici, mittunt & Ariani; ſed a Catholicis miſſi male habentur ab Imperatore, bene autem miſſi ab Arianis. Ariani interim condunt novam fidei formulam, quæ in ſpecie catholica apparebat, ſed in re Ariana erat; eamque ſub nomine Nicænæ fidei promulgant. Huic formulæ, Imperatore urgente, vi, metu, exilio, pertæſi, ac fraudibus decepti, Catholici ſubſcribunt. In ea continebatur, Filium non eſſe creaturam, cæteris creaturis ſimilem. Præter Liberium, Rom. Pont., Servatium, Tungrenſem Epiſcopum, & alios decem, & octo Epiſcopos, cæterorum omnium ſubſcriptio facta eſt. Unde poſtmodum Hieronymus in dialog. cont. Lucifer. exclamavit: *Totus ingemuit orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt.* At pro traditione ſervanda, ſatis erat, quod eam Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum mater, caput, & magiſtra, ſervaret. Illi, qui non ſubſcripſerunt, Arimine exeuntes, in alium locum ſe receperunt; qui proinde Catholicæ nomine dictus eſt, & uſque modo *la Cattolica* nominatur.

Conſtantinopolitanum Conciliabulum habitum eſt tempore illo, quo Arimini Catholici Epiſcopi Conſtantii juſſu detinebantur. Quinquaginta Epiſcopi ex Bithynia interfuerunt, qui novam fidei formulam ediderunt, in qua nulla vox ſubſtantiæ, nulla vox hypoſtaſis, vel ſubſiſtentiæ. Semi-Ariani hanc furmulam deteſtantes ab Arianis condemnantur, ſuis ſedibus privantur, & in exilium mittuntur. Antiochenum Conciliabulum ann. 360. celebratur ab Arianis, & Acacianis, ſub Conſtantii patrocinio; & in eo multi Semi-Ariani deponuntur, Meletius quoque catholicus deponitur, & relegatur. Fide formulam componunt, in qua Filium dicunt Patri ſubſtantia, & voluntate diſſimilem, atque ex nihilo ortum.

Alexandrinum Concilium ann. 362. auctoritate Liberii habetur ab Athanaſio, tertio ab exilio reduce; cui præfuerunt Euſebius, Vercellenſis Epiſcopus, & Lucifer Calaritanus. In hoc Concilio Alexandrina Eccleſia ab Arianæ hæreſis ſordibus purgata eſt; & aliqua diſciplinæ capita ſtatuta. Pariter terminata eſt controverſia, quæ inter Latinos, & Græcos exarſerat; Græci enim, dum tres hypoſtaſes dicebant, videbantur Latinis tres *οὐσίας*, ſeu ſubſtantias dicere, & cum Ario ſentire; Latini vero rejiciebant nomen hypoſtaſis, & perſonas dicebant; & ſic videbantur Græcis non admittere realem diſtinctionem inter perſonas, ſed tantum ratione muneris, ſive officii; quia perſonæ nomen officii auctoritatem deſignabat. Unde pro illa Græcorum contentione ſcripſit Hieronymus ep. 57. *Tota Græcorum profanorum ſchola diſcrimen inter hypoſtaſim, & οὐσίαν, ignorabat.* Et de nominibus ſeu vocibus hiſce, quorum lis erat, Nazianzenus orat. de laudibus Athanaſii inquit: *Periculum eſſet, ne orbis terrarum fines, una cum ſyllabis, a ſe invicem diſtraherentur, & abrumperentur.* Athanaſio autem procurante, effectum eſt, ut Græci perſonæ nomen pro hypoſtaſi, & Latini hypoſtaſim pro perſona uſurparent. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 8. & 9. diſtinctionem hanc non approbavit; at Hieronymus ep. 57. apud Damaſum effecit, ut reciperetur. Unde quanvis olim vox hypoſtaſis pro ſubſtantia, eſſentia, & ſubſiſtentia, fuerit intellecta, poſtmodum Eccleſiæ uſu factum eſt, ut non ſolum in divinis, ſed etiam in qualibet natura intellectuali, pro perſona intelligeretur; quemadmodum de facto intelligitur. Denique in hoc Concilio Fidei formula nomine Sardicenſis Concilii ab Arianis evulgata, utpote ſpuria, & ſurreptitia, rejecta eſt.

Pariſienſe Concilium ann. 362. ſub Liberio Luteriæ Pariſiorum habetur, in quo, S. Hilario procurante, Nicænæ Fidei profeſſio ſuſcipitur, contrarius ei error damnatur, & pariter damnantur omnes, qui conſubſtantialitatis nomen a Dei Filio relegant. Alexandrinum II. ſub Liberio ann. 363. celebratur, poſt obitum Juliani Apoſtatæ; ubi Orthodoxi Epiſcopi, convocati ab Athanaſio ex Ægypto, Thebaide, & Lybia, fidei cathulicæ libellum conſcripſerunt, & novo Imperatori Joviniano miſerunt, qui fidem doceri petebat, & hoc magna ſollecitudine factum eſt, ne ab Hæreticis præventus Auguſtus, illorum factionis fautor evaderet. Antiochenum II. etiam ſub Liberio ann. 363. a Meletio, Antiocheno Epiſcopo catholico, ad Acaciorum inſtantiam convocatum eſt. Ibidem Acaciani ipſi Nicænam Fidem amplexi ſunt; timebant enim a Semi-Arianis pulſandos e propriis ſedibus, ſi in ſua perfidia perſi-

ſterent; & hoc a novo Imperatore timebant, quem Semi-Ariani ſperabant tracturos in partem ſuam: Unde Acaciani potius Catholicis, quam Semi-Arianis conſentire voluerunt.

Conciliabulum Lampſacenum pariter ſub Liberio, ann. 364. habetur a Semi-Arianis contra Arianos Lampſaci in Helleſponto. Acta Conſtantinopoli, opera Eudoxii, & Acacii, in hoc Conciliabulo abrogantur; fidei formula, edita in Eccleſiæ Antiochenæ conſecratione, & confirmata Seleuciæ, recipitur; & ſuis Eccleſiis reſtituuntur ii, qui ab iiſdem abdicati eſſent, quod dicerent, Filium non eſſe Patri diſſimilem, eorum opera, qui Filium eſſe Patri diſſimilem aſſerebant. Sunt qui putant cum Sozomeno lib. 8. hiſt. c. 7. catholicum fuiſſe Concilium hoc, quia in eo Ariana Hæreſis damnata eſt, Nicæna Fides recepta, & nihil contra orthodoxam doctrinam ſancitum. At alii ex adverſo melius judicant, Conciliabulum fuiſſe, quia ab Arianis, & Semi-Arianis convocatum, & habitum.

Conciliabulum Singedunianum ann. 366. a Valente, & Urſacio, aliiſque Arianis Epiſcopis Singeduni in Myſia celebratur adverſus Semi-Arianos. Procurabant enim Semi-Arianos inducere, ut fidei formulam Ariminenſem, & Conſtantinopolitanam, amplecterentur; quod quum conſequuti non eſſent, eoſdem damnarunt.

Concilium Romanum I. ſub Damaſo Papa ann. 367. coactum eſt, in quo Valens, & Urſacius, aliique publici Ariani, damnantur, & tanquam damnati omnibus orbis Eccleſiis denunciantur. Romanum II. ſub eodem Damaſo ann. 369. a nonaginta Epiſcopis Italis, & Gallis, componitur; & in eo condemnatur Auxentius, Mediolanenſis Epiſcopus intruſus, & Arianus; & Urſicinus pariter, qui multoties contra Damaſum ſchiſmata renovaverat. Aquilejenſe Concilium ſub Damaſo quoque ann. 381. habetur a triginta duobus Epiſcopis Italis, & Pannonicis, præſentibus Legatis Gallorum, & Afrorum, & S. Ambroſio, Mediolanenſi Antiſtite, Præſide. Damnantur in eo Palladius, & Secundianus, Ariani Epiſcopi. Hi enim a Gratiano Imperatore obtinuerant, ut generale Concilium haberetur ad eorum fidem probandam; ſed Ambroſius apud Auguſtum effecit, ut de Concilio generali non amplius haberetur ſermo, & tantum hoc Aquilejenſe fatis eſſet. Ad hoc Italiæ Epiſcopi vocati ſunt; aliis vero extra Italiam permiſſum, ut venirent, ſi vellent; non venerunt, ſi nollent. Et hæc de Conciliis, & Conciliabulis, curſim nobis ſcribentibus, dixiſſe ſat videtur.

Patroni præcipui Arianæ Hæreſis fuerunt, auctoritatis ſcilicet, & potentiæ, brachio, illius & Auctorem, & Profeſſores, protegentes, Conſtantia, Conſtantini Soror, & Conſtantius, Conſtantini filius. Conſtantinus vero ipſe aliquando deceptus, aliquando de Eccleſiæ dogmatibus minus ſciens, viſus eſt Arianorum Sectæ adhærere, ſed revera neutiquam Hæreſi adhæſit. Quæcunque enim aut præcepit, aut permiſit, aut fieri fecit, vel Euſebii Nicomedienſis artibus illuſus, vel ejus fraudibus præventus, ſemper tamen catholicæ religionis zelo exæſtuans, operatus eſt. Unde nullo modo poſſumus eum dicere Arianum; licet cogamur concedere, utplurimum fuiſſe Arianorum, quos ipſe non Hæreticos, ſed Catholicos eſſe, putabat, patronum, ac defenſorem.

Inter illos vero, qui Arianam Hæreſim calamo propugnarunt, adnumerantur duo Euſebii principaliori loco, Nicomedienſis ſcilicet, & Cæſarienſis. Poſtmodum Valens, & Urſacius; qui tot turbas excitarunt, tot epiſtolas ſcripſerunt, tot formulas ediderunt, tot Conciliabula celebrarunt. Eunomius quoque, Aetius, Eudoxius, & Acacius, qui novas ſtuduerunt Sectas condere, ut celebriores in nefaria impietate eſſent. Auxentius, Mediolanenſis Antiſtes, contra quem ſcripſit S. Hilarius, ut mox dicemus. Maximinus, Arianorum Epiſcopus, contra quem pugnavit tribus integris libris S. Auguſtinus. Faſtidioſus Apoſtata, adverſus quem librum edidit S. Fulgentius. Felicianus pariter, Marivadus, Palladius, quos impugnarunt Auguſtinus, & Fulgentius. Fuerunt præter hos alii Arianorum præcipui Sectatores, qui aliarum Sectarum fuerunt Principes; nempe Euſtathius, Sebaſteous, qui Euſtathianorum Sectam condidit; Macedonius, in Spiritum Sanctum blaſphemus, qui Macedonianorum Auctor fuit; Aërius, qui Aërianorum Sectæ nomen contulit, & fuit Euſtathii Sebaſteni olim ſodalis, deinde æmulus; Hi omnes Arianam Sectam, cui primitus nomen dederant, magnis viribus defendebant, & Arianam quoque Hæreſim aut voce, aut ſcripto propugnare non omittebant; uſque dum pervenirent ad tempus, quo proprias hæreſes promulgarent, & Sectas ſuas conſtituerent.

Aria-

Arianæ vero Hæreſis Impugnatores acerrimi, & Arianorum Sectæ Hoſtes implacabiles, fuerunt in primis Athanaſius, Alexandrinus Epiſcopus. Quatuor ſcripſit Orationes contra Arianos; alia vero, quæ inſcribitur Oratio, eſt potius Epiſtola contra eoſdem ad Epiſcopos Ægypti, & Lybiæ. Evulgavit pariter librum in illud Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*; Epiſtolam ad Adelphium; Orationem de Divinitate Chriſti ad Maximum Philoſophum, Epiſtolam de Fide ad Jovianum; Epiſtolam de Fidei Nicænæ decretis contra hæreſim arianam; Epiſtolam de ſententia Dionyſii Alexandrini contra Arianos; Epiſtolas ad Orthodoxos, ad Antiochenos, ad Epictetum, ad Solitarios, ad Africanos; Epiſtolam de Synodis Ariminenſi, & Seleucienſi; Apologiam 1. ad Conſtantium; Apologiam de Fuga ſua.

Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus, eminet poſt Athanaſium. Edidit duodecim libros de Trinitate; Libellos ad Conſtantium auguſtum; & librum adverſus eundem Imperatorem, jam mortuum; pariter contra Auxentium, Mediolanenſem Epiſcopum; Scripſit de Synodis adverſus Arianos; librum contra Valentem, & Urſacium; Hiſtoriam Synodorum Seleucienſis, & Ariminenſis; quæ opera veniunt ſub nomine Fragmentorum S. Hilarii.

Luciſer Calaritanus tertio loco ponitur. Scripſit libros duos pru S. Athanaſii defenſione; unum *de Regibus Apoſtatis*, contra Conſtantium auguſtum; unum *de non conveniendo cum Hæreticis*, contra eundem Conſtantium; alterum *de non parcendo in Deum delinquentibus*, contra pariter Conſtantium; alterum, cujus hæc eſt inſcriptio: *Quod ſit moriendum pro Filio Dei*.

S. Phæbadius, ſeu Soebadius, Epiſcopus Aginnenſis in Gallia, quarto loco ſcribitur. Librum edidit de Trinitate contra Arianos; qui in tom. 4. Bibliot. PP. invenitur. Marius Victorinus, Afer, quinto loco venit; qui ſub Conſtantio ſcribens, quatuor libros contra Arium evulgavit; & in eodem tomo Bibliot. PP. inveniuntur. S. Gregorius Nazianzenus orat. 25. 35., & 36. 48. & 49., quæ eſt expoſitio Fidei Nicænæ, Arianos expugnat. S. Baſilius Arianos Eunomianos refellit lib. 1. contra Eunomium, pariter & 2. S. Cyrillus Alexandrinus Hæreſim Arianam confodit in Theſauro, Opere ſcilicet in 35. libros diviſo; & ſeptem Dialogis de ſancta Trinitate. S. Epiphanius hæreſ. 69., & 73. Arianos impugnat. S. Ambroſius Arianorum errores convellit, & Filii Dei divinitatem aſſerit, libris quinque de Fide ad Gratianum Imperatorem.

S. Auguſtinus edidit integrum librum contra Sermonem unum Arianorum, qui in ejus manus venerat; pariter tres libros contra Maſſiminum, Arianorum Epiſcopum; & libros quindecim de Trinitate. Fauſtinus Presbyter ſcripſit librum contra Arianos, eumque dicavit Flaccillæ Imperatrici, Theodoſii magni uxori. S. Fulgentius, Ruſpenſis Epiſcopus in Africa ſcripſit librum contra ſermonem Faſtidioſi, Monachi, & Presbyteri Apoſtatæ, qui ad Arianos defecerat; alterum etiam librum contra Arianos; Decem reſponſiones ad totidem objectiones. Eorum quoque hæreſim confutat lib. 2. ad Traſamundum Regem, & in libro de Fide Orthodoxa ad Donatum. Vigilius, Tapſenſis Epiſcopus in Africa edidit duodecim libros de Trinitate ſeculo quinto contra Arianos in Africa graſſantes. Hos omnes refert Natalis Alexander, a quo traſcripſimus.

DISSERTATIO CXVI.

De Hæreticis aliis, qui poſt Arium, ejuſque Sectatores, Unitatem naturæ trium divinarum Perſonarum negarunt, & ad hæc uſque tempora inficiantur.

PRimo poſt Arium contra Trinitatem erravit Apollinaris, qui gradus quoſdam in divinis perſonis excogitavit, magnum ſcilicet, majus, & maximum. Unde Spiritus Sanctus magnus, Filius major, Pater maximus diceretur. S. Gregorius Nazianzenus ep. 1. ad Cledonium Apollinaris figmentum irridet verbis hiſce: *Divinitatis ſcalam, quæ non in cœlum deducit, ſed e cœlo dejicit*. Meminerunt etiam erroris ejus Theodoretus lib. 4. hæretic. fabul. c. 8. aliique plures: Hinc audiendus non eſt Leontius, qui lib. de Sectis act. 4. aſſerit, Apollinarem circa Divinitatis dogma nihil erroris admiſiſſe, Duo fuerunt Apollinares, Pater, & Filius, ambo Hæretici, & Hæreſiarchæ, a quibus Apollinariſtarum Secta progenita.

Secundo loco ſcribimus Donatiſtas, qui ex Coccio, qui citat Auguſtinum hæreſ. 69. aſſerebant, quanvis Perſonæ divinæ eſſent ejuſdem ſubſtantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio Spiritum Sanctum, eſſe. Aſſerit etiam Fraſſen; qui Auguſtinum quoque profert in teſtem, ſed hæreſ. 66.

Tertio Fauſtus Manichæus, cujus hæc erat vox apud Auguſtinum lib. 20. contra Fauſtum c. 2. Unum ſub triplici appellatione Numen colimus; ſed Patrem credimus lucem incolere ſummam, & inacceſſibilem; Filius in hac ſecunda luce conſiſtit, cujus virtus in Sole, ſapientia in Luna conſiſtit; Sedem Spiritus Sancti omnem mundi ambitum fatemur. Ex quibus verbis deducimus, nec Trinitatem Perſonarum, nec naturæ unitatem agnoviſſe, ac proinde turpiter negaſſe, impiumque, ac vaferrimum Heterodoxum. Sub iiſdem terminis de eodem loquitur Coccius, qui pariter Auguſtinum citat; cujus certe auctoritas ſi in omnibus plurimi eſt habenda, hic autem maxima eſt, quum de illo ſit, contra quem longum, & præcipuum habuit bellum.

Quarto advenit Paratarum hæreſis, qui, teſte Theodoreto lib. 1. c. 18. hæretic. fabular. dicebant, Trinitatem eſſe tres Deos, tres mentes, &c. Refert etiam Bellarminus tom. 1. controv. gener. 2. lib. 1. c. 2. Auctorem habuerunt Peraticum Euphraren; ut aſſerit Dominicus a Sanctiſſima Trinitate in bibliotheca theologica t. 5. p. 2. lib. 4. ſect. 11. c. 3.

Quinto ponitur Joannes Philoponus, qui vixit tempore Focæ Imperatoris ann. 604., quique eundem commentus eſt errorem; ut referunt Suidas verb. Joannes Grammat., & Nicephorus lib. 18. hiſt. c. 48. apud Bellarminum cit. loc.

Sexto eandem inſaniam docuit ann. 1090. Gallus quidam, contra quem S. Anſelmus calamum acuit lib. de incarnat. Verbi; in quo vere dejectus apparet, & confoſſus videtur, acuta S. Doctoris ſoliditate, ac ſubtilitate.

Septimo ejuſdem inſimulatur erroris Abbas Joachimus, Monachus Ciſtercienſis, & Florenſis Abbas in Calabria. Hic enim ann. 1190. docuiſſe videtur, ut ait Bellarminus cit. loc. ,, tres perſonas non eſſe unam rem, ſive unam eſſentiam numero, ſed ſolum per collectionem, ſicuti multi fideles dicuntur una Eccleſia, multi cives unus Populus, multi milites unus Exercitus ,, Fraſſen de eodem Abbate aſſerit: ,, Joachim Abbas docuit, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſit una eſſentia; verum unitatem hujuſmodi non propriam, & veram, ſed quaſi collectitiam, & ſimilitudinariam eſſe, ſicuti multi fideles ſunt una Eccleſia, itaut eſſentia eſſet quarta res; ,, & citat Guidonem de hæreſ. Eadem verba leguntur apud Coccium, qui eundem Guidonem affert. Bellarminus vero citat Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. c. 2.

Octavo accuſatur pariter erroris præfati Raimundus Lullus, qui vixit circa ann. 1260., & de quo dicitur docuiſſe, tres perſonas eſſe tres eſſentias. Coccius hæc de Lullo refert: ,, Raimundus Lullius

,, do-

,, docuit, Deum tres habere eſſentias: Pa-
,, trem eſſe priorem Filio, & Spiritum San-
,, ctum conceptum eſſe ex Patre, & Filio.,,
Citat Nicolaum Eymericum par.2. Dire-
ctorii q.19., & Bernardum Lutzembur-
gum de illius hæreſi, quem etiam affert
Bellarminus citato loco.

Nono adducuntur Petrus Abailardus,& Ar-
noldus Brixienſis, qui ann.1140. ex Coc-
cio dixerunt: ,, Deum Patrem plenam
,, eſſe potentiam, tam in generando, quam
,, in diſcernendo; Filium quandam poten-
,, tiam in diſcernendo per Sapientiam; Spi-
,, ritum Sanctum nullam eſſe potentiam,
,, ſed benignitatem.,, Citat S. Bernardum
epiſt.190. Othonem Friſigenſem de rebus
geſtis Friderici I. c.49. Fraſſen eadem
ſcribens verba, citat ulterius Guidonem
de Hæreſibus.

Decimo a Coccio refertur Eraſmus Rotero-
damus, qui in præfatione tomi ſecundi
Operum S. Hieronymi ſcripſit: ,, Aria-
,, nos non tam hæreſim foviſſe, quam
,, ſchiſma feciſſe; cum eſſent illi noſtris
,, numero pares, eloquentia, doctrinaque
,, ſuperiores.,, Quid præſeferat hic lo-
quendi modus Eraſmi, norunt omnes,
qui libertatem ejus in ſcribendo, ac di-
cacitatem ſciunt.

Undecimo habetur Martinus Lutherus in
confutatione Latomianæ rationis, qui
apud Coccium hæc loquitur: ,, Si odit
,, anima mea vocem homouſion, & nolim
,, ea uti, non ero hæreticus, &c. Nec eſt
,, quod mihi objectes adverſus Arianos re-
,, ceptum: Non fuit receptum a multis,
,, quod & S. Hieronymus optavit aboleri,
,, ideoque non effugerunt periculum, hoc
,, invento vocabulo, ut Hieronymus quæ-
,, ratur neſcire, quid veneni lateat in ſyl-
,, labis, & literis, adeo illud Ariani magis,
,, quam Scripturas exagitabant.,, Subdit
Coccius: *Nuſquam hoc Hieronymus de Ho-
mouſion ſcribit*.

Duodecimo ponitur Valentinus Gentilis, de
quo alibi ſcripſimus, qui cum ſuis Aſſeclis
dixit, tres eſſe Spiritus æternos, Patrem,
Filium, & Spiritum Sanctum, eſſentiali
numero differentes. Ita apud Bellarmi-
num, qui citat ipſum Gentilem in pro-
theſi 20., & 23., pariter & Benedictum
Aretium initio hiſtoriæ de ſupplicio Va-
lentini Gentilis. Coccius vero hæc de
Gentili narrat: ,, Valentinus Gentilis Pa-
,, trem, Filium, ac Spiritum Sanctum, ita
,, diſtinguit, ut etiam ſeparet. Inquit enim,
,, hos eſſe æternos ſpiritus, ejuſdem quidem
,, naturæ, ordine tamen, gradu, & proprie-
,, tate diſtinctos: Pater ſolus habet αὐτουσίαν,
,, & eſt αὐτόθεος, qui in ſe deitatis immenſam
,, eſſentiam habet; ab hoc Filium, & Spiri-
,, tum Sanctum eſſentiatos eſſe, qui ſuam
,, deitatem ab illo dependentes habeant; &
,, idcirco in Scripturis Deum unum dici,
,, non quod ſit unus numero, ſed αὐτουσίαν,
,, principii nimirum, & originis ratione.
,, Joſias Simlerus de æterno Dei Filio c.1.,,
Poſt hæc alia Valentini teſtimonia in
medium affert, quibus apertius ſua mens
intelligatur; nimirum: ,, Protheſi 33.
,, Confuſio trium in unum, & eundem nu-
,, mero ſpiritum, fundamentum, & origo
,, omnium errorum fuit. Qui enim unum
,, Deum in tres perſonas diſtinguit, vel ſi-
,, bi præſtigias facit, vel neceſſario unius
,, Dei ſubſtantiam dividit, ac diſcerpit.
,, Et Protheſi 24. Solus Pater eſt ſpiritus
,, ἀγέννητος, univerſitatis auctor, immenſæ-
,, que ſubſtantiæ; Filius vero ſpiritus eſt
,, ex Deo ineffabiliter genitus, paternæ vo-
,, luntatis executor, ac pro generationis
,, modulo circumſcriptibilis, genitus, & a
,, genitore ſubſtantiali numero differens.
,, Et Protheſi 9. Solus Pater eſt αὐτόθεος, id-
,, eſt a nullo ſuperiore numine eſſentiatus,
,, ſed a ſe ipſo Deus, qui vim generandi, &
,, propagandi habuit, quia voluit; ideoque
,, & λόγον ante ſecula genuit, & ſpiritum
,, propagavit. Et Protheſi 22. Chriſtus, &
,, Spiritus Sanctus, etiam ſi ſint ejuſdem
,, naturæ, ſubſtantiæ, intelligentiæ, ideſt
,, ſpiritus æterni conſubſtantiales; ita ſunt
,, tamen congruo gradu, ordine, & pro-
,, prietate diſtincti, ut quemadmodum Pa-
,, ter, immenſi, & infiniti eſſe non poſſint.,,

Ex Valentino Gentili novi Ariani prodie-
runt, ut ait Bellarminus, qui numerat er-
rores, quos amplexantur. Primus eſt, quem
diximus, Patrem, Filium, & Spiritum San-
ctum eſſentiali numero differre. Secun-
dus, tres Perſonas non eſſe æquales, ſed
Patrem eſſe cæteris longe eminentiorem,
itaut ipſe eſſentiator, cæteri duo eſſentia-
ti dici debeant. Tertius, Filium Dei non
eſſe ex nihilo, neque in tempore genitum,
ſed ab æterno, & ex Patris ſubſtantia.
Bellarminus etiam affert loca, in quibus
Gentilis hæc exaravit portenta in ſuis
Operibus; inſuper cum erroribus Ariano-
rum eadem conferens, Conciliorum, &
Patrum jaculis, quibus illi damnati ſunt,
eadem ferit, ac comprimit. Cæterum ſci-
re oportet, quod Valentinus Gentilis ex
Dominico a SS.Trinit. loc. nuper cit., &
ex aliis, primum Sabellianus fuit, deinde
Arianus factus eſt; & quia videbat Scri-

pturas Deorum multiplicitati adverſari, docuit, ſolum Patrem eſſe verum, & ſummum Deum, ſeu eſſentiatorem, cæteras vero perſonas eſſentiatas.

Decimotertio Lucas Loſſius in Alcuini libros de Trinitate non raro aſſerit, ex Coccio, „ tres perſonas inter ſe eſsentialiter eſse diſcretas. Et Alcuinum ita loquentem facit lib. 1. c. 12. „ Hæc tria (per-
„ ſonæ divinæ) eſsentialiter tria ſunt ha-
„ bentia proprietates ſuas: Quæ mox ver-
„ ba ipſe contra unitatem naturæ præmit,
„ & hoc modo dilatat: Eſsentialiter tria
„ ſunt; hoc eſt, hæ tres perſonæ Trinitatis
„ vere inter ſe diſtinctæ ſunt, quarum quæ-
„ libet ſuas habet proprietates, quibus ab
„ aliis ſubſtantialiter diſtinguitur. „

Decimoquarto adnotatur Theodorus Beza in magna confeſſione fidei Gallica, in principio ſecundi articuli puncto primo, hæc aſserens: „ Verbum Dei clare nos
„ docet, quod iſta eſsentia divina eſt diſtin-
„ cta realiter, & ſecundum veritatem, &
„ ab æterno in tres perſonas. „ Et in confeſſione fidei duodecim Miniſtrorum, quorum primarius fuit Beza; Pliſſiaci, publicis regni Comitiis in Gallia propoſita, hæc leguntur. „ Sancta nos edocet
„ Scriptura, quod in ſola, & ſimplici eſ-
„ ſentia divina, quam confeſſi ſumus, tres
„ ſunt perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus
„ Sanctus. Pater prima cauſa, principium,
„ & origo omnium rerum: Filius ſermo,
„ & ſapientia ipſius: Spiritus Sanctus ejus
„ virtus, & efficacia. „ Refert Coccius; refert & Fraſsen.

Decimoquinto Henricus Bullingerus de Scripturæ, & Eccleſiæ auctoritate adverſus Joannem Cochlæum, ſcribit; „ ſe
„ confiteri tres in divinitate perſonas, non
„ ſtatu, ſed gradu; non ſubſtantia, ſed for-
„ ma; non poteſtate, ſed ſpecie, differre. „
Habemus ex Coccio.

Decimoſexto refertur a Dominico a Sanctiſſima Trinitate in Bibliotheca theologica t. 5. p. 2. lib. 4. ſect. 11. c. 3. Georgius Paulus in Polonia, & eo duce plures alii; citans quandam Polonorum epiſtolam ad Senatum Genevenſem; Caniſium quoque lib. de corruptelis verbi Dei.

DISSERTATIO CXVII.

De Divinitate Verbi, ex Scripturis, Conciliis Patribus, ac Rationibus theologicis, aſſerta, & probata.

I. PRobatur ex ſacris paginis veteris fœderis, & novi ſimul. Exod. 20. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Deuteronomii 32. 12. *Dominus ſolus Dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Quanvis fortaſſis hæc verba a Judæis, Mahumetanis, Hæreticis, intelligantur de Deo abſolute, vel de Deo Patre; ab Apoſtolo tamen Juda in ſua Epiſtola catholica num. 5. accipiuntur de Chriſto: ergo de Verbo: *Quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundo eos, qui non crediderunt, perdidit.* Cui igitur danda fides? Beda in hunc locum de Chriſto intellexit. Pſalm. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.* Et num. 19. *Aſcendiſti in altum, cæpiſti captivitatem: accepiſti dona in hominibus.* S. Paulus in Epiſt. ad Epheſ. num. 7. & 8. intelligit de Chriſto: *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus:* ergo de Verbo. Pſal. 96. 8. *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Et Pſal. 101. 26. *Initio tu, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Paulus pariter intelligit de Chriſto in Epiſt. ad Hebræos c. 1. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Et num. 10. *Et tu in principio Domine terram fundaſti: Et opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, &c.* Et num. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis &c.* In quibus locis probat Apoſtolus, Chriſtum eſſe majorem Angelis: ergo verba illa intelligit de Chriſto: ergo de Verbo. Iſaiæ 6. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri; duabus*

vela-

velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus; & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus. Et num. 9. *Et dixit, vade, & dicet populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere: Excaca cor populi hujus, & aures ejus aggrava; & oculos ejus claude; ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* S. Joannes Apoc. 4. 8. dicit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & & qui venturus eſt;* ſed qui venturus eſt Chriſtus eſt: ergo intelligit de Chriſto; ergo de Verbo. Idem Joannes in Evangelio c. 12. 40. *Et excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Et num. 41. *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, & loquutus eſt de eo.* Sed hic Joannes loquebatur de Chriſto: ergo verba illa intelligebat de Chriſto: ergo de Verbo.

II. Probatur ex ſacris paginis veteris fœderis tantum. Iſaiæ 45. 14. *Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: Poſt te ambulabunt, vincti manibus pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Verba hæc vel intelliguntur de Cyro, vel de Patre, vel de Verbo, quod eſt Filius Dei. Non de Cyro; quia etſi in ſuperioribus loquatur de Cyro, tamen verba hæc: *Non eſt abſque te Deus:* Cyro convenire non poſſunt; Et admittere ſi volumus, intelligi de Cyro, opus eſt ut dicamus, de Cyro dici ut Chriſtum referente. Non de Patre; ipſe enim Pater eſt, qui de alia perſona dicit: *te adorabunt, teque deprecabuntur:* Et ſubdit verba illorum, qui deprecabuntur: *tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus.* Nec Patri recte diceretur: *in te eſt Deus:* ergo intelliguntur de Chriſto, ſeu de Verbo, quod eſt Filius Dei. Huic enim omnia conveniunt; quia in ipſo eſt Deus, humanitas enim Chriſti eſt quaſi templum divinitatis; abſque ipſo non eſt Deus; ipſe ſolus cum Patre, & Spiritu Sancto, eſt verus Deus. Et ita intelligit Hieronymus in hunc locum; ut teſtatur Bellarminus.

Pſalmus ſecundus, totus ut eſt, de Chriſto intelligitur. Fatentur Rabbini ipſi, quod intelligatur de Meſſia, ut aſſerit R. Salomon, & teſtatur Galatinus lib. 3. c. 7. Sed quod magis eſt, teſtimonium habemus ex c. 4., & 13. Actorum, & ex c. 1. ad Hebr. Ubi Paulus ex hoc pſalmo adducit argumentum contra Hebræos; non adduxiſſet autem, niſi cognoviſſet, Hebræos pſalmum ipſum de Meſſia intelligere. Legimus ergo in hoc pſalmo num. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Non poteſt intelligi de filio per adoptionem, ſicuti Iſrael quoque primogenitus Dei dictus fuit; quia ſubdit num. 10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, apprehendite diſciplinam &c.* Hæc ultima verba in textu hebræo ſic leguntur נשקו בר; *oſculamini Filium*; in ſignum ſcilicet ſubjectionis oſculamini manum, vel pedem; ut ſcribit Bellarminus. Et num. 12. dicitur; *ne quando iraſcatur Dominus*; in textu hebræo non legitur verbum illud *Dominus*; quia refertur ad Filium, & facit ſenſum: *ne quando iraſcatur Filius.* Et de Filio etiam intelliguntur, quæ dicuntur nu. 13. *Cum exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.* Si ergo Meſſias eſt Filius Dei, quem adorare debent omnes Reges; in quem, qui confidunt, beati ſunt; a quo, quando iraſcitur, omnes pereunt: ergo Meſſias eſt Deus.

Zachariæ 2. 8. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Poſt gloriam miſit me ad Gentes, quæ ſpoliaverunt vos; qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei; quia ecce ego levo manum meam ſuper vos, & erunt prædæ his, qui ſerviebant ſibi, & cognoſcetis, quia Dominus exercituum miſit me. Lauda, & lætare filia Sion, quia ego ecce venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te.* Intelligunt hunc locum de Meſſia Auguſtinus lib. 20. de civit. Dei c. ult., Ambroſius lib. 2. de fide c. 3., Hieronymus, Theodoretus, Rupertus in Comment. hujus Prophetæ, & Euſebius lib. 5. demonſtr. evangelic. c. 25. & 26: Dicitur enim Dominus exercituum miſſus a Domino exercituum; ſcilicet Filius a Patre; quibus, quum idem nomen Domini exercituum tribuatur, oſtenditur, eandem eſſe naturam, eandem eſſe Divinitatem. Franciſcus David diſp. 8. ut evadat vim hujus teſtimonii, negat primo in eodem legi: *Jehova miſit me Jehova:* Et ſecundo dicit, intelligi de converſione gentium facta poſt Chriſti aſcenſionem; unde

unde non probat, Chriſtum fuiſſe ante incarnationem. At fallitur; quia quanvis verba illa non legantur immediate poſita, leguntur tamen paucis interpoſitis, quæ non mutant ſenſum. Nec facit ad caſum, quod loquatur de futuro, aut præterito; ſed tantum, quod qui dicit ſe miſſum a Domino exercituum, ſeipſum vocet Dominum exercituum; & quia unus eſt Dominus exercituum; ſequitur, Chriſtum eſſe unum Deum, & Dominum cum Patre, quanvis duæ ſint perſonæ.

III. Probatur ex ſacris paginis novi fœderis. Joannis 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Ex quibus ſic argumentamur. Cui competit æternitas, eſt Deus; ſed Verbo competit æternitas: ergo eſt Deus. Minor probatur ex explicatione vocis, *in principio*, quæ intelligitur *ante omnia*; hoc eſt, *ante omnia erat Verbum*. Unde Concilium Nicænum ex hoc Joannis teſtimonio damnavit Arianos, qui dicebant, *fuiſſe aliquando tempus, quando Filius Dei non erat*. Inſuper ex voce illa, *erat*, quæ quater a Joanne replicatur; & quæ denotat, Verbum ſemper fuiſſe: Unde Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratianum c. 5. *Erat apud Deum. erat, erat, erat. Ecce quater erat: Ubi impius invenit, quod non erat?* Ulterius. Qui dicitur Deus eſt ejuſdem naturæ cum Patre; at Verbum dicitur Deus: ergo, &c. Minor eſt in verbis ipſis Joannis: *Et Deus erat Verbum*. In his verbis ſolum controvertitur, an Verbum ſit ſubjectum, & Deus prædicatum; itaut faciant ſenſum; Verbum eſt Deus: an vero Deus ſit ſubjectum, & Verbum prædicatum; itaut ſit ſenſus: Deus eſt *Verbum*. At in quoquunque accipiatur, ſemper verum eſt, Verbum habere naturam divinam, & eandem naturam cum Patre; ut apud Logicos eſt evidens; & S. Hilarius lib. 1. de Trinit. c. 7. oſtendit. Denique. Deus eſt, qui creat; Verbum creat: ergo Deus eſt. Minor eſt in verbis pariter Joannis: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Præterea. Omnia facta ſunt per Verbum; ut ait Joannes: Verbum autem vel eſt factum, vel non factum; ſi non factum: ergo Deus: Si factum, vel factum per aliud Verbum, vel per ſe ipſum; non per ſeipſum, aliter ſupponeretur factum, antequam eſſet factum; non per aliud Verbum, aliter daretur proceſſus in infinitum; quia idem de alio Verbo quæreretur, & poſtea de alio Verbo, & ſic in infinitum. Quod eſt argumentum Auguſtini trac. 1. in Joannem. *Exeat nunc neſcio quis infidelis Arianus, & dicat, quia Verbum Dei factum eſt. Quomodo poteſt fieri, ut Verbum Dei factum ſit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipſum factum eſt, per quod aliud Verbum factum eſt? Si hoc dicis, quia hoc eſt Verbum Verbi, per quod factum eſt, illud ipſum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum, per quod facta ſunt omnia; non enim per ſe ipſum fieri potuit, per quod facta ſunt omnia. Crede ergo Evangeliſtæ.*

Contra hæc Joannis verba multa opponunt Adverſarii. I. Vox *in principio* intelligitur ab Auguſtino lib. 6. de Trinit. c. 5. de Patre æterno, in quo erat Verbum, quando Deus creavit mundum. II. a quibuſdam aliis Patribus eſplicatur de initio rerum omnium; ſcilicet, quod quando Deus creavit mundum, Verbum erat. Potuit igitur Verbum eſſe in Patre, tanquam in principio, a quo ducit originem, & non eſſe æternum; potuit quoque exiſtere, antequam mundus crearetur, & nec pariter eſſe æternum. Et ita Ariani antiqui fatebantur, Verbum fuiſſe ante rerum omnium creationem, at negabant eſſe æternum. III. Si ex verbis: *In principio erat Verbum &c.* colligitur æternitas Filii, colligitur etiam æternitas mundi ex verbis illis: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*; hoc non: ergo neque illud. IV. Per Verbum, de quo in Evangelio loquitur Joannes, non venit perſona diſtincta realiter a Patre, ſed venit ſapientia Patris, ab ipſo indiſtiucta, & per quam Deus creavit omnia. Ita intelligebant quidam Ariani apud Athanaſium or. cont. Arianos. V. Quanvis Verbum appelletur Deus, non eſt tamen Deus ſummus, ſed quidam minor Deus, qui, propter eminentiam ſuam ſupra cætera creata, dicitur Deus. VI. In textu græco Deus, qui prædicatur de Verbo, legitur ſine articulo; ſemper autem cum articulo invenitur ὁ Θεὸς, quando pro vero Deo ſupponit; ſignum eſt igitur, quod quando de Verbo dicitur, non vere, ſed per hyperbolen, aut per emphaſim, dicitur. Et ſic Ariani quidam apud Chryſoſtomum hom. 3. in Joan. argumentabantur. VII. Verbum dicitur Deus, quemadmodum Moyſes Esod. 7. 1. vocatur Deus Pharaonis: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. VIII. Eſcipitur Verbum ab illa propoſitione univerſali: *Omnia per ipſum facta ſunt*; quemadmodum excepit ſeipſum Chriſtus, quando dixit de Joanne Marc. 3. *Inter natos mulierum non ſurrexit major*

Joan-

Joanne Baptiſta. IX. Per illa verba intelligitur, quod Verbum fuerit veluti inſtrumentum, quo Pater in mundi creatione uſus eſt; & hoc patet, quia Joannes non dixit, a Verbo facta eſſe omnia, ſed per Verbum. Hoc pariter argumentum adhibebant veteres Ariani; ut videre eſt apud Athanaſium lib. de communi eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & apud Baſilium lib. de Spiritu Sancto c. 2.

Ad hæc omnia reſpondemus; & quidem ad I. quod eſto intelligatur de Patre, quia tamen in Patre erat Verbum, & ab æterno erat; ſequitur, quod Verbum etiam erat æternum. Ad II. dicitur, quod ante mundi creationem Deus erat Verbum: ergo ab æterno erat, & non ſolum præciſe ante mundi creationem; ſcilicet erat, quando erat Deus; Deus ab æterno erat. Ad III. diſcrimen eſt, quod mundus in principio dicitur creatus; unde non poteſt intelligi, quod ſit æternus: Verbum vero dicitur, quod erat, & quod per ipſum facta ſunt omnia; unde ipſum ante mundum erat, & per conſequens æternum. Ad IV. objectio ad terram dejicitur per verba ſubſequentia Joannis; *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: Item: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre*: quæ verba nequeunt de ſapientia Patris, & a Patre realiter indiſtincta, intelligi, ſed de Verbo, quod eſt perſona a Patre realiter diſtincta. Ad V. Hic minor Deus apud Chriſtianos eſt inauditus, ſed tantum apud Ethnicos audiebatur; unde futilis eſt, ineptaque, imaginatio Arianorum objectio hæc. Ad VI. dicimus cum Chryſoſtomo, quod aliquando Pater dicitur in textu græco Deus cum articulo, & aliquando ſine articulo; ſic etiam Verbum aliquando dicitur Deus cum articulo, ut legitur in Epiſt. ad Rom. 9. 5. Hic autem non ponitur articulus, quia Græci non ſolent proponere articulum prædicato propoſitionis, ſed tantum ſubjecto. Ad VII. dicit S. Hilarius lib. 1. de Trin. c. 7., quod Moyſes non abſolute dictus fuit Deus, ſed cum addito *Deus Pharaonis*; ac ideo ſubdit: *Moyſes Pharaoni Deus datus eſt, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur*. Verbum vero abſolute dicitur Deus. Ulterius, Moyſes dicitur Deus datus Pharaoni, Verbum vero dicitur, quod erat Deus. Dicitur enim Exodi 7. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. Ad quæ S. Hilarius cit. loc. *Aliud eſt, Deum dari, aliud Deum eſſe. Eo ipſo quod dicitur conſtitutus Deus, non naturalis, ſed fictitius ſignificatur Deus*. Inſuper alii dicunt, Deum Pharaonis ſignificare Deum in opinione Pharaonis. Denique in Moyſe non legitur verbum hebraicum *Adonai*, quod apud Hebræos eſt nomen proprium Dei; ſed *Elohim*, quod interpretatur R. Abraham, *Nuntium, ac Legatum ad Pharaonem*. Ad VIII. non comparitur exceptio cum aliis verbis ejuſdem textus. Dicitur enim, omnia per Verbum fuiſse facta, & quod Verbum erat; igitur Verbum non fuit factum. Dicitur etiam, quod ſine ipſo nihil fuit factum: ergo non fuit factum aliquid, quod eſset Verbum. Additur quoque, *quod factum eſt*, ut ſignificetur, nihil ex tis, quæ facta ſunt, ſine Verbo fuiſse factum. Ad IX. nullum eſt diſcrimen inter *a* & *per*, quod vane excogitarunt Ariani; etenim in multis Scripturæ locis ponitur *per*, & conjungitur cum cauſsa principali. Videlicet; Proverb. 8. *Per me reges regnant*. 1. ad Cor. 1. *Paulus vocatus Apoſtolus per voluntatem Dei*. Nequeunt tamen Ariani, quod dicunt, per Scripturas, aut Patres, probare.

Habemus etiam teſtimonium Matthei 16. 16., quod continet confeſſionem Petri, Chriſto dicentis: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*. Intelligitur hic filius verus, & naturalis Dei; & ideo dicitur *vivi*; quia, ut ait Bellarminus, eſt proprium viventium generare ſibi ſimile in natura. Unde Joan. 3. 16. dicitur, *Filius unigenitus*: Ad Rom. 8. 32. *Filius proprius*: 1. Joan. 5. 20. *Filius verus, & verus Deus*: Ad Coloſſ. 1., & ad Hebr. 1. *Filius naturalis*; dicitur enim imago, ſeu character Patris, quod filiis adoptivis convenire non poteſt. Ulterius dicitur, quod eidem Filio ſerviant Angeli; Angeli autem ſunt filii adoptivi: ergo ille, cui ſerviunt Angeli, eſt filius naturalis.

Inſuper, Joan. 19. 7. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*. Non fuit autem accuſatus, quia ſe feciſſet Filium Dei adoptivum, quia hoc apud Judæos non fuiſſet delictum: ergo quia ſe fecit Filium Dei naturalem. Dicebant enim etiam Judæi Joan. 8. *Unum Patrem habemus Deum*. Chriſtus autem non negavit: ergo conceſſit ut verum. Si igitur Filius Dei naturalis eſt; ergo eſt ex ſubſtantia Patris genitus; non autem accepit partem ſubſtantiæ Patris, ut quidam Ariani dicebant, quia ſubſtantia Dei eſt indiviſibilis. Nec juvat cum Tranſylvanis Miniſtris reſpondere lib. 2. c. 7. & cum Blandrata diſp. 6. Albana, quod Chri-

ſtus fuit verus, & proprius Dei filius, ſed de Spiritu Sancto conceptus; hoc eſt non de ſemine viri: Non juvat quidem, quia etiam Angeli, etiam Adam, etiam Eva, ex ſemine viri geniti non fuerunt, ſed immediate fuerunt a Deo facti; & tamen non dicuntur Filii Dei proprii, & veri.

Præterea, Joann. 10. 30. *Ego, & Pater, unum ſumus*. Non intelliguntur hæc verba de perſonis: ergo de natura. Et ita intellexerunt Patres contra Arianos. At Tranſylvani lib. 2. c. 9., & Franciſcus David diſp. 2. Albana, dicunt, hæc verba intelligi de unione charitatis, qua Pater, & Filius unum erant. Et adducunt illud Joann. 17. 11. *Ut ſint unum, ſicut & nos ſumus*; quæ verba non poſſunt de unitate naturæ intelligi; non enim Apoſtoli cum Chriſto eandem, & unam naturam habebant. Et ſic pariter intellexerunt Eraſmus, Calvinus, Arius, Eunomius, &c. Verum aperte falluntur omnes; quia Baſilius lib. 1. in Eunom. circa fin., & Chryſoſtomus in hunc locum, intelligunt ex præcedentibus verbis de unitate eſſentiæ; & hoc argumento utuntur. Ratio, qua utitur Chriſtus, nihil concluderet, ſi ſua verba de unitate eſſentiæ non intelligerentur; hoc non eſt dicendum: ergo neque illud. Probatur major. Chriſtus dicit: *Nemo poteſt rapere oves de manibus Patris mei, quia ipſe major omnibus eſt*; & quia ego, & Pater meus unum ſumus, neque quis poteſt eas rapere de manibus meis; ſed hæc ratio nihil concluderet, ſi eadem non eſſet manus: ergo ratio, &c. Si autem eadem eſt manus, eadem eſt potentia; ſi eadem eſt potentia, eadem eſt eſſentia; ſi eadem eſſentia, eadem unitas eſſentiæ. Subdit Auguſtinus, ſubdit & Chryſoſtomus, quod Judæi auditis verbis illis Chriſti, volebant eum lapidibus obruere: *Quia audito hoc verbo, Judæi ſuſtulerunt lapides, ut jacerent in eum*. Non feciſſent hoc Judæi, ſi de unitate charitatis verbum illud, *unum ſumus*, intellexiſſent: ergo de unitate eſsentiæ intelligebant. Denique ipſemet Chriſtus ſua verba exponit. Quum enim dixiſset; *Ego & Pater unum ſumus*; & cognoviſset, quod eum Judæi lapidare volebant, dixit eis: *Vos dicitis; quia blaſphemas; quia dixi, Filius Dei ſum*. Ergo de illa unitate loquebatur, qua Pater, & Filius unum ſunt; hæc autem eſt unitas naturæ, non vero concordiæ, & unitatis: ergo, &c.

Item in 1. epiſt. Joannis c. 5. 7. *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt*. Atqui non ſunt unum unitate perſonæ, quia jam dicitur, quod ſunt tres: ergo ſunt unum unitate eſsentiæ. Nec dicant, eſse unitatem conſenſus; nam ſic contra argumentamur. Unitas, de qua loquitur Chriſtus, refertur ad teſtimonium, quod Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, dant in cœlo; ſed teſtimonium, quod dant in cœlo, indicat unitatem naturæ, non conſenſus: ergo unitas illa eſt naturæ, non conſenſus. Probatur minor. Teſtimonium illud opponitur teſtimonio creaturarum, & dicitur teſtimonium Dei: Ait enim n. 9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt: Quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo*; ſed ſi intelligeretur de unitate conſenſus, poſſet etiam verificari de teſtimonio creaturarum; & ſi eſt teſtimonium Dei, eſt teſtimonium unitatis Dei: ergo teſtimonium, quod dant in cœlo, indicat unitatem naturæ, non conſenſus. Vanum effugium, quo Adverſarii utuntur, ut vim horum verborum eludant, negando ſcilicet, verſum illum reperiri in exemplaribus græcis, & in multis etiam latinis; jam præcluſum fuit, quando Trinitatem divinarum Perſonarum probantes, eodem teſtimonio uſi ſumus.

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium generale Nicænum 1. in quo editum eſt Symbolum, quod refert Ruffinus lib. 10. hiſt. c. 6., & explicant Athanaſius, & Cyrillus. In hoc Symbolo dicitur, quod Filius ſit verus Deus; quod ſit ὁμοούσιος, hoc eſt conſubſtantialis Patri, vel ejuſdem eſsentiæ cum Patre; quod ſit æternus; quod ſit immutabilis, & invertibilis, ſicut Pater; quod ſit genitus, non factus. Concilium generale Conſtantinopolitanum 1., quod etiam aſserit Filium eſse Patri ὁμοούσιον. Concilium generale Epheſinum 1. in epiſt. ad Neſtorium. Concilium generale Chalcedonenſe act. 2. Quinta Synodus generalis, quæ cap. 1. aſserit, tres perſonas eſse unius eſsentiæ, & c. 11. dicit anathema Ario, Eunomio, &c. Sexta Synodus generalis act. 17. Septima Synodus generalis act. 7. Octava Synodus generalis act. ult. Concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio III. c. 1. Concilium generale Viennenſe, & refertur in Clementina unica de ſum. Trinit. & fid. Cathol. Concilium Florentinum ſeſs. ult. in decreto de proceſſione Spiritus Sancti. Concilium Tridentinum ſeſs. 3. Hæc ſunt

om-

omnia Concilia generalia; particularia vero ſunt pene innumera, in quibus Patres Verbi divinitatem confitentur. Horum plurima retulimus, quando Perſonarum Trinitatem probavimus, & præcipue Toletana ſunt obſervanda.

V. Probatur ex Patribus; Patres, qui Arianam Hæreſim præceſſerunt, jam adducti fuerunt in Diſsert. 14. modo alios afferre volumus, qui illam ſubſequuti ſunt. S. Hilarius lib. 9. de Trinit. *Nunquid Pater major non eſt? Major utique Pater eſt, dum Pater eſt: Sed Filius, dum Filius eſt, minor non eſt. Nativitas Filii Patrem conſtituit majorem; minorem vero Filium eſſe, nativitatis natura non patitur.* Et poſt pauca: *Si igitur donantis auctoritate Pater major eſt, nunquid per doni confeſſionem minor Filius eſt? Major itaque donans eſt; ſed minor jam non eſt, cui unum eſſe donatur .... Major itaque Pater Filio eſt, & plane major, cui tantum donat eſſe, quantus ipſe eſt; qui innaſcibilitatis eſſe imaginem, ſacramento nativitatis impertit; quem ex ſe in forma ſua generat; quem rurſum de forma ſervi in formam Dei renovat.* Auguſtinus lib. de fide, & ſymbolo c. 9. *Pater major me eſt propter adminiſtrationem ſuſcepti hominis ... Patri debet, quod eſt, hoc etiam utique debens Patri, quod eidem Patri æqualis, aut par iſt: Pater autem nulli debet quicquid eſt.* Et lib. 3. cont. Maximinum c. 14. rationem reddens, cur Filius minor dicatur, inquit; *vel ex forma ſervi, in qua vere minor eſt Patre; vel ut demonſtraretur alter eſſe ex altero.* Chryſoſtomus in 1. cap. 1. ad Timoth. hom. 4. loquitur de Patre: *Ipſe hanc per naturam habet, nos autem per gratiam; nunquid ita & Filius? Minime vero. Verum & ipſe hanc per naturam habet.* Hieronymus in c. 4. ad Epheſ. *Si, ut exiſtimant Ariani, Deus Pater ſolus eſt Deus, eadem conſequentia ſolus erit Dominus Jeſus Chriſtus, & nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus. Sed abſit, ut non ſit vel in dominatione deitas, vel in deitate dominatio. Unus eſt Dominus, & unus eſt Deus, quia Patris, & Filii dominatio una divinitas eſt. Propterea & fides una dicitur, quia ſimiliter in Patrem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum credimus.* Ambroſius lib. 5. de fide c. ult. *Ad te nunc, omnipotens Pater, cum lacrimis verba converto. Ego te quidem inacceſſibilem, incomprehenſibilem, inæſtimabilem prompte dixerim; ſed Filium tuum minorem non auſim dicere.* Et infra: *Si majorem Filio dixero, ut Arius aſſerit, impie judicavi.* Et in c. 2. ep. ad Philippenſ. *Jure exæquavit ſe Deo. Item Chriſtus ſciens, in forma Dei ſe eſſe, æqualem ſe oſtendit Deo.* Gregorius Nyſſenus de Trinit. *Quæ enim ita ſint, perſpicue, & clare ſancta Trinitas, Patris, inquam, & Filii, & Spiritus, demonſtrari, atque probari poteſt. Quippe hujus ad ſeipſam ſancta, & coeſſentialis Trinitatis eſt illud: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, &c. Atque in pluribus veteris teſtamenti locis ſenſim, & tacite indicante ſancta Trinitate, deprehendi, atque animadverti poteſt ejus hypoſtaſis, id eſt repræſentatio perſonarum, & coeſſentialitas, vel conſubſtantialitas, hoc eſt unitas, & identitas eſſentiæ, & naturæ.* Cyrillus Alexandrinus c. 6. *Sancta, & conſubſtantialis Trinitas excellentior eſt, quam ut ulla ſpecie, aut ſimulacro corporeo contineatur. Certa autem fide comprehendendum eſt, quod Pater in Filio, & Filius in Patre, & qui videt Filium, videt & Patrem. Cernitur autem Filius in conſubſtantiali Spiritu.* S. Leo I. ſer. 1. de Pentecoſte c. 3. *Cumque in perſonarum proprietatibus alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen alia deitas, nec diverſa natura eſt.* S. Gregorius magnus lib. 2. in Ezechiel. hom. 21. *In illa ſumma Trinitate, quæ omnia creavit, omnia continet, dimidium nihil eſt, nec ex duobus dimidiis aliquod unum.*

VI. Probatur Rationibus I. Verbum aut eſt Deus, aut non eſt Deus? Si eſt Deus: ergo ejuſdem naturæ cum Patre: Si non eſt Deus: ergo non facit Trinitatem perſonarum cum Patre. Probatur prima conſequentia. Unus eſt Deus; ut probatum ſupponimus: ergo ſi Verbum eſt Deus, unam naturam habet cum Patre: ergo ejuſdem naturæ cum Patre. Probatur ſecunda conſequentia. Ut faciat Trinitatem non ſufficit, ut ſit pluralitas perſonarum, ſed requiritur, ut ſit identitas naturæ; ſed ſi non eſt Deus, non eſt identitas naturæ, quamvis ſit pluralitas perſonarum: ergo ſi non eſt Deus, non facit Trinitatem perſonarum cum Patre, & Spiritu Sancto. II. Verbum eſt filius Dei: ergo æqualis Patri, & ejuſdem naturæ cum Patre. Probatur conſequentia. Non eſt poſſibile, ut filius hominis non ſit homo: ergo non eſt poſſibile, ut filius Dei non ſit Deus; ſed ſi eſt Deus, eſt ejuſdem naturæ cum Patre: ergo ſi Verbum eſt filius Dei, eſt æqualis Patri, & ejuſdem naturæ cum Patre. III. Si Verbum eſt Deus, aut eſt idem Deus cum Patre, aut alter Deus? Si idem Deus cum Patre; ergo ejuſdem ſubſtantiæ, & ejuſdem naturæ cum Patre: Si alter Deus: ergo induceretur polytheiſmus in mundo, quem nos altero in loco diffuſe

impugnavimus. IV. Aut Pater æternus ab æterno genuit filium, aut non? Si ab æterno: ergo filius eſt æternus, uti eſt Pater: ergo Deus, quemadmodum eſt Pater: ergo ejuſdem naturæ cum Patre. Si non ab æterno: vel potuit producere ab æterno, vel non potuit? Si potuit, & non produxit, Verbum libere produxit: ergo non produxit per potentiam neceſſariam, quæ eſt intellectus. Si non potuit: ergo non habuit ab æterno perfectionem Pater, quam tempore habuit: ergo non fuit ab æterno Deus: ergo nec tempore fuit. V. Perſonæ Trinitatis non habent naturas diſtinctas numero, multo minus diſtinctas ſpecie: ergo habent veram conſubſtantialitatem in natura. Probatur antecedens. Si perſonæ Trinitatis habent naturas realiter diſtinctas, iſtæ naturæ vel ſunt ſimiles, & omnino æquales in perfectionibus, vel una eſt perfectior altera; ſed neutrum dici poteſt: ergo non habent naturas diſtinctas numero, vel ſpecie. Probatur minor. Non poteſt dici, quod ſint æquales in perfectionibus; quia, quum eſſent diſtinctæ, ut ſupponitur, eſſent tres Dii, contra fidem, & naturalem rationem, qua pluralitas Deorum invicte impugnatur. Nec poteſt dici, quod habeant inæquales perfectiones, itaut una ſit altera perfectior; quia ſic vel daretur una perſona divina, & non tres; vel daretur perſona divina, quæ non eſſet in omni genere perfectiſſima. VI. Verbum eſt Filius Patris; aut ergo eſt filius naturalis, aut filius adoptivus? Si naturalis; ergo eſt ejuſdem naturæ cum Patre: Si adoptivus: ergo non facit pluralitatem perſonarum cum Patre. Probatur hæc ultima conſequentia. Non ſolum Verbum eſſet filius adoptivus Patris, verum quoque Angeli, & homines; aut ergo Verbum, quia filius adoptivus, non facit pluralitatem perſonarum cum Patre; aut cum Verbo Angeli, & homines facient perſonarum, non ſolum pluralitatem, verum etiam multitudinem; quod Adverſarii non dicent. VII. Verbum dicitur unum cum Patre; vel igitur eſt unum identitate naturæ, vel unitate collectionis: Si unum identitate naturæ: ergo jam habet eandem naturam cum Patre: Si unum unitate collectionis: ergo non minus Verbum erit unum cum Patre, quam Angeli, & homines. Probatur conſequentia. Unitatem collectionis non minus haberet Verbum, quod ab ipſis dicitur factum, quam Angeli, & homines, qui pariter ſunt facti: ergo ſi dicit Verbum, dicent & Angeli, & homines: Nuſquam tamen legitur in Scripturis, quod Angeli, & homines ſint unum cum Patre, ſicuti legitur, quod ſit Verbum. VIII. Verbum vel eſt diſtinctum a Patre, vel indiſtinctum? Si indiſtinctum; redeunt argumenta facta contra illos, qui negant Perſonarum pluralitatem: Si diſtinctum; vel eſt Deus, vel non eſt Deus? Si Deus: ergo ejuſdem naturæ cum Patre: Si non eſt Deus: ergo non eſt ex Patre, ſed a Patre, quemadmodum ſunt cæteræ creaturæ, quæ a Deo ſunt productæ, & non ſunt Dii. Atqui hæ non vocantur Dii in Scripturis, ſicut vocatur Verbum: ergo ſi Verbum eſt diſtinctum in perſona, erit quoque in natura indiſtinctum, quia eſt ex ſubſtantia Patris, uti non ſunt creaturæ cæteræ, non vero a ſubſtantia Patris, uti ſunt creaturæ omnes.

Arguunt Adverſarii I. Verbum idem eſt cum Sapientia Dei; ſed Sapientia Dei a Deo eſt creata: ergo pariter Verbum. Probatur minor. Eccle. 24. 14. *Ab initio, & ante ſecula creata ſum.* II. Pater major eſt Verbo: ergo Verbum non eſt æquale Patri: ergo non eſt ejuſdem naturæ cum Patre. Probatur Antecedens. Joan. 14. 28. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt.* III. Verbum non habet ſcientiam Patris: ergo non habet naturam Patris. Conſequentia liquet; quia ſcientia eſt attributum Dei; qui non habet attributum Dei, non habet naturam Dei. Antecedens probatur. Filius Dei neſcit diem judicii, quem ſolus Pater ſcit: ergo Verbum non habet ſcientiam Patris. IV. Verbum non habet dominium Patris: ergo non habet divinitatem Patris. Sequitur conſequentia, ut patet. Antecedens probatur. Matth. 20. 23. *Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo.* V. Chriſtus dicitur primogenitus omnis creaturæ: ergo adnumeratur inter creaturas, quarum eſt primogenitus. Antecedens eſt Pauli, ſcribentis ad Coloſſenſes 1. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* VI. Ex Chriſto, & ex ejus Apoſtolis habemus, ſtatim poſt ſeipſos venturum Antichriſtum, & ſuam fidem aboliturum; ſed poſt Chriſti, & Apoſtolorum mortem adoratus fuit Deus trinus in perſonis, & unus in eſſentia: ergo, aut mentiti ſunt Chriſtus, & Apoſtoli; aut fides Trinitatis eſt fides Antichriſti. Probatur major. Lucæ 21. 8. *Videte, ne ſeducamini, multi*

enim

enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego ſum, & tempus appropinquavit; nolite ergo ire poſt eos. Act. 20. 29. *Ego ſcio,* dicit Apoſtolus, *quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* 1. Joan. 4. 3. *Omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* VII. Et Deus vocatur Pater in Scripturis, & Deus vocatur Filius; ſed Dei nomen non eſt nomen eſſentiæ, ſed dignitatis, & imperii: ergo nomen illud, ut eſt in Patre, denotat imperium maximum, & ſummum in omnes, etiam in Filium; ut eſt in Filio, denotat imperium magnum etiam, ſed minus, in omnes quidem, ſed non in Patrem. VIII. Chriſtus non docuit invocare Trinitatem, ſed ſolum Patrem; & olim Eccleſiæ orationes hoc pacto dirigebantur; extat quoque decretum Concilii Carthaginenſis III. c. 23. ergo non ſunt aliæ Perſonæ, quæ ſint invocandæ. IX. Filius fatetur, omnia accepiſſe a Patre: ergo fatetur, ſe minus eſſe beatum Patre. Probatur conſequentia. Act. 20. 35. *Ac meminiſſe verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quam accipere.* X. Chriſtus eſt Filius unicus veri Dei: ergo qui non habet Chriſtum Filium, non eſt unus verus Deus; ſed Trinitas non habet Chriſtum Filium: ergo Trinitas non eſt unus verus Deus.

Reſpondemus ad I. primo, Sapientiam eſſe creatam, non creatione proprie dicta, quæ productio eſt ex nihilo, ſed creatione improprie dicta, quæ eſt productio, vel generatio. Ratio eſt, quia creata eſt Sapientia ea creatione, quæ conjuncta eſt cum æternitate; dicit enim: *ab æterno ordinata ſum*; creatio autem proprie dicta non eſt conjuncta cum æternitate, bene vero creatio improprie dicta, quæ eſt productio, vel generatio. Secundo dicitur, auctoritatem illam intelligi de Sapientia incarnata, ſcilicet de Chriſto, prout homo eſt. Unde ait Ambroſius lib. 1. de fide c. 7. *Caro Dominum agnoſcit, Divinitas Patrem.* Dicitur autem *Dominus creavit me*: ergo intelligitur de carne. Et ſic intelligunt Auguſtinus lib. 10. de Trinit. c. 12., & Fulgentius lib. adverſus objectiones Arianorum.

Ad II. primo dicitur, Patrem eſſe majorem Filio, ſi Filius ſecundum naturam aſſumptam conſideretur, ſcilicet quatenus eſt homo non vero ſecundum Divinitatem, ſcilicet quatenus eſt Deus. Ratio reſponſionis eſt, quia Chriſtus dixit verba illa, ut conſolaretur Apoſtolos, qui mæſti apparebant de ſuo reditu ad Patrem. Chriſtus autem ut homo, non ut Verbum, ad Patrem redibat. Et ſic intelligunt Cyrillus lib. 10. in Joann. c. 1.; Athanaſius lib. de humana natura ſuſcepta; Hilarius lib. 3. de fide c. 4.; Auguſtinus lib. 3. cont. Maximinum c. 14.; S. Ambroſius, aliique Italiæ Epiſcopi in Concilio Aquilejenſi contra Palladium, & Secundinum, Epiſcopos Arianos. Secundo dicitur, Patrem eſſe Filio majorem notione quadam, & dignitate perſonali, quatenus eſt Filio prior origine, & eſt ejus principium; non vero eſſe majorem dignitate naturæ, quaſi Filius ſit inferior Patre natura, poſterior duratione, & impar perfectione. Et ſic intelligendus eſt S. Alexander, Patriarcha Alexandrinus in epiſt. ad Alexandrum, Epiſcopum Conſtantinopolitanum, apud Theodoretum lib. 1. hiſt. c. 4. Et ſic pariter intelligi debent Patres Concilii Sardicenſis in epiſtola ſynodica; Athanaſius or. 2. cont. Arianos; Baſilius lib. 1. cont. Eunomium; Nazianzenus or. 35. 36. & 40.; Cyrillus Alexandrinus lib. 2. theſauri; Damaſcenus lib. 1. c. 6.; Auguſtinus lib de fide, & Symbolo c. 9., & Hilarius lib. 9. de Trinitate; ut latiſſime oſtendit Natalis Alexander in ſec. 4. diſſert. 42.

Ad III. primo reſpondent aliqui Patres dicendo, Chriſtum neſcire diem judicii ut hominem, ſcire ut Deum. Ita Athanaſius or. 4. adv. Arianos; Euſtathius Antiochenus apud Facundum lib. 11.; Nazianzenus or. 36., Baſilius ep. 391., Cyrillus Alexandrinus in theſaurum aſſert. 22. Secundo reſpondent alii Patres, loquutionem illam eſſe figuratam; quatenus ſcilicet Chriſtus illud dicat, non nomine proprio, ſed nomine membrorum, & in perſona ipſorum. Homines enim judicii diem neſciunt; homines ſunt membra Chriſti: Chriſtus igitur, ut caput ſuorum membrorum, hoc eſt hominum, loquitur, & horum nomine, & perſona dicit judicii diem ignorare. Ita Eulogius, Patriarcha Alexandrinus in lib. adverſ. Agnoetas. Tertio alii Patres dicunt, Chriſtum neſciſſe diem judicii nobis, non ſibi; quatenus nimirum neſciebat, ut nobis revelaret, quia nobis revelare nolebat. Ita Cyrillus lib. 9. de Trin. Nec dici poteſt, quia, ſi hoc eſſet, etiam Pater neſciret; quia etiam Pater nobis non vult revelare; nam diſcrimen eſt latum, quia non attinet ad Patrem revelare, ſed ad Filium, qui miſſus eſt a Patre, ut cæte-

cætera hominibus revelaret.

Ad IV. dicitur, verba illa ſic eſſe accipienda, quod Chriſtus dixerit, non eſſe ſuum, non eſſe ſcilicet æquitatis, & juſtitiæ ſuæ dare regnum propinquis, vel amicis, propinquitatis, vel amicitiæ, jure; aut per meram gratiam concedere, quod quidem regnum meritis, & labore acquirendum eſſe volebat. Non vero, accipienda ſunt, quod Chriſtus intellexerit, non eſſe ſuæ poteſtatis dare regnum petentibus illud. S. Auguſtinus lib. 1. de Trin. c. 12. reſpondet, non eſſe ſuum, ut homo, dare regnum, ſed eſſe ſuum, ut Dei Filius, & ut Deus. *Non eſt humanæ poteſtatis hoc dare; ut intelligatur hoc dare, per quod & Deus, & æqualis eſt Patri.*

Ad V. Chriſtus dicitur primogenitus omnis creaturæ, & quia ab æterno fuit a Patre, & ex Patre genitus, & hoc ad creaturarum utilitatem redundare debebat; & quia per ipſum fuit primum creaturis communicata adoptio filiorum; non vero ſic dicitur, ut ſit e numero creaturarum, & ſolummodo tempore res creatas præcedat. Dicitur etiam primogenitus mortuorum; ſed non quia prius mortuus eſt aliis, qui pariter ſunt mortui; ſed quia iiſdem ſit cauſſa, ut a mortuis reſurgant. Sic reſpondet S. Baſilius lib. 4. cont. Eunomium; Cyrillus in theſauro aſſert. 25., aliique Patres.

Ad VI. negamus omnino, Chriſti fidem ſtatim fuiſſe abolendam poſt Chriſti aſcenſionem, & Apoſtolorum mortem. Tot enim labores, languores, flagella, crucifixionem, & mortem, credibile eſt, Chriſtum ſuſtinuiſſe, ut illorum fructus illico periret? Falſitatem illius oſtendunt innumeræ Dei, & Chriſti, promiſſiones. Lucæ 1. 33. *Et regni ejus non erit finis*. Matth. 16. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Matth. ult. 20. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Ad illud Lucæ reſpondet Cardinalis Cajetanus, quod verbum illud, *tempus appropinquavit*, non fuit dictum a Chriſto nomine proprio, ſed nomine Seductorum, qui dicturi erant, judicii diem jam inſtare. Unde Apoſtolus II. ad Theſſalonic. 2. 2. *Neque terreamini.... quaſi inſtet dies Domini*. Ulterius dicitur, Chriſtum dixiſſe, quod appropinquaverit tempus multorum Hæreticorum, qui ſub ſuo nomine Fideles deciperent, non vero tempus judicii, vel Antichriſti, vel ſuæ fidei deſtructionis. Et hujuſmodi fuerunt Simon magus, Menander, Cerinthus, aliæque peſtes, Apoſtolorum temporibus exortæ. De his etiam loquutus eſt Apoſtolus, ſcilicet de Hæreticis, qui non diu poſtea ex Aſia produturi erant. Joannes quoque Antichriſtos vocavit Hæreticos Ebionitas, Cerinthianos, Marcionitas, alioſque, qui vere fuerunt veri Antichriſti præcurſores.

Ad VII. Si ſpectatur ſignificatio vocis, Dei nomen non denotat imperium, nec principatum, ſed vel ſcientiam, vel providentiam. Græco idiomate Deus dicitur Θεὸς a θεᾶσθαι; quod latine ſonat *videre*; quia omnia ſcit, omnibus proſpicit; ut aſſerit Damaſcenus lib. 1. c. 12. Vel dicitur a θέειν, quod latine importat *currere*; aut quia omnibus ſuccurrit, ut idem Damaſcenus aſſerit; aut quia perpetuo currit, ut Theodoretus lib. 3. ad Græcos dicit; ea motus ratione, quod illi dixerint, ſydera eſſe Deus, & quia ſydera perpetuo currunt, Deum etiam a curſu nominarunt. In hebraico autem idiomate nomen Dei primarium eſt יהוה ab היה, quod idem eſt, ac eſſe; pariter illud aliud אלהים venit ab אלה, quod idem eſt, ac jurare; quia ſcilicet, vel Deus eſt id, quod eſt, vel eſt prima ratio eſſendi; vel per Deum juramus. Hoc itaque certum apud omnes eſt, hoc nomen *Deus* non fuiſſe primo impoſitum ad ſignificandum imperium, principatum, poteſtatem &c.; quia ſi hoc eſſet, Deus non eſſet æternus; ab æterno enim nihil erat, cui Deus imperare potuiſſet. Sed potius ſignificaſſe rem præſtantiſſimam, & perfectiſſimam ſimpliciter abſolute, & in omni genere; ſic etiam eſt Verbum, & nullo modo eſt Princeps Patre minor: unde eodem omnino modo eſt Deus, quo Pater eſt Deus, quia uterque unus eſt Deus.

Ad VIII. Orationes Eccleſiæ non negamus terminari ad Patrem, ut Eccleſiarum omnium fert conſuetudo; & hoc vel ex eo maxime, quia commodius terminantur *per Jeſum Chriſtum Filium ſuum.* In Patre tamen omnes tres perſonæ invocantur; nam, ut ait Tertullianus lib. de Orat. hoc ex orationis concluſione manifeſtatur; dicitur enim; *Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sanctus Deus &c.* Negatur omnino, Chriſtum præcepiſſe ſolum Patrem invocandum; nam Joan. 14. 13. dicitur: *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam:* Et num. 14. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

etiam. Ubi, & Patrem, & ſeipſum invocandum dicit; & in utroque caſu, ipſe faciet: *Hoc faciam*. Docuit etiam invocandam Trinitatem, quando Matth. 28. 19. baptizari juſſit omnes gentes *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quod obſervarunt Nazianzenus or. 2. de pace circa finem; & in orat. ad 150. Epiſcopos; Marius Victorinus in 3. hymn. de Trinit., Auguſtinus in fin. lib. de Trinit., & Auctor libri de myſtica Theologia ſub nomine S. Dionyſii Areopagitæ.

Ad IX. Tunc recipere importare imperfectionem, quando recipiens eſt in potentia ad recipiendum, & ideo eſt indigens, & imperfectus. At Filius Dei ſic accepit potentiam, ſic accepit vitam, ſic ſapientiam, ut nuſquam fuerit non potens, non vivens, non ſapiens; accepit enim quando genitus eſt; at ab æterno fuit genitus, & genitus potens, vivens, ſapiens, & perfectiſſime talis. Unde Auguſtinus lib. 3. cont. Maximinum c. 24. *Beatius eſt dare, quam accipere, ſed in hac vita, ubi eſt inopia, qua utique melior eſt copia*.

Ad X. dicit Bellarminus, illud ſophiſma eſſe ſimile huic: Petrus eſt Filius unius veri hominis: ergo qui non habet Filium Petrum, non eſt verus homo. Quanvis enim Deitas non ſit quid univerſale, ut eſt humanitas, eſt nihilominus in pluribus ſuppoſitis, & ideo vim habet univerſalis. Hæc Bellarminus. Nos tamen dicimus quod quanvis Trinitas non habeat Chriſtum Filium, unus tamen de Trinitate habet, & eſt Pater; & unus de Trinitate eſt Filius; & unus de Trinitate eſt Spiritus Sanctus, qui procedit ex Patre, & Filio, & qui eſt Deus: ergo vere Trinitas eſt unus verus Deus, quum tres illi, qui Trinitatem faciunt, ſint unus verus Deus.

DISSERTATIO CXVIII.

De Hæreſibus contra divinitatem Spiritus Sancti, & de illarum Auctoribus.

POST aſſertam, atque probatam æterni Verbi divinitatem, remanet, ut quoque aſſeramus, atque probemus divinitatem Spiritus Sancti; unde plene unitas in natura in ſanctiſſima Trinitate propugnata remaneat. Antequam autem ad probationes deveniamus, congruum ducimus, hiſtoricam partem adimplentes, præmittere notitiam errorum, qui contra hoc catholicum dogma aliquando emerſerunt, & Auctorum pariter, qui eoſdem commenti ſunt.

Primo Spiritum Sanctum negarunt Hæretici quidam, quos commemorat S. Ignatius Martir in Epiſtola ad Trallianos, ut aſſerit Du-Hamel lib. 2. de Trinit. diſs. ult. c. 1. Hæc Ignatii Epiſtola memoratur ab Euſebio lib. 3. hiſt. c. 30., & a Hieronymo in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Nullo tamen nomine Hæreticos hoſce Ignatius diſtinguit, nec Du-Hamel inveſtigat. Invenimus nos apud Coccium, *Sadducæos Spiritum Sanctum eſſe penitus non cenſuiſſe*; & citat Nazianzenus Or. de S. Theologia, & Epiphanium hæreſ. 14. Adnumerat hos Sadducæos inter Hæreticos poſt Chriſtum natum, eoſque ponit anno 50. At Sadducæurum Secta fuit inter Hebræos ante Chriſtum natum, ut ex Evangelio etiam habemus; fortaſſis adhuc perdurabat poſt Chriſtum, & vere perduravit; ſed qua ratione ponantur inter Hæreticos Chriſtianæ Religionis, non videmus. Audiatur Hieronymus in dialog. cont. Luciferianos ſcribens: *Taceo de Judaiſmi Hæreticis, qui ante adventum Chriſti legem traditam diſſiparunt: Quod Doſitheus, Samaritanorum Princeps, Prophetas repudiavit; quod Sadducæi ex illius radice naſcentes, etiam reſurrectionem carnis negarunt*.

Secundo ex eodem S. Ignatio Martire ponit quoque Du-Hamel alios Hæreticos, qui dicebant, Spiritum Sanctum eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Hos neque nominat ipſe, nec ab Ignatio nominatos aſſerit.

Tertio ponitur Valentinus, qui, ut ait idem Du-Hamel, Filium, & Spiritum Sanctum ad Angelorum ſortem, & conditionem redegit. Non enim in Deo diſtinxit perſunas alias, præter unam; & alias, quas nos adoramus, Filium ſcilicet, & Spiritum Sanctum, inter Spiritus, ſeu Angelos, connumeravit.

Quarto ſcribitur Montanus, qui ſe dixit eſſe Paracletum, & divinum Spiritum. Aſſerit

ſerit

Digitized by Google

ſerit Nicephorus lib. 4. hiſt. c. 22. apud Coccium. Attamen Du-Hamel obſervat, non ſatis liquere, Montanum Paracletum ſe haberi voluiſſe, aut docuiſſe, Spiritum Sanctum in ſe plenius, quam in Chriſto, loquutum fuiſſe. Vere hoc poſterius additum legimus in calce libri Tertulliani de Præſcriptionibus; ſed Viri eruditi ſuſpicantur, additionem illam eſſe quidem Auctoris antiquiſſimi, non autem Tertulliani. Certe Tertullianus nunquam Montanum Paracletum dixit; etſi duas feminas ipſius, Priſcam ſcilicet, & Maximillam, per quas Montanus dicebat, quemadmodum per ſeipſum, multa Spiritum Sanctum docuiſſe, in fin. lib. de reſurrect. carnis, vocet *novam Prophetitam de Paracleto inundantem*. Denique Epiphanius hæreſ. 48., & Theodoretus lib. 3. de hæreſ. c. 2. plerique alii, teſtantur, Montanum de Trinitate recte ſenſiſſe.

Quinto Tertullianus hujuſce hæreſis accuſatur a Coccio verbis hiſce: „Tertullianus poſt mediam ætatem in Montani hæreſim lapſus, Montanum hæreticum Paracletum ſubinde nominat; ut lib. de reſurrect. carn. c. ult., de veland. virgin. c. 1., de anima c. 55., lib. 1. adv. Marcion. c. 29., adverſ. Praxeam c. 1. 2. 8. 13." Attamen teſtimonium libri de reſurrectione carnis vidimus intelligi de Priſca, & Maximilla, non de Montano; aliud de veland. virgin. eſt de vero Paracleto, non de Montano, ut diligenter obſervavimus; illud de anima deficit; ultimum enim caput libri de anima eſt 52. in aliis pariter locis de Paracleto quidem loquitur, ſed Montanum nullo modo exprimit. Cæterum non negamus, errorem hunc fuiſſe quorundam Montaniſtarum; at aſſerimus quoque, Montanum, & Tertullianum, non ob hunc errorem, ſed ob alios errores, ejectos ab Eccleſia fuiſſe.

Sexto Helceſaitæ ponuntur, qui nugantur, Spiritum Sanctum eſſe uxorem Chriſti, fœmineo habitu traditam. Dixerunt pariter, Spiritum Sanctum, & Chriſtum, habere altitudinem ſex milliariorum, & latitudinem viginti quatuor. Coccius refert ex Epiphanio contra Helceſaitas.

Septimo habetur Origenes, qui t. 2. in Joann. dicit, Spiritum Sanctum eſſe factum per Chriſtum; tr. 13. in Joann. aſſerit, Patrem tantum eſſe ſuperiorem Filio, & Spiritu Sancto, quanto hi ſuperiores ſunt creaturis. Alibi quoque ſcribit, Spiritum Sanctum eſſe creaturam, & miniſtrum poſt Patrem, & Filium, dignitate, & honore tertium, & inferiorem; fortitudinem Filii eſſe majorem fortitudine Spiritus Sancti. Sic referunt Epiphanius epiſt. ad Joannem Hieroſolymitanum, Hieronymus apologia ad Ruffinum, & epiſt. ad Avitum. Ruffinus autem, Origenes defendens, in libro de depravatione librorum Origenis, aſſerit, hujuſmodi hæreſes Origenis non eſſe, ſed ab Arianis fuiſſe Origenis operibus aſſutas. Attamen Hieronymus Ruffino reſpondet in apolog. 2. adverſus ipſum Ruffinum, quod ſi ſuum effugium valeret, nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius, accuſari poſſent; quia ſemper eorum diſcipuli nobis dicerent, quicquid a nobis eſt illis objectum, ab inimicis fuiſſe attributum, ac falſo impoſitum. Certe Didymus excuſat errores Origenis, at non negat Origenis fuiſſe, dicit autem illos bona fide Origenem ſcripſiſſe; unde re vera quod ſcriptum eſt non negat, ſed fatetur; Scribentis vero ſenſum vel ad bonum trahere ſtudet, ſi poteſt, vel ſi non poteſt, excuſat.

Octavo Dionyſius Alexandrinus Origeniani erroris accuſatur, quod ſcilicet Spiritum Sanctum a Deitatis conſortio ſejunxiſſet, & creatæ, & ſervili naturæ adnumeraſſet. At perperam putamus hoc factum; S. Baſilius enim ait: *Fertur, ſed ea ſuſpicio tantum fuit. Nam in epiſtola ad Paulum Samoſatenum perſpicue tradit, Spiritum Sanctum cum Patre, & Chriſto adorari; Deum, inquit, loquens de Chriſto, cum Patre, & Spiritu Sancto adoratum.* Et ſicut ex hac adoratione probat divinitatem Chriſti, ita ex eadem divinitatem Spiritus Sancti probabit; quemadmodum quoque ex impeccabilitate probat: *Nemo eſt, qui peccare non poſſit, niſi unus Chriſtus, ſicut & Pater Chriſti, & Spiritus Sanctus.* Ulterius in reſponſ. ad 10. qq. Pauli Samoſateni aperte divinitatem Spiritus Sancti aſtruit; nam in reſponſ. ad q. 2. Spiritum Sanctum vocat Deum: *Paracletus eſt Deus*; in reſp. ad 6. Deum pariter infert eſſe ex ejus ſcientia: *Profunda Dei tanquam Deus ſcit Spiritus.* Denique docet, Ananiam, & Saphiram, mortuos fuiſſe, quia mentiti eſſent Spiritui Sancto, hoc eſt Deo; & ſimilem exitum Samoſateno timebat, quia blaſphemus in Spiritum Sanctum erat.

Nono de Ario non una eſt Scriptorum ſententia; etenim Alphonſus de Caſtro ponit illum inter negantes Spiritus Sancti divinitatem, verbis hiſce: „Eandem hæreſim prius docuerat Arius, qui ſicut di-

„ xit

„ xit Filium diſſimilem Patri, & eſſe creatu-
„ ram, ita etiam docuit de Spiritu Sancto.„
Coccius quoque hæc habet: „ Ariani di-
„ cebant, Spiritum Sanctum non eſſe
„ Deum, ſed creaturam a Filio; ideoque
„ creaturam creaturæ vocabant; alii dice-
„ bant, Spiritum Sanctum tantummodo
„ quoddam eſſe Dei donum, ſeu virtutem.„
Et citat Athanaſium diſp. con. Arium, & lib. de communi eſſentia Patris, & Filii; Didymum de Spiritu Sancto, & Auguſtinum hæreſ. 49. Jueninus vero ex adverſo hæc ſcribit: „ Ex Arii principiis
„ ſequebatur quidem, Spiritum Sanctum
„ non eſſe Deum; ſed cum Arius id aperte
„ non protuliſſet, nec Alexandrina Syno-
„ dus, nec Nicæna I., in quibus ſolemniter
„ damnatus eſt, hæreſis hujuſmodi memi-
„ nerunt. „ Subdit poſtmodum, Arii diſcipulos palam docuiſſe, quod Arius aperte non docuerat; & inter ejus diſcipulos nominat Aetium, Eunomium, Eudoxium, Epiſcopum Antiochenum, plures ex Semi Arianis, & apertius omnium Macedonium. Hæc eadem ſcribit pariter Du-Hamel. „ Arius quidem nullam de Spi-
„ ritu Sancto initio mentionem fecit. Hinc
„ Nicæna Synodus nihil fere de Spiritu
„ Sancto conſtituit, quod nulla de eo mota
„ eſſet quæſtio: Ac licet Ariani Spiritum
„ Sanctum non anteponerent Filio, nulli
„ quippe hæretico id in mentem venit, ta-
„ men Patres, quod majore contentione
„ Ariani vulgaverant de Filio dogma oppu-
„ gnare, contenti vix de Spiritu Sancto,
„ certamen injerunt. Sed cum Ariani in
„ duas eſſent diviſi partes, quique Semi-
„ Ariani dicti ſunt, propius ad Catholicos
„ accederent, ac Filium ſimilis eſſe cum Pa-
„ tre ſubſtantiæ faterentur, utrique Spiri-
„ tum Sanctum in rerum creatarum ordi-
„ nem cogere voluerunt. „ His ultimis nos accedimus, aſſerentes, Arium implicite quidem Spiritus Sancti divinitatem negaſſe, non autem explicite; quod deinde Ariani fecerunt.

Decimo ponitur Firmianus, qui in epiſt. ad Demetrianum ſcribit, Spiritum Sanctum ſæpe Patrem, ſæpe Filium, nominari; & cum perſpicue in Trinitate credamus, tertiam perſonam auferens, non ſubſtantiam ejus vult eſſe, ſed nomen. Verba ſunt Coccii; qui hunc Firmianum ad ann. ponit 320., & teſtimonium inducit Hieronymi ad cap. 4. epiſt. ad Galatas.

Undecimo in aciem adducitur Macedonius, qui docuit, Spiritum Sanctum ſolum eſſe creaturam, & nihil habere cum Filio commune, ſed tantum eſſe miniſtrum, ac famulum Patris, & Filii. Refert Coccius ex Baſilio ep. 78., Epiphanio hæreſ. 74., Auguſtino hæreſ. 52., Ruffino lib. 1. c. 15., Sozomeno lib. 4. hiſt. c. 7., Damaſceno de hæreſ., Zonara in Valentiniano. De Macedonio ſcribit Du-Hamel: „Cum
„ autem Macedonius ab Arianis defeciſſet,
„ Filium Patri per omnia ſimilem eſſe pro-
„ feſſus, Spiritum Sanctum non ſolum a
„ conſortio divinitatis excludebat, ſed eum
„ creatum eſſe pertendebat. „ Jueninus pariter ſcribit. „ Idem dogma propugna-
„ runt plures ex Semi-Arianis, ſeu ex iis,
„ qui tuebantur homouſion, hoc eſt, Fi-
„ lium eſſe ſimilem Patri; ſed quod aper-
„ tius inter eos id propugnarit Macedonius,
„ audiit apud veteres tanquam author
„ Pneumatomachorum ſectæ, ſeu eorum,
„ qui Spiritui Sancto divinitatem abnega-
„ runt. „ Alphonſus a Caſtro denique ſcribit. „ Iſtorum dux fuit Macedonius,
„ ideo ab eo nomen accepit, ut Macedo-
„ niana Hæreſis diceretur. Hi ſic ſentien-
„ tes vocati ſunt Pneumatomachi, ideſt
„ Spiritus Sancti impugnatores; πνεῦμα
„ græce, eſt idem quod Spiritus latine.
„ Quod ſi in ſacris literis reperiatur præpo-
„ ſito articulo τὸ (ut annotat Didymus in
„ lib. de Spiritu Sancto) ſemper ſignificat
„ Spiritum Sanctum; μάχομαι græce, eſt
„ idem quod latine pugno. Inde dictio com-
„ poſita πνευματομάχος, ideſt, Spiritus San-
„ cti oppugnator. „ Et late confutat Bernardum de Lutzemburgo, qui in ſuo Hæreticorum catalogo originem vocis derivavit a pneuma, ideſt Spiritus, & tocos, ideſt mater; quia Spiritum Sanctum ex matre ipſa proceſſiſſe dicebat, & de Filio Dei. Macedonius, quum eſſet Arianus, favore Conſtantii Imperatoris, ad Conſtantinopolitanam ſedem evectus eſt; ac deinde quum propter corporis Conſtantini translationem factam, inſcio Conſtantio, ab hoc ejectus eſſet, hæreſis ſuæ venenum in Spiritum Sanctum evomere incepit; eo quidem ſucceſſu, ut perfidiæ ſuæ ſectatorem populum non exiguum habuerit Conſtantinopoli, in Bythinia, Thracia, & Helleſponto, & in aliis quoque nationibus; ut ex Sozomeno lib. 4. hiſt. c. 26. refert Natalis Alexander in ſec. 4. c. 3. art. 10. §. 1. Qui & ulterius aſſerit, Macedonii hæreſim natam eſſe ann. 360., quod pariter aſſerit Coccius; primo vero damnatam ann. 362. in Synodo Alexandrina.

Duodecimo ſcribuntur Marcellus, & Pho-

tinus, qui voluerunt, Spiritum Saoctum non eſſe propriam perſonam, ſed extenſionem extenſionis. Ita Baſilius ep. 74. Epiphanius, & Theodoretus de illorum hæreſi, apud Coccium.

Decimotertio ſunt Actius, & Eunomius, qui docuerunt, Spiritum Sanctum eſſentia alienum eſſe a Parris, & Filii ſubſtantia, eſſeque meram creaturam a Patre, & Filio aote alias creaturas fabricatam; deitate, ac creandi poteſtate carere; non ſolum minorem, ſed etiam mirteodarium eſſe. Sic Baſilius lib. 2. conr. Eunomium; Didymus lih. 1. de Spiritu Sancto; Ruffinus in Symbolo, Epiphanius, Sozomeous, Theodoretus, &c.

Decimoquarto Euſtathius habetur, de quo ſcribir Du-Hamel: „ Alii nec Deum, nec crearuram, auſi ſunt eum appellare. Ex quorum numero fuit Euſtathius Sebaſtenus. „ Ah hoc Euſtathio Euſtathiani proceſſerunt, qui innumeras alias hæreſes profirebantur, ut videre quisquis porerit apud Natalem Alexandrum cit. loc. art. 10. Inter ejus tameo hæreſes hanc, de qua loquimur, Alexander oon numerat.

Decimoquioto numerantur a Coccio Petilianus, Croſcooius, & alii Dooatiſtæ, qui dixerunt, anre Salvaroris advenrum Spiritum Sanctum non ſuiſſe ſuper terram. Teſtem vocat Auguſtinum lib. 2. contra literas Petiliani.

Decimoſexto ano. 560. ponitur ab eodem Coccio Leovichildus Hiſpaniæ Rex, qui dicebat: *Maniſeſte cognovi Chriſtum Filium Dei æqualem Patri; ſed Spiritum Deum penitus eſſe non credo, eo quod in nullis codicibus legatur Deum eſſe.* Narrat Coccius ex Gregorio Turoneoſi lib. 6. hiſtor. Francorum c. 18.

Decimoſeptimo eſt Petrus Abailardus, qui dicebat, Spirirum Saoctum oullam eſſe potentiam, ooo perſonam ex ſubſtaotia Patris, & Filii, ſed aoimam eſſe mundi. Sic Bernardus ep. 190. Otho Friſigeoſis de rebus geſtis Friderici I. lib. 1. c. 49.

Decimooctavo pooimus alios gregatim, qui ab eodem Coccio adducuntur; & ſunt r Raymundus Lullius, qui dixit: Spiritum Sanctum eſſe conceptum ex Patre, & Filio; Nicolaus Eymericus par. 2. Directorii q. 9. Bernardus Lutzemburgus. Eraſmus Roterodamus in præfatione ad libros S. Hilarii: Audemus Spirirum Sanctum appellare Deum verum ex Patre, Filioque procedentem; quod veteres aliquandiu non videntur auſi. Guilhelmus Farellus negat, Spiritum Sanctum natura eſſe Deum, & dicit eſſe motum in rebus creatum; Petrus Carolus in Summa Gallica. Joannes Calvinus lib. 1. inſtir. c. 13. §. 22. Spiritus Sanctus eſt eſſentialis Dei virtus. Philippus Melanchthon io Locis communibus, editis ann. 39., & 45. In Spiritu Saocto eſt aliquid eſſentiæ Dei &c. In Spiritu Sancto eſt aliquid Dei. Beroardinus Ochinus in Polonia prædicavit Spirirus Sancti hypoſtaſim, & perſonam nullam eſſe; Joſias Simlerus io vira Bullingeri ſul. 40. Lucas Sterberger irriſit Spiritum Sanctum, aſſerens nihil in Scripturis ſacris veteris, & novi teſtamenti de illius divinitate haberi, ſeque potius velle redire in cænubium, quam credere in Spirirum Sanctum, quia nuſquam in Scripturis Spiritus Sanctua appellatur Deus, aut Dominus; Prateolus de hæreſ. lib. 10. c. 10. Theodorus Beza Confeſſ. Gallic. punt. r. art. 1. Nos credimus in Spiritum Sanctum, quæ eſt potentia Patris, & Filii.

Decimonooo addimus alios, quos idem Coccius refert. Michael Servetus lib. 1. de Trioit. f. 28. De Spiritu Sancto non fit meorio, niſi ubi eſt ſermo de agendo, quod eſt notatu dignum, quaſi Spiritus Sanctus non rem aliquam ſeparatam, ſed Dei agitationem, & energiam quandam, ſeu ioſpirarionem virtutis Dei, deſignet. Et lib. 6. in fin. Dic igitur, quod Spiritua eſt divina hominis agiratio in Spiritu; & quia ſic muvendo in Chriſto credeotes ſaoctificat, ideo dicirur Spiritus in homioe Sanctus. Matthias Cervaſius, Anabaptiſta, hæc de Spiritu Sancto dicit: Per unicum Spiritum, quem non peculiarem perſonam, ſed Dei virturem eſſe confitemur, ambo, Pater nimirum, & Filius, ut verus Deus operati ſunt, & dominati a principio, & in æternum; Adducitur in teſtimonium Protocollum Franckentalenſe. Matthias Steiohach dixit, ſe eſſe Spiritum Sanctum; Zuvingerus in theatro c. de Hæreric. Petrus Goniezius, Polonus, ioquit, de Spiriru Sancto noodum eſſe revelarum quod ſit Deus; Alphonſus Piſaous præfat. in acta Concilii Nicæni I.

Vigeſimo ſubjungimus cæteros, qui a præfato Coccio ſuperadduntur. Georgius Blandrata in diſputatione Albana act. 6. diei. ſcribit: Quæſtio eſt, utrum Verbum, & Spiritus ſiot perſonæ? Nos dicimus, non eſſe perſonas, aut individua, aut aliud ſophiſticum; ſed eſſe altiſſimi Dei Patris virtutes, quibus & olim, & nunc quoque in novi mundi creatione utitur.

tur. Joannes Sommerus, Pirnenſis, Lector Scholæ Claudiopolitanæ in Tranſylvania, in refutatione ſcripti Petri Carolii, Vittembergæ editi, lib.2. fol.171. in Confeſſione Spiritus Sancti, hæc ait: *Credimus Spiritum Sanctum eſſe Dei Patris, & Filii Spiritum; quem quidem nos Deum dicere dubitamus; invocare autem, atque adorare, nobis religio eſt, cum id unſquam mandatum ſit a Deo Patre*. Et fol.160. Spiritus Sanctus adorandus eſt: ergo verus Deus eſt. Antecedens falſum eſt. Sanctus enim Paulus dicit: *Hodie ſi vocem ejus audieritis &c.* non dicit: *Venite adorate me*; ſed; *Venite adoremus Dominum*; Suntque verba Prophetæ, dictata illi a Spiritu Sancto. Quomodo autem Carolius hinc colligat, Spiritum Sanctum adorandum eſſe, profitemur ingenue, nos non aſſequi. Et fol. 167. Spiritum Sanctum Deum eſſe, & ſeorſim a Patre diſtinctam habere ὑπόστασιν, negamus cum univerſa Scriptura. Eſſe autem illum motum tantum in animis excitatum, non dicimus, ſed fatemur eſſe occultam vim, & ἐνέργειαν Dei, quæ nos in vitam æternam regenerat. Familiani dicunt, Spiritum Sanctum non eſse Deum; phantaſma eſse, quod Papiſtæ de Spiritus Sancti, vel eſsentia, vel deitate credunt. Stous in Eliſabeth f. 1195. Chriſtianus Francus lib. con. Sanctam Trinitatem edito, hæc blaſphemando ſcribit: *Cum nondum contenti duabus divinis perſonis, tertiam quoque adjicere vellent, quæ Spiritus Sanctus vocaretur; non autem ignorarent, nullum extare in totis bibliis de divinitate Spiritus Sancti apertum teſtimonium, imo unigenitum Dei Filium nullum alium Deum admittere, ſed prorſus excludere, tertiam perſonam finxerunt Spiritum Sanctum, ὁμοούσιον quidem Patri, & Filio, & ab utroque productum, quam tamen commentitiam, fictamque doctrinam communis totius ſacræ Scripturæ conſenſus refellit.*

Cardinalis Bellarminus de ſolis Tranſylvanis mentionem facit, quorum objectiones refert, ac diſſolvit; additque in principio cap.13. „ Probandum eſt, Spiritum Sanctum eſſe verum Deum: Id quod Adverſarii tametſi negant, tamen non magnopere de eo laborant; ipſi enim contendunt pro excellentia Patris; ſed ſi ea excellentia tolli debeat propter confeſſionem alicujus perſonæ æqualis Patri, parum referre credunt, utrum ea perſona ſit una, vel duæ. Itaque Valentinus Gentilis ſemper fere dicebat, de Spiritu Sancto non eſſe quæſtionem. Tranſylvani autem lib. 12.c.5. negant quidem, Spiritum Sanctum eſſe adorandum, aut invocandum Deum, tamen non accurate id probant, nec refellunt contraria. „ Ac proinde totus eſt doctiſſimus Cardinalis, ut Tranſylvanos impugnet; quod quidem nos in ſequenti Diſſertatione facturos contra quoſquunque Spiritus Sancti divinitatem infieiari auſi ſunt, cum Dei auxilio ſperamus.

DISSERTATIO CXIX.

De Divinitate Spiritus Sancti, Scripturarum oraculis, Conciliorum decretis, Sanctorum Patrum teſtimoniis, ac Rationum momentis, affirmata, ac probata.

I. PRobatur ex Scripturis utriuſque teſtamenti. Iſai. 6.8.& ſeqq. *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? Et quis ibit nobis? Et dixi, ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere; & videte viſionem, & nolite cognoſcere.* Oraculum hoc reſpiciens S. Paulus Actor.28.25.& 26. dixit: *Quia bene Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis.* Ubi obſervatu dicitur dignum, quod ille idem Dominus exercituum, de quo loquitur Iſaias, & quem omnes Deum eſſe fatentur; ille idem ab Apoſtolo dicitur Spiritus Sanctus; ac proinde fateri pariter debemus, Spiritum Sanctum eſſe Deum. Ulterius; Prophetæ omnes, qui in veteri teſtamento ſermones ſuos ad populum explicabant, hac

communi, & uſitata formula utebantur: *Hac dicit Dominus Deus*. At S. Petrus docet, Prophetas omnes loquutos fuiſſe a Spiritu Sancto inſpiratos, ſeu Spiritum Sanctum loquutum fuiſſe per ora omnium Prophetarum; dicitur enim. II. Petr. 1.21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*: ergo ille Spiritus Sanctus, qui per ora Prophetarum loquebatur, eſt Deus. Et confirmatur hoc ipſum ex verbis Lucæ 1.68. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ; & num. 69. Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui*; & n. 70. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſeculo ſunt, & Prophetarum ejus*: ergo ſemper Spiritus Sanctus, qui per os Sanctorum, & Prophetarum, loquitur, Deus eſt. Præterea; Pſal. 105. 14. *tentaverunt Deum in inaquoſo*: Hic idem Deus, quem Judæi tentaverunt ex Davide, ab Apoſtolo vocatur Spiritus Sanctus; ſcribit enim ad Hebr. 3.7. *Quapropter, ſicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundum diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri*: ergo vere Spiritus Sanctus eſt Deus.

II. probatur ex Scripturis veteris teſtamenti. II. Regum 23.2. David hæc loquebatur: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum, juſtus dominator in timore Dei*. Id quibus verbis idem dicitur Spiritus Sanctus, & Deus. Inſuper; Pſal. 138. 7. *Quo ibo a Spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam?* Ubi Spiritus Sanctus dicitur ubique eſſe, ſicuti ubique eſt Deus; dicitur in Cœlis eſſe, ſicut in Cœlis eſt Deus; *ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es. &c.*

III. probatur ex Scripturis novi teſtamenti. S. Petrus Actorum 5. 3. hæc Ananiæ dixit: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?* Et n.4. ſubdit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Ubi Spiritus Sanctus apertiſſime dicitur Deus. Ulterius; Hoc idem expreſſe habetur 1. ad Corinth. 3. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et c. 6.19. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti?* Pariter in verbis hiſce Deus nominatur Spiritus Sanctus. Inſuper 1. ad Cor. 12.4. *Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: Et diviſiones miniſtrantium ſunt, idem autem Dominus: Et diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Et n. 11. poſtquam ſigillatim gratias omnes numeraſſet, ſubdit: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult*. Adhuc Matth. 28.19. *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Si Spiritus Sanctus eſſet creatura, & divinam naturam non haberet, qua ratione a Chriſto cum Patre, & ſeipſo, qui divinam unam naturam habent, copularetur? Quomodo poneretur ſub nomine in ſingulari, per quod unitas naturæ, ut in Patre, & Filio, ita etiam in Spiritu Sancto, intelligitur? Quonam etiam pacto tribueretur ei regeneratio, ſanctificatio, gratiæ diffuſio, ſi per Davidem pſal. 83.12. *gratiam, & gloriam dabit Dominus?*

IV. probatur ex Conciliis. Synodus Alexandrina ann. 362. congregata, Præſidente S. Athanaſio, hæc fuit prima, in qua Macedonii error damnatus apparuit. In Illyrico pariter, Valentiniano imperante, eoque etiam procurante, congregati ſunt Epiſcopi quamplures, qui Nicænam Synodum confirmarunt, & Spiritus Sancti divinitatem ſtabilierunt. Conſtat ex Epiſtola Synodica ad Aſianos, quam Illyrici Epiſcopi ſcripſerunt, & quam Imperator ſubjecit epiſtolæ a ſe ſcriptæ. Hæc Synodus habita eſt ann. 367. teſte Theodoreto. Ex Sozomeno lib.6. hiſt. c. 22. refert Du-Hamel, quod orta in Oriente controverſia, an Spiritus Sanctus eſſet conſubſtantialis Patri, & Filio; ad Romanum Pontificem quæſtionem dirimendam miſerunt. Romanus vero Pontifex cum Epiſcopis Occidentalibus ad Orientales ſcripſit, ut Trinitatem colerent ejuſdem ſubſtantiæ, ejuſdemque gloriæ. Subdit Du-Hamel: „ Quo perfecto, tanquam re
„ ſemel a Romana Eccleſia dijudicata, ſin-
„ gulos acquieviſſe; atque hunc in modum
„ controverſiam terminatam eſſe. „ Poſtmodum habitum eſt Concilium Romanum ſub Damaſo Papa adverſus Auxentium, & in eo definitum eſt, Spiritum Sanctum eſſe unius naturæ cum Patre. Refert Theodoretus lib.2. hiſt. c.22., qui recitat quoque Epiſtolam Damaſi ad Epiſcopos Illyrici; & pariter lib.5.c.1. aliam epiſtolam ejuſdem Pontificis ſynodicam affert ad Paulinum Antiochenum. In hoc Concilio ſic definitum legitur: *Unam divinitatem, & potentiam credimus, & co-*

gnoſci-

gnoſcimus, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum ſit unus Deus in tribus perſonis. Secundum Baronium habitum eſt ann. 372. Ann. poſtmodum 381. habemus Concilium generale Conſtantinopolitanum I. ex centum quinquaginta Epiſcopis ſub Theodoſio magno congregatum a Damaſo, Romano Pontifice. In hoc hæreſis Macedonii proſcripta eſt, Maximus Cynicus fuit depoſitus, & Spiritus Sanctus Dominus, & vivificans fuit dictus, ac ſimul adorandus cum Patre, & Filio, ut in Symbolo legitur. In epiſtola Synodica ad Damaſum plura ſcribunt Patres de Spiritus Sancti divinitate. Epheſinum Concilium generale I. poſtmodum eandem docuit veritatem; pariter & Concilium generale Chalcedonenſe. Quibus deinde ſucceſſerunt Concilia generalia Lateranenſe ſub Innocentio III., & refertur in c. firmiter de ſumma Trinitate, & fide catholica; Florentinum, Tridentinum &c. Innumera vero ſunt particularia Concilia, quæ de eodem fidei dogmate tractant, præcipue Toletana.

V. probatur ex Patribus Græcis. Ignatius Martir in epiſt. ad Philadelphios: *Unus eſt ingenitus Deus, & Pater; unus unigenitus Filius Deus Verbum, & homo; unus Paracletus Spiritus veritatis.* Juſtinus martir in lib. cui titulus *Expoſitio fidei &c.* At hunc librum eruditi Critici Juſtino abjudicant: verum ſi Juſtini non eſt, certe eſt antiqui, & catholici Scriptoris: *Si in mundi diſciplina, & in baptiſmi doctrina, & inſuper in creationis ratione, poteſtatiſque virtute, conjunctim nobis unum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti numen, & nomen traditum eſt, quænam ratio, & oratio inficiando aſſerere poteris, Filium, & Spiritum Sanctum divinæ naturæ, & eſſentiæ non eſſe?* Irenæus lib. 4. c. 37. *Et quoniam Verbum, ideſt Filius, ſemper erat cum Patre, per multa demonſtravimus. Quoniam autem & ſapientia, quæ eſt Spiritus, erat apud Deum ante omnem conſtitutionem, per Salomonem ait Deus: Sapientia fundavit terram, paravit autem cælum prudentia.* Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi c. 12. *Laudemus unum Patrem, & Filium una cum Spiritu Sancto, qui unus eſt omnia, in quo omnia, per quem omnia: Unum, per quem eſt, quod ſemper eſt; cujus membra omnes, cujus ſunt gloria & ſecula, qui eſt undequaque bonus.* Euſebius Alexandrinus ſer. in Aſcenſ. Domin. *Sed mittam, dicit Chriſtus, Spiritum Sanctum conſubſtantialem Patri, & mihi:* Gregorius Neocæſarienſis or. in Epiphania: *In cujus te nomine baptizabo?* (dicebat Joannes ad Chriſtum) *In nomine Spiritus Sancti? At ille tecum eſt ſemper, utpote tibi conſubſtantialis. Eadem illi ſervitus, eadem mens, eadem vis, idem honor, eadem, quæ tibi, adoratio ab omnibus exhibetur.* Athanaſius in epiſt. ad Serapionem de Spiritu Sancto: *Quemadmodum Filius, eo quod habet proprietatem cum Patre, quodque proprium germen eſt, ex illius ſubſtantia, non eſt creatura, ſed Patri homouſios, hoc eſt ejuſdem eſſentiæ; ſic haud quaquam Spiritus Sanctus poſſit eſſe creatura; quin potius impius eſt, qui hæc dicat, eo quod habet proprietatem cum Filio, quod ex illo datur omnibus; denique quod quæ habet, Filii ſunt. Hæc ſufficiebant ad perſuadendum vel cuivis contentioſo, ne poſthac dicat, eſſe creaturam Spiritum Dei, qui eſt in Deo, quique profunda ſcrutatur Dei, qui ex Patre datur per Filium; ne ex his cogatur & Filium dicere creaturam, qui eſt Verbum, qui eſt Sapientia, qui figura, qui ſplendor Patris.* Baſilius lib. 5. cont. Eunomium: *Proprium Dei eſt peccata dimittere: Si ergo nullius, niſi ſolius Dei eſt, peccata dimittere; dimittit autem Spiritus Sanctus per Apoſtolos: Deus eſt ergo Spiritus Sanctus, & ejuſdem operationis cum Patre, & Filio.* Nazianzenus or. 54., quæ eſt ep. 2. ad Cledonium: *Unam, eandemque Patris, & Filii, & Spiritus Sancti divinitatem agnoſcendam eſſe, Deum quoque videlicet Spiritum profitendo.* Epiphanius hæreſ. 61. *Non alienus a Patre, & Filio,* (Spiritus Sanctus) *ſed ex eadem eſſentia, ex eadem deitate, ex Patre, & Filio, cum Patre, & Filio ſemper in ſubſtantia, Spiritus Sanctus, Spiritus divinus, Spiritus gloriæ, Spiritus Chriſti, Spiritus Patris: Nam Spiritus Patris, qui loquitur in vobis; & Spiritus meus conſiſtit in medio veſtrum: Tertius nomenclatura, æqualis deitate, non alteratus præter Patrem, & Filium, vinculum Trinitatis, ſignaculum confeſſionis.* Chryſoſtomus de conſubſtantiali Trinitate: *Quæ cum omnia recte didiceris, crede, quod Patri Filius conſubſtantialis ſit, & quod conſubſtantialis ſit Spiritus Sanctus. Nam ſi ex Patre procedit, & a Filio ſumit, non alterius ſubſtantiæ eſt Spiritus. Spiritus Dei, Spiritus Chriſti, Spiritus veritatis, Spiritus conſolator, non habens alium oppoſitum, Spiritus Deus.*

VI. probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus in lib. de cardinalibus operibus Chriſti, ſi ipſius genuinus eſt fœtus, cap. de ablutione pedum: *Ipſe ſummus Sacerdos ſui eſt ſacramenti inſtitutor, & auctor: in cæteris hominis Spiritum Sanctum habuere Doctorem:*

Et

Et ſicut par eſt Spiritui Sancto, & Chriſto divinitas, ita in ſuis inſtitutis aqua eſt auctoritas, & poteſtas; nec minus ratum eſt, quod Spiritu Sancto dictante Apoſtoli tradiderunt, quam quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit. Hilarius lib.2. de Trinit. *Eſt enim*, (Spiritus Sanctus) *quandoquidem donatur, accipitur, obtinetur: Et qui confeſſioni Patris, & Filii connexus eſt, non poteſt a confeſſione Patris, & Filii ſeparari*. Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto c. 11. *Nec ſolum hoc loco evidenter Sancti Spiritus Θειότητα, hoc eſt divinitatem teſtatur Scriptura; ſed etiam ipſe Dominus dixit in Evangelio:* Quoniam Deus Spiritus eſt: *Quem locum ita expreſſe Ariani teſtificamini eſſe de Spiritu Sancto, ut eum de veſtris codicibus auferatis, atque utinam de veſtris, & non etiam de Eccleſiæ codicibus tolleretis*. Hieronymus ad cap.63. Iſaiæ: *Ejuſdem Spiritus Sanctus cum Patre, Filioque natura eſt*. Auguſtinus lib.2. cont. Maximinum c.11. *Non vis Spiritum dicere Deum, cujus tamen divinitatem per laudem coactus es confiteri: Ut cum ſit unus, ubique ſit præſens, & nemini ſanctificando deſit, ubicumque quiſque Chriſtianus eſſe, & Deum orare voluerit, ſimul ſe omnibus exhibendo, ſive in Oriente, ſive in Occidente baptizentur in Chriſto: Hoc & nos dicimus, talem, ac tantum abſit a nobis, ut Deum negemus*. Chryſologus ſer. 57. *Poſtquam ſuſceptæ carnis confeſſus es ſacramentum, oportet te Deitatem Spiritus confiteri; ut Trinitatis unitas æqua, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, per omnia, & in omnibus virtutis integram fidei in noſtra confeſſione cuſtodiat, & teneat veritatem* S.Leo magnus ſer.2. de Pentecoſte c. 2. *Cum igitur ad intelligendam dignitatem Spiritus Sancti aciem mentis intendimus, nihil diverſum ab excellentia Patris & Filii cogitemus; quia in nullo ab unitate ſua diſcrepat divinitatis eſſentia. Sempiternum eſt Patri conſempiterni ſibi Filii ſui eſſe genitorem: Sempiternum eſt Filio intemporaliter a Patre eſſe genitum: Sempiternum quoque eſt Spiritui Sancto Spiritum eſſe Patris, & Filii. Ut nunquam Pater ſine Filio, nunquam Filius ſine Patre, nunquam Pater, & Filius fuerint ſine Spiritu Sancto, & omnibus exiſtentiæ gradibus excluſis, nulla ibi perſona ſit anterior, nulla poſterior*. Fulgentius de fide orthodoxa c. 8. *Inde eſt, quod etiam Spiritum Sanctum creatorem vera fides aſſerit, non creaturam*. Et in reſponſione cont. Arianos ad finem: *Sanctum quoque Spiritum non aliud fatemur eſſe, quam Deum, nec a Filio, nec a Patre, diverſum; nec in Filio, nec in Patre confuſum*. S.Gregorius magnus hom.5. in Ezechielem: *Quia Spiritus Sanctus Deus ante ſæcula Patri, & Filio eſt coæternus, quærendum nobis eſt, cur diſcurrere dicatur &c.*

VII. Probatur Rationibus I. In divinis quod procedit ab alio Deus eſt; Spiritus Sanctus procedit ab alio, hoc eſt a Deo: ergo Deus eſt. Major eſt indubitata apud Patres, qui hoc principio utebantur, ut Verbi divinitatem contra Arianos probarent. Unde Ambroſius lib.1. de Spir. Sanct. c. 4. rationem hanc reddit; quia procedere ab alio eſt eſt recipere ipſum eſſe principii, a quo eſt proceſſio: Minor eſt innegabilis ex verbis Chriſti apud Joann. 15.26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*. II. In baptiſmo non invocatur nomen, niſi Dei; ſed invocatur nomen Spiritus Sancti: ergo Spiritus Sanctus eſt Deus. Major eſt certa; quia baptiſmus eſt ſacramentum fidei, in quo fidei auctor eſt invocandus: ergo invocandus eſt Deus: Unde Athanaſius in lib. ad Serapionem: *Nam qui de Trinitate aliquid eximit, & in ſolo Patris nomine baptizatur, aut in ſolo nomine Filii, aut ſine Spiritu, in Patre ac Filio, nihil accipit; ſed inanis, ac ſine initiatione manet, tam ipſe, quam qui tribuere videtur*. III. Scrutator cordium, & renum non poteſt eſſe, niſi Deus; Spiritus Sanctus ſcrutatur internas hominum cogitationes: ergo eſt Deus. Major eſt Pſal. 7. 10. *Scrutans corda & renes Deus*. Minor eſt in 1. ad Corinth.2. 10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum; Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei*. IV. Collator gratiæ ſanctificantis hominem nequit eſſe, niſi Deus; at Spiritus Sanctus hanc gratiam confert: ergo eſt Deus. Major eſt S. Baſilii lib. 5. adv. Eunomium dicentis: *Creatura non poteſt ſanctificare creaturam*. Minor pariter conſtat ex multis Scripturæ locis, in quibus Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus ſanctificationis*; ad Rom. 8. *Spiritus adoptionis*; ad Hebr. 11. *Spiritus gratiæ*. Act.15. *In nationes gratia Spiritus Sancti effuſa eſt &c.*; ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; ad Galat.5. &c. V. Nemo remittit peccata, niſi Deus; Spiritus Sanctus remittit peccata: ergo eſt Deus. Minor ex eo conſtat, quod Spiritus Sanctus eſt principium,

unde

unde provenit poteſtas dimittendi peccata, quæ eſt in Eccleſia. Dicitur enim Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* VI. Qui habitat in anima intelligente tanquam in templo, Deus eſt; Spiritus Sanctus habitat in anima rationali tanquam in templo: ergo Deus eſt. Major conſtat ex pluribus; tum quia ſoli Deo templum debetur; tum quia pervadere totum creaturæ eſſe proprium eſt Dei &c. Minor fit patens ex illo Apoſtoli 1. ad Cor. 3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* VII. Nemo aliquid uſquemodo creavit, niſi ſolus Deus; at Spiritus Sanctus dicitur in Scripturis creaſſe: ergo eſt Deus. Minor probatur ex illo Job. 33. *Spiritus Dei fecit me*: Ex illo Pſal. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* VIII. Solus Deus futura prædicit; Spiritus Sanctus futura prædicit: ergo eſt Deus. Major patet ex illo Iſai. 41. 23. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.* Minor pariter ex illo II. Pet. 1. *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Opponunt I. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, in Scripturis diverſo modo exprimuntur: ergo ſunt diverſæ naturæ. Probatur antecedens. I. ad Cor. 8. dicitur: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum; & unus Spiritus Sanctus, in quo omnia;* ſed ex, per, & in, diverſos important modos: ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, in Scripturis diverſo modo exprimuntur. II. Scripturæ nunquam nominant Deum Spiritum Sanctum; nunquam eum adorandum proponunt: ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus. III. Quæ Scripturæ Spiritui Sancto tribuunt, convenire non poſſunt Deo: ergo ex mente Scripturarum Spiritus Sanctus non eſt Deus. Probatur antecedens. Scripturæ tribuunt Spiritui Sancto gemere, interpellare, poſtulare pro nobis; ſed hæc convenire non poſſunt Deo: ergo &c. Probatur minor. Gemere dicit defectum, & corpori, non Spiritui convenit; interpellare, & poſtulare, inferioritatem dicunt: ergo &c. IV. Spiritus Sanctus dicitur miſſus; ſed qui mittitur inferior eſt eo, a quo mittitur: ergo Spiritus Sanctus eſt inferior cæteris perſonis: ergo non eſt Deus. V. Spiritus Sanctus vel producitur per naturam, vel per artem; non per naturam, quia aliter eſſet Verbum; ſi per artem: ergo eſt artificium, vel opificium; & conſequenter non ejuſdem naturæ cum producente. VI. Spiritus Sanctus non eſt ingenitus, nec eſt genitus: ergo non eſt naturæ divinæ conſors. Antecedens patet; quia ingenitus eſt ſolus Pater, genitus eſt ſolus Filius: ergo &c. VII. Spiritus Sanctus non loquitur a ſemetipſo: ergo non eſt Deus. Conſequentia ſequitur; quia qui a ſemetipſo non loquitur, & tantum ea profert, quæ audit, Legatus eſt potius Dei, quam Deus. VIII. Dionyſius Alexandrinus ex Baſilio ep. 42. apud Petavium lib. 1. de Trinit. c. 14. hæc de Spiritu Sancto ſcribit: *Hunc ab adorandæ deitatis conſortio ſegregaſſe, & creatæ, ac ſervili naturæ annumeraſſe fertur*; verba ſunt Baſilii de Dionyſio. IX. Baſilius ipſe non ſemper credidit, Spiritum Sanctum eſſe Deum; quia non in omnibus ſuis libris ipſum Deum appellavit. X. Gregorius Nazianzenus or. 20. commendat hanc Baſilii omiſſionem: ergo vere articulus de divinitate Spiritus Sancti, ſaltem pro eo tempore, quo Patres iſti vivebant, ad fidem non pertinebat: ergo deficit traditio.

Reſpondemus ad I., quod quanvis aliquando tres divinæ perſonæ diſſimili modo exprimantur; aliquando tamen eadem expreſſio, quæ uni tribuitur, tribus etiam datur. Ita ad Rom. 11. dicitur: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo*; quibus verbis totæ illæ tres expreſſiones, vel uni perſonæ dantur, vel uni naturæ, quæ eadem eſt in tribus perſonis: Unde expreſſiones illæ diſſimiles nihil ad intentum Adverſariorum faciunt.

Ad II. dicitur, quod quanvis in aliquibus Scripturæ locis Spiritus Sanctus explicite non dicatur Deus, dicitur tamen implicite. Quum enim Scripturæ teſtentur, Spiritum Sanctum a Patre procedere, eſſe primarium noſtræ fidei objectum, habere eandem efficientiam cum reliquis perſonis, in creaturis intelligentibus, tanquam in templo, habitare &c., hæc omnia quæ non conveniunt, niſi Deo, Spiritum Sanctum oſtendunt eſſe Deum. Cæterum ſufficit, ut in aliquibus Scripturæ locis etiam explicite Spiritus Sanctus vocetur Deus; ut in probationibus diximus.

Ad III. Illa omnia impropie, non proprie Spiritui Sancto tribuuntur. Dicitur enim, quod gemat, interpellet, poſtulet; non quod ipſe hæc faciat, ſed quod hæc facere facit a nobis; nos enim facit gementes, interpellantes. Unde Auguſtinus ep. 105. *Dictum eſt interpellat pro Sanctis, quia*

inter-

interpellare Sanctos facit ; ſicut dictum eſt : Tentat vos Dominus Deus noſter , ut ſciat , ſi diligatis eum, hoc eſt, ut ſcire vos faciat .

Ad IV. occurrit Auguſtinus lib. 2. de Trin. c. 5. dicendo , quod miſſio per modum imperii ſignificat excellentiam mittentis , non vero quælibet alia miſſio . Filius , & Spiritus Sanctus , non mittuntur ſecundum imperium, ſed ſolum mitti dicuntur, quia Filius procedit a Patre, Spiritus Sanctus procedit a Patre, & Filio; uterque autem viſibili forma inter homines apparuerunt; unus quidem in carne humana , alius in columbæ ſpecie &c.

Ad V. dicitur , quod modus agendi per naturam eſt per intellectum , & per voluntatem, Filius procedit per intellectum ; Spiritus Sanctus per voluntatem ; & ſic non procedit per artem .

Ad VI. Quanvis Spiritus Sanctus nec ſit ingenitus , nec genitus , tamen eſt procedens. Non enim genitus , & ingenitus , adeo opponuntur , ut inter ipſa non ſit medium, per quod alia via procedat a Patre , & Filio ; adeoque ſit procedens per voluntatem, quando genitus procedit per intellectum .

Ad VII. Spiritus Sanctus quum accipiat a Patre , & Filio ſimul cum eſſentia alia attributa , hæc aliquo modo dicitur ab alio habere ; adeoque cum ipſis haber etiam ſapientiam , itaut quæcunque loquitur aliquo pariter modo dicatur non a ſemetipſo, ſed ab alio loqui. Cæterum nullo modo loquitur ut Legatus alterius , ſed a ſe ipſo prout loquitur ut Deus . Audiatur Auguſtinus tract. 99. in Joann. *Non ergo loquetur a ſemetipſo , ſed quæcunque audiet , loquetur . Ab illo audiet , a quo procedit . Audire illi eſt ſcire ; ſcire vero eſſe . Quia ergo non eſt a ſemetipſo , ſed ab illo , a quo procedit , a quo illi eſt eſſentia , ab illo ſcientia , ab illo agitur audientia , quia nihil eſt aliud, quam ſcientia .*

Ad VIII. Baſilius non loquitur niſi de auditu . Non enim ipſe legerat , quæ refert , in Dionyſio Alexandrino ; ſed tantum ait , quod ferebatur , ea Dionyſium ſcripſiſſe. *Servili naturæ annumeraſſe fertur* . Falſus autem fuit rumor ; quod ex aliis Dionyſiis verbis oſtenditur . Nimirum in reſponſione ad propoſitiones Pauli Samoſateni : *Non impune feret is, qui adverſus benignum Spiritum Sanctum blaſphemus eſt; Spiritus autem eſt Deus.* Et in epiſt. ad eundem Paulum Samoſatenum : *Niſi enim eſſet Chriſtus Deus Verbum, non potuiſſet non eſſe peccati obnoxius . Nullus enim non obnoxius eſt peccato , niſi unus Chriſtus , ut & Pater Chriſti , & Spiritus Sanctus .*

Ad IX. Baſilius ſemper credidit Spiritus Sancti divinitatem , quanvis de eadem non ſemper expreſſe , quæ ejus fuit prudens œconomia , loquutus fuerit . Ut enim teſtatur Nazianzenus or. 20. *Illi nudam, & apertam vocem de Spiritu Sancto, quod Deus eſſet , arripere ſtudebant , (quod quidem tametſi verum erat , impium tamen illis, atque improbo impietatis antiſtiti videbatur) ut eum quidem cum theologica lingua civitate pellerent , ipſi autem Eccleſiam occuparent :* Attamen quando Baſilius tacebat , Spiritum Sanctum eſſe Deum, nec dicebat, non eſſe Deum ; immortalia de Spiritu Sancto ſcribebat , quæ non poterant , niſi vero Deo, convenire .

Ad X. Nazianzenus non commendat Baſilii omiſſionem , ſed ejus æconomiam . Cæterum Baſilius ipſe Nazianzeno ſcribebat, ut ipſe non taceret , quæ ab eo non dicebantur ; quum ipſe non haberet tacendi neceſſitatem , quæ in eo erat . Denique Baſilius non ſemper œconomia illa uſus fuit, quia eam neceſſariam in quolibet caſu non agnovit . Ait enim ep. 141. *Confitendum eſt, Deum eſſe Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum ; quemadmodum divina Scripturæ, & qui ſublimiora contemplati ſunt , docuerunt .*

DISSERTATIO CXX.

De Appropriatione in divinis, de divinarum Perſonarum Æqualitate, & Conſubſtantialitate, de earundem Circuminſeſſione, Notionibus, & Miſſione.

SUnt proprietates, quæ dicuntur divinarum Perſonarum in communi; & ſunt proprietates, quæ ſunt earundem in particulari; Patris nimirum, Filii, & Spiritus Sancti. De his ultimis agemus in Diſſertationibus, in quibus de qualibet ex Perſonis fiet ſermo; de primis vero hac in Diſſertatione pertractamus. Proprietates igitur divinarum Perſonarum in communi hæc numerantur; nempe Appropriatio, Æqualitas, Conſubſtantialitas, Circuminſeſſio, Notiones, Miſſio. Hoc ordine de ſingulis agendum eſt.

Appropriatio eſt loquutio, qua attributa aliqua, vel quædam operationes, quæ vere ſunt omnibus Perſonis communes, ex Patrum nihilominus, & Theologorum uſu, potius uni Perſonæ, quam alteri, tribuuntur. Et quidem loquutiones iſtæ adhuc in divinis Scripturis fundamentum habent; unde Patres, & Theologi ſe moverunt ad eas in loquendi, vel ſcribendi uſum introducendas. In Scripturis enim ſæpe videmus, Patri tribui omnipotentiam, Filio ſapientiam, bonitatem Spiritui Sancto. Et hoc vel propter eminentiam divinarum perſonarum, vel propter mentis noſtræ imperfectionem. Eminentiam quidem divinarum perſonarum facit, ut æquivaleat quæque ipſarum perfectionibus in aliis diſtinctis, quamvis ſit ipſa una, & indiſtincta. Imperfectio quoque mentis noſtræ; quia non poteſt perſonales Dei proprietates niſi difficulter cognoſcere, quum nullam habeant cum proprietatibus perſonalibus creaturarum convenientiam; unde recurrit ad cognoſcendum eas per proprietates eſſentiales, quæ nobis ſunt notiores. Ut hoc autem recte fiat, debent congruentiæ quædam obſervari.

Congruentiæ ejuſmodi dicuntur quadruplices; nimirum Eſſe, Unitatis, Virtutis, & Habitudinis. Propter congruentiam, quæ reſpicit Eſſe, fit, ut ſpecialiter approprientur perſonis, quæ habent aliquam ſimilitudinem cum eſſe perſonarum. Unde S. Hilarius lib. 2. de Trinit. appropriat æternitatem Patri, pulcritudinem Filio, fruitionem Spiritui Sancto. *Æternitas eſt in Patre, ſpecies in imagine, uſus in munere.* Hæc enim analogiam habent cum eſſe Patris, Filii, & Spiritus Sancti; quatenus Pater, quia eſt ſine principio, habet æternitatem, & dicitur Pater æternus; Filius, quia eſt imago Patris, & imago perfecta, adeoque pulcra, dicitur ſpecies; Spiritus Sanctus, quia eſt amor, & amor ad fruitionem, ſive ad uſum pertinet, vocatur uſus. Propter congruentiam, quæ reſpicit Unitatem, Patri tribuitur unitas, Filio æqualitas, Spiritui Sancto concordia. Unde Auguſtinus lib. 6. de Trin. c. 10. *In Patre eſt unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto æqualitatis, unitatiſque concordia.* Unitas tribuitur Patri, quia unitas non præſupponit aliam unitatem, ſic Pater non præſupponit aliam perſonam. Æqualitas Filio, quia æqualitas ſupponit aliud, & Filius ſupponit Patrem, cui eſt æqualis. Concordia eſt duorum nexus, & ideo tribuitur Spiritui Sancto, qui eſt quaſi vinculum Patris, & Filii, & utriuſque amor. Propter congruentiam, quæ reſpicit virtutem, potentia tribuitur Patri; potentia enim habet rationem principii, & hæc ratio eſt intrinſeca Patri; ſapientia Filio; quia quum ſit Verbum, ſpectat ad intellectum, cui eſt ſapere, & ſcire; bonitas Spiritui Sancto; bonitas enim eſt amoris objectum, & per amorem Spiritus Sanctus producitur. Propter congruentiam habitudinis, nomina, quæ habent habitudinem ad cauſſam, modo tribuuntur Patri, modo Filio, modo Spiritui Sancto. Et quidem voces, quæ diſignant cauſſam materialem, veluti *Ex*, & eſt ſermo de operationibus ad intra, ſignificant Patrem. Et ſic loquebantur Patres contra Arium, quando dicebant: *Pater Filium genuit ex ſe, ex ſua ſubſtantia:* Et ſenſus erat, quod Pater non genuerit Filium ex nihilo, ut dicebant Aria-

Ariani, ſed ex ſua ſubſtantia, veluti ex cauſſa materiali, in quantum ſuam eſſentiam ipſi communicavit; Si vero eadem vox referatur ad operationes ad extra, ſignificat cauſſam efficientem; & tribuitur Patri, quia Patri etiam tribuitur omnipotentia. Voces vero, quæ ſignificant cauſſam mediam, ſcilicet *Per*, tribuuntur Filio; quia Pater per Filium creaturas omnes creavit; Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Voces denique, quæ ſignificant propenſionem Dei in creaturas, veluti *In*, tribuuntur Spiritui Sancto. Unde Auguſtinus lib. 6. de Trinit. c. 10. *Non confuſe accipiendum eſt quod ait Apoſtolus, Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo. Ex ipſo dicens, propter Patrem; Per ipſum, propter Filium; Et In ipſo, propter Spiritum Sanctum*. Denique fit, ut Filio approprientur ea, quæ conveniunt intellectui, per quem ipſe generatur; ut veritas, ſapientia, ſcientia &c.; & Spiritui Sancto approprientur ea, quæ conveniunt voluntati, per quam ipſe procedit; ut bonitas, amor, fruitio, gaudium, donum &c.

Æqualitas in divinis Perſonis attendi poteſt in tribus; nimirum in eſſentia, in attributis, in relationibus; & in tribus hiſce dicimus illas æquales eſſe. I. in eſſentia; quia in iiſdem eſt una, & eadem numero eſſentia; ſunt enim conſubſtantiales, ut dictum, & probatum eſt. II. in attributis; quia in ipſis ſunt eadem numero attributa abſoluta, quæ a Patre Filio communicantur, & a Patre, & Filio communicantur Spiritui Sancto. III. in relationibus; quia quum relationes ſint omnino æquales, æquales etiam erunt perſonæ ratione relationum. Quod relationes ſint omnino æquales ex eo patet, quia una non eſt altera dignior, etſi una ſit ab altera diverſa.

Opponi poteſt nihilominus contra hæc I. Eſſe, & omnipotentia ſpecialiter Patri tribuuntur; ſapientia Filio; amor Spiritui Sancto: ergo perſonæ non ſunt æquales in eſſentia, & in attributis. II. Æternitas non convenit Filio, & Spiritui Sancto; quia æternitas, quum ſine, & principio careat, convenire non poteſt iis, qui principium habent: ergo reſpectu ſaltem æternitatis perſonæ non ſunt æquales. III. Paternitas eſt dignitas, & tamen reperitur in una perſona, & non in aliis: ergo ſaltem ratione hujus dignitatis perſonæ non ſunt æquales. IV. Majorem perfectionem dicunt omnes relationes ſimul ſumptæ, quam una, aut alia relatio ſeorſim accepta; ergo perſonæ ſigillatim ſumptæ non ſunt æquales in perfectione perſonis ſimul acceptis.

Reſpondemus ad I. quod quanvis eadem eſſentia, & eadem attributa, non reperiantur in ſingulis perſonis ſecundum illum loquendi modum, qui dicitur appropriatio, & quem nuper explicavimus; reperiuntur tamen cum omnimoda identitate, & æqualitate a parte rei; & hoc ſufficit, ut æquales omnino dicantur. Ad II. dicitur, quod æternitas caret principio durationis, quo quidem omnes divinæ perſonæ carent; quanvis Filius, & Spiritus Sanctus habeant principium originis. Fit proinde æquivocatio in principio, quod diverſimode ſumitur in argumento. Ad III. dicitur quod perfectio, quam dicit Paternitas, eſt in aliis perſonis per circuminſeſſionem; de qua mox loquemur. Ad IV. eadem eſt reſponſio; quodlibet enim cujuslibet perſonæ eſt per circuminſeſſionem in alia.

Conſubſtantialitas ſuperat difficultatem quandam, quæ poteſt eſſe in æqualitate; æqualitas enim, ſi in rigore loquamur, importat diſtinctionem, quia nemo dicitur æqualis ſibi ipſi, ſed alteri; quum ergo in tribus divinis perſonis una ſit ſubſtantia, melius viſum fuit dicere illas conſubſtantiales, quam in rigore æquales. Vox conſubſtantialis, quæ latina eſt, correſpondet græcæ voci Homouſios; & maxime adhibita fuit in Nicæno Concilio ad exprimendam unitatem eſſentiæ, & ſubſtantiæ trium divinarum perſonarum. Porro hæc una vox ſimul condemnat Sabellium, & Arium; Sabellium, quia idem non poteſt eſſe ſibi conſubſtantialis; ſi ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt conſubſtantiales, non ſunt una perſona, ſed plures, quæ conſubſtantiales dicuntur: Arium quoque, quia ſi Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non haberent unam naturam, non eſſent homouſii, ſeu conſubſtantiales, ſed eſſent homiouſii, hoc eſt ſimilis ſubſtantiæ, quæ ipſius hæreſis erat. Unde nec dicendæ ſunt divinæ perſonæ ſecundum Sabellium *Synuſii*, quod excludit pluralitatem perſonarum; nec homiouſii ſecundum Arium, quod excludit unitatem naturæ; ſed homouſii ſecundum Catholicos, quod importat diſtinctionem in perſonis, & in natura unitatem. Hinc Epiphanius hæreſ. 69. ſcribebat: *Ut ſerpens bituminis odorem refugit, aut cervæ halitum, aut gagatæ lapidis, aut ſtyracis ſuffitum: Sic Arius, & Sabellius*.

bellius illam veritatem conſtantem conſubſtantialis profeſſionem exoſam habent. Liberius Papa ep. 11.ad Orientales circa medium de Fide Nicæna ſic loquitur pariter de hac voce: *Quæ nomine conſubſtantialis comprehenſa tanquam propugnaculum firmum, & inexpugnabile omnes impetus, & machinas Arii retundit, & reprimit.* Marianus Victor in Opuſc. de voce homouſios vocem hanc *divinitus inventam fuiſſe* tradit. Et S.Athanaſius lib.de Synodo Ariminenſi eam vocat *columnam, vel cippum, in quo illorum, nempe Arianorum, impietas proſcribitur, ac velut trophæum de ea ſuperata, proſtrataque ſtatuitur.*

Ariani opponebant Catholicis novitatem vocis; ſecundo etiam opponebant, quod ea uſi fuiſſent Sabelliani ad probandum diſtinctionem numericam naturarum in perſonis divinis tanquam inconveniens; tertio opponebant, quod vocem illam exoſam habuit Conſtantinus Imperator, ut legitur in epiſtola, quam ſcripſit per Hoſium, Cordubenſem Epiſcopum, ad Alexandrum, & Arium; quarto tandem, quod vocem homouſion,& conſubſtantialem Concilia Ariminenſe, & Sirmienſe, proſcripſerunt, atque damnarunt.

Reſpondebant nihilominus Catholici ad hæc omnia; & quidem ad I. primo, argumentum eſſe retorquendum contra Arium, qui multas vocum novitates in medium induxit; ut enim ait S.Athanaſius lib.de Synodis: *Nam ſi penitus excludenda putant vocabula omnia non ſcripta, cur Arius tantum acervum dictionum, quæ nuſquam in Scripturis occurrunt, accumulaverit? Quales ſunt; ex non extantibus; & non erat Filius, antequam gigneretur; & erat, quando non erat; & mutabilis eſt; & ineffabilis eſt; atque inviſibilis Pater ſuo Filio; & Filius ne ſuam quidem noverit ſubſtantiam.. Et cætera, quæ in ridiculo, impioque commentario ſuo Arius evomuit ex opinione ſua, non illi contradixerunt?* Et S. Hilarius in lib. cont.Conſtantium Imperatorem Arianum: *Non novitates vocum, ſed profanas devitari jubet Apoſtolus; tu cur pias excludis, cum præſertim ab eo dictum ſit: Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt? Innaſcibilem ſcriptum uſquam legis; numquid & hoc negandum erit, quia novum eſt? Decernis ſimilem Patri Filium; Evangelia non prædicant. Quid eſt, quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio ſubmovetur. Ubi impietatis occaſio patet, novitas admittitur; ubi autem religionis maxima, & ſola cautela eſt, excluditur.*

Secundo dicebant, homouſion nomen non eſſe novum; quia illud uſurpaverat Tertullianus lib.4. cont.Marcionem. Pariter Dionyſius Alexandrinus in epiſtola, ad Dionyſium Romanum dixit, Chriſtum eſſe ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, conſubſtantialem Deo; ut teſtatur Athanaſius in lib. de ſententiis Dionyſii contra Arianos, & de Synodis. Afferunt etiam recentiores Catholici quidam teſtimonia Prochori In vita S. Joannis, & Martialis in epiſt.1. ad Burdegalenſes c.10., ſed inter Eruditos noſtrorum temporum nemo dubitat, ſuppoſititia eſſe hæc opera,& falſo Auctoribus, quorum nomina præſeferunt, tributa; ut ipſemet Bellarminus cenſet. Verbum Euſebius ipſe, Epiſcopus Cæſarienſis, etſi Arianus, poſtquam tamen Nicænæ Synodo ſubſcripſit, dixit: *Novimus quoſdam ex priſcis eruditos, & præclaros Antiſtites, alioſque Scriptores, cum de Patris, & Filii deitate loquerentur, voce conſubſtantialis uſos eſſe.* Refertur hæc Euſebii epiſtola a Theodoreto lib.1. hiſt.c.12.Tertio occurrebant dicendo, quod ſicut novis morbis nova remedia adhibentur, ita novis erroribus novæ fidei formulæ opponuntur. Quæ fuit reſponſio Athanaſii in diſputatione habita Laodiceæ, coram Probo: *Eccleſiaſtica ſemper moris eſt diſciplinæ, ſi quando Hæreticorum nova doctrina exurgit, contra inſolentes quæſtionum novitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula mutare, & ſignificantius rerum naturas exprimere, quæ tamen exiſtentiam cauſarum virtutibus congruam, & quæ magis eaſdem antiquitatis fuiſſe demonſtrent.*

Ad II. Verum eſt, quod refert S.Athanaſius in lib. de Synodis Ariminenſi, & Seleucienſi, Paulum Samoſatenum, aſſerentem, Chriſtum non eſſe a Deo ab æterno genitum, ſed tantum in tempore ex Maria ortum, hoc argumentum adhibuiſſe; Si hoc non eſſet, ſequeretur, Chriſtum eſſe Patri conſubſtantialem; adeoque tres eſſe ſubſtantias, unam primariam, & duas ex illa derivatas. Et ſic videtur intellexiſſe vocem conſubſtantialis pro unitate ſpecifica, non numerica naturæ; quemadmodum in creatis Pater dicitur conſubſtantialis Filio, quia Petrus ſcilicet Filius habet eandem naturam cum Paulo Patre, a qua eam per generationem accepit; eandem quidem ſpecie, non numero. Unde, ut teſtatur etiam in fine illius libri idem S. Athanaſius, Epiſcopi, qui convenerant Antiochiæ, numero ſeptuaginta, vel ſecundum S. Hilarium octoginta,

contra Samoſatenum decreverunt, Filium non eſſe homouſion, ideſt conſubſtantialem Patri; ſed in eo ſenſu, quo vocem illam intelligebant Samoſatenus, ejuſque Sectatores. Unde ex hoc facto nos deducimus pro nobis, vocem illam non eſſe novam, & primo in Nicæna Synodo inventam; & deinde probamus Hæreticorum intelligentiam, & pro re noſtra ſaniori modo intelligimus. Audiatur S. Hilarius lib. de Synodis circa finem: *Male homouſion Samoſatenus confeſſus eſt; ſed numquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt; ſed trecenti decem, & octo nuper receperunt. Illi contra hæreticum improbaverunt, ſi & probando, & improbando unum utrique ſtatuerunt. Quid bene conſtituto convellimus?*

Ad III. Vera ſunt verba, quæ in Epiſtola Hoſii Conſtantini nomine ſcripta ſunt ad Alexandrum, & Arium; quæ ſunt ſequentia: *Valde exilis, & neutiquam tanta contentione digna viſa eſt*: Et inferius: *De inani quadam quæſtionis particula ſciſcitaberis*: Et inſuper: *De rebus hujuſmodi nec omnino rogetis, nec ad rogatum reſpondentis: Tales enim quæſtiones, quales nulla lex, canonve eccleſiaſticus neceſſario præſcribit, ſed inanis diſſoluti otii certatio proponit.* Sed ad hæc reſpondemus, quod pientiſſimus Cæſar zelo, quo æſtuabat, impulſus, quæſtiones illas in Eccleſia omni ſtudio componere ſatagebat. Et quia dictum ei fuerat, quod ex ſolius hujuſce vocis impedimento concordia retardabatur; ideo erat, quod vocem illam, non ſatis eam intelligens, tanquam impedientem maximum bonum in Eccleſia, exoſam habebat. Sed poſtea de rei veritate certior factus, a priori ſententia receſſit, & Nicænam Fidem ampleſtens, omnia, quæ in Synodo illa ſtatuta ſunt, adoravit. Legimus in lib. 2. Concil. Nicæn. paulo ante ſubſcriptiones in fragmento; quod Conſtantinus Imperator *laudabat Deum, cum divina hæc audiſſet dogmata, & gaudens de noſtrorum Epiſcoporum concordia, exultabat ſpiritu: Studebat enim neminem, neque magnum, neque parvum, ab hac confeſſione diſſentire.* Referuntur pariter in lib. 4. ejuſdem Concilii epiſtolæ orthodoxæ, quas contra Arium ſcripſit, & evulgavit.

Ad IV. Ariminenſe Concilium, quod deinde Arianæ Hæreſi faverit, plurimi non recipiunt, quin & apertiſſime reſpuunt. Verum in eo nihil contra aut vocem, aut rem, homouſios, ſeu conſubſtantialis, decretum legitur; ſed potius veritas catholica definita continetur; & Valens, & Urſacius, cum ipſorum octoginta ſequacibus, condemnati. At non probans hæc Conſtantius, Imperator, Arianis addictus, coacti ſunt ab illo aliqui ex illis Patribus Arianorum confeſſioni ſubſcribere; & hinc eſt, quod Ariminenſe Concilium in Conciliabulum tranſiit. Attamen Conciliabulum fuit ex præfata injuſta ſubſcriptione, vi & minis ab Imperatore extorta; non verum quod in illo res fidei, & præcipue conſubſtantialis vox, aut proſcripta, aut mutata, aut damnata, fuerit. Pariter in Sirmienſe Concilio omnia per vim geſta fuerint; ut quando de ipſo in ſuperioribus agebamus, diximus.

Ratio autem, propter quam fuit vox iſta homouſion, ſeu conſubſtantialis, adhibita, fuerunt variæ fidei formulæ, omnes quidem ambiguæ, & captioſæ, quas Ariani proponebant; ſimulque intelligentiæ, a vero, & catholico ſenſu alienæ, qua Catholicorum formulis impingebant. Quum enim Catholici propoſuiſſent dicere, *Filium eſſe Deum de Deo unigenitum*; Euſebius, Nicomedienſis Antiſtes, apertus Arianorum fautor, & ipſe Arianus, dixit cæteris ſuis ſociis, ſe recepturum hanc Catholicorum formulam, quia omnes res creatæ ſimiliter ſunt ex Deo. Catholici addiderunt; *Filium eſſe ex ſubſtantia Patris.* Ariani aſſentiebant; quia *Filius*, uti dicebant, *eſt potentia, & imago Patris, eique per omnia ſimilis, & immutabilis.* Tunc Catholici, ad præcludenda Hæreticis effugia omnia, vocem homouſion induxerunt, affirmantes, *Filium eſſe Patri conſubſtantialem*; hoc eſt non ſolum ſimilis, ſed ejuſdem omnino naturæ, ac ſubſtantiæ, cum Patre.

Verum primus vocis hujuſce inventor fuit Euſebius Nicomedienſis, ut teſtatur S. Ambroſius lib. 3. de fide c. 7. Scripſit Euſebius epiſtolam ad ſuos Conſectarios, in qua eos admonebat, ne concederent Filium eſſe verum; quia hoc idem eſſet, ac fateri Filium conſubſtantialem; quod quidem eorum ſententiæ erat omnino contrarium. Hæc epiſtola incidit in manus Catholicorum; unde ipſi poſtmodum, ad Euſebii, & aliorum Arianorum, cavillationes excludendas, hac voce uſi ſunt. Audiatur Ambroſius: *Nam cur homouſion Patri nolint Filium dicere, niſi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? Sicut author ipſorum Euſebius Nicomedienſis epiſtola ſua prodidit dicens; ſi verum, inquit, Dei Filium, & increatum dicimus, homouſion cum Patre*

inci-

incipimus confiteri . Hac cum lecta eſſet Epiſtola in Concilio Nicano, hoc verbum in tractatu fidei poſuerunt Patres; quod id viderent Adverſariis eſſe formidini , ut tanquam evaginato ab ipſis gladio , ipſorum nefanda caput hæreſis amputarent . Et quanvis Ariani omnia alia vocabula, a Catholicis inventa , eluſiſſent ; hoc tamen homouſion eludere non valentes , illud toto conatu oppugnarunt . Quod adnoravit Nazianzenus or. 49. *Potuiſſent homouſion , ſicut & cætera , verbotenus nominare , ſi habuiſſent quomodo illud ad aliam intelligentiam ſuo ſenſu perverterent . Sed cum viderent ſe in hoc verbo concludi , nullam omnino mentionem hujus rei fieri voluerunt ; ne aut profitendo crederent , aut credentes profeſſi viderentur , ſubtili ingenio excuſantes , quod aut ſcriptum non eſſet , aut Deum in ſubſtantia dici non oporteret , ne corporeus videretur .* Et S. Athanaſius lib. de Synodo Ariminenſi addit: *Vocis iſtius exquiſita ratio, cum omnium ipſorum ſimulationem , ſiquidem illum dicant ex Deo eſſe , redarguit ; tum eorum argutias , quibus ſimplices circumveniunt, excludit . Sane cum omnia ſophiſticis calumniis adulterare, & immutare poſſint ad arbitrium ; ſolam hanc diſtinctionem , ut quæ ipſorum convincit hæreſim , reformidant; quam quidem Patres pro munimento , & arce contra omnia illorum impia commenta ſcriptam objecerunt .* Hæc de vocis hujuſce homouſion, ſeu conſubſtantialis , origine, nativitate, progreſſu , ac artibus demum , quibus eam fidei hoſtes oppugnare conati ſunt ; opportunum viſum eſt adnotaſſe ; quæ quidem omnia ex Fraſſen & ex Petavio lib. 4. de Trinit. c. 5. a quo fortaſſis Fraſſen ipſe traxerat , excerpſimus , & in clariorem metodum redigere, quantum pro viribus licuit , ſtuduimus .

Circuminſeſſio, vel ut aliis placet , Circumincessio , in Diſſertatione 110. fuit a nobis explicata , ad quam Legentes remittimus . Hic ſolum aliqua addimus , quæ ipſius præſeferunt uſum in diſputando contra Sabellianos , & Arianos , & quem pariter antiqui Patres adhibuerunt ; ſolventes poſtmodum quæ contra ipſam Adverſarii opponere ſtudent . Et quidem multum inſervit Circuminſeſſio contra Arianos ; nam ſi Pater eſt in Filio , & ſi Filius eſt in Patre, neceſſario Pater, & Filius conſubſtantiales ſunt . Quod ſic probatur . Debent neceſſario eſſe ambo immenſi, æterni , increati ; quia ſi unus non eſſet immenſus,non eſſet ubicunque eſſet alius; ſi unus non eſſet æternus, non eſſet omni tempore in alio;ſi unus non eſſet increatus , non poſſet intime pervadere , & penetrare divinam eſſentiam : ergo ambo ſunt increati, immenſi, æterni; ac per conſequens conſubſtantiales . Inſervit quoque contra Sabellianos ; nam ſi unus eſt in alio ; ſunt duo , & non eſt unus ; non enim eſt in ſe ipſo, ſed in alio. Unde Cyrillus Alexandrinus ſcribebat in lib. 12. theſauri: *Eo ipſo quod ait Chriſtus , hunc in illo , & illum in hoc , videri , identitatem deitatis , & unitatem ſubſtantiæ , monſtrari dicit: Cum autem alterum in altero ineſſe aſſerit, excludit illud, ne quis unum aliquid eſſe numero putet .*

Quod autem hac ratione uſi ſint Patres ad Hæreticos hoſce confodiendos , ex ipſorum teſtimoniis eluceſcit . Athanaſius or. 5. adv. Arianos , ſæpe aſſerit , Verbum *impartibile , & inſeparabile eſſe a Patre , quod Verbum ſit in Patre , & vicissim Pater in Verbo .* En circuminſeſſionis uſus apud Athanaſium. Auguſtinus lib.6 de Trinit. c. ult. *Ita & ſingula ſunt in ſingulis, & ſingula in omnibus , & omnia in omnibus , & unum omnia .* En circuminſeſsionis uſus apud Auguſtinum . Dionyſius Alexandrinus in epiſt. ad Dionyſium , Romanum Pontificem, eadem utitur , ut calumniam depellat,qua ab Adverſariis ſuis afficiebatur ,dicentibus,ſe adverſus Sabellianos pugnantem, Patrem a Filio, & Spiritu Sancto ſeparaſſe. En tertio ſeculo , quo Dionyſius floruit , circuminſeſsionis uſus apud eundem .

Opponunt autem Adverſarii I. Si Pater eſt in Filio , pariter Paternitas eſt in Filio; paternitas enim eſt forma , qua Pater eſt Pater , unde ubicunque erit Pater, Paternitas quoque erit. Si autem Paternitas eſt in Filio,Filius erit Pater . Sicut enim,quia Paternitas eſt in Patre, Pater eſt Pater, ita etiam quia Paternitas eſt in Filio , Filius erit Pater: hoc autem non eſt dicendum; ergo nec pariter dici poteſt, quod Paternitas ſit in Filio , & quod in Filio ſit Pater. II. Perſonæ divinæ ſe invicem excludunt , quia relative opponuntur ; non enim idem poteſt referri ad ſeipſum.Quæ autem ſe invicem excludunt, non poſſunt eſſe in ſe mutuo : ergo nec Pater eſt in Filio , & in Spiritu Sancto , nec Filius in Patre,& Spiritu Sancto, nec Spiritus Sanctus in Patre , & Filio .

Reſpondemus ad I. cum Juenino , quod in Patre Paternitas eſt per modum formæ, & proprietatis perſonalis , cujuſmodi non eſt in Filio; & ideo in Patre facit , ut ſit

Pater,

Pater, in Filio vero non facit, ut ſit Pater. In Filio enim tantum eſt per ſimplicem identitatem cum eſsentia; quia Perſonæ Trinitatis non tantum ſunt in invicem ſecundum eſsentiam, ſed etiam ſecundum relationem; non autem per modum relationis, ſed per modum identitatis cum eſsentia, ſeu natura. Alii dicunt, quod ſint in invicem per concomitantiam; unde in Chriſto in Euchariſtia exiſtente dicitur etiam, quod ſit Pater, & Spiritus Sanctus, ſed per concomitantiam. Et proinde Eccleſia canit in ſanctiſsimæ Trinitatis feſto: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*:

Ad II. dicitur, quod vere ſeſe invicem excludunt, quæ relative opponuntur ſecundum omnia, non vero, quæ ſecundum aliqua tantum opponuntur. Perſonæ Trinitatis opponuntur relative ſecundum aliqua, ſcilicet prout dicunt relationes, quæ ſe habent per modum formæ determinantis eſſentiam divinam, ut ſub tali ratione exiſtat, ſeu ſub ratione Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti: non autem opponuntur ſecundum omnia, quia ſecundum eſſentiam conveniunt. Paternitas enim realiter, & entitative eſt idem cum eſſentia, cum qua pariter eſt realiter, & entitative idem filiatio, & ſpiratio paſſiva. Hanc reſponſionem Jueninus deſumit a S. Thoma, 1. p. q. 42. ar. 5. ad 3. docente: *Dicendum, quod Pater, & Filius, opponuntur ſecundum relationes, non autem ſecundum eſſentiam; & tamen oppoſitorum relative unum eſt in altero, ut dictum eſt*.

Notiones pariter explicavimus in Diſſert. CXI. in qua diximus, quid, & quotuplex ſit notio in divinis; & quod Theologi de ſchola notionis nomen, ſeu potius ſignificatum, a Sanctis Patribus deſumpſerunt; ut Bellarminus fatetur, & Petavius non diffitetur. Hic autem addimus, quod tria ad notionem requiruntur; primo, ut nomen, quod per ipſam ſignificatur, exprimat aliquem characterem, qui importet dignitatem; ſecundo, ut aliquid ſpeciale, ac diſtinctivum dicat; tertio, ut pertineat ad originem; quia in divinis nihil eſt diſtinctivum, & ſpeciale, quod ad originem non ſpectet. Quæ omnia in notionibus divinis verificantur, ut illas conſideranti manifeſtum redditur.

Opponunt I. Innaſcibilitas eſt negatio; negat enim naſcibilitatem, producibilitatem, generabilitatem; unde idem eſt ac negatio naſcibilitatis, producibilitatis, generabilitatis; ſed negatio non poteſt eſſe notio; quum non poſsit deducere audientem in cognitionem perſonæ, cujus eſt notio: ergo innaſcibilitas non eſt notio. II. Spiratio activa eſt communis Patri, & Filio; ſed notio debet eſſe ſpecialis unius Perſonæ; quum ſignificare debeat proprium, & ſpecialem characterem illius: ergo Spiratio activa non eſt notio in divinis. III. Præter quinque notiones communiter aſſignatas, dantur etiam inſpirabilitas in Filio, & ingenerabilitas in Spiritu Sancto, quæ ſunt notiones Filii, & Spiritus Sancti; ſicut innaſcibilitas eſt notio Patris: ergo ſeptem ſunt notiones. IV. Notiones etiam ſunt perſonarum generatio, nativitas, verbum, imago, donum, amor; quia deducunt nos in ſpecialem cognitionem divinarum perſonarum: ergo fere ad decimumtertium numerum notiones perveniunt.

Reſpondemus ad I. Negationem illam, quæ deprehenditur in innaſcibilitate, fundari in poſitivo; quia fundatur in eo, quod prima Perſona ſit a ſe; quando duæ aliæ, tanquam a principio originis ſunt ab alio. Negatio autem, quæ non fundatur in poſitivo non poteſt eſſe notio; poteſt tamen eſſe illa, quæ in poſitivo fundatur; quemadmodum eſt innaſcibilitas.

Ad II. Non eſt verum, quod notio debet eſſe ſpecialis unius perſonæ, ſed verum eſt, quod non debeat eſſe communis pluribus perſonis; ſi per plures perſonas intelligantur tres perſonæ, non vero ſi intelligantur duæ. Et ratio eſt, quia ſi intelligerentur tres, eſſent communes toti Trinitati, adeoque nullo modo ſpeciales eſſent; cujuſmodi eſſent quidem, ſi intelliguntur duæ, quia duæ Trinitatem non conſtituunt.

Ad III. Hæc eſt differentia inter innaſcibilitatem, & inter ingenerabilitatem, & inſpirabilitatem, ratione cujus illa eſt notio in divinis, non vero iſtæ; quia innaſcibilitas eſt negatio, quæ fundatur in poſitivo, quod dignitatem importat; importat enim eſſe a ſe; ut nuper diximus: At ingenerabilitas, & inſpirabilitas, etſi dicantur in poſitivo fundari, nulla tamen dignitas a poſitivo illo importatur; quia ſi eſſet dignitas non generari, non eſſet dignitas generari; & ſi eſſet dignitas non ſpirari, non eſſet dignitas ſpirari; & inde eſt, quod nec ingenerabilitas, nec inſpirabilitas notiones eſſe poſſunt.

Ad IV. dicitur, quod generatio, & nativitas, exprimunt fieri divinarum perſonarum, non vero ſignificant perſonas jam exi-

exiſtentes, ſcilicet prout ſunt, ex exiſtunt; unde non poſſunt in notionum numero collocari. Pater enim non eſt Pater, niſi poſt generationem; & Filius non eſt Filius, niſi poſt nativitatem: unde neutra ex illis poteſt eſſe notio perſonarum ut exiſtentium. Verbum, & imago, ſunt ſynonima cum filiatione; donum, & amor, ſunt pariter cum ſpiratione paſsiva ſynonima.

Remanet, ut Miſſionem Perſonarum in divinis explicemus; de qua nihil in ſuperioribus diximus. Miſſio in divinis eſt proceſſio unius perſonæ ab alia in ordine ad aliquem effectum ad extra de novo producendum. Et quidem dicitur proceſſio unius perſonæ ab alia, quia miſſio eſt tanquam emiſſio miſſi a mittente, ſicuti flores a planta emittuntur; divinæ autem perſonæ tantum per proceſſionem emittuntur. Dicitur quoque ad aliquem effectum ad extra de novo producendum; quia miſſio eſt ad aliquid, quod antea non erat; unde aliqui dicunt, ad aliquem effectum temporalem; & per conſequens denotat aliquid ad extra, quia operationes ad intra ſunt ab æterno. Ex his autem duobus, quæ dicit Miſſio, ſcilicet proceſſione, & effectu ad extra, quodnam dicatur principalius, & in recto, quodnam vero minus principaliter, & in obliquo, quæſtio eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas; pro qua Scribentes pro utraque parte videre poterunt, qui eam videndi deſiderio tenentur. Auguſtinus certe lib. 2. de Trinit. c. 5. de utroque ſic ſcribit: *Si ergo* (Filius) *miſſus dicitur, in quantum apparet foris in creatura corporali, qui intus in natura ſpiritali oculis mortalium ſemper occultus eſt: jam in promptu eſt intelligere etiam de Spiritu Sancto, cum miſſus & ipſe dicatur. Facta eſt enim quædam creaturæ ſpecies ex tempore, in qua viſibiliter oſtenderetur Spiritus Sanctus ... Hæc operatio viſibiliter expreſſa, & oculis oblata mortalibus, miſſio Spiritus Sancti dicta eſt.*

Unde habemus, quod miſſio, ſumpta adæquate, & proprie, dicit quid æternum, proceſſionem ſcilicet æternam, & quid temporale, effectum nimirum ad extra temporaliter producendum. Soli Filio, & Spiritui Sancto, competit mitti; quia illis tantum competit proceſſio, ſine qua non eſt miſſio. Pater autem nunquam mittitur, nec improprie quidem, quia nunquam ab alio poteſt procedere. Et ſi Pater carnem ſumpſiſſet, ut de facto Verbum ſumpſit, neque miſſus potuiſſet dici. Auguſtinus lib. 2. de Trin. c. 5. *Pater nuſquam legitur miſſus.* Et lib. 4. c. 20. *Pater, cum ex tempore a quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus; non enim habet, de quo ſit, aut ex quo procedat.* Et lib. 6. c. 4. *Quoniam non habet authorem, a quo genitus ſit, vel a quo procedat.*

Quod autem hæc miſſio perſonarum in divinis ſit, & exiſtat, clarum ex Scripturis habemus; Joan. 8. *Et ſi judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: Sed ego, & qui miſit me, Pater.* Joan. 10. *Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis; quia blaſphemat; quia dixi: Filius Dei ſum.* Ad Galatas 4. *Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum.* Joann. 16. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 4. ut diſtinguat duplicem miſſionem, æternam ſcilicet, & temporalem, duplicem quoque diſtinguit proceſſionem, æternam pariter, & temporalem. Unde diſt. 15. §. *quod duobus modis*, probat, quod a quibuſdam proceſſioni æternæ Filii tribuatur miſſionis nomen; & quod etiam tribuatur proceſſioni æternæ Spiritus Sancti; affert teſtimonium S. Gregorii magni hom. 26. in Evangel., ubi poſtquam dixerat de Filio: *Eo ipſo a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur:* De Spiritu Sancto ſubdit: *Ejus miſſio ipſa proceſſio eſt, qua de Patre procedit, & Filio.* Denique, quod proceſſio temporalis vocetur miſſio, probat teſtimonio Bedæ, in hom. Domin. 1. poſt Aſcenſionem dicentis: *Cum gratia Spiritus Sancti datur hominibus, profecto mittitur Spiritus a Patre, mittitur & a Filio; procedit a Patre, procedit & a Filio; quia & ejus miſſio eſt ipſa proceſſio.*

Unde primo dividunt Theologi Scholaſtici Miſſionem in propriam, & impropriam. Impropria eſt illa, quam modo ex Magiſtro diximus eſſe proceſſionem æternam; vel quæ tribuitur effectui temporali manifeſtativo perſonæ procedentis, qui quidem effectus, ſicut eſt a tota Trinitate, ita pariter a tota Trinitate dicitur facta miſſio. Et in hoc ſenſu S. Auguſtinus lib. 2. de Trinit. c. 5. dixit Filium miſſum a Spiritu Sancto, & a ſe ipſo. Propria miſſio, quæ eſt illa, quam definivimus, dividitur in activam, & paſſivam; in viſibilem, & inviſibilem. Diviſio in activam, & paſſivam, eſt ratione proceſſionis æternæ, quam diximus importari a miſſione proprie dicta: Et diviſio in viſibilem, & inviſibilem, eſt ratione effectus ad extra, ſeu termini temporalis, qui etiam a miſſione pro-

proprie dicta importatur. Miſſio activa dicit proceſſionem, ſeu originem activam in ordine ad effectum ad extra; miſſio paſſiva dicit proceſſionem, ſeu originem paſſivam in ordine ad eundem effectum. Miſſio viſibilis eſt proceſſio unius perſonæ ab alia in ordine ad effectum ad extra, mediante aliquo ſigno ſenſibili, quod ut plurimum ſolet eſſe viſibile; miſſio inviſibilis eſt proceſſio unius perſonæ ab alia in ordine ad ſantificationem creaturæ rationalis per donum inviſibilis gratiæ. Aliæ ſubdiviſiones apud Scholaſticos paſſim inveniuntur.

Opponunt contra hæc dicta I. In divinis eſt omnimoda æqualitas: ergo non eſt miſſio, quæ majoritatem dicit in mittente, minoritatem in miſſo. II. In divinis non datur ſeparatio: ergo non datur miſſio, quæ importat ſeparationem miſſi a mittente. III. SS. Patres docent, miſſionem a Patre aliud non eſſe, quam Filii a Patre proceſſionem; ita Cyrillus lib. 2. in Joan. IV. Patres etiam agnoſcunt aliquando miſſionem, ubi nulla eſt proceſſio; dicunt enim Filium mitti a ſeipſo, & a Spiritu Sancto; & præcipue hoc legitur in Concilio Toletano XI. in profeſſione fidei.

Reſpondemus ad I. quod in miſſione, de qua loquimur, eſt tantum prioritas originis in mittente; & hæc ſola ſalvat miſſionis rationem; abſque eo, quod in illa dicatur majoritas vel per imperium, vel per conſilium, quæ neutiquam in divinis eſſe poteſt.

Ad II. Separatio in miſſione locum habet in creatis, quia qui mittitur, mittitur in locum, in quo nec miſſus, nec mittens, prius erant: Non vero in divinis, ubi tam mittens, quam miſſus, ſunt propter immenſitatem in omni loco; quanvis miſſus incipiat in eo eſſe ſecundum quid, ſecundum modum ſcilicet extrinſecum.

Ad III. vel dicitur, quod Patres loquantur de miſſione improprie dicta, quam nuper explicavimus; vel quod intelligendi ſunt de miſſione inadæquata, quæ aliud non dicit, quam alicujus perſonæ æternam proceſſionem; miſſio autem adæquata importat etiam effectum ad extra, ut diximus.

Ad IV. dicitur, quod modo explicatum eſt de miſſione; quæ a tota Trinitate dicitur facta, ſecundum Auguſtini auctoritatem, quam de impropria miſſione intelleximus. Sic pariter Concilii Toletani teſtimonium intelligimus.

Remanet, ut loquamur de Dei apparitionibus in veteri teſtamento factis, cuinam perſonæ tribuendæ ſint? Ariani intelligebant de ſolo Verbo, quia non erat inviſibile, ſicut Pater. Patres non pauci ex antiquis intellexerunt etiam de Verbo, aſſerentes tamen contra Arianos, & Verbum eſſe conſubſtantiale Patri, & eſſe inviſibile, ſicuti eſt Pater. Fuerunt Juſtinus, Irenæus, Athanaſius, Cyrillus, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, & Patres antiocheni Concilii in epiſtola ſynodica ad Paulum Samoſatenum. Auguſtinus tamen, & fere omnes Patres Latini poſt ipſum, docuerunt I. Non ſolum Verbum, ſed etiam aliquando Patrem, aliquando Spiritum Sanctum, aliquando totam Trinitatem ſimul apparuiſſe. II. quando Scriptura non exprimit, non poſſe ſine temeritate dici, quænam perſona apparuerit potius, quam alia. III. tribui debere apparitiones Deo ut cauſsæ principali, ut inſtrumentali Angelis. IV. per Angelum non intelligi Verbum, quando in Exodo, vel in aliis Scripturæ libris legitur, quod Angelus apparuerit. Videatur Auguſtinus lib. 2. de Trinit. c. 9. 10. & 11., ad quem Legentes remittimus.

DISSERTATIO CXXI.

De Prima Trinitatis Perſona ; de ejuſdem nominibus, & quomodo ipſi conveniant ; quodnam ſit proprium ipſius nomen, & an ſolum ipſum in ratione primæ perſonæ eam conſtituat ?

PRima Trinitatis Perſona vel conſideratur ſecundum ſuam primitatem, ut ajunt Scholaſtici; quatenus ſcilicet a nulla alia perſona originem ducit ; & dicitur Innaſcibilis, ſeu Ingenita : vel ſpectatur per reſpectum ad Filium, quem ſola ipſa producit ; & vocatur Pater , vel denique inſpicitur per habitudinem ad duas perſonas, quas producit, & quibus ſuam deitatem communicat, ex infinita ſua fæcunditate ; & appellatur earum principium : Præter hæc nomina, alia etiam eidem primæ Perſonæ tribuuntur ; veluti cauſſæ, initii, auctoris, radicis, capitis, fontis; de his omnibus videbimus, quomodo ipſi conveniant; quodnam ſit proprium ejus nomen ; & an ſolum hoc nomen ipſam in ratione primæ perſonæ conſtituat.

Obſervare pariter juvat, quod in divina Trinitate numerantes perſonas, unam primam, aliam ſecundam, aliam tertiam, non attenditur præciſe ordo numeri, qui eſt ad arbitrium numerantis; ſiquidem non poteſt a numerante numerari ut prima, quæ eſt ſecunda, vel tertia; ſed neceſſario debet dicere primam unam, & non aliam, vel alteram. Ulterius non conſideratur ordo durationis; quia omnes ſunt æqualiter æternæ ; & nulla in hoc durationis ordine dici poteſt prima. Inſuper non inſpicitur ordo dignitatis, perfectionis, dominii, principatus &c.; quia omnes in hoc quoque ordine ſunt omnino æquales. Attenditur igitur ſolummodo ordo originis; & ſic inſpicitur ordo rei numeratæ, qui ex origine derivatur ; ſicque una perſona dicitur prima, quia origine alias præcedit ; alia dicitur ſecunda, quia pariter præcedit aliam origine. Unde divinis perſonis negatur numerus, & conceditur ; negatur numerus prædicamentalis, & quantitativus, qui rebus materialibus convenit ; conceditur vero numerus traſcendentalis, qui rebus omnibus convenit. S. Hilarius in lib. de Synodis, vel alius Pater, ſi dicunt, divinam ſubſtantiam non habere numerum, intelliguntur, vel de ſubſtantia, non de perſonis ; vel de nnmero prædicamentali, non traſcendentali ; ut explicant Theologi, & præcipue Eſtius in 1. diſt. 24. §. 1.

Ad particularia modo nomina primæ Trinitatis perſonæ devenientes, exordium ſumimus a nomine innaſcibilis, vel ingeniti. Ingeniti nomen primo invexit Aëtius, Magiſter Eunomii, teſte S. Athanaſio dialog. 2. de Trinit. Ariani poſtmodum illud in uſum induxerunt, ut facilius divini Verbi conſubſtantialitatem impugnarent. Sic enim contra Catholicos arguebant : Vel ſunt plures ingeniti, vel unus: Si unus: ergo Filius non eſt ingenitus, ſed ſolus Pater, & per conſequens Filius eſt creatura : Si plures ſunt ingeniti, ſcilicet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus : ergo tres erunt Dii. Ex quo argumento Arianorum deducimus, apud ipſos pro certo fuiſſe, naturam Dei conſiſtere, ut ſit ingenitus. Unde S. Epiphanius hæreſ. 76. teſtatur, Aëtium ex hoc ſolo nomine ingeniti pluſquam quadraginta argumenta deſumpſiſſe contra Catholicos; & Nazianzenus or. 37. ingeniti vocabulum dicit, *arcem, ac murum perfugii Hæreticorum iſtorum* ; & Nyſſenus lib. 1. contr. Eunomium vocat, *propugnaculum, unde in catholicum dogma impreſſionem faciebat Eunomius*. Et propter hoc fuit, quod plerique Patres hoc ingeniti nomen abominati ſunt, & a theologia rejiciendum omnino dixerunt ; quod aſſerit Athanaſius or. 2. contr. Arianos circa medium : *Vanam eſſe inſtitutionem hujus vocis, cum nihil aliud in ſe contineat, niſi meram præſtigiationem*.

Quæ quum ita ſint, neceſſarium ducimus exponere, quot ſignificationes hæc vox ingenitus habere poſſit. Et quidem ſunt quatuor, ut ait S. Athanaſius or. 2. contr. Aria-

Arianos. Prima eſt, quando opponitur facto, ſeu exiſtenti, & idem eſt ac infe-ctum, ſeu non exiſtens, ſed quod poteſt exiſtere: Unde cit. loc. Athanaſius: *Sic ingenitum dicitur, quod nondum factum eſt, ut lignum, quod nondum abiit in formam ſcaphæ*. Secunda eſt, quando eſt idem ac res, quæ nec exiſtit, nec exiſtere poteſt: *Sicut triangulus*, ait Athanaſius, *nulla ratione fieri poteſt quadrangulus*. Tertia quatenus dicit improductum; unde Athanaſius; ingenitum eſſe, *quod jam eſt, ſed natum ab aliquo non eſt, nec aliqua ratione ſuæ originis Patrem habet*. Quarta eſt, quando ſignificat *quod factum non eſt, ſed eſt ſempiternum, & incorruptum*; ut idem Athanaſius explicat. In tertia ſignificatione ſolus Pater eſt ingenitus; unde dicit Athanaſius: *unicum, & ſolum Patrem eſſe ingenitum*. In quarta vero ſignificatione non minus Pater, quam Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt ingeniti; quia omnes ſunt æterni, & incorrupti; unde Maximus, Taurinenſis Epiſcopus, in homil. de ſymbolo, deitatem dicit ingenitam, & innaſcibilem: *In Deo natura innaſcibilis, in Patre Unigeniti veritas, in Omnipotente plenitudo virtutis oſtenditur; eſt namque per ingenitam deitatem omnipotens, & per omnipotentiam Pater.*

Præterea hoc nomen ingenitus, prout æterno Patri convenit, accipi poteſt negative, & privative. Tunc accipitur negative, quando ſignificat puram negationem producibilitatis; & in hoc ſenſu ratio ingeniti convenit deitati, quia deitas eſt omnino incapax realis productionis. Tunc autem ſumitur privative, quando negas omnem productionem, & producibilitatem in ſubjecto, quod ſupponitur capax producere, ut perſona eſt, licet non producat, nec poſſit producere, quia talis perſona eſt. Non repugnat enim Patri productio, ut perſona divina eſt, quia de facto aliæ perſonæ divinæ producuntur; repugnat autem ut Pater eſt; & hinc eſt, quod in eo ratio ingeniti ſumitur privative. Diximus, quod negat omnem productionem, itaut idem ſonet, ac improductum, & improducibile; quia ſi tantum negaret productionem, quæ dicitur generatio, vel nativitas, Spiritus Sanctus etiam diceretur ingenitus, quum non ſit neque genitus, neque natus.

Certum eſt tamen, quod ratio ingeniti, propria primæ perſonæ, quanvis exprimat negationem, ſeu privationem; fundamentaliter tamen importat aliquod poſitivum; quod communiter Theologi docent cum S. Thoma in 1. diſt. 28. q. 1. ar. 1. ad 1., & Scoto in 1. diſt. 28. q. 1. *§. ideo videtur dicendum*. Poſitivum autem, quod pro fundamento dicit ratio ingeniti, aliqui putant, eſſe relationem paternitatis; ut Joannes a S. Thoma, Lugus, Albertinus &c. Alii volunt, eſſe relationem oppoſitam relationi geniti; ita Præpoſitivus apud Cacheranum: Alii ſuſtinent, eſſe rationem primi principii, quæ nec paternitate, nec ſpiratione, ſufficienter exprimitur, ſed addit paternitati, ſub proprio conceptu conſideratæ, relationem rationis. Sic Vaſquez, apud cit. Cacheranum: Alii denique defendunt, eſſe paternitatem, & ſpirationem activam indiviſibiliter acceptas, & Filium, & Spiritum Sanctum indiviſibiliter reſpicientes; ita Alarcon, Averſa, apud eundem, ad quem Legentes remittimus.

Dicimus modo, nomen & rationem ingeniti, ſeu innaſcibilis, ſive improducibilis, vel ut nimis ſcholaſtice dicunt, improceſſibilis, quatenus excludit privative omnem productionem, re vera eſſe propriam primæ Perſonæ divinæ.

I. probatur ex Conciliis. Concilium Antiochenum I. in profeſſione fidei habet: *Eſſe unum Deum ingenitum ſine principio*. In quibus verbis, ait Fraſſen, quod nomen Dei ſupponit pro Patre, juxta morem Scripturæ ſacræ. Concilium Nicænum generale I. lib. 2. Diſputatori hæc credenda, & non ſcrutanda, proponit: *Unus ingenitus Deus, & Pater; Unus ex eo genitus, unigenitus Filius, Deus, Verbum. Sicut non eſt alter Deus cum Deo, & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, neque poſterior Filius*. Ad quæ fortaſſis reſpexit Athanaſius in ep. ad Serapionem, relatus a S. Thoma opuſc. 1. cont. errores Græcorum c. 8. *Inprincipiatum eſſe, & ingenitum ſoli Deo Patri Catholica Eccleſia congregata apud Nicæam fideliter attribuit, & toti mundo ſic eſſe credendum ſub anathemate mandavit*.

II. probatur ex Patribus. Juſtinus Martir, vel quiſquis eſt auctor libri ſub tit. de Expoſitione fidei: *Si modum, quo Pater conſiſtit, quæras, cum eum a nullo alio ortum videat, ingenitum appellabis*. Baſilius lib. 2. con. Eunomium: *Ingenitum eſt, quod nullum principium habet, neque cauſam exiſtendi. Æternum vero, quod omni tempore, ac ſeculo ſecundum eſſe antiquius eſt. Unde Filius neque ingenitus eſt, & eſt æternus*. Athanaſius in QQ. de natura Dei q. 5. *Pro-*

prium

prium Patris ingenitum eſſe , Filii vero genitum , Spiritus Sancti procedere . Nazianzenus or.23. *Patris proprietas hæc eſt , quod ingenitus ſit* . Nyſſenus lib.de differentia eſſentiæ , & hypoſtaſis : *Eximium inſigne, notamque ſolius Patris eſſe , quod a nulla cauſa ſubſiſtit* . Auguſtinus lib.15. de Trinit. c.2. *Pater ſolus non eſt de alio , ideo ſolus appellatur ingenitus; non quidem in Scripturis , ſed in conſuetudine diſputantium* . Idem repetit lib.5. c.5. & 6.

III. probatur Rationibus I. Nomen ingeniti ſecernit primam perſonam a quacumque alia : ergo eſt primæ perſonæ proprium . Probatur antecedens . Nomen ingeniti dicit, quod ſit expers cujuslibet principii, ſive creationis , ſive productionis , ſive originis ; ſed hoc ſufficit ad diſtinctionem aliarum perſonarum , quæ non ſunt ſine principio originis : ergo &c. II. In tribus divinis Perſonis unica eſt perſona improducta , & hæc eſt Pater; ſed quod ſit improducta importatur per hoc ingeniti nomen ; & quod ſit improducta eſt ipſi perſonæ proprium : ergo ingeniti nomen eſt primæ perſonæ proprium . III. Ratio ingeniti eſt perſonali , & uni perſonæ conveniens : ergo eſt propria illius perſonæ , cui convenit : convenit primæ : ergo eſt propria primæ. Antecedens probatur. Per hanc rationem Pater diſtinguitur a Filio, & Spiritu Sancto, qui producuntur; etiam aliquo modo ab eſſentia, & attributis; quæ licet non producantur , tamen communicantur a Patre Filio , & Spiritui Sancto ; & in hac ratione docet S.Thomas. 1. p.q. 34. ar.4.ad 2. loquens de divina eſſentia, & in ea ratione , qua communicatur ; *dici poſſe , quod eſt in Filio , vel in Spiritu Sancto ab alio , ſcilicet a Patre.*

Arguunt I. Nomen ingeniti non reperitur in divinis Scripturis, & Ethnicis Scriptoribus ſuam debet originem: ergo rejiciendum ; uti de facto S.Athanaſius lib.2.cont. Arianos rejecit . II. Hoc nomen ingeniti vel reſpicit ſubſtantiam , vel relationem : Si ſubſtantiam : ergo eſt commune toti Trinitati; quod non eſt dicendum : Si relationem ; aſſignetur ad quam perſonam ordinem dicat . Quæ quum non aſſignetur , infertur, neque reſpicere perſonam: ergo non admittendum , quum neque ſubſtantiam, neque relationem reſpiciat . III. Sicut prima perſona non dicitur inſpirabilis , ita nec debet dici ingenita ; non enim minus ſpirat, quam generet ; & non minus non generatur, quia generat, quam non ſpiratur , quia ſpirat . IV. ex Baſilio lib.1. cont. Eunomium ſic contra vocem ingeniti ſcribente : *Ego ingeniti ſive innaſcibilis appellationem , quanvis ſummopere cogitationibus noſtris congruat , tamen quoniam nullo loco in Scripturis ipſam invenio , & quoniam primum eſt elementum blaſphemiæ iſtorum , ſilentio tradendam merito dixerim , præſertim cum Patris vox & id poſſit , quod ingeniti* . V. Genuina ſignificatio hujus vocis ingeniti eſt, quod ſit increatum ; ſed eſſe increatum convenit omnibus tribus Perſonis : ergo non ſoli primæ Perſonæ . VI. Non poſſet ſalvari identitas ſubſtantiæ in Patre , & Filio , ſi Pater eſſet ingenitus , Filius vero genitus: ergo vel ambo geniti , vel ambo ingeniti . Probatur antecedens . Si eſſent conſubſtantiales , in nullo differre deberent : ergo vel dicendum ingenitum a genito non differre , vel ambos genitos ; vel ambos eſſe ingenitos .

Reſpondemus ad I. Athanaſius exoſum habebat nomen ingeniti prout ab Arianis accipiebatur , ſcilicet pro eo , quod creatum non eſt : unde concludebant , Filium eſſe creatum , quia non eſt ingenitus; non vero prout illud accipiebant Catholici , hoc eſt pro eo, quod non ſolum non eſt creatum,ſed etiam quod non eſt quovis modo productum , & per conſequens cujuslibet principii eſt expers . Quod autem hæc vox in Scripturis non reperiatur, non per hoc eſt rejicienda , quando Scripturis non adverſatur ; nec per hoc , quod ab Ethnicis Scriptoribus ſit inventa , abroganda eſt , quando catholicæ veritati non opponitur, ſed famulatur .

Ad II. dicitur , vocem hanc nec reſpicere ſubſtantiam , nec relationem , ſed reſpicere relativum , & habere pro fundamento relationem . Unde docet Auguſtinus lib.5. de Trinit. c. 6. *Ingenitus porro quid eſt , niſi non genitus? Non ergo receditur a relativo prædicamento , cum ingenitus dicitur . Sicut enim genitus non ad ſeipſum dicitur , ſed quod ex genitore ſit ; ita cum dicitur ingenitus,non ad ſeipſum dicitur,ſed quod ex genitore non ſit, oſtenditur* .

Ad III. Ratio diſparitatis aſſignatur , quia ſub nomine ingeniti venit etiam inſpirabilis , ut nuper diximus ; non enim per nomen ingeniti negatur tantum generatio , vel nativitas , ſed quæcunque productio , adeoque etiam ſpiratio.

Ad IV. Baſilio diſplicuit vox ingeniti prout ſignificabat quod non eſt creatum ; quomodo eam Ariani accipiebant , ut dictum eſt in reſponſione ad I. Unde idem Baſi-

lius lib.2.cont.Eunomium docet: *Genitum, atque ingenitum eſſe ſpecificas quaſdam proprietates Filii, & Patris divini.*

Ad V. reſpondet S. Cyrillus lib. 11. theſauri c.unico: *Quod ingenitum unico N.græce ſcriptum, non factum neque creatum ſignificat, & de Deo univerſaliter prædicatur; ideſt de ſingulis perſonis divinis; gemino autem N.N. ſcriptum, non natum, nec ex alio eſſe, ſignificat, & Patri accommodatur.* Et Hugo Eterianus lib.2.contra Græcos c.5. *Ingenitum, quoniam per unum N. apud Græcos ſcribitur, quando hoc nomen increatum ſignificat, & non ſolum divinæ naturæ, ſi ſic dicatur, verum tribus competit perſonis; etenim natura pariter cum perſonis incauſſata eſt: Cum autem per duo N.N. ἀγέννητον ſcribitur, ſoli proprie Patri, non Filio, non Spiritui, neque alicui creaturæ convenit.*

Ad VI. quod quanvis ingenitus, & genitus differunt inter ſe, conveniunt tamen cum eſſentia, cum qua quiſque eſt identificatus; & hoc ſufficit, ut ingenitus, & genitus; dicantur conſubſtantiales, quantumvis ſint perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ.

Patris nomen modo exponendum ſumimus: Pro quo ſcire oportet, hoc nomen trifariam in Scripturis uſurpari. Primo generaliter, & ſignificat principium productivum creaturarum omnium; unde Deuteron. 32. dicitur: *Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Et in hoc ſenſu tres divinæ perſonæ ſicut indiviſibiliter habent creandi poteſtatem, & exercitium, ita pariter Patris nomine gaudent. Secundo ſpecialiter ſignificat Deum per juſtificationem adoptantem ſibi creaturam rationalem in filium; quod fit beneficio gratiæ juſtificantis; juxta illud ad Roman.8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Et hoc pacto convenit quoque tribus divinis perſonis, quæ pariter indiviſibiliter concurrunt ad juſtificationem noſtram; quanvis Spiritui Sancto tribuatur, quia juſtificatio fit per amorem, & Spiritus Sanctus eſt amor. Tertio notionaliter accipitur, & ſignificat principium generativum Filii conſubſtantialis, & ejuſdem naturæ cum ſuo principio, & hoc modo nomen Patris proprie primæ tantum perſonæ convenit, aliis autem divinis perſonis analogice.

Vocatur autem prima Perſona potius Pater, quam genitor, vel generans, quia genitor, & generans, ait Jueninus, perfecte primam perſonam non exprimunt; non enim eſt prima perſona niſi per completam relationem ad Filium. Completa autem non eſt, quando concipitur generare actu; quia tunc intelligitur eſſe quaſi in via ad generandum, ſeu ad habendum Filium; quando vero concipitur cum Filio jam exiſtente, & jam genito, tunc eſt completa relatio ad Filium, & dicitur Pater. Non per hoc tamen fit, quod dici non poſſit genitor, vel generans; ſed tantum intelligitur, quod magis proprie, & magis uſitate, dicitur Pater. Unde communiter omnes Theologi docent cum S. Th. 1.p.q.33.ar.2. & 3., primam Trinitatis Perſonam proprie, hoc eſt non metaphorice, proprie, hoc eſt non eſſentialiter, ſed notionaliter, dici Patrem. Cum quibus

Dicimus, primam Trinitatis Perſonam dici Patrem proprie, modo dicto, & explicato.

I. probatur ex Scripturis. Pſal. 2. *Ipſe invocabit me, Pater meus es tu.* Matth.28. *Baptizantes eos in nomine Patris.* c. 10. *Confitebor & ego eum coram Patre meo.* c. 11. *Confitebor tibi Pater.* c.16. *Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Joan. 16. *Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis.* Atqui Filius non ab alia perſona ſubſiſtentiam, & filiationem accepit, quam a prima Trinitatis perſona: ergo prima Trinitatis perſona eſt Pater.

II. probatur ex Conciliis. Concilium generale Nicænum I. in Symbolo fidei. *Credo in unum Deum Patrem.* Concilium generale Conſtantinopolitanum I. pariter in eodem Symbolo. *Credo in unum Deum Patrem.* Concilium Toletanum VI. *Confitemur Patrem ingenitum, increatum, fontem, & originem totius divinitatis.* Concilium Antiochenum pluries uſurpat nomen Patris; quod poſtea ſtatuit etiam Nicænum I. de quo Athanaſius ſcribit in epiſt.ad Serapionem: *Inprincipiatum eſſe, & ingenitum ſoli Deo Patri Catholica Eccleſia congregata apud Nicæam, fideliter attribuit, & toti mundo ſic eſſe credendum ſub anathemate mandavit.* Eadem habent Concilium Toletanum XI. Florentinum generale, Lateranenſe generale ſub Innocentio III. aliaque multa generalia, & particularia Concilia.

III. probatur ex Patribus. Athanaſius in epiſt. ad Serapionem: *Ob id ſolus, & unus Pater ſolius, & unius Filii Pater eſt. Atque in ſola deitate iſtud Patrem eſſe, ac Filium*

con-

conſiſtit, & ſemper eſt. Nam inter homines ſi quis Pater dicitur, ille alterius Filius fuit; & ſi quis hujus Filius, viciſſim alterius Pater appellatur: adeo ut in hominibus non ſervetur Patris, & Filii appellatio. Cyrillus Alexandrinus ad verba Joann. 7. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi*; hæc ſcribit lib. 1. in Joan. c. 7. *Manifeſtavit nomen Patris Filius, quatenus in eam notionem, ac ſinceram contemplationem nos induxit, ut intellegeremus, non ſolum Deum illũ eſſe revera: id enim & ante Chriſti adventum vulgo prædicabatur per divinam Scripturam: Sed hoc inſuper præter quam quod Deus eſt, eundem quoque eſſe non commentita appellatione Patrem, qui in ſeipſo, & ex ſeipſo, proprium habet fœtum, natura ſua concurrentem, atque coæternum..... Nomen autem Patris magis proprie Deo convenit, quam Dei: Hoc enim dignitatis, illud autem ſubſtantivæ proprietatis notionem continet. Nam qui Deum dicit, univerſorum Dominum indicat: qui autem Patrem nominat, quod ad proprietatem ſpectat, attingit; oſtendit enim, illum genuiſſe*. Idem lib. 10. Theſauri c. 6. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quia videlicet verus Pater es, & Filium verum habes*. Hieronymus in cap. 3. ad Epheſios; ad illa verba: *Ex ipſo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur*; hæc habet: *Quomodo Deus eſſentiæ ſuæ nomen, atque ſubſtantiæ cæteris impertit, ut ipſa quoque dicantur &c. Sic & paternitatis nomen ex ſemetipſo largitus eſt omnibus; Sicut ergo ſolus bonus bonos facit, & ſolus immortalis immortalitatem tribuit, & ſolus verus veritatis nomen impertit; ita ſolus Pater, qui creator eſt omnium, & univerſorum cauſſa, ſubſtantiis præſtat cæteris, ut Patres eſſe dicantur*. Et quanvis Hieronymus videatur loqui in generali acceptione Patris, tamen ratio, quam affert, etiam de ſpecialiſſima verificatur. Unde Fauſtinus lib. 2. cont. Arianos ſcribit: *Solus proprie verus eſt Pater, qui ſine initio, & fine Pater eſt; non enim aliquanda cœpit eſſe quod Pater; ſed ſemper Pater eſt, ſemper habens Filium ex ſe genitum*.

IV. Probatur Rationibus. I. Significatum Patris proprie, ac vere primæ Trinitatis perſonæ convenit: ergo & nomen. Probatur antecedens. Significatum Patris eſt, quod perſona, cui datur, aliam producat per veram generationem, quæ ſit origo viventis a vivente in ſimilitudinem naturæ; ſed prima Trinitatis perſona ſic producit ſecundam: ergo ſignificatum Patris proprie, ac vere primæ Trinitatis perſonæ convenit. II. Nomen Patris ſic proprie convenit primæ Trinitatis perſonæ, quod nullus alius, ſicut ipſa, ſit proprie dicendus Pater: ergo vere, & proprie eſt Pater. Probatur antecedens. Nullus eſt ita Pater, qui non poſſit filio carere, adeoque ſuam paternitatem amittere: ergo nomen Patris ſic proprie primæ perſonæ convenit, quod nullus alius, ſicut ipſa, ſit proprie dicendus Pater. III. Nomen Patris diſtinguit primam perſonam a cæteris perſonis: ergo eam conſtituit. Sequitur conſequentia. Probatur antecedens. Nomen Patris eſt relativum, per quod perſonæ diſtinguuntur; ſed per hoc nomen nulla alia perſona diſtinguitur: ergo prima perſona per ipſum diſtinguitur. IV. Nomen Patris convenit proprie perſonæ illi, quæ proprie, & non metaphorice, ſeu per translationem, generat; ita eſt prima Trinitatis perſona: ergo hæc proprie eſt Pater. Probatur minor. Ex Damaſceno lib. 1. de fide c. 9. *Quin illud quoque noſſe intereſt, paternitatis, filietatis, & proceſſionis, vocabula, non a nobis ad beatam divinitatem translata fuiſſe, verum contra, illinc ea nobis communicata*: ergo non per translationem convenit. V. Nomen Patris non convenit ſecundæ perſonæ, nec tertiæ: ergo tantum primæ, prout diſtinctæ ab illis. Probatur antecedens. Nec ſecunda perſona, nec tertia generat: ergo nomen Patris neutræ ex illis convenit.

Arguunt I. Ex Auctore libri de Theologia myſtica, qui dicitur S. Dionyſius Areopagita, c. 5. circa medium, habetur: *Deum nec Spiritum eſſe, ut nos ſciamus, nec Filii, nec Patris rationem eſſe, nec aliquid eorum, quæ nobis, aut cuipiam naturæ ſunt cognita*: ergo non convenit Deo nomen Patris. II. Ex S. Baſilio trac. de vera, & pia fide circa medium: *Vocabulum Patris, ſi eum integra ſignificatione, ſicut apud nos eſt in uſu, accipiamus in Deo, impie facimus*: ergo ex Baſilio Deo tribui non debet Patris nomen. III. Ex eodem Baſilio lib. 2. cont. Eunomium circa medium: *Pater noſter eſt Deus, non abuſione, aut translatione, ſed proprie, primo, ac vere, dictus*: ergo prima Perſona eſt Pater ſecundæ ita proprie, primo, ac vere, ſicut creaturarum Pater eſt Deus: ergo non eſt notionaliter Pater.

Reſpondemus ad I. Auctorem illum, quicunque ſit, intelligere, nomen Patris non eſſe a Deo removendum, ſed removendam eſſe rationem illius nominis prout illa creaturis convenit, & tribuitur. Et

quod

quod hæc ſit mens Auctoris illius, ex ejus contextu patet. Antea enim in eodem loco dixerat, Deum non eſſe *ſcientiam, nec veritatem, nec regnum, nec ſapientiam; neque unum, neque unitatem, neque divinitatem, aut bonitatem*. Et hæc intelligenda ſunt de modo, quo nos eadem imperfecte cognoſcimus. Sic pariter intelligendus eſt de nomine Patris. Et quod Auctor intendat, ideo Deum non eſſe hæc omnia, quia eſt ſuper hæc omnia, excellentiori, & eminentiori modo; ipſemet ſe explicat; in eodem loco dicens: *Et omnem affirmationem ſuperet perfecta illa, & ſingularis cauſſa omnium, & omni negatione ſuperior ſit præſtantia ejus, qui & ab omnibus omnino ſecretus eſt, & univerſa multum ſuperat*.

Ad II. Non negat Baſilius, non convenire Deo nomen Patris; ſed aſſerit, non convenire cum integra ſignificatione, ſicut apud nos eſt in uſu. Reſecanda enim ſunt, quæ apud nos importat nomen Patris, & imperfectionem dicunt; & tunc quæ remanent omnino perfecta de nomine Patris, Deo conveniunt. Hoc ex eodem Baſilio, loco in objectione citato, habemus: *Quandoquidem una cum eo neceſſario ſimul, & affectio, & defluxio ſeminis genitivi, & ignorantia, & infirmitas, & talia quæcunque in ipſo nomine Patris evulgantur in creaturis*. Cæterum Baſilius lib. 5. cont. Eunomium aſſerit, vere Deum generare, & edere Verbum; & lib. 2. cont. eundem dicit, quod qui in Deo negat generationem, Patrem, & Filium, totum negat Evangelium.

Ad III. dicitur, quod Baſilius loquitur de Patre generaliter ſumpto, & dicit, eum eſſe proprie, primo, ac vere Patrem comparative ad nos. Deus enim præſtantiori modo eſt principium creaturarum, quam ſint parentes ſuorum filiorum; tum quia ſolus Deus creat animam, & corporis organa format; tum etiam quia nobis vitam præſtat, & neceſſaria ad vitam; tum denique quia nos regit, conſervat, atque defendit; & reſpectu horum Deus reſpectu noſtrum quaſi dici poteſt proprie, primo, ac vere Pater. Unde Chriſtus Matth. 23. dicebat: *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt*.

De Principii nomine nunc eſt differendum. Principium pariter trifariam in divinis accipitur; eſſentialiter nimirum, & ſignificat fœcunditatem divinitatis ad extra; & hoc pacto convenit tribus perſonis divinis indiviſim, quia opera Trinitatis ad extra a voluntate, & potentia proveniunt, quæ una eſt, & eadem in tribus perſonis. Notionaliter, & ſignificat fœcunditatem divinitatis ad intra; & hoc modo Pater dicitur principium Filii, & Pater, & Filius dicitur principium unicum Spiritus Sancti. Principaliter, & ſignificat dignitatem, per quam prima perſona a nulla alia producta duas alias producit; & in hoc ſenſu ſolus Pater eſt proprium, & principale principium in divinis.

Dicimus ergo, ſolum Patrem eſſe proprium, & principale principium in divinis.

I. Probatur ex Patribus. Phæbadius, lib. cont. Arianos, ait de Patre: *Hic eſt principium ſine principio*. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. theſauri c. 1. *Alius eſt Pater, alius Filius, & alius eſt principium, alius ex principio*. Auguſtinus lib. cont. Maximinum c. 17. *Pater principium non de principio, Filius principium de principio, ſed utrunque ſimul, non duo, ſed unum principium*. Idem lib. 2. de Trin. c. 14. *Si gignens ad id, quod gignitur, principium eſt, Pater ad Filium principium eſt, quia gignit eum*.

II. Ex Scholaſticis primæ notæ Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 29. c. 1. ait: *Pater principium ſine principio, Filius principium de principio, Spiritus Sanctus principium de utroque*. Doctor Angelicus opuſc. 1. contra errores Græcorum c. 32. *Neceſſarium eſt credere ſanctam Trinitatem, Patrem ſcilicet ſine principio; Filium vero principium a Patre principio; Spiritum autem Sanctum cum principio Filio unum Deum eſſe*.

III. Probatur rationibus. Illud eſt vere, proprie, & principaliter principium, quod a nemine producitur, & a quo cætera producuntur; ſic ſe habet Pater in divinis: ergo ſolus Pater in Trinitate eſt vere, proprie, & principaliter principium. Probatur minor. Pater a nemine producitur; Filius a Patre generatur, & Spiritus Sanctus a Patre procedit; ergo ſolus Pater in divinis a nemine producitur, & cætera producit. II. Prima perſona in divinis eſt Pater, & eſt ingenitus: ergo prima perſona in divinis eſt principium, quod a nemine procedit, & a quo cætera procedunt. Probatur conſequentia. Quia eſt ingenitus, a nemine procedit: ergo principium non habet: Quia eſt Pater, producit; ergo eſt principium producens: ergo eſt principium, quod non producitur, & producit.

Arguunt I. Si Pater eſſet principiũ, Filius eſſet principiatum, principiatum quoque eſſet

Spi-

Spiritus Sãctus;at nequeunt hi principiata dici:ergo neque Parer principium dici poreſt. Major eſt certa propter relationẽ inter principiatum,& principium.Minor patet,quia eſſe principiatum convenit crearuris. Conſequentia ſequitur. II. Ratio principii importat prioritatem, ut ex ipſomet nomine patet; ſed in divinis nulla poteſt prioritas admitti: ergo ratio principii non eſt admittenda in Patre, ſaltem proprie, ac vere. III.Infertur ratio principii in prima Perſona,quia eſt Pater: ergo quia ſolum ad intra proprie eſt Pater, ita ſolum ad intra proprie eſt principium; ſed hoc repugnat communi Theologorum conſenſui, aſſerentium, Patrem,immo toram Trinitatem, eſſe vere, & proprie principium ad extra;quum tamen vere, & proprie prima perſona non ſit Pater ad extra, immo neque tota Trinitas, ut patet: ergo ſaltem ratio illa, ex ratione Patris petita, non concludit.

Reſpondemus ad I. principiatum dupliciter ſumi, vel prout refertur ad principium originis, & in hoc ſenſu ſignificat præciſe trahere ab alio originem: vel prout refertur ad principium durationis, & in hoc ſenſu ſignificat habere principium durationis. In primo modo admittitur in Filio, & Spiritu Sancto ratio principiati, & nullam imperfectionem dicit; at non ſecundo modo, quia in hoc modo principium non agnoſcunt. Verum quia apud nos hoc ſolum principiati nomen non bene ſonat; ideo ab eo in quacunque acceptione abſtinendum; ut bene monet S.Thomas 1.p. q. 33.ar.1.ad 2. *Ad ſecundum dicendum, quod apud Græcos invenitur de Filio, vel Spiritu Sancto, dici, quod principientur; ſed non eſt in uſu Doctorum noſtrorum.*

Ad II. dicitur, quod importat prioritatem originis, quæ nullam dicit imperfectionem; quatenus hæc prioritas non dicit prioritatem naturæ, aut temporis, ſed tantum productionis. Ulterius tamen addimus, quod quanvis nomen principii ſit impoſitum a prioritate, non tamen ſequitur, quod ſemper quando adhibetur,prioritatem importet; quod optime obſervat S.Thomas in 1. diſt.23. q.1. ar.2. ad 1.,& diſt.29. q.1. ar.1. ad 1.

Ad III.dicimus,rationem Patris ad rationem principii ſe habere ut majus ad minus, ut includens ad incluſum. A majori ad minus, ab includente ad incluſum, valet argumentum affirmative, non negative. Unde ex eo, quod in prima perſona eſt propria ratio Patris ad intra, affirmamus inferendo, & quidem bene, eſſe in eadem rationem principii ad intra. Non vero e contra diſcurrendum eſt; ſcilicet non debemus negare propriam rationem principii ad extra, quia negatur propria ratio Patris ad extra. Reſponſio eſt Cacherani.

Reſtat,ut modo loquamur curſim de aliis nominibus, quæ non ſunt quidem principalia, ut prædicta. Et primo intendimus, quod prima Trinitatis perſona dici non debet Initium aliarum perſonarum. Ratio eſt, quia hoc nomen Initium importat principium durationis; quod in divinis admitti non debet, ubi omnia ſunt æterna, & ſine durationis, ſeu temporis principio. Concilium Toletanum xi. in Conſeſſione fidei docet: *Filium natum ſine initio, ante ſecula.* Quod pariter tradit Concilium Vormatienſe in Confeſſione etiam fidei. S.Hilarius lib.4. de Trinit. inquit: *Novit Eccleſia unum innaſcibilem Deum: novit unigenitum Dei Filium: Confitetur Patrem ab origine liberum: Confitetur & Filii originem ab initio, non ipſum ab initio, ſed ab ininitiabili.* Nec obſtat, quod dicitur Eccleſ. 24. de divina Sapientia, ſcilicet de Verbo divino: *Ab initio, & ante ſecula creata ſum.* In hoc enim loco idem eſt *ab initio*, ac *ab æterno*; quod verbum ſubſequens exponit, declarat,& confirmat; ſcilicet, *ante ſecula*. Sic etiam dicitur Micheæ 5. *Et egreſſus ejus ab initio a diebus æternis.* En quomodo initium idem ſonat, quod ſonant dies æterni.

Nomen Cauſſæ a Græcis Patribus paſſim, a Latinis vero aliquando, primæ Trinitatis perſonæ tribuitur. Apud Ariſtotelem certum eſt, idem importare cauſſam, & principium; Ipſe enim 5. Metaph.tex.1. enumerat omnes modos, quibus principium dici poteſt, & totidem pariter affirmat cauſſam dici poſſe. Hoc de ipſo affirmat Scotiſta Fraſſen. Et quanvis dicat, quod eum defendat Aſclepius in commentario ad illum locum, dicens, hoc Ariſtotelem non aſſeruiſſe ex rei veritate, neque ex opinione ſua, ſed ex vulgi ſenſu; attamen hæc nova defenſionis inſtitutio poteſt cuilibet errori excuſando applicari, ſed non per hoc errorum auctores apud Sapientes excuſabiles fient. Differentia igitur eſt inter principium, & cauſſam, quod cauſſa eſt illa, quæ influit eſſe in aliud antea non exiſtens; principium vero eſt id, ex quo aliud, vel alius; aliud quidem, ſi ſit in natura diverſum; alius

ve-

vero, ſi ſit in natura idem, in perſona vero diſtinctus, ut ſunt perſonæ divinæ. Et accipiendo ſic cauſſam in rigore ſuo, Pater nullo modo dici poteſt cauſſa Filii, nec Pater, & Filius cauſſa Spiritus Sancti, ſed tantummodo principium. Intelligendo vero cauſſam, ut eam Ariſtoteles intellexit, & ut Græci Patres intelligebant, tolerandum eſt cauſſæ nomen in perſonis divinis. Et in hoc ſenſu loquutus eſt Nazianzenus or. 24. *Quod ſi omnia, quæcumque Pater habet, Filii ſunt, excepta cauſa: Quicquid item Filius habet, idem quoque Spiritus Sanctus eſt, ſi Filietatem excipias.* Pariter Baſilius lib. 1. cont. Eunomium: *Nos autem ſecundum cauſarum habitudinem ad ea, quæ ex illis oriuntur, Patrem collocari ante Filium aſſerimus.* Item Nyſſenus ad Abladium t. 2. *Cum dicimus cauſam, & quod eſt cauſa, iis vocabulis naturam* (intelligit divinam) *minime ſignificamus.* Etiam Auguſtinus in lib. 83. quæſtionum q. 16. *Deus omnium, quæ ſunt, cauſa eſt. Quod autem rerum omnium cauſa eſt, etiam Sapientiæ ſuæ cauſa eſt.* S. Hilarius quoque lib. 12. de Trinit. loquens de æterna Filii generatione: *Et ex cauſa licet perfecta, atque indemutabili naſcens, neceſſe eſt, cauſa in cauſæ ejus proprietate naſcatur.* Chryſoſtomus adhuc in c. 1. Ep. ad Hebræos hom. 2. *Si enim cauſa Filii Pater eſt, multo amplius eorum cauſa eſt, quæ per Filium facta declarantur.* Damaſcenus denique, ut alios omittamus; *Unus Pater ſine principio, hoc eſt ſine cauſa; non enim ex aliquo. Unus Filius, & qui Filius eſt, & non ſine principio, hoc eſt ſine cauſa, ex Patre enim eſt.* Cæterum audiendus eſt Cardinalis Beſſarion, qui in oratione habita in Concilio Florentino, quando erat Nicænus Epiſcopus Græcus, ſic loquebatur: *Notandum, quod Sancti Doctores Orientales etiam in divinis utuntur nomine cauſæ, & cauſati largo modo; non quidem ut limitationem, & dependentiam importat, ſed prout productionem, & emanationem a principio ejus, quod eſt a principio ſignificat.*

Ex quibus inferimus, Eccleſiam probare utique utrunque loquendi morem, tum Græcorum, tum Latinorum; dummodo tamen accipiatur cauſſæ nomen late, ſcilicet pro omni eo, a quo aliquid habet eſſe; non autem ſtricte, ſcilicet pro illo, a quo aliquid habet eſſe cum dependentia. Græci quidem late ſemper cauſſæ nomen acceperunt; quod ex eo patet, quia Patres Græci ſemper contra Arianos ſuſtinuerunt, Verbum eſſe conſubſtantiale Patri; & tamen docebant, Patrem eſſe cauſſam Verbi. Intelligebant ergo pro cauſa idem, ac principium, quod dependentiam in verbo non importaſset; aliter Verbum Patri conſubſtantiale non fuiſset. Unde Concilium Florentinum in decreto unionis definit: *Filium eſſe, ſecundum Græcos quidem, cauſam, ſecundum Latinos vero principium ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut & Patrem.*

Authoris nomen aliquando etiam apud Latinos idem eſt, ac nomen principii; Græci autem eo nomine non utuntur, quia non habent vocem huic nomini accommodatam; verum aliquando cum cauſæ nomine confundunt. Unde Nazianzenus or. 29. docet, Patrem *eſſe cauſſam, & authorem divinitatis, quæ in Filio, & Spiritu Sancto, conſideratur.* Et S. Athanaſius dialog. 2. cont. Anomæum, dixit; *Patrem eſſe cauſam, & authorem Filii*; & poſt pauca: *Deus eſt fons Spiritus Sancti, & author ejuſdem, non extrinſecus eum recipiens, ſed ex ſe ſinens ſcaturire.* Ex Latinis vero S. Hilarius lib. 6. de Trinit. de Verbo hæc ſcribit: *Ex Patre enim exiens, neque aliam nativitatis habuit naturam, neque nullam; ſed eum ſibi teſtatur auctorem, ex quo ſe profitetur exiſſe.* Et lib. 9. *Naturalis igitur Filio Dei, & congenita omnis poteſtas eſt; quæ cum data ſit, non alienata eſt per id ab authore, quia data eſt, cum quod eſt authoris, datum ſit.* Et lib. 12. *Cum natus ſit, Patrem teſtatur authorem.* Auguſtinus lib. 3. cont. Maximinum c. 14. *Sed habet, inquis, Dei Filius authorem Patrem; ſi propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus eſt iſte; quia iſte de illo eſt, non ille de iſto; fateor, & concedo. Si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejuſdem ſubſtantiæ Filium, cujus eſt Pater, deteſtabor, & reſpuam.* Ex quibus verbis clare deducitur, in quo ſenſu authoris nomen Patri tribuendum ſit, & in quo non.

Opponunt nihilominus I. quod Patres Græci nunquam authoris nomen Patri tribuerunt; & ſi apud aliquos invenitur, ab Interpretibus eorum fuit adhibitum. II. Inter Latinos ſolus S. Hilarius invenitur, qui hoc nomen divinis perſonis tribuat. III. S. Thomas in 1. ſent. diſt. 29. q. 1. ar. 1. negat aperte authoris nomen Patri convenire.

Reſpondemus ad I. quod eſt argumentum Petavii lib. 3. de Trin. c. 5. „ Quamobrem
„ brem fruſtra ſunt recentiores quidam de
„ ſchola Theologi, qui ut Patrem auctorem

„ ap-

„ appellari poſſe demonſtrent , teſtes Græ-
„ cos Patres adhibent , Dionyſium , Atha-
„ naſium, Gregorium Nazianzenum , Euſe-
„ bium , & cæteros : Nam eorum dumtaxat
„ interpretes auctoris nomen aſſumpſerunt„
Diximus quoque nos nuper , apud Græcos non eſſe vocabulum , quod authoris voci æquivaleat ; attamen ſi interpretes in hoc conſenſerunt , ut illud inducerent , hoc ſufficit , ut ex ipſorum ſententia dicatur inventum, & uſurpatum. Induxerunt quidem , & interpretati ſunt , ſi non ex nomine uno , quod apud Græcos non erat , ſaltem ex pluribus,quæ huic noſtro æquivalebant .

Ad II. Sufficeret ſola Hilarii authoritas , & præcipue in libris de Trinitate, de quibus ſcribebat Hieronymus ad Lætam , Hilarii de Trinitate libros poſſe inuffenſo pede decurri : Attamen nos produximus etiam Auguſtinum , cujus verba aperte demonſtrant , in quo ſenſu authoris nomen perſonis divinis tribui poſſit , & in quo ſenſu non poſſit .

Ad III. reſpondet Juveninus , quod S. Thomas in ſua Summa , quæ eſt poſtremum ſuum opus , omiſit hanc quæſtionum , an authoris nomen Patri conveniat ; & hoc ideo fecit,quia ei diſplicuit quod ſeripſerat in lib. Sententiarum . At reſponſio hæc non probatur ; non enim , quæ ſibi ex S. Doctore opponit Jueninus , in allegato ab eo loco invenimus , ſed potius quæ ſequuntur verba leguntur : *Nomen auctoris addit ſupra rationem principii hoc quod eſt non eſſe ab aliquo; & ideo ſolus Pater auctor dicitur, quamvis etiam Filius principium dicatur notionaliter*; quæ verba pariter a Cacherano citantur . Non igitur Angelicus Authoris nomen Patri denegat, ſed Patri ſuli concedit , & aliis perſonis divinis negat . Cæterum ipſemet S. Doctor clarius ſe explicat 1. p. q. 33. ar. 4. ad 1. *Auctoritas nihil aliud ſignificat in divinis,quam principium originis* . Et in opuſc. 1. c. 32. Sub titulo , quod *Filius eſt auctor Spiritus Sancti*, docet ; *auctoritas in divinis perſonis unius ad alteram non eſt, niſi ſecundum quod æternaliter una eſt ab altera.* Unde concludendum eſt, juxta catholicam doctrinam, & ſecundum mentem Angelici Doctoris, auctoris nomen tribui poſſe Patri reſpectu Filii , tribui poſſe Filio reſpectu Spiritus Sancti, una cum Patre;ſed illa adhibita diſtinctione, quam S. Auguſtinus adbibet , & nos nuper diximus .

Alia nomina , quæ primæ Trinitatis perſonæ tribuuntur, ſunt hæc: fons, caput, radix ; quæ quidem nomina tribui poſſunt Patri vel reſpectu aliarum perſonarum Trinitatis , vel reſpectu deitatis . Unde Theologi hanc adhibent diſtinctionem, dicendo , quod Pater proprie dicatur fons, caput, origo , radix , aliarum perſonarum ; impropeie autem dicatur fons, caput, origo, radix, deitatis .

Probant primam partem ex Patribu s . Tertullianus lib. 6.cont. Praxeam c.8. *Nec dubitaverim Filium dicere & radicis fruticem, & ſolis radium* . Ambroſius lib.4.de fide: *Fons Pater Filii eſt , radix Pater Filii eſt* . Baſilius hom. 27. cont. Sabellianos : *Eſt quidem Pater perfectum habens eſſe , & nullius egens, radix, & fons, Filii , & Spiritus Sancti*. Athanaſius cont. gregales Sabellii circa finem: *Pater radix , & fons Filii, & Spiritus Sancti* .

Probant pariter ſecundam ex Conciliis , & Patribus.Concilium Florentinum in literis unionis: *Pater fons , & principium totius deitatis* . Concilium Toletanum VI. dicunt quidam, ſed potius XI. in profeſſione fidei: *Confitemur Patrem ingenitum, increatum, fontem, & originem , totius Divinitatis*. Concilium Vormatienſe eadem habet in fidei quoque profeſſione. Auctor libri de divinis nominibus , qui S. Donyſii Areopagitæ nomen portat , c. 2. *A divinis Scripturis accepimus , Patrem quidem eſſe, ut ita dicam, fontanam divinitatis ;Jeſum autem, & Spiritum fœcundæ divinitatis, ſi ita fas eſt loqui , gemma , ſeu germina* . Athanaſius contra gregales Sabelli , de ſolo Patre ſcribit , quod ſit *ſolus fons deitatis.* Auguſtinus lib. 4. de Trinit. c. 20. exponens illa verba Joannis 15. *Spiritum veritatis , quem ego mittam vobis a Patre;* habet : *Videlicet oſtendens , quod totius divinitatis, vel ſi melius dicitur, Deitatis, principium Pater eſt*. Quæ verba citantur a S. Thoma 1. p. q. 33. ar. 1.

Quod autem reſpectu deitatis dicantur improprie, explicatur ſimul , & oſtenditur. Deitas enim a Patre non procedit; quia deitas idem eſt ac eſſentia ; Concilium autem Lateranenſe IV. definit , quod eſſentia nec eſt generans , nec genita , nec procedens : Non poteſt vero Pater proprie dici fons , origo , radix, caput , niſi reſpectu illorum , qui ab ipſo procedunt: ergo non poteſt reſpectu deitatis ſic proprie dici. Dicitur autem improprie , quatenus eſt principium, fons , radix, origo, caput, Filii, & Spiritus Sancti ; & quia in his ſingulis eſt tota deitas ; ideo tale dicitur reſpectu totius deitatis . Sed hanc re-

ſponſionem non probant cæteri Theolo-gi, ex eo quia, ſi hoc eſſet, etiam Filius tale diceretur, reſpectu Spiritus Sancti, qui etiam ab ipſo procedit. Unde alias ſubjungunt rationes, quæ ſunt; quia in Patre eſt deitas tanquam in primo princi-pio, quod eam aliis perſonis communicet; & quia ſit principium omnium divinarum perſonarum, præterquam ſui ipſius.

Dicitur etiam Pater in Concilio Vormatienſe, *fons, & origo totius Trinitatis*. Quæ quidem propoſitio prima facie non ſatis conſtat, quia nomine totius Trinitatis venit etiam Pater; adeoque Pater eſſet fons, & origo ſui ipſius. At intelligenda ſunt verba illa Concilii, quod Pater dicatur fons totius Trinitatis, ſicut Adam dicitur principium, fons, origo, caput, totius generis humani; quatenus nullus eſt homo, qui ab Adamo non prodeat. Unde quia duæ aliæ Trinitatis perſonæ a Patre procedunt, & Pater a nulla alia perſona; ideo Pater dici etiam improprie poteſt fons, & origo totius Trinitatis.

Denique propriiſſimum primæ perſonæ nomen, quod ipſam in ratione primæ perſonæ conſtituat, eſt Pater. Ratio eſt, quia Pater eſt nomen relativum; perſonæ autem conſtituuntur per relativa, ut diximus: ergo Pater eſt propriiſsimum primæ perſonæ nomen, quod ipſam in ratione primæ perſonæ conſtituat. Ulterius; prima perſona per paternitatem diſtinguitur a Filio; ſed idem eſt diſtinctivum, & conſtitutivum; ergo per paternitatem conſtituitur: ergo Pater eſt propriiſsimum primæ perſonæ nomen. Denique; hoc nomine apud omnes prima perſona vocatur; non enim dicitur ingenitus, principium, fons, cauſſa, author, origo, caput, radix, origo &c. ſed abſolute Pater: ergo vere hoc nomen Patris ipſius eſt diſtinctivum, ac conſtitutivum. Unde Athanaſius in epiſt. ad Serapionem ſcribit: *Ob id ſolus, & unus Pater ſolus, & unius Filii Pater eſt; atque in ſola deitate iſtud Patrem eſſe, ac Filium conſtituit, & ſemper eſt.*

DISSERTATIO CXXII.

De Secunda Trinitatis Perſona, & de variis ipſius nominibus; quænam ſint, & quomodo ipſi conveniant?

SECUNDA Trinitatis Perſona duodecim nominibus ab Ambroſio lib. 2. de Trinit., ſi ejus genuinus eſt fœtus, vocata dicitur a Fraſſen, quæ continentur in verbis hiſce, quæ ab eo citantur: *Hi ſunt pretioſi illi lapides, ſardius, jaſpis, ſmaragdus, chryſolitus, & alii, quibus ſancti Aaronis, qui Chriſti figuram geſſit, veſtimentum intexitur: Hic veri amictus eſt Sacerdotis, hæc veſtis nuptialis, hoc pretioſum rationale . . . Filius Dei dicitur, quia ex Deo Patre naſcitur; Verbum, quia ex ore Altiſſimi, cum perfecta ejus notitia, prodit; imago, ſplendor gloriæ, & ſpeculum, quia nihil ei deeſt, quominus perfecte Patrem exprimere poſſit; vapor virtutis Dei, quia ejuſdem cum Patre natura; candor lucis æternæ, quia ei coæternus, character, quia a Patre, perſonali differentia, non eſſentiali perfectione, diſcretus.* Inter hæc nomina ſunt aliqua tribus perſonis communia, & Filio tantum appropriata; uti lux, virtus, idea &c., aliqua vero ſunt propria, & notionalia, uti Filius, Verbum, imago, character, figura ſubſtantiæ. S. Thomas pariter 1.p. q.15. ar. 1. ad 3. Filii nomina numerat ſequentibus verbis: *Ad exprimendas diverſas Filii Dei perfectiones, diverſa ei attribuuntur nomina: nam, ut oſtendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; ut oſtendatur coæternus, dicitur ſplendor; ut oſtendatur omnino ſimilis, dicitur imago; ut oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum &c.*

Exordium a Verbo ſumimus. Contra Dei Verbum plures Hæretici inſurrexerunt, non ſolum negantes Deum eſſe, ut de Arianis, & de illis, qui Arianos, vel præceſſerunt, vel ſubſequuti ſunt, diximus; verum quoque illud ambagibus, ſomniis, & erroribus, obvolventes, & confundentes. Primo dicitur Valentinus, qui negavit, Dei Filium eſſe Verbum, & a Deo immediate proceſſiſſe; aſſerens, conjugio inenarrabilis tanquam Patris, &

ſilentii

ſilentii tanquam Matris, fuiſſe partam mentem; quæ quidem mens cum unigenito Filio poſtea peperit veritatem; & deinde poſt multa ſecula ex mente ſimul, & veritate, proceſſiſſe Verbum. Refert Irenæus lib. 1. c. 1. Secundo aſſeritur Paulus Samoſatenus, qui dixit, divinum Verbum non eſſe ſubſiſtens, ſed prolatitium, & tranſitorium. Narrat Epiphanius hæreſ. 65. & Athanaſius or. 5. cont. Arianos: *Quidam ex diſcipulis Samoſatenſis dividentes Verbum a Filio*, dicunt, *Filium quidem eſſe Chriſtum, Verbum tamen alium.* Tertio ſcribuntur Alogii a Fraſſen, qui aſſerit, reſpuiſſe Verbi appellationem, eo quod inquiebant, Filium Dei nec ore, nec mente, eſſe pronunciatum; unde omnia ſcripta S.Joannis, in quibus apertiſſimus eſt ſermo de Verbo, rejiciebant; & pro teſte adducit Auguſtinum hæreſ. 30. Nos autem ſatis de Alogiis in ſuperioribus loquuti ſumus. Quarto idem Fraſſen adnumerat Arium, & Eunomium, exiſtimantes, omne Verbum eſſe prolationem vocis; ut narrat S.Athanaſius in lib. de decretis Nicænæ Synodi. Ariani autem quidam dicebant, Verbum ſemper fuiſſe, ſed non ſemper fuiſſe Filium Dei; alii volebant, hominem a Verbo aſſumptum fuiſſe Filium; alii duo diſtinguebant Verba, unum in Deo exiſtens, quod eſt ejus Sapientia, a perſona Patris indiſtincta; aliud a Patris ſubſtantia extraneum; de quo, dicebat Arius, loquutum fuiſſe Joannem, quando ſcripſit: *In principio erat Verbum.* Quinto ponitur Michael Servetus, qui ann. 1540. dixit, Verbum Dei nil aliud eſſe, quam diſpoſitionem, qua placitum eſt ei arcanum voluntatis ſuæ nobis revelare.

Attamen Sancti Patres, explicantes quid Verbi nomine intelligatur, hæc nos docuiſſe, invenimus. Auguſtinus lib. de fide. & ſymbolo c.3. tradit, Filium Dei *Verbum Patris ideo dictum eſſe, quia per ipſum innoteſcit Pater. Sicut ergo verbis noſtris id agimus, quum verum loquimur, ut noſter animus innoteſcat audienti, & quidquid ſecretum in corde gerimus per ſigna hujuſmodi ad alterius cognitionem proferatur: Sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipſam innoteſcit animus ſecretiſſimus Patris, Verbum ejus convenientiſſime nominatur.* Ad quæ cohærenter ſcripſit Richardus a S. Victore lib. 6. de Trinit. c. 12., ſolum Filium eſſe Verbum, non autem Spiritum Sanctum; *quia Verbum naſcitur de corde ſolo, & ipſo propalatur proferentis intentio: Jure igitur ſolius Patris ſola genitura Verbum nominatur, per quod ipſe, qui principalis eſt Sapientia, manifeſtatur.* Idem nihilominus Richardus aliam addit rationem, quare Filius Dei Verbum appelletur; quia ſcilicet dictione producitur; ſupponit enim, idem eſſe Verbum, quod corde concipitur, & quod voce profertur: *Quid enim eſt vox, niſi verbi vehiculum; vel, ſi magis placet, verbi indumentum? Nunquid eſt alius aliquis homo indutus, & alius aliquis cum fuerit exutus? Quod ſi autem haberet aliquis ad locutionem cordis, quemadmodum habet ad locutionem oris, non omnino opus haberet, ut ei exterior locutio fieret.*

Cæterum communius Sancti Patres, & Theologi, docent, Verbi nomen, quod ſecundæ Trinitatis perſonæ tribuitur, intelligi de Verbo interno, ſcilicet de illo Verbo, quod mens interne efformat; non vero de Verbo prolatitio, quod nempe ore profertur exterius. Debet enim intelligi nomen illud de Verbo, quod ſit æternum, & neceſſario productum; hujuſmodi autem non eſt verbum prolatitium, quod dictum eſt in tempore, & libere, tum in creatione rerum, tum in aliis Dei operationibus ad extra. Auguſtinus autem, & ſi qui alii ſunt, qui cum ipſo Verbum de prolatitio explicant, intelligendi ſunt, ut etiam ex Auguſtini verbis innoteſcit, de officio Verbi, non de ejuſdem entitate. Non enim dicunt, quod ſecunda Trinitatis perſona idem ſit cum verbo noſtro ſecundum ſuam entitatem; quia non eſt ſonus eſterior, ſicuti eſt verbum noſtrum; neque dicunt, quod ſit idem cum verbo prolatitio Patris, ſcilicet cum termino extrinſeco, quem Pater produxit in tempore; quia hic terminus exterior eſt creatura. Conferunt igitur tantummodo Verbum Patris, ſive cum verbo noſtro, ſive cum verbo Patris prolatitio, quoad officium; quia ſicut verbum noſtrum exterius verbum interius manifeſtat; & ſicut verbum exterius Patris, ſeu terminus ille, eſt manifeſtatio interioris verbi illius, ſeu cogitationis ejus; ita pariter Filius manifeſtat Dei mentem, & internam illius aperit cogitationem. Unde Origenes t.1. in Joann. f. 166. *Ut enim apud nos ſermo nuntius eſt earum rerum, quæ a mente cernuntur: ſic ille Dei ſermo, qui Patrem agnovit, Patrem agnitum revelat.* Si qui autem Patres afferantur, qui fortaſſis aperte dixerint, Filium, etiam ſumptum ſecundum entitatem, eſſe verbum prolatitium Patris; ad

Digitized by Google

ad eorum explicationem nos ſubdimus, hoc vel ideo dixiſſe, quia verbum prolatitium manifeſtius eſt interno; unde magis multitudinis intelligentiæ hoc loquendi modo ſe aptabant; vel quia pugnantes cum Sabellianis, & Arianis, illo etiam dicendi genere, fortius, & apertius illorum erroribus ſe opponebant.

De convenientia modo loquentes, vel de diſconvenientia Verbi divini cum verbo creato, quod ſcilicet creatæ cognitionis eſt terminus; tria proferimus, in quibus conveniunt, & tria alia, in quibus diſcrepant. Primum, in quo conveniunt, eſt, quod utrumque verbum eſt ſpirituale, quia eſt mentis fœtus permanens, & non tranſitorius: unde ſcribit Auctor libri de cognitione veræ vitæ, qui ſub Auguſtini nomine latet: *Summus Pater Verbum ſuum, ſeipſum cogitando, genuit, quod in Patris, & Spiritus Sancti eſſentia ſimul coeſſentiale ſubſiſtit*. Secundum eſt, quod utrumque eſt immanens intra ipſum dicentem. Verbum divinum exit a Patre, ſed nunquam extra ejus ſinum exit. Unde Chryſologus: *Proceſſit a Patre, ſed a Patre penitus non abſceſſit*. Et Tertullianus lib. cont. Praxeam: *Protulit Deus ſermonem, quemadmodum radix fruticem, fons fluvium, & ſol radium..... Nec tamen frutex a radice, nec flumen a fonte, nec radius a ſole diſcernitur; nam, ut ait Joannes; Verbum erat apud Deum*. Tertium eſt, quod utrunque repræſentat, & exprimit objectum, ad cujus intuitum formatur; unde utrunque eſt expreſſa objecti imago, utrunque eſt terminus actualis intellectionis. Hinc Anſelmus docet in monologio c.31. *Quamcunque enim rem mens, ſeu per corporis imaginationem, ſeu per rationem, cupit veraciter cogitare, ejus utique ſimilitudinem, quantum valet, in ipſa ſua cogitatione conatur exprimere*. Primum, in quo differunt, eſt, quod verbum creatum non eſt perpetuum, divinum autem perpetuum eſt; unde Auguſtinus lib. 15. de Trin. c.16. inquit, quod ideo non dicitur cogitatio, *ne aliquid eſſe quaſi volubile credatur in Deo, quod nunc accipiat, nunc recipiat formam, ut Verbum ſit, eamque poſſit amittere*. Secundum eſt, quod creatum verbum non eſt unum ſolum in quolibet creato intellectu, ſed multa ſunt; quia unum non eſt par rebus omnibus exprimendis, aut efficiendis: At Verbum divinum per ſe ſatis eſt ad omnia, & ideo ſingulare eſt, & unum. Tertium eſt, quod Verbum creatum non eſt, quid per ſe ſubſiſtens; at divinum per ſe ſubſiſtit, & per ſe hypoſtaſim habet. Si alia ſunt diverſitatum capita, ad hæc dicta referuntur. His prænotatis

Dicimus, nomen Verbi ſecundæ Trinitatis perſonæ proprium eſſe, eique proprie convenire, ſive proprie ſumatur ut opponitur metaphorico, ſive accipiatur ut diſtinguitur a communi, & eſſentiali.

I. probatur ex Scripturis. Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum . . . Et Verbum caro factum eſt*. Joan. ep. 1. c. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus de Verbo vitæ, hoc annuntiamus vobis &c.*, & c.5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Apocalip.19. *Et vocatur nomen ejus Verbum*. Quæ omnia ſunt ex novo teſtamento teſtimonia; ex veteri autem ſunt quæ ſequuntur. Sapient.9. *Qui feciſti omnia Verbo tuo*. Eccle. 1. *Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelſis*. Pſal.44. *Eructavit cor meum Verbum bonum*. Pſal. 55. *In Deo laudabo Verbum*. Cæterum hæc, & alia, quæ ex veteri teſtamento deſumi poſſunt, ita non ſunt efficacia, ac illa, quæ ex novo deſumuntur.

II. probatur ex Patribus. Cyrillus lib.7. theſauri c.1. *Ut hoc nomen quaſi proprium Filii elegiſſe videatur, in principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat &c. Vides, quomodo ipſum eſſe Filii ſecundum naturam hoc nomen ſignificat*. Et poſt pauca: *Fruſtra miramur, Evangeliſtam, & quaſi magnum quid proprium tonaſſet, tonitui filium appellamus, niſi Verbum, quaſi proprium, mirabile, & inauditum, pronunciaſſet*. Auguſtinus lib. 7. de Trin. c. 2. *Pater igitur, & Filius ſimul, una eſſentia, & una magnitudo, & una veritas, & una ſapientia; ſed non Pater, & Filius ſimul ambo unum Verbum; quia non ſimul ambo unus Filius: Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad ſeipſum dicitur; ita & Verbum ad eum, cujus eſt Verbum, refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius, quo Verbum, & Verbum, quo Filius*. Poſt quæ concludit: *Quoniam igitur Pater, & Filius ſimul non utique unus Filius, conſequens eſt, ut Pater, & Filius ſimul non ambo unum Verbum*. Loquens poſtmodum de Verbo, cujus ratio eſt propria Filio, & de ſapientia, quæ eſt Filio tantum appropriata, ſubdit: *Et propterea non eo Verbum, quo Sapientia; quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relative ad eum, cujus eſt Verbum; ſicut Filius ad Patrem: Sapientia vero eo, quo eſſen-*

tia;

tia; & ideo quia una eſſentia, una Sapientia. Quoniam vero & Verbum Sapientia eſt, ſed non eo Verbum, quo Sapientia; Verbum enim relative, Sapientia vero eſſentialiter intelligitur, id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac ſi dicatur nata Sapientia, ut ſit Filius, & imago. Athanaſius ſer. 3. con. Arianos circa medium: *Quærendum eſt, cur non tale ſit Dei Verbum, quale noſtrum eſt, cum Deus nequaquam talis ſit, quales nos ſumus*. Anſelmus in Monologio c. 6. *Hoc eſt mirabile in Trinitate, quod cum ſint tres perſonæ, quarum qualibet ſeipſam dicit, & alias, eſt tamen unum ſolum Verbum, ſcilicet ſolius Patris*.

III. probatur Rationibus. I. Nomen Verbi ſignificat modum, quo procedit ſecunda Trinitatis perſona: ergo eſt illius proprium. Conſequentia ſequitur; nomina enim, quæ ſignificant modum, ſunt perſonalia. Antecedens probatur. Verbi nomen ſignificat, ſecundam perſonam procedere per generationem: ergo ſignificat modum, quo procedit ſecunda Trinitatis perſona. Probatur antecedens. Verbi nomen ſignificat, ſecundam perſonam procedere per intellectum: ergo procedere per generationem. Antecedens eſt certum; conſequentia conſtabit ex infra dicendis, quando de Verbi generatione tractabitur. II. Verbum eſt imago rei intellectæ ab intellectu vitaliter elicita, & exemplata ab objecto; ſed hoc totum proprie convenit ſecundæ perſonæ: ergo ſecunda perſona proprie eſt Verbum, non metaphorice. Minor patebit infra; major admittitur. III. Dictio ſolius Patris producit Verbum; ſed Filius a ſolo Patre producitur: ergo ſolus Filius habet nomen Verbi proprie, prout proprie diſtinguitur a communi, & eſſentiali. Probatur major. Dictio ſolius Patris ſupponit fœcunditatem in intellectu divino; ſed Verbum procedit ex fœcunditate divini intellectus: ergo dictio ſolius Patris producit Verbum. Major eſt certa; quia intellectus communicatur Filio a Patre, & Spiritui Sancto a Patre, & Filio, ſine fœcunditate: ergo fœcunditas eſt in intellectu divino, prout eſt in Patre. Minor negari non poteſt; conſequentia ſequitur.

Obſtant I. Joan. 1. ubi Vulgata legit *Verbum*, SS. Patres, & præ cæteris Cyprianus, Hieronymus &c. legunt *Sermonem*, *& Rationem*; ſed ſermo, & ratio non conveniunt proprie ſecundæ Trinitatis perſonæ: ergo nec pariter Verbum. II. Ex S. Irenæo, S. Ambroſio, & S. Athanaſio, Verbi nomen vel convenit Deo, ut Deo, vel omnibus divinis perſonis: ergo non convenit proprie Filio. Probatur antecedens. Irenæus lib. 2. c. 48. inquit: *Deus totus exiſtens mens, & totus exiſtens logos*; hoc eſt Verbum. Ambroſius lib. unic. de Filii divinitate c. 5. *Sive lumen de lumine dicas, ſive Verbum de Verbo, ſive Spiritum de Spiritu, ſive Dominum de Domino; quodcunque de eo dixeris, unius tamen eſſentiæ Patrem, & Filium credas*. S. Athanaſius adv. eos, qui dicunt paſſus eſt Deus &c. *Qui dicit Deum logon, eſſentiam ſimplicem ſignificat*. III. Ex Chryſoſtomo hom. 1. in Joannem Verbum intelligitur in divinis de prolatitio, non de mentali; ait enim: *Præcipuam cauſam, ob quam Joannes Filium appellavit Verbum, fuiſſe, quoniam Patrem nobis annuntiaturus erat: Omnia enim, inquit, quæcunque audivi a Patre, nota feci vobis*. IV. Ex Theophilacto nomen Verbi tantum metaphorice tribuitur Filio; ſcribit nanque ad illud Joan. 1. *Hoc erat in principio apud Deum: Neque ullum aliud proprium nomen quis invenerit dignum Deo; Verbum ipſum ſubſtantialiter, & proprie non eſt nomen Unigeniti; ſed tantum manifeſtat abſque affectione, natum de Patre Filium*. V. Ex S. Baſilio lib. 5. cont. Eunomium, Spiritus Sanctus etiam eſt Verbum: *Dei quidem Verbum Filius eſt; Filii autem Verbum Spiritus*; & probat ex illo ad Hebr. 1. *Portans omnia Verbo Virtutis ſuæ*: Subdens: *Et quoniam Verbum Filii per Deum, inquit idem Apoſtolus Epheſ. 6. Gladium Spiritus, quod eſt Verbum Dei*. VI. Verbum divinum diſtinguitur a Filio; & ratio Verbi diſtinguitur a filiatione: ergo Verbum non dicit quid proprium Filio. Antecedens probabant Samoſatenſes ex Actor. 10. *Verbum miſit Deus Filiis Iſrael pacem annuntians per Chriſtum*.

Reſpondemus ad I. cum Auguſtino lib. 83. qq quæſt 63. *Quod græce λογος dicitur, latine & rationem, & Verbum ſignificat; ſed hoc loco Joan. 1. melius Verbum interpretamur, ut non ſignificetur ſolum ad Patrem reſpectus, ſed ad illa etiam, quæ per Verbum facta ſunt operativa potentia*. Scimus, Eraſmum in annot. ad c. 1. Joannis voluiſſe, potius dicendum ſermonem, quam Verbum; cui adhæſerunt Calvinus, & Beza, aliique Novatores. Sed Catholicorum una eſt aſſertio, poſſe quidem in aliquo legitimo ſenſu dici ſermonem; melius autem, & convenientius dici Verbum, quam ſermonem, vel rationem. Ratio eſt, quia per ſermonem intelligitur ut plurimum Verbum prolatitium, non mentale; & per

& per rationem non importatur vis illa productiva, quæ importatur per Verbum, ut per ipſum fiant, quæcunque ſunt facienda; ut dicebat Auguſtinus.

Ad II. explicatur Irenæus, quando dicit, totum Deum eſſe logon, quod intelligat, Verbum non eſſe partem Dei, ſed eſſe totum Deum. Cæterum Irenæus in eodem loco loquit: *Ex cogitatione, & ſenſu Verbum emitti*; intelligens Verbum mentale, quod emittitur per cogitationem; & externum, ſeu prolatitium, quod a nobis emittitur per ſenſum. Ambroſius non ex ſe ipſo aſſerit, quod Filius ſit Verbum de Verbo; ſed ait, quod ſi quis hoc diceret, non per hoc conſubſtantialitati opponeretur. Athanaſius non negat, ſermone, & Verbo ſignificari perſonam, ſed negat ſignificari duas naturas, ſicut ſignificantur in Chriſto, in una perſona. Ait enim: *Qui vero dicit Chriſtum, is duarum conjunctionem naturarum declarat.*

Ad III. Chryſoſtomus loquutus fuit de Verbo externo, ſeu prolatitio, at non per hoc negavit Verbum internum, ſeu mentale. Cæterum diximus quoque nos, Verbum divinum explicari aliquando per Verbum prolatitium, ſed quoad officium, non vero quoad entitatem; ut Auguſtini etiam verba explicavimus.

Ad IV. Theophilactus loquitur de nomine Dei, aſſerens, nullum a nobis poſſe excogitari nomen, quod ſit proprium, & dignum Deo, & illius vere ſignificativum, & expreſſivum. Unde Chryſoſtomus pariter cit. loc. docebat: *Deum neque dicere, neque intelligere, pro ipſius magnitudine quiſquam poteſt; & cum dici nequeat quænam ſit Dei ſubſtantia, eam nobis ex operibus manifeſtat.*

Ad V. Baſilius nomen Verbi Spiritui Sancto tribuit non proprie, ſed figurate, & metaphorice; & metaphora conſiſtit, quod ſicut Filius mittitur a Patre, ut Patris voluntatem hominibus manifeſtet, ita Spiritus Sanctus ob eundem finem a Filio mittitur.

Ad VI. In allegato Actorum loco Verbum non accipitur pro perſona divina, ſed pro nuntio, quod dicitur extra Deum, & annuntiatur hominibus. Sic aliqui occurrunt. Athanaſius autem or. 5. cont. Arianos dicit, ſignificari divinum Filium, quem Deus Pater miſit in mundum, ut Evangelium pacis in aſſumpta humanitate prædicaret. Quod autem non ſit novum, repeti eandem perſonam in eodem Scripturæ loco, non expreſſo ejus nomine, aut pronomine relativo; probat ex illo 1. ad Cor. 1. *Expectantibus revelationem Jeſu Chriſti, qui & confirmabit vos ſine crimine in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Filii nomen modo explicandum ſumimus. Nomen Filii datur in divinis Scripturis & ſecundæ Trinitatis perſonæ, & creaturis, ſed diverſimode; ſicut diverſimode primæ perſonæ reſpectu ſecundæ, & reſpectu creaturarum, Patris nomen tribuitur primæ. Creaturarum tamen filiatio impropria eſt; at non in omnibus creaturis æqualis. Prout enim magis, vel minus ad perſonæ divinæ filiationem accedit, magis, vel minus de Dei filiatione participat; & magis, vel minus ad perſonæ divinæ filiationem accedit, prout creaturæ magis, vel minus Deo aſſimilantur. Eſtius in 1. diſt. 26. §. 4. varios gradus in creaturis agnoſcit, & ſecundum graduum varietatem, diverſas quoque in illis filiationes agnoſcit. Hanc autem gradationem ex Scriptura colligit modo, quem ſubdimus. Primo, ait, tribui filiationem creaturis etiam irrationalibus, ob participationem divini eſſe, quam per creationem habent; unde dicitur Job. 38. *Quis eſt pluviæ Pater, vel quis genuit ſtillas roris?* Secundo tribui creaturis rationalibus, etiam non exiſtentibus in gratia; & hoc propter ſpecialem Dei imaginem, quam habent, ipſis impreſſam ratione intellectivæ potentiæ, & ſic habetur Iſai. 1. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Tertio tribui fidelibus ratione ſpecialis cultus, quem Deo offerunt ut Patri; unde in dominica oratione dicimus: *Pater noſter, qui es in cælis.* Quarto tribui Juſtis, ratione participationis divinæ naturæ per gratiam, & ſimilitudinis cum Deo propter vitæ ſanctitatem, & mentis rectitudinem; unde Joan. 3. habetur: *Charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.* Quinto tribui Prædeſtinatis, ratione conformitatis ipſorum cum Prædeſtinatorum capite Chriſto; ſecundum illud Joan. 13. *Ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Sexto tribui Beatis, ratione ſpecialis ſimilitudinis, quam propter viſionem cum Deo habent; ut dicitur Sapient. 5. *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei;* & Lucæ 20. *Filii ſunt Dei, cum ſint filii reſurrectionis.*

Ad hæc cohærenter triplicem diſtinguit Cacheranus Paternitatis, & Filiationis, ſeriem. Una eſt, quam dicit divinarum

perſo-

perſonarum inter se; altera, quam vocat creaturarum inter se; ultima, quam nominat inter divinas perſonas, & creaturas. Ex his aſſerit, quod prima, & ſecunda retinent rationem propriam paternitatis, & filiationis; prima tamen eſt ſuperior, & longe perfectior; ſecunda vero inferior, imperfecta, & a prima dependens. Tertia demum eſt omnino impropria, & metaphorica. Igitur, concludit ipſe, filiatio dicitur per prius in divinis ad intra; deinde de una creatura in ordine ad aliam; poſtremo de creaturis in ordine ad Deum. Et ſic etiam paternitas dicitur per prius in divinis ad intra; poſtmodum de una creatura in ordine ad aliam; & ultimo de Deo in ordine ad creaturas.

Dicimus modo, Filii nomen convenire ſecundæ divinæ perſonæ proprie, ſive ſumatur proprie prout non eſt metaphorice, ſive prout non eſt communiter, & eſſentialiter.

I. probatur ex Scripturis. Pſal. 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sapient. 2. 13. *Et Filium Dei ſe nominat*; & n. 18. *Si enim eſt verus Filius Dei.* Daniel. 3. 92. *Species quarti ſimilis Filio Dei.* Matth. 11. 27. *Nemo novit Filium, niſi Pater*; & c. 14. 33. *Vere Filius Dei es.* Lucæ. 3. 22. *Tu es Filius meus dilectus.* Joan. 1. 18. *Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris*; & n. 34. *Quia hic eſt filius Dei.* Ad Rom. 1. 4. *Prædeſtinatus eſt filius Dei*; & c. 8. 3. *Deus filium ſuum mittens.*

II. probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum generale I., & Concilium Conſtantinopolitanum generale I. in Symbolo: *Credo in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum.* Concilium Sardicenſe apud Theodoretum lib. 2. hiſt. c. 8. *Confitemur, unam eſſe Patris, & Filii divinitatem.* Concilium Conſtantinopolitanum generale VI. act. 1. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum Patre, & Spiritu Sancto divinam, & omnipotentiſſimam naturam communem habet.* Si unus eſt Pater, alter neceſſario eſt Filius; dicunt enim inter se infallibilem relationem. Concilium Bracarenſe 1. 3. *Si quis dicit Filium Dei dominum noſtrum, antequam ex Virgine naſceretur, non fuiſſe, ſicut Paulus Samoſatenus, & Photinus, & Priſcillianus, dixerunt, anathema ſit.* Concilium Toletanum V. c. 1. *Filius a Patre intemporaliter, ante omnem creaturam, ſine initio genitus, non creatus. Nam nec Pater unquam ſine Filio, nec Filius extitit ſine Patre. Sed tamen Filius Deus de Patre Deo, non Pater Deus de Filio Deo: ille autem Filius Patris, & Deus de Patre, per omnia coæqualis Patri, Deus verus de Deo vero.*

III. probatur ex Patribus. Athanagoras Apolog. pro Chriſtianis: *Filius Dei eſt Verbum Patris.* Clemens Alexandrinus lib. 1. pædagog. c. 2. *Pædagogus noſter eſt Deo Patri ſuo ſimilis, cujus eſt Filius.* Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 4. de Chriſto: *Credo in Filium Dei, unum, & ſolum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Deum ex Deo genitum &c.* Baſilius homil. de fide: *Filius ex Patre genitus, Verbum vivens, Deus exiſtens.* Tertullianus in apologet. c. 21. *Hunc Sermonem ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ.* Hilarius lib. 2. de Trinit. *Filium mens conſternatur attingere, & trepidat omnis ſermo ſe prodere. Eſt enim progenies ingeniti, unus ex uno, verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, ſapientia ſapientiæ, forma Patris ingeniti.* Hieronymus lib. 6. Comment. in Ezechielem c. 18. *Una Patris, Filiique poteſtas, virtus, atque ſubſtantia.* Auguſtinus in Joann. tract. 36. *Agnoſcis quia Pater, Pater eſt; & Filius, Filius eſt. Bene agnoſcis, ſed noli dicere: Pater major eſt, Filius minor eſt.* S. Leo magnus ſer. 8. c. 1. *Deus Dei Filius de ſempiterno, & ingenito Patre unigenitus.*

IV. probatur Rationibus I. Secundæ Trinitatis perſonæ convenit aliam perſonam tanquam Patrem reſpicere, & ab illa eadem per veram generationem produci: ergo eidem convenit proprie, non metaphorice, nomen Filii. Conſequentia ſequitur; illud enim, & non aliud, Filii nomine intelligitur. Antecedens probabitur, cum de Filii proceſſione diſſeremus, eamque generationem eſſe probabimus. II. Sola ſecunda Trinitatis perſona generatur: ergo ſola illa eſt Filius. Antecedens etiam conſtabit cit. loc., & Conſequentia ſequitur. III. In tribus divinæ Trinitatis perſonis eſt aliqua perſona, quæ eſt Filius, & Filius vocari debet; ſed hæc non eſt prima, neque tertia: ergo ſecunda. Probatur minor. Non prima, quia eſt ingenita; non tertia, quia non eſt genita: ergo ſecunda, quæ eſt genita. IV. Pater eſt ingenitus: ergo non genitus: ergo non convenit illi Filii nomen: Inſuper Spiritus Sanctus eſt ſpiratus: ergo non genitus: ergo neque illi convenit Filii nomen. Atqui ſolus Filius eſt genitus: ergo illi ſoli convenit Filii nomen; & quidem proprie, non tantum

prout

prour proprie opponitur metaphorico, ſed etiam prout diſtinguitur a communi, & eſſentiali.

Opponunt I. Aliquando in Scripturis improprie uſurpatur nomen Filii: ergo etiam ſic uſurpatur, quando in iiſdem ſecundæ Trinitatis perſonæ datur. II. Juſtinus Martir in Expoſitione fidei docet: *Intelligimus Filium a Patre prognatum, ſicut lumen e lumine promicans*; ſed lumen non eſt Filius luminis: ergo neque ſecunda perſona primæ. II. Si Filius erat: ergo non eſt genitus: ergo non eſt Filius: Et ſi natus eſt: ergo non erat: ergo vel non eſt Filius, vel non eſt æternus. III. De Patre ſcriptum eſt: *Te ſolum verum Deum*: ergo ſi Pater eſt ſolus verus Deus, Filius non poteſt eſſe naturalis, ſed adoptivus. IV. In ſacris Scripturis ſolus Pater appellatur Deus, Filius vero dicitur dominus: ergo non habet eandem cum illo naturam, licet maximam ab eo habeat poteſtatem: ergo non eſt Filius naturæ, ſed adoptionis.

Reſpondemus ad I. improprie uſurpari nomen Filii, quando creaturis applicatur in ordine ad Deum; nunquam vero invenietur, quod improprie ſumatur, quando ſecundæ perſonæ divinæ in ordine ad primam tribuitur. Cæterum ineptiſſimus hic eſt arguendi modus: Aliquaudo in Scripturis uſurpantur aliqua nomina impropria: ergo ſemper uſurpantur: Aliquando aliqua vox improprie accipitur: ergo ſemper improprie accipitur. Improprie tantum intelligenda eſt, quando improprie uſurpatur; quando vero proprie ſumitur, eſt proprie etiam explicanda.

Ad II. Juſtinus Martir luminis exemplo clarificat Filii generationem, non autem adeo exponit, ut quæcunque in uno inveniuntur, debeant de altero neceſſario verificari. Non enim paritates omni ex parte currere habent; ſed ſatis eſt, ut ex illa parte currant, ſecundum quam ad exemplificandum ſumuntur. Cæterum liber ille de Expoſitione fidei non eſt genuinus Juſtini fœtus, ſed falſo illi tributus; ut etiam mitiores Critici non abnuunt.

Ad III. reſponder Chryſoſtomus, vel quiſquis alius lateat ſub ejus nomine, in Serm. de ſancta, & conſubſtantiali Trinitate: *Si dixeris mihi, de Patre ſcriptum eſt: Te ſolum verum Deum. Sed eſt & hoc ſcriptum: Et Deus erat ſermo. Et quomodo igitur æqualis Patri? Dicendo enim de Patre, quod ipſe ſit ſolus verus Deus, monſtravit Filium non naturalem, ſed adoptatum Filium. At quid propriæ ſalutis inimice? Num quia ſcriptum, ſicut dicit Joannes de Patre, Deus lux eſt; de Filio autem, erat lux vera; ideo audes propter hac dicere minorem Patrem, eo quod non adjecit, quod ſit lux vera, ſed de Filio ſolo dicit, quod ſit lux vera? Sicut igitur non audes minorem facere Patrem, eo quod non appoſitum eſt, quod ſit vera lux; ita cum audis de Patre: Te ſolum verum Deum: de Filio autem, ſolum quod ſit Deus, ne audeas minorem facere Filium; quoniam nomina diverſo moda nunc illi, nunc huic, adhærent.*

Ad IV. Reſpondet Hieronymus in Comment. ad c. 4. ad Epheſ. *Si, ut exiſtimant Ariani, Deus Pater ſolus eſt Deus; eadem conſequentia, ſolus erit Dominus Jeſus Chriſtus; & nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus. Sed abſit, ut non ſit vel in dominatione deitas, vel in deitate dominatio. Unus eſt Deus, & unus eſt Dominus; quia Patris, & Filii dominatio una eſt Divinitas. Propterea & fides una dicitur, quia ſimiliter in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctū, credimus.*

Advenit nomen Imaginis in Filio explicandum: Er quidem imago deſcribitur a S. Th. 1. par. q. 35. ar. 1. in corp. ex S. Auguſtino lib. 83. qq quæſt. 74., quod ſit aliquid ex alio procedens ſimile ei, quod eſt in ſpecie, vel ſaltem in ſigno ſpeciei. Dividitur in naturalem, intentionalem, & artificialem. Naturalis eſt ſimilitudo phyſice producta a principio naturali, repræſentans id, a quo eſt naturaliter producta. Intentionalis eſt ſimilitudo intentionaliter producta ab objecto, & potentia cognoſcitiva, repræſentans intentionaliter objectum, a quo producta eſt, cognoſcitivæ potentiæ, a qua pariter eſt producta. Artificialis eſt ſimilitudo elaborata ab artifice, repræſentans exemplar, ad cujus imitationem eſt producta. Filius dicitur imago naturalis; Verbum mentis imago intentionalis; imago naturalis eſt quæ fere ab omnibus dicitur imago. His poſitis.

Dicimus, ſecundæ Trinitatis perſonæ convenire nomen imaginis naturalis, & intentionalis, proprie, non metaphorice, non autem imaginis artificialis; & convenire reſpectu ſulius primæ perſonæ, & ratione eſſentiæ ſimul, & perſonalitatis, quanvis principalius ratione eſſentiæ.

I. probatur ex Scripturis. Apoſtolus ad Coloſſenſes 1. ait: *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Ad Hebræos 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ ejus, & figura ſubſtantiæ ejus*. Quod vertit S.

Joan-

Joannes Chryſoſtomus ibidem hom. 3. *Character ſubſtantiæ ejus*. Item in veteri teſtamento Filius dicitur per nomen æquivalens imagini; ſcilicet per faciem; facies enim eſt quaſi imago cordis. Unde Pſal. 138. habetur: *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* Ubi inquit Nyſſenus: *Filii hypoſtaſis quaſi forma, ac facies eſt, qua Pater cognoſcitur*.

II. probatur ex Patribus. Athanaſius epiſt. de decretis Nicænæ Synodi: *Quod ſi eum imaginem nomines, Filium hoc eſſe eo ipſo indicaveris; quid enim eſt ſimile Deo, niſi ſua ipſius progenies?* Nazianzenus or.4. de Theologia: *Brevis, & compendioſa, faciliſque paternæ naturæ declaratio eſt Filius: Omne enim, quod genitum eſt, genitorem ſuum tacita quadam voce definit*. Nyſſenus lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſeos: *Filii hypoſtaſis quaſi forma, ac facies eſt, qua Pater cognoſcitur; & Patris hypoſtaſis in forma Filii cognoſcitur, manente ea, quæ in his conſideratur, proprietate ad diſcretionem perſonarum*. Cyrillus Alexandrinus lib.3.theſauri c. 1. *Propter hoc Filius Verbum, & imago Dei eſt, quia ex ipſo Patre vere, ac proprie genitus eſt*. Baſilius hom. de fide: *Imago ipſiſſima inviſibilis Dei Filius ex Patre genitus*. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Imago inviſibilis Dei, forma Patris ingeniti*.

III. probatur Rationibus. I. Duo requiruntur ad rationem propriæ, & perfectæ imaginis; ſimilitudo ſcilicet, & proceſſio; ſed hæc duo verificantur in Filio in divinis: ergo Filio in divinis convenit proprie imaginis ratio, & nomen. Minor conſtabit infra, quando de Filii generatione diſſeretur; major autem non negatur; & conſequentia bene infertur. II. Imago naturalis idem eſt ac Filius; imago intentionalis idem eſt ac Verbum; ſed ſecunda Trinitatis perſona eſt Filius, & eſt Verbum: ergo eſt imago naturalis, & intentionalis. Præmiſſæ conſtant ex dictis in hac eadem Diſſertatione; conſequentia ſequitur. III. Imago naturalis importat ſimilitudinem in natura: ergo in Filio eſt ratio imaginis per reſpectum ad eſſentiam; & quidem principalius, quia eſſentia ei a Patre communicatur, & principalius communicatur. Unde ſcribit Cyrillus in ep. 10., quæ in Concilio Epheſino approbata fuit: *Propter eandem, quam cum illo habet eſſentiam, & imago, & character, & ſplendor eſt gloriæ ejus* IV. In imagine non tantum eſt ratio ſimilitudinis, quæ reſpicit eſſentiam, ſed etiam ratio proceſſionis, quæ reſpicit perſonam: ergo ratio imaginis in Filio eſt propter eſſentiam, & perſonam.

Arguunt I. Ratio imaginis convenit etiam Spiritui Sancto: ergo non proprie Filio. Probatur antecedens. Ad Rom. 8. dicitur: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*; ſed imago Filii eſt Spiritus Sanctus, quia ab ipſo producitur: ergo &c. II. Idem Apoſtolus I. ad Cor. 15. hæc habet: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.... Igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis*. In quibus verbis per hominem terrenum intelligigitur Adam, per hominem cœleſtem Chriſtus, & per imaginem ejus Spiritus Sanctus. III. Græci Patres non pauci, qui ab Eſtio recenſentur in 1. diſt. 27. §., nomen etiam imaginis Spiritui Sancto tribuunt. IV. Nomen imaginis reſpectu Dei convenit etiam homini; dicitur enim Geneſ. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ergo non convenit proprie Verbo, quum non conveniat ſoli Verbo. V. Imago ſupponit ſimilitudinem; ſed Spiritus Sanctus habet eandem ſimilitudinem in natura cum Patre, & Filio, quam habet Filius cum Patre: ergo pariter Spiritus Sanctus eſt imago. V. Verbum nullam habet ſimilitudinem cum Patre: ergo nequit dici imago Patris. Probatur antecedens. Si haberet ſimilitudinem, vel haberet illam cum perſona, vel cum eſſentia; non cum perſona Patris, quia hæc non ſolum non eſt ſimilis, ſed etiam eſt diverſa: Non cum eſſentia, quia eſt eadem in utroque, & idem non eſt ſimile ſibi; identitas enim ſimilitudinem excludit, non includit.

Reſpondemus ad I. ſenſum illorum verborum eſſe, quod Prædeſtinati ita conformentur Filio Dei, ut fiant veluti imago ipſius; & hoc ab Apoſtolo dici tranſitiva quadam loquutione; ut ait Cacheranus.

Ad II. idem Cacheranus occurrit dicendo, quod Apoſtolus hortatur Corinthios ad vitam inſtituendam ea quidem morum probitate, qua dici poſſint, ſe vitam hominis cœleſtis imitari; & ſic aliqualiter exprimant hominis cœleſtis, ſeu Chriſti Domini, imaginem.

Ad III. dicitur ab eodem Cacherano, quod Græci Patres minus accurate loquuti fuerint de ratione imaginis in divinis ad intra; & quod imaginis nomen latius uſurpaverint ad ſignificandum omne id, quod procedit ſimile, etiam ſi non procedat

formaliter tale, & ex vi propriæ proceſſionis, ut ad rationem propriæ imaginis requiritur. Quod autem illos movit, ad imaginis nomen Spiritui Sancto tribuendum, fuit, ut hoc nomine proceſſionem Spiritus Sancti a Filio, & ejuſdem conſubſtantialitatem cum Patre, & Filio, adſtruerunt.

Ad IV. Homo dicitur improprie, non proprie, imago Dei; quia imago proprie ſumpta dicit ſimilitudinem ſecundum ſpeciem; improprie vero accepta dicit ſimilitudinem ſecundum aliquam tantum perfectionem. Deus, & Homo non ſunt ejuſdem naturæ; adeoque homo non eſt imago Dei ſecundum ſpeciem. Homo ex altera parte eſt intelligens, ſicut Dei natura eſt intelligens; unde habet aliquam perfectionem, quam habet Deus; & in hoc eſt ei ſimilis, ejuſque dicitur imago, ſed improprie. Verbum vero habet eandem naturam cum Patre, non ſolum ſpecie, ſed etiam numero; & per conſequens eſt proprie Patris imago.

Ad V. dicimus, ad rationem imaginis non ſufficere ſimilitudinem duorum in natura, ſed requiri, quod talis ſimilitudo ſit vi proceſſionis. In Spiritu Sancto reſpectu Patris, & Filii eſt ſimilitudo in natura, ſed non eſt vi proceſſionis; adeoque proprie non eſt imago nec Patris, nec Filii. In Verbo autem reſpectu Patris eſt ſimilitudo in natura, & eſt vi proceſſionis; ac proinde dicitur imago Patris. Quod perbelle explicat Auguſtinus lib. 83. qq. q. 74. *Si gemini inter ſe ſimiles ſint, ſimimilitudo dici poteſt alterius cujuslibet in altero, non imago; & ovum alteri ovo quammaxime ſimile eſt, nec imago tamen ejus eſt, quia de illo expreſſum non eſt.*

Ad VI. diſtinguunt propoſitionem illam, quæ ab argumento ſupponitur: Ubi eſt identitas in natura, non eſt ſimilitudo in natura; ſi eadem quoque ſit perſona, conceditur; ſi non ſit eadem perſona, negatur. Ratio eſt, quia, ut dicunt, ad ſimilitudinem duo requiruntur, unum, in quo conveniant ea, quæ ſunt ſimilia; alterum, in quo diſconveniant. Non eſt autem neceſſe, ut id, in quo conveniunt, ſeu forma, in qua ſimilitudo formatur, ſit diſtincta; ſed ſatis eſt, ut ſint diſtincta ſubjecta, in quibus reperitur forma illa. Et propter hanc rationem perſona Filii, quæ realiter diſtinguitur a perſona Patris, eſt perfecte ſimilis Patri in eſſentia; eo quia forma, ſeu eſſentia, in qua fundatur ſimilitudo, eſt in utraque perſona eadem omnino. Sic Jueninus, quod ulterius quoque confirmat.

Remanet tandem, ut de aliis nominibus agamus; ſcilicet de Sapientia, ſpecie, ſigillo, charactere; quibus pariter ſecunda Trinitatis perſona nominatur. Et quidem de Sapientia loquentes, ſupponimus, in divinis eſſe diſcrimen inter eſſentialia, propria, & appropriata. Eſſentialia ſunt communia tribus perſonis; ut natura divina, bonitas, ſanctitas, immenſitas &c. Propria ſunt proprietates relativæ, quibus unaquæque perſona conſtituitur, & ab alia diſtinguitur. Appropriata ſunt quidem prædicata eſſentialia, & abſoluta, & tribus perſonis communia; ſed quæ tamen uni potius perſonæ, quam alteri accommodantur, propter quandam ſingularem rationem, & affinitatem, quæ potius reſpectu noſtrum eſt, ſeu concipitur, in una perſona, quam in alia. Et hoc pacto Patri, vel quia principium eſt cæterarum perſonarum, vel quia illum Hæretici aliqui, a Fraſſen memorati, ob ſenectutem impotentem dicebant, Omnipotentia tributa fuit. Filio autem, quia per intellectum, cujus proprium eſt noſcere, intelligere, ſapere, procedit, Sapientia fuit accomodata. Spiritui Sancto demum, quia procedit per voluntatem, quæ ſedes eſt amoris, bonitatis, ac ſanctitatis, amor, bonitas, & ſanctitas, appropriantur.

Hujuſmodi autem appropriationes non ſolum apud Patres, ſed etiam in Scripturis leguntur; ut inde poſſimus affirmare, non inconſulto fuiſſe factas, & irrationabiliter non admitti. S. Leo ſer. 2. de Pentec. c. 2. inquit: *Ut per proprietatem vocis, aut operis, inſinuetur nobis veritas Trinitatis, & non dividat intellectus, quod diſtinguit auditus. Nunquam enim intelligitur Trinitas, ſi ſemper inſeparabiliter diceretur.* Appropriatio autem a S. Thoma dicitur: *Via ſimilitudinis, & diſſimilitudinis*; ab Alberto: *Acceſſus, & receſſus*; ab Henrico: *Correſpondentia ſecundum ſimilitudinem*; ab Alenſe autem eam fieri docetur, *ut inſtruatur veritas, & occurratur errori*.

Dicimus, Sapientiam tribui Filio, non autem tribui proprie, ſed appropriate; non tribui vero Patri ea ratione, qua tribuitur Filio. Tres habet partes Concluſio.

1. probatur pro prima parte. Prov. 8. Divina Sapientia dicit: *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram .... Ante omnes colles ego parturiebar.* Eccleſiaſt. 24. *Ego ex*

ore

ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Si igitur Sapientia dicitur genita, & genitus inter perſonas divinas eſt ſolus Filius, vere Sapientia tribuitur Filio. Unde S. Baſilius lib. 4. cont. Eunomium: *Si eſt Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia, hae autem increata, & coaeterna ſunt Deo (non enim fuit aliquando ſapientia, aut virtutis expers) increatus, & coaeternus eſt Deo Chriſtus*. Ambroſius lib. de Symbolo c. 11. *Numquid potuit eſſe tempus, quando Pater ſine vita, ſine ſapientia, ſine virtute, ſine Verbo, quod Chriſtus eſt, fuerit?* Auguſtinus lib. 7. de Trinit. c. 1. *Impium eſt dicere, Deum non eſſe Patrem Sapientia ſua.*

II. pars probatur; tum quia Sapientia eſt aliquid abſolutum; unde non poteſt convenire proprie, hoc eſt per excluſionem, uni perſonæ, & non aliis; tum etiam, quia quando abſolute ſapientia dicitur, intelligitur communis toti Trinitati; quando vero dicitur de Filio, cum aliquo addito dicitur: ergo ſignum eſt, quod non eſt propria, ſed appropriata Filio. Unde Auguſtinus lib. 7. de Trinit. c. 2. *Quia in illa ſimplicitate non eſt aliud ſapere, quam eſſe, eadem ibi ſapientia eſt, quæ eſſentia.* Poſt quæ addit: *Pater igitur, & Filius ſimul una eſſentia, & una magnitudo, & una veritas, & una ſapientia; ſed non Pater, & Filius ſimul ambo unum Verbum, quia non ſimul ambo unus Filius*. Addit inſuper: *Propterea non eo Verbum, quo Sapientia, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relative ad eum, cujus eſt Verbum, ſicut Filius ad Patrem. Sapientia vero, quo eſſentia; & ideo quia una eſſentia, una ſapientia.* Huc uſque loquutus eſt Auguſtinus de ſapientia eſſentiali, quæ eſt communis tribus perſonis, & non eſt propria, nec appropriata Filio. Modo loquitur de ſapientia Filio appropriata: *Quoniam vero & Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum, quo ſapientia; Verbum enim relative, ſapientia vero eſſentialiter intelligitur: Id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac ſi dicatur nata Sapientia, ut ſit Filius, & imago. Et hac duo cum dicuntur, ideſt nata Sapientia in uno eorum eo quod nata eſt, & Verbum, & imago, & Filius intelligitur, & in his omnibus nominibus non intelligatur eſſentia, quia relative dicuntur.*

III. pars probatur. Sapientia, quæ appropriatur Filio, eſt ſapientia genita; ſed hac ſapientia genita non poteſt dici ſapiens Pater: ergo Patri ſapientia non tribuitur ea ratione, qua tribuitur Filio. Unde docet Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 7. *Si enim ſolus ſibi Filius intelligit, ut intelligentia ſit & ſibi, & Patri, & Spiritui Sancto, ad illam reditur abſurditatem, ut Pater non ſit ſapiens de ſeipſo, ſed de Filio, nec Sapientia Sapientiam genuerit, ſed ea ſapientia Pater dicatur ſapiens eſſe, quam genuit.... Et ſi hoc eſt Deo eſſe, quod ſapere, & ea illi eſſentia eſt, qua ſapientia, non Filius a Patre, quod verum eſt, ſed a Filio potius habet Pater eſſentiam; quod abſurdiſſimum, atque falſiſſimum, eſt.*

Reliqua modo nomina explicantur. Species dicitur ſecunda Trinitatis perſona. Habemus ex Joan. 5. ubi Chriſtus ait: *Pater teſtimonium perhibet de me, neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis, & Verbum ejus non habetis in vobis manens, quia quem miſit ille, huic vos non creditis.* Ad quæ verba Athanaſius or. 4. cont. Arianos ſcribit: *Pulcre ſic Verbum conjunxit formæ, ut palam faceret, ſe eſſe Verbum Dei, & imaginem, & characterem, & ſpeciem ſui Patris.* Danielis etiam 3. habemus: *Species quarti erat ſimilis Filio Dei.* Unde Athanaſius ſer. cont. omnes hæreſes concludit, Arianos *deteriores eſſe Nabuchodonoſore, quia Filium Deo neque ſimilem, neque conſubſtantialem, eſſe volunt.*

Nomina Sigilli, & Characteris colligunt ex verbis Joann. 6. *Hunc Pater ſignavit Deus*, Quæ a Baſilio lib. unic. de Spiritu Sancto c. 6. ſic exponuntur; *Chriſtus ſplendor gloria, hunc Pater ſignavit Deus, ſeque totum in eo expreſſit*. Ambroſius quoque in procœmio lib. 2. de fide: *Imago, & ſplendor, & character, dicitur Dei Filius, quia hac incomprehenſibilem, & inveſtigabilem paterna divinitatem majeſtatis in Filio, & expreſſam ſimilitudinem revelarunt*. Chryſoſtomus hom. 3. in ep. ad Hebr. *Character ſubſtantia ejus*. Et Nazianzenus or. 4. de Theologia; docet, Filium vocari *Characterem ut purum Patris ſigillum, minimeque mendax*.

DISSERTATIO CXXIII.

De Proceſſione Verbi ; & ex quorum cognitione procedit.

Filius, ait P. Magnanus Philoſ. ſac. de Deo Trino c. 10. prop. 13. ſecundum quod eſt intentionalis imago Patris, eſt etiam ejuſdem Verbum; *quatenus*, ut ſubdit, *eſt ejus, ut dicentis dictio; idem enim ſunt dictio, per modum formæ dicendi ſumpta, & Verbum*. Et quidem ſolius Patris eſt dictio, & ſolius Patris eſt Verbum, ſi principium ejus originis inſpiciatur; non ſic autem, ſi inſpiciantur objecta, quatenus dici poteſt etiam horum Verbum, tanquam dictorum, ſeu Verbo a dicente expreſſorum. Et hinc emergit celebris controverſia, quæ agitatur in ſcholis ſub his terminis: Ex quorum cognitione procedit Verbum? ſeu, quod idem eſt; quænam ſint ea, quæ Verbo Patris exprimuntur, & dicuntur? Horum enim omnium quodammodo eſt Verbum; *quatenus*, ut Magnanus dicit, *ea Pater omnia ſimul uno Verbo dicit, quæ cognoſcendo, atque dicendo, generat Filium*. Et hoc eſt, quod in hac Diſſertatione ſuſcipimus diſputandum.

Præſupponere tamen oportet primo, Verbum divinum dupliei modo dici poſſe, quod ex alicujus objecti cognitione procedat; vel formaliter, & per ſe, vel materialiter, & concomitanter. Primo modo eſt, quando cognitio, ipſiuſque objectum connectitur, & identificatur cum productione Verbi formaliter, ſeu ingreditur formalem rationem illius productionis, & reſpicit Verbum tanquam terminum formaliter, & reduplicative a ſe productum. Secundo modo eſt, quando cognitio, & ipſius objectum, ſe habent materialiter, & concomitanter, ad Verbi productionem, reſpiciens ſcilicet Verbum non titulo productionis, ſed alio titulo, puta infinitatis, & per hunc cum Verbi productione conjungitur. Secundo præſuppunere debemus, Verbum divinum dupliei etiam modo ſumi poſſe. Primo modo adæquate, & ut omnino tale, quale de facto eſt: Altero modo formaliſſime, & ſecundum puram, ac præciſiſſimam rationem Verbi. Secundum primum modum Verbum accipitur, prout dicit rationem repræſentativam omnium, quæ ſunt in Deo neceſſario; ſecundum vero alterum modum intelligitur Verbum, quod ſit perſona divina procedens per intellectum, tanquam imago intentionalis rei intellectæ. Hinc Verbum divinum ſumptum primo modo procedit ex cognitione cujuſcunque cognoſcibilis; difficultas igitur tantum eſt de Verbo divino altero modo accepto; & in hoc Theologi de ſchola inter ſe acerrime digladiantur.

Scimus, Theologos quoſdam inter hos duos modos ponere tertium, in quo totum difficultatis cardinem conſtituunt. Concedunt enim per primum modum, Verbum procedere ex cognitione omnium cognoſcibilium, ut diximus. Concedunt pariter per ſecundum modum, Verbum procedere ex cognitione ſolius eſſentiæ. Tertius autem modus hic eſt, quod Verbum divinum non accipiatur ſic late, ut ſumitur primo modo, nec ſic ſtricte, ut accipitur ſecundo; ſed intelligatur ut tale, quale de facto eſt, & comparetur ad objectum, ex cujus cognitione formaliter procedit. Et in hoc tertio modo dicit Cacheranus maxime controverti, an Verbum divinum procedat ex cognitione ſolius eſſentiæ; an etiam attributorum, & perſonarum; an pariter poſſibilium; an denique futurorum? Verum nos cum P. Magnano diſcurrentes

Dicimus I. Verbum divinum non procedere per ſcientiam, quæ aliquid includat contingentiæ, ſeu per ſcientiam liberam; quod idem eſt ac dicere, per cognitionem futurorum.

I. probatur. Filius procedit per cognitionem neceſſariam: ergo non procedit per ſcientiam liberam. Explicatur antecedens, & probatur. Filius ut procedens, tantam habet neceſſitatem, quantam habet Pater in producendo; & Pater tantam habet neceſſitatem in producendo, quantam habet divina eſſentia ſub ratione intellectus, hoc eſt naturæ, in fundando eam productionem; ſed divina eſſentia, & Pater, maximam habent neceſſitatem, ut nemo negare poteſt: ergo & Filius: ergo Filius procedit per cognitionem neceſſariam. Conſequentia primi enthimematis pariter probatur, & explicatur. Scientia

libera,

libera, & contingens, prout eſt de objecto contingente, qua talis eſt, non eſt neceſſaria; ergo ſi Verbum per ſcientiam neceſſariam procedit, non poteſt per ſcientiam liberam procedere.

II. probatur ab eodem P. Magnano. Completa, & veluti exercita Filii proceſſio eſt ante quodcunque objectum contingens: ergo eſt ante, & præter ſcientiam, vel independenter a ſcientia, quæ eſt de objecto contingente, ut talis eſt. Probatur antecedens. Objectum contingens prout tale, poteſt abſolute non eſſe; poteſt etiam ſcientia, prout de eo eſt, abſolute non eſſe; & tamen non per hoc non procederet Filius ex vi antecedentis abſolutæ neceſſitatis, qua eſſentia divina fundat in ratione naturæ, & Pater exercet ejus productionem: ergo completa, & veluti exercita Filii proceſſio eſt ante quodcunque objectum contingens; & per conſequens independenter a ſcientia, quæ eſt de objecto contingente, ut talis eſt. Dicimus ut talis eſt, quia ſi acciperetur ſecundum entitatem actus, non eſſet in terminis præſentis quæſtionis, & aliter dicendum eſſet; ut Magnanus monet. Et hinc habetur, Verbum non procedere per ſcientiam viſionis, quæ eſt futurorum; quia eſt contingens, quatenus eſt futurorum; neque per ſcientiam mediam, ut talem; quia hæc recedit a ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & accedit ad ſcientiam viſionis; quatenus quanvis ſit de poſſibilibus, eſt tamen plus quam de mere poſſibilibus, quia eſt de adepturis exiſtentiam ſub conditione.

Opponunt I. Poſt S. Auguſtinum aſſerit S. Thomas 1.p.q.34. ar.3. quod Verbum dicit reſpectum ad creaturas, quarum eſt factivum; atqui Pater non plura Verba, ſed unicum Verbum, producit, quatenus ſe, & omnia unico actu intelligit: ergo per idem Verbum Pater intelligit ſe ipſum, & creaturas; quatenus unicum Verbum ejus eſt expreſſivum non ſolum Patris, ſed etiam creaturarum. II. Cognitio, per quam Verbum producitur, eſt comprehenſio; ſed non eſſet comprehenſio, niſi extenderetur ad omne ſcibile: ergo extenditur ad omne ſcibile; ſed intra omne ſcibile comprehenduntur etiam futura: ergo cognitio, per quam producitur Verbum, extenditur etiam ad futura. III. Per illam ſcientiam producitur Verbum, quæ eſt in ipſo Verbo, & eſt in eo vi proceſſionis; ſed ſcientia tum viſionis, tum media, ſunt in Verbo, & ſunt vi proceſſionis: ergo per has ſcientias producitur Verbum. Probatur minor. Scientia viſionis, & media, ſunt communes tribus perſonis: ergo ſunt in Verbo, & ſunt vi proceſſionis.

Reſpondemus ad I. Verbum procedere per cognitionem creaturarum, non quatenus libera eſt, ſed quatenus eſt neceſſaria; & ſecundum hanc importat reſpectum ad creaturas. Et quod hæc ſit mens S. Thomæ, P. Magnanus probat ex ipſiuſmet S. Doctoris verbis. Dicit enim Angelicus; Verbum importare reſpectum ad creaturas, non quas facit, vel quas faciet, ſed quarum eſt factivum; per factivum intelligitur quid neceſſarium, per facit, vel faciet, quid contingens: Unde S. Thomas intelligendus eſt de cognitione creaturarum, non ut libera eſt, ſed ut eſt neceſſaria. Ulterius, concedimus, Verbum eſſe expreſſivum creaturarum poſſibilium, & futurarum, tum abſolute, tum conditionate; at negamus, eſſe expreſſivum formaliter vi proceſſionis, ſed ſolum concomitanter, conſequenter, materialiter &c., quatenus ſcilicet ſcientia neceſſaria, per quam ſolam formaliter Verbum procedit, extenditur in ſigno rationis poſteriori ad contingentia, & ideo fit contingens.

Ad II. pariter cum P. Magnano dicimus, Verbum procedere per cognitionem comprehenſivam eorum, per quorum cognitionem procedit; non vero per quorum cognitionem non procedit. Non autem oportet, ut cognitio illa, per quam procedit, ſit comprehenſio omnium, ſed ſufficit, ut ſit comprehenſio neceſſariorum. Addit etiam, quod cognitio illa neceſſariorum comprehenſiva tranſit ſecundo ſigno rationis in comprehenſivam quoque liberorum; quatenus primo ſigno eſt quidem identice comprehenſiva liberorum, ſed non formaliter.

Ad III. cum eodem dicimus, quod ambæ illæ ſcientiæ ſunt in Verbo vi proceſſionis, at non formaliter, ſed conſequenter tantum; & hoc ideo, quia ſcientia neceſſaria, quæ præſupponitur proceſſioni Verbi, tranſit in liberam ſecundo ſigno rationis, ex ſola connotatione objecti contingenter futuri, ſive ſit futurum actu abſolute, ſive ſub conditione.

Dicimus II. Verbum divinum procedere per omnem cognitionem divinam neceſſariam; ſcilicet eſſentiæ Dei, Perſonarum trium divinarum, & creaturarum poſſibilium.

I. pro-

I. probatur a P. Magnano ex S. Thoma: Etenim S. Doctor 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. docet, Verbum procedere per cognitionem perſonarum, & poſſibilium; a fortiori autem, vel ſaltem a pari, procedit per cognitionem eſſentiæ. Ulterius, ar. 13. in corp. docet, Verbum notionaliter ſumptum eſſe expreſſivum omnium, quæ Deus cognoſcit; ſed per ipſumet S. Doctorem cognoſcit ſuam eſſentiam, perſonas, & poſſibilia: ergo ex S. Thoma procedit per cognitionem eſſentiæ, perſonarum, & poſſibilium.

II. probatur. Perfectius, atque nobilius eſt, aliquod procedere per cognitionem ſumptam ſecundum ſe totam, & in ſua latitudine, quam per eandem diminutam; ſed Verbo tribuendum eſt, quod eſt perfectius, & nobilius: ergo potius dicendum eſt, Verbum procedere per cognitionem ſumptam in ſua tota latitudine, quam per eandem diminutam; ſed cognitio ſumpta in tota ſua latitudine includit cognitionem eſſentiæ, perſonarum, & poſſibilium: ergo per hanc cognitionem Verbum procedit. Major probatur. Perfectius eſt eſſe aliquod expreſſivum plurium, quam paucorum; ſed eſt expreſſivum plurium, quando procedit per cognitionem ſumptam ſecundum ſe totam, & in tota ſua latitudine; paucorum vero, quando procedit per eandem cognitionem diminutam: ergo perfectius, atque nobilius &c. Vel alio modo eadem major probatur. Perfectius eſt, Verbum eſſe expreſſivum plurium formaliter vi proceſſionis, & in primo rationis ſigno, quam ſolum conſequenter, & in ſecundo ſigno; quod quidem importat cognitionem comprehenſivam, non contingentem, quam paulo ante excluſimus, ſed neceſſariam, quæ divinæ cognitioni deneganda omnino non eſt: Hoc autem importat cognitio ſumpta ſecundum ſe totam, & in ſua latitudine, & non diminuta: ergo hæc proceſſioni Verbi concedenda eſt.

III. Pater æternus ſigno illo, quo Verbum producit, cognoſcit expreſſe, & ſuo Verbo dicit, omne cognoſcibile: ergo productio Verbi eſt cognitio, ſeu dictio, omnis cognoſcibilis, & quidem formaliter, & intrinſece. Probatur antecedens. Signo illo non præſcindit Pater ab aliquo cognoſcibili: ergo cognoſcit expreſſe omne cognoſcibile. Conſequentia prima ſequitur; quia dicere Patris eſt producere Verbum: ergo ſi Pater primo ſigno cognoſcit omne cognoſcibile, productio Verbi eſt cognitio, ſeu dictio, omnis cognoſcibilis. Subſumimus modo; atqui non poteſt intelligi de cognoſcibile contingente, quod præcedit Verbi productio, ut diximus: ergo intelligitur de omni cognoſcibile neceſſario.

Obſtant I. Verbum procederet adhuc, ſi nulla eſſent poſſibilia: ergo Verbum per cognitionem poſſibilium non procedit. Antecedens eſt certum; quia Verbum divinum, utpote magis neceſſarium, etiam procederet, ſi nulla eſſent poſſibilia; & abſurdum quidem eſſet, dicere, Verbum non eſſe in Trinitate, ſi nulla creatura eſſet poſſibilis. Conſequentia ſequitur; non enim procedit Verbum per cognitionem eorum, quæ non ſunt, & tamen Verbum etiam procedit. II. Procederet etiam Verbum, ſi Spiritus Sanctus non eſſet poſſibilis, & conſequenter a Patre non cognoſceretur ut talis: ergo Verbum non procedit per cognitionem Spiritus Sancti. Antecedens eſt clarum; quia Verbum eſt prius origine Spiritu Sancto: ergo procederet etiam Verbum, ſi Spiritus Sanctus non eſſet poſſibilis. III. Ex noſtra Concluſione ſequeretur, Verbum procedere a ſe ipſo, & a Spiritu Sancto, & a creaturis, ſaltem in eſſe cognito; hoc non eſt dicendum: ergo neque illud. Probatur ſequela. Verbum procedit per cognitionem ſui, Spiritus Sancti, & creaturarum poſſibilium; ſed hoc idem eſt, ac Verbum procedere a ſe ipſo, & a Spiritu Sancto, & a creaturis: ergo &c. IV. Si Verbum procederet per cognitionem ſui ipſius, ſecundum noſtrum modum intelligendi eſſet prius ſe ipſo: hoc dici non poteſt: ergo &c. Probatur ſequela. Id, per quod quis procedit, prius eſt termino proceſſionis: ergo ſi Verbum procederet &c. Probatur minor prioris argumenti. Nec Verbum, nec aliud quodvis ens, poteſt eſſe ſe ipſo prius.

Reſpondemus ad I. cum P. Magnano, neceſſitatem poſſibilium eſſe non tantum æqualem neceſſitati proceſſionis Filii, & neceſſitati exiſtentiæ Dei, ſed eſſe omnino eandem neceſſitatem poſſibilium, & eſſentiæ divinæ, acceptæ hinc in ratione exemplaris, inde in ratione omnipotentiæ. Sicut ergo ne Filius Dei ſit in Trinitate, non eſt periculum, quod eſſentia divina non ſit poſſibilis, ita nec eſt periculum, quod creaturæ non ſint poſſibiles.

Ad II. Si non eſſet poſſibilis Spiritus Sanctus, neque eſſet poſſibilis Filius. Ratio

eſt;

eſt; quia Filius debet habere naturam divinam intellectualem integram, & perfectam, non vero dimidiatam, & imperfectam. Natura divina intellectualis integra complectitur intellectum, & voluntatem; ſine voluntate eſſet dimidiata. Sine voluntate eſſet, ſi non eſſet poſſibilis Spiritus Sanctus; ſic autem non poſſet eſſe in Filio: ergo non eſſet Filius: ergo ſi non eſſet poſſibilis Spiritus Sanctus, neque eſſet poſſibilis Filius. Addit P. Magnanus, in hypotheſi impoſſibili de Spiritu Sancto ab Adverſariis facta, eſſet etiam impoſſibilis Pater, eſſet quoque impoſſibilis divina eſſentia. Poſito nanque uno impoſſibili, cætera impoſſibilia ſequuntur, quæ cum illo inſeparabiliter ſunt connexa: Unde non procederet Verbum, ſi Spiritus Sanctus non eſſet poſſibilis. Denique, Verbum eſt prius origine Spiritu Sancto, ſed non prius cognitione, quam Pater de Spiritu Sancto babet; quia, ut docet P. Magnanus, *nec Spiritus latuit Patrem in eo ſigno, quo Pater ſe ipſum, ac ſuam eſſentiam dicebat Verbo, quod ita dicendo produxit.*

Ad III. reſpondet primo Magnanus cum retortione: Filius procedit per cognitionem eſſentiæ divinæ: ergo procedit ab eſſentia divina; ſed ab eſſentia non procedit; ergo neque per cognitionem eſſentiæ. Sophiſma autem Adverſariorum eſt in hoc, quod ſumunt cognitionem pro objecto; vel ſub obtentu ſumendi cognitionem pro objecto in eſſe cognito, ſumunt pro objecto in eſſe reali, ac ſecundum ſe conſiderato. His verbis ſecundo ad argumentum reſpondet Magnanus.

Ad IV. dicimus, Verbum non procedere per cognitionem ipſiuſmet Verbi actu producti; & in hoc ſenſu procedit propoſitum argumentum. Attamen ſi Verbum accipiatur objective, tunc dicitur, ipſum produci per ipſam cognitionem Verbi.

Quia tamen controvertitur etiam hic inter Scholaſticos; An Verbum divinum procedat per cognitionem paternam, quæ ſit intuitiva, nec ne? Et quidem pariter in hoc ambagibus tot, tantiſque obvolvitur quæſtio, quot ſunt Theologi, qui de ea loquuntur oppoſita; nos ab eadem cum P. Magnano ſic breviter expedimus.

Dicimus III. Cognitionem paternam, qua Filius procedit, dici poſſe, & eſſe, reſpectu diverſorum, intuitivam, & non intuitivam.

Concluſionem ſic explicat, & probat, P. Magnanus. Cognitio intuitiva eſt objecti ſecundum propriam exiſtentiam viſi in ſe ipſo. Hoc tripliciter fieri poteſt, adeoque tribus modis eſſe poteſt intuitiva cognitio. Primo videtur objectum in ſe ipſo ſecundum exiſtentiam ita quidem, ut primo videatur ipſa exiſtentia, non ſolum futura, vel præterita, ſed etiam præſens; ſeu videatur objectum de præſenti exiſtens, coram ſecundum ſe poſitum, ſive expoſitum cognitioni ſui, per ejuſdem ſui realem cum illa coexiſtentiam, & præſentiam durationis; ut ipſamet ſua verba ſonant. Et hoc modo dicit, eſſe viſivam cognitionem ſenſitivam noſtram. Secundo modo, ut ipſemet ſcribit, ut videatur, velut anticipato exiſtentia nondum poſita, ſive ſit ponenda tempore ſuo, ſive non. Et hoc pacto eſſet, ſi nunc Deus exponeret oculo ſpeciem impreſſam propriam roſæ ſequentis anni; videretur roſa nunc intuitive, ſeu ſecundum propriam exiſtentiam, licet non eſſet ſecundum ſe viſioni coexiſtens. Tertio modo, ut videatur eadem roſa, initio non coexiſtens realiter ſecundum ſe viſioni ſui, ſed tandem coextitura mox eidem ſubinde continuandæ. Poſt quæ verba, ſic ad propoſitum deſcendit.

Certum eſt, viſionem paternam eſſe primo modo intuitivum, ſecundum quod eſt eſſentiæ, ac trium perſonarum. Ratio eſt, quia nullum eſt reale inſtans durationis, in quo ea cognitio antecedat exiſtentiam alicujus perſonæ. Et hoc ideo, quia in divinis non reperitur prioritas, neque etiam pro uno inſtanti, ſecundum realem durationem, ſed tantum ſecundum originem, aut ſecundum rationem cum fundamento in re. Manifeſtum quoque eſſe, ait, cognitionem paternam non eſſe intuitivam poſſibilium primo modo, ſed tantum ſecundo; ut patet. Manifeſtum denique dicit, cognitionem futurorum, quæ repræſentat conſequenter, ut diximus, non eſſe intuitivam primo, aut ſecundo modo, ſed tantum tertio.

DIS-

DISSERTATIO CXXIV.

De Proceſſione Filii, quod ſit Generatio, non ſic autem Proceſſio Spiritus Sancti; contra Hæreticos: Et quare dicatur Generatio, non ſic vero illa Spiritus Sancti; inter Scholaſticos.

GENERATIONIS nomine non intelligimus hic illam, quæ, latiſſime ſumpta, importat productionem omnem, quæ non ſit creatio; nec pariter illam, quæ, late accepta, dicit omnem mutationem; quæ non ſit alteratio, nec augmentatio. Hæ nanque generationes ſic explicatæ involvunt, & dependentiam a ſubjecto, quæ cum divina perfectione nequit ſtare, & mutationem, quæ cum divina actualitate, ſimplicitate, & immutabilitate, cohærere non poteſt. Intelligimus ergo illam, quæ ſtrictiſſime intellecta, accipitur pro ſpeciali generatione viventium; & quæ communiter definitur; quod ſit origo viventis a vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ. Hæc quidem generatio nullam in ſe importat imperfectionem; unde in Deo admitti ſine injuria poteſt. Antequam autem controverſiam hanc celebrem, non minus inter Theologos, quam inter Patres, pertractemus, neceſſarium ducimus dogma fidei ſtabilire, quo docemur, Proceſſionem Verbi eſſe generationem, non vero proceſſionem Spiritus Sancti.

Contra hoc fidei dogma deſipuerunt Hæretici illi, quos ſupra enumeravimus, & impugnavimus, de Filii, & Spiritus Sancti, divinitate pertractantes, & præcipue pro Filii perſona contra Tranſilvanos modernos, qui dicunt, Chriſtum eſse verum Filium Dei ſecundum humanitatem tantum, ſecundum quam operatione divina, & de Spiritu Sancto, conceptus fuit. Ut refert Bellarminus t. 1. Controv. 2. lib. 1. c. 6. Item pro Spiritu Sancto contra Macedonianos, alioſque, qui impoſſibile putant, Spiritum Sanctum eſse Deum, procedentem a Patre, & Filio, & non eſse genitum, ſicuti genitus eſt Filius; ac proinde negantes Spiritum Sanctum eſse Deum, ne cogantur admittere illum eſse Filium.

Dicimus ergo: Proceſſionem Verbi eſſe generationem proprie, & ſtrictiſſime ſumptam, non vero proceſſionem Spiritus Sancti.

I. probatur ex Scripturis. Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quaſi Unigeniti a Patre.* Nec difficultatem ingerit verbum illum *quaſi*; quia, ut optime obſervat P. Magnanus in Philoſophia sacra c. 20. de Trinit. prop. 12. verbum hoc *quaſi* non minuit vim illius, quæ eſt *Unigeniti*, ſed potius auget; quum ſenſus illius ſit: Vidimus gloriam ejus talem, qualem decet eſse Unigeniti. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Et Joan. 1. *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Ex veteri etiam teſtamento. Pſal. 2. *Ego hodie genui te.* Pſal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Iſal. ult. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam?* Hæc fere eadem Scripturæ teſtimonia, præcipue ex novo teſtamento deſumpta, probant Spiritum Sanctum non eſse genitum. Si enim ibidem dicitur unigenitus: ergo ſolus Filius eſt genitus: ergo Spiritus Sanctus non eſt genitus.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum generale I. in Symbolo expreſſe profitetur, Filium eſſe genitum, non factum, Spiritum Sanctum vero procedentem. Hoc idem habet Concilium Toletanum I., & Concilium Toletanum XI. Docet pariter Concilium Conſtantinopolitanum generale I., & Epheſinum generale I. Præter Symbolum, & varias fidei Confeſſiones, quæ in præfatis Conciliis editæ ſunt, in Nicæno I., paulo poſt medium, hæc legimus: *Unus ingenitus Deus, & Pater, unus ex eo genitus Filius, Deus, Verbum: Sicut non eſt alter Deus cum Deo, & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, nec poſterior, Filius diverſus a Deo unigenito Filio ejus.* Pariter in Epheſino I. c. 4. legimus: *Filius Dei nuncupatus eſt primogenitus, & unigenitus; primogenitus com-*

para-

Digitized by Google

paratione ad filios adoptionis , & unigenitus per excluſionem alterius Filii naturalis . Et in Toletano XI. *Nec enim de nihilo , neque de aliqua ſubſtantia, ſed de Patris utero, ideſt de ſubſtantia ejus , idem Filius genitus , vel natus eſſe , credendus eſt.* Et in Toletano II. in confeſſione fidei : *Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus dicitur,nec genitus creditur ; ne ſi aut ingenitum dixerimus , duos Patres dicamus ; aut ſi genitum , duos Filios prædicare demonſtremur .*

III. Probatur ex Patribus . Baſilius lib. 3. cont. Eunomium : *Spiritus Sanctus nec ingenitus , nec genitus , quia unus Unigenitus.* Nazianzenus or.5.de Theologia: *Nec Spiritus eſt Filius , quia ex Deo eſt , unus enim Unigenitus .* Athanaſius dial. 3. de Trinit. *Dicitur Unigenitus , quoniam ſolus ex eſſentia genitus eſt ... Nec enim ſcriptum eſt: Spiritus ex me genitus eſt , ſed ex me procedit .* Et ante hos Juſtinus martir apolog. 2. *Sic proprie etiam præter communem nativitatem genitum ipſum ex Deo Verbum Dei dicimus .* Dionyſius Alexandrinus in ep. adv. Paulum Samoſatenum : *Deus enim manifeſtatus eſt in carne , factus ex muliere ; qui ex Deo Patre genitus eſt ex utero ante Luciferum , velut e corde Verbum ex Patre editum.* Alexander , Epiſcopus Alexandrinus , in ep. ad Alexandrum , Cunſtantinopolitanum Epiſcopum ; *Quid illud; Ex utero ante Luciferum genui te ; nonne palam oſtendit naturalem partus paterni filietatem ?* Fulgentius lib. reſponſionum ad objectiones Arianorum reſp.9.loquens de illo Pſalmi; *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te ;* hæc ſcribit : *Multum fallitur , qui hujus Scripturæ locum divinæ nativitati non credit convenire.* Auguſtinus ſer.3. in Epiph. *Spiritus Sanctus nec ingenitus , nec genitus , alicubi dicitur; ne ſi ingenitus diceretur , ſicut Pater, duo Patres in ſancta Trinitate intelligerentur ; aut ſi genitus diceretur , ſicut Filius , duo itidem Filii in eadem æſtimarentur eſſe ſancta Trinitate .* Idem lib. 1. cont. Maximinum ; *De Patre eſt Filius , de Patre eſt Spiritus ; ſed ille genitus, iſte autem Spiritus utriuſque, quoniam de utroque procedit .*

IV. Probatur Rationibus. I.Si non ſola Proceſſio Verbi eſſet generatio , ſed etiam eſſet generatio proceſſio Spiritus Sancti , ſequeretur , proceſſionem Verbi non eſſe in ſua linea infinitam , nec fœcunditatem Patris explere; & per conſequens Verbum non eſſe infinitum in ſua linea , nec eſſe Patri æquale ; ſed hæc omnia ſunt abſurda : ergo abſurdum eſt illud , ex quo poſito ſequuntur . Sequela patet , quia deficeret proceſſioni Verbi in linea generationis , quod in eadem linea haberet proceſſio Spiritus Sancti ; & Patris fœcunditas , quum per alium filium expleretur , per primum dicendum eſſet , quod non expleatur . Unde Verbum non eſſet in ſua linea infinitum, nec Patri æquale . Minor conſtat ; conſequentia non negatur. II.Si ſecunda Trinitatis perſona non eſſet ſola genita , & eſſet genita etiam tertia , non ſolum duæ perſonæ genitæ darentur in divinis , ſed infinitæ; hoc non eſt dicendum : ergo nec illud . Probatur ſequela . Ex quo non poſſunt admitti plures Dii , quin admittantur infiniti Dii ; non poſſunt dari plures ingeniti , quin dentur infiniti geniti ; ex illo etiam non poſſunt in divinis poni plures filii, quin admittantur infinitæ perſonæ genitæ , infiniti filii . III. Si præter Filium Spiritus Sanctus etiam eſſet genitus , ſequeretur unam , & eandem proceſſionem eſſe Verbi, & Spiritus Sancti : ergo male poneretur una per intellectum , altera per voluntatem ; una alterâ origine prior ; ſic etiam Verbum non eſſet ſecunda perſona , nec Spiritus Sanctus tertia , ordine rei numeratæ , ſed tantum ordine numeri , & arbitrio numerantis. Quæ omnia ſunt omnino neganda, omnino damnanda . IV. Proceſſioni Verbi convenit , quod ſit origo viventis a vivente ; quia Pater eſt vivens , vivens eſt Verbum ; convenit , quod ſit a principio conjuncto ; quia Verbum non habet aliquam partem ſui principii , uti eſt in viventibus creatis, ſed habet totam ſui principii ſubſtantiam;convenit denique,quod ſit in ſimilitudinem naturæ ; tum quia eſt per intellectum , qui ex ſua virtute aſſimilat ; tum etiam quia habet eandem naturam , nedum ſpecie , ſed numero quoque , cum ſuo principio : ergo Proceſſio Verbi eſt vera generatio. V. Secunda Trinitatis perſona , ſeu Verbum , dicitur Filius; tertia vero perſona, ſeu Spiritus Sanctus , non dicitur Filius : ergo proceſſio illius , non hujus , eſt generatio . Probatur conſequentia . Terminus generationis eſt tantum Filius : ergo ſi ſecunda tantum dicitur Filius , hujus tantum proceſſio eſt generatio .

Arguunt I. In generatione debet eſſe ſimilitudo naturæ, non identitas , ut ex ejus definitione patet ; ſed inter primam , & ſecundam Trinitatis perſonam , non eſt ſimilitudo naturæ, ſed identitas : ergo non eſt generatio. II. De conceptu generatio-

nis eſt mutatio; generatio enim in communi, prout a creatione diſtinguitur, definitur, quod ſit mutatio; & prout etiam diſtinguitur ab alteratione, & augmentatione, definitur quoque, quod ſit mutatio: ergo etiam generatio ſtrictiſſime ſumpta debet de ſuo genere, quod eſt generatio in communi, importare mutationem; hæc autem omnimode Deo repugnat: ergo, &c. III. Generatio in creatis partim perficitur virtute activa, partim virtute paſſiva; unde in ea datur & eſſe acceptum a principio, & eſſe receptum a ſubjecto; hæc autem in Divinis non verificantur, ut patet; immo nec verificari poſſunt: ergo non datur in divinis generatio. IV. In Scripturis nomen Unigeniti non excludit alterum, qui ſit genitus: ergo non per hoc, quod Filius dicatur unigenitus in Scripturis, Spiritus Sanctus non erit etiam genitus. Probatur antecedens. Proverb. 4. Salomon dicitur unigenitus; & tamen alios habebat fratres, qui ex eodem Patre Davide geniti fuerant. V. Ad Coloſſ. 1., & ad Hebræos 1. Chriſtus dicitur Primogenitus Patris; Chriſtus autem eſt idem ac Verbum: ergo dicitur etiam Verbum primogenitum reſpectu Spiritus Sancti, qui eſt ſecundogenitus. VI. Hæretici, teſte Nazianzeno, or. 5. de Theologia, ſic contra Catholicos arguebant: Spiritus Sanctus vel procedit a ſolo Patre, & ſic erit filius Patris, & frater Filii: Vel procedit a ſolo Filio; & ſic erit filius Filii, & nepos Patris: Vel procedit ab utroque; & ſic uterque erit illius Parens: Quum autem uterque nequeat eſſe illius genitor, dicendum eſt, quod unus illius eſt mater, alter vero Pater. VII. Macedoniani, & Eunomiani, ſic pariter inſaniebant: Quicquid in divinis eſt, aut eſt genitum, aut eſt ingenitum; ſed Spiritus Sanctus non eſt ingenitus, quia ingenitus eſt ſolus Pater: ergo eſt genitus. VIII. Sicut voluntas non generat, ita nec generat intellectus: ergo ſi Spiritus Sanctus non eſt genitus, nec genitum erit Verbum. Probatur antecedens. Angeli, & homines, habent intellectum, & voluntatem, & non generant.

Reſpondemus ad I. quod verbum illud *in ſimilitudinem naturæ*, in definitione generationis poſitum, non debet præciſe intelligi poſitive; ſed ſufficit, quod intelligatur tum negative, tum eminenter. Natura enim, quæ eſt eadem numero, eſt negative maxime ſimilis, quia maxime a diſſimilitudine recedit, quum omnem diſſimilitudinem neget. Eſt etiam maxime ſimilis eminenter, quia maxime accedit ad illam formæ unitatem, quæ a generante in genito, maxime intenta eſt. Hæc autem ſufficiunt ad ſalvandam rationem ſimilitudinis in generatione divini Verbi.

Ad II. Generatio in communi vel comprehendit ſolas generationes, quæ fiunt in creatis; & ſic illi conveniunt definitiones, in quibus dicitur, quod ſit mutatio. Vel comprehendit etiam generationem, quæ eſt in divinis; & ſic illi allatæ definitiones non conveniunt. Unde quando dicitur, generatio ut ſic, generatio in communi, generatio abſtracta, præciſa, &c. diſtinguendum eſt, a quibus abſtrahatur, & præſcindatur; & quas ſub ſe contineat ſpecies, a quibus abſtracta dicitur, & præciſa.

Ad III. Generatio in divinis perficitur tantum virtute activa pure; & datur ibi eſſe acceptum a principio, abſque eo quod detur eſſe receptum in ſubjecto. S. Thomas 1. p. q. 27. ar. 2. ad 3. docet: *Quod non omne acceptum eſt receptum in aliquo ſubjecto, alioquin non poſſet dici, quod tota ſubſtantia rei creatæ ſit accepta a Deo, cum totius ſubſtantiæ non ſit aliquod ſubjectum receptivum*. Et quia generatio in divinis virtute tantum activa perficitur, idem S. Doctor lib. 4. cont. Gentes c. 11. in fine, infert rationem, quare Filius in divinis habeat Patrem, & non matrem; cur unicum generationis principium dicatur Pater, & non mater. Aſſerens nimirum, quod mater eſt principium, aut totaliter, aut partialiter, paſſivum. Ut igitur oſtendatur, nullum eſſe in generatione illa principium paſſivum, nulla ibi eſt mater, & qui generat ſolus dicitur Pater.

Ad IV. Aliqui dicunt, quod Salamon ibi dictus eſt unigenitus non ſimpliciter, ſed coram matre ſua; quia mater ſua ipſum ut unigenitum diligebat. Alii vero reſpondent, quod quilibet primogenitus poteſt dici unigenitus, quia ſaltem pro tempore illo, quo natus nondum erat ſecundogenitus, ipſe unigenitus erat. Attamen Filius, & Spiritus Sanctus, & æterni ſunt ambo, & eadem dilectione dilecti, ac diligentes; unde ſi Filius unigenitus dicitur, non ſub his rationibus dicitur, ſed quia vere talis eſt.

Ad V. Quidam dicunt, Chriſtum dici primogenitum ut hominem, & cum comparatione ad creaturas, quæ poſt ipſum ſunt productæ; non autem ut Deum, & cum comparatione ad perſonam aliquam divi-

nam,

ham, quæ ſit ſecundo genita. Alii autem reſpondent, aliquem dici poſſe primogenitum duplici modo, negative ſcilicet, & poſitive. Negative, quatenus non habet alios, qui ſint illo priores natu, immo nec poſteriores; poſitive, quatenus non habet priores, habet tamen poſteriores. Chriſtus dicitur primogenitus primo, non autem ſecundo, modo. Cæterum Concilium Epheſinum l. c.4. hæc docet: *Filius Dei nuncupatus eſt primogenitus, & unigenitus, primogenitus comparatione ad Filios adoptivos, & unigenitus per excluſionem alterius filii naturalis*. Et Auguſtinus lib. de fide, & Symbolo c.4. *Secundum id, quod unigenitus eſt, non habet fratres; ſecundum id autem, quod primogenitus eſt, fratres vocare dignatus eſt omnes, qui poſt ejus primitias in Dei gratia naſcimur per adoptionem Filiorum*.

Ad VI. Spiritus Sanctus procedit ab utroque, ſed a nullo eſt genitus; cur autem non ſit genitus, mox inveſtigabimus. Interim contra hæreticos illos obſervare juvat, quod nullam ipſi proceſſionem in divinis agnoſcebant, quæ non eſſet generatio. Si enim agnoviſſent proceſſionem, quæ non eſſet generatio, non ita inepte contra Catholicos argumentati eſſent, ut vidimus.

Ad VII. eadem eſt reſponſio. Attamen a nonnullis Sanctis Patribus Spiritus Sanctus etiam dicitur ingenitus; ſed ſub hac ratione. Ingenitus duobus modis uſurpatur; & pro eo, quod a nullo principio producitur; & pro eo, quod producitur, ſed non per generationem. Primo modo Pater dicitur ingenitus, qui nullum habet principium; ſecundo modo ab aliquibus Patribus Spiritus Sanctus dicitur ingenitus, quia non eſt ingenitus, quanvis ſit procedens.

Ad VIII. dicimus, intellectum non generare in creatis, generare autem in divinis. In creatis non generat, quia Verbum productum, vel realiter eſt ab intellectu diſtinctum, & eſt accidens peripateticum, & nequit eſſe ſimile naturæ cum ſubſtantia intellectus producentis. Vel non eſt realiter ab intellectu diſtinctum, & eſt ipſamet ſubſtantia intellectus, de qua verificari non poteſt origo viventis a vivente &c. Non ſic autem in divinis, ut patet.

Explicato jam dogmate fidei, atque etiam propugnato, quod Filii proceſſio ſit generatio, non ſic vero proceſſio Spiritus Sancti; deveniamus modo ad celebrem ſcholaſticam controverſiam pertractandam; quæ in eo conſiſtit, ut aſſignetur vera, & germana ratio, quare proceſſio Filii ſit generatio, non ſic autem illa Spiritus Sancti? Negari enim non poteſt, quod inter utramque proceſſionem diſcrimen ſit, & diſcrimen quidem reale, & poſitivum; quia quæſtio, ut ait P. Magnanus, eſt de re ipſa, non de ſolo nomine. At difficultas eſt in aſſignando veram, & quæ in re eſt, diſcriminis rationem. Revelavit quidem Deus eſſe diſcrimen; & ideo dicimus, unam generationem, non eſſe aliam; unam perſonam eſſe genitam, non eſſe alteram: At non revelavit, quale ſit hoc diſcrimen, & quodnam. Quod non revelaverit, habemus ex Patribus, qui ingenue fateri non erubeſcunt, diſcrimen hoc neſcire. Auguſtinus lib. 3. cont. Maximinum c.14. hæc ſcribit: *Quid autem inter naſci, & procedere, interſit, de illa excellentiſſima natura loquens, explicare quis poteſt?* Et poſt pauca: *Diſtinguere inter illam generationem, & hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio*. Et lib.15. de Trinitat. c. 27. *Difficillimum eſt generationem a proceſſione diſtinguere*. Et Damaſcenus lib. 1. de fide orthod. c. 10. monet: *Et quidem generationem, & proceſſionem inter ſe differre, compertum habemus; cæterum quis hujus differentiæ modus ſit, prorſus nos fugit*.

Hujuſce difficultatis, & quidem maximæ, ſignum habemus apertiſſimum in tot, tantiſque Scholaſticorum ſpeculationibus, quibus diſcrimen hoc adinvenire conati ſunt. Et quidem, aliis alios impugnantibus, illis vero hos refellentibus, res obſcurior evaſit, & controverſia celebrior. Attamen ſi fateri omnino debemus, quod hic in via nullam evidentem habere poſſumus rationem diſcriminis illius; concedere pariter oportet, poſſe in via aſſignari, non ſolum congruentias, verum quoque ſufficientes theologicas rationes, quibus diſcrimen illud perquiratur, inveniatur, & adſignetur. Primum tradunt Sancti Patres, ſecundum Theologi docent. Præter loca Auguſtini, nuper adducta, alium habemus in lib. 5. de Trinit. c. 27. *Cum ſit communio quædam conſubſtantialis Patris, & Filii, amborum Spiritus, non amborum, quod abſit, dictus eſt Filius. Sed ad hoc dilucide, perſpicueque cernendum non potes ibi aciem figere, ſcio, quia non potes*. S. Ambroſius lib. 1. de fide c.5. *Mihi impoſſibile eſt generationis iſtius noſſe myſterium; vox ſilet, mens deficit, non tantum mea, ſed*

etiam Angelorum . S.Bernardus ſer.1.Pentecoſt. *Proceſſionem Spiritus Sancti poſuiſſe tenebras latibulum ſuum.* Anaſtaſius Sinaita lib. de rectis fidei dogmatibus: *Non eſt tutum hoc inquirere, quod ſoli Trinitati cognitum eſt* .

De Theologis vero de ſchola, qui ſecundum propugnant, habemus plurimos, ex quorum numero ſunt Lugus, Vaſquez, Herinx, Marchinus, Eſtius, P.Magnanus, P.Lallemandet, aliique communiter, contra Magiſtrum ſententiarum, Gregorium Ariminenſem, Gabrielem, Majorem, aliosque paucos, aſſerentes, nullam aſſignari poſſe ſufficientem rationem, cur proceſſio Verbi ſit generatio, non ſic illa Spiritus Sancti. Adnumerant etiam Scotum his ultimis, qui in 1.diſt.13. q.unic. §.ad quæſtionem, hæc docet. „ Reſpondeo, quod productiones ſe ipſis formaliter diſtinguuntur; generatio enim ſe ipſa formaliter eſt generatio; & ſpiratio ſe ipſa formaliter ſpiratio: Ita quod non oportet quærere, quibus diſtinguuntur; quia tota ratio formalis unius eſt non eadem toti rationi formali alterius. „ Verum ſubtilis Doctor aliter docuit in 1. diſt.10. n.13., & diſt.13. n.20. ſcribens: „ Quod generatio ſumitur uno modo pro generatione ſubſtantiæ, vel alio modo ſpecialiter pro productione vivi ex vivo; & hoc modo dicitur animal generari, & non ignis: Et ibi communiter concurrit ex parte agentis inclinatio naturalis, ſive forma naturalis, quæ eſt principium generandi; & hoc modo ultimo videtur eſſe generatio in divinis? „ Unde dicendum putamus, primo modo Scotum fuiſſe loquutum de ratione evidenti, de qua etiam loquebantur Patres, quæ vera non adeſt, ut per eam diſcrimen hoc agnoſcamus; ſecundo autem loco de congruentia, & probabili conjectura, ſecundum quam Scholaſtici omnes loquuntur. Unde contrarium ſentientes non eſt, cur ſibi blandiantur, vel de Patrum auctoritate, vel de Scoti ſubſidio, ut tutius opinionem ſuam tueantur. Modo ad explicandi modos accedimus.

Primus explicandi modus eſt. Proceſſio Verbi eſt generatio, quia Verbum primo producitur; proceſſio vero Spiritus Sancti non eſt, quia Spiritus Sanctus ſecundo producitur. Auctores opinionis hujuſce ſunt recentiores quidam, qui ſine nomine citantur ab Arriaga 1. p. diſp. 47. ſect. 2. Intendunt ſibi patronos adſciſcere S. Auguſtinum, & S.Thomam; primum, quia lib.15. de Trinit. c.27. docuit, Spiritum Sanctum non naſci, ſed procedere, quia eſt a duobus; ſecundum, quia in 1.diſt.13. q.1. ar. 2. in corp. diſtinxit generationem Verbi a proceſſione Spiritus Sancti, per hoc, quod illa ſit proceſſio unius perſonæ ab una; quod idem eſt ac dicere, proceſſio prima; iſta vero ſit proceſſio unius perſonæ a duabus; quod idem eſt ac dicere, proceſſio ſecunda. Sed falluntur apertiſſime; Auguſtinus enim docens, Spiritum Sanctum non naſci, quia eſt a duobus, non fundat vim ſuæ rationis in hoc, quod proceſſio a duobus ſit ſecunda, ſed in hoc, quod nullus eſt filius duorum, niſi Patris, & Matris; nefas autem eſt ſuſpicari in Deo rationem Patris, & Matris, ut ait Cacheranus. S. Thomas non vult in eo loco aſſignare rationem, cur una proceſſio ſit generatio, & non altera, ſed cur in divinis poni debeant duæ proceſſiones, & non unica. Et hoc probat ex eo, quod una proceſſio ſit a duabus perſonis, & per conſequens non ſolum a perſona, a qua altera procedit, ſed etiam ab ipſa perſona, quæ procedit; ut pariter Cacheranus adnotat. Impugnatur autem hic explicandi modus. Non requiritur ad generationem, quod ſit prima productio: ergo cadit hic explicandi modus. Probatur antecedens. Prima productio vel intelligitur prout diſtinguitur a conſervatione, quæ eſt ſecunda productio; vel prout diſtinguitur a poſteriore productione alterius termini; neutrum facit, quod prima productio tantum ſit generatio: ergo &c. Probatur minor. Non primum; quia conſervatio non eſt ſecunda productio, ſed continuata productio; unde ſi productio fuit generatio, eſt continuata generatio: Neque ſecundum; quia in creatis non tantum prima, ſed etiam ſecunda, tertia, quarta &c. productio eſt generatio. Unde vere generatio præſcindit ab eo, quod ſit prima, vel ſecunda, vel ulterior, productio, quando in omnibus productionibus verificatur, & in ſingulis, quod ſit origo viventis a vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ. Cæterum admittimus, in divinis non dari duas generationes; ſed hæc non eſt ratio, cur ex duabus productionibus una ſit generatio, altera ſit proceſſio.

Secundus explicandi modus. Proceſſio Verbi eſt generatio, quia Verbum procedit in ſimilitudinem naturæ fœcundæ; illa autem Spiritus Sancti non eſt, quia Spiritus

tus Sanctus procedit in ſimilitudinem naturæ infœcundæ. Citantur pro hac opinione Richardus a S. Victore, Alexander Zuniga, Major. Credunt pro ſua ſententia habere S. Baſilium, & Concilium Florentinum. Primum, quia docuit lib. 5. con. Eunomium: *Si Spiritus Sanctus eſſet Filius ex Filio, ex hoc alius Filius utique natus eſſet:* Quibus verbis innuere videtur Baſilius, quod de ratione Filii ſit, quod alterum producat, ſeu quod habeat naturam fœcundam. Secundum, quia ſeſſ. ult. docet: *Credentes Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt, ut intelligant, Spiritum ex ſolo Patre procedere, & conſequenter non eſſe Filium.* Sed immerito de utroque præſidio gloriantur. Baſilius non intendit inferre tertium filio ex eo tantum, quod Spiritus Sanctus eſſet Filius, ſed ex eo, quod eſſet Filius ex Filio, & per hoc eſſent duo Filii; ſcilicet non quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, uti de facto procedit, ſed quod procederet ex Filio, uti Filius a Patre procedit. Quod ad rem noſtram nihil omnino facit. Concilium autem Florentinum, per to *non eſſe Filium*, non negat ſimpliciter perſonam Filii, ſed refertur ad Spiritum Sanctum; & ſenſum reddit, quod Spiritus Sanctus non eſſet Filius, etiam ſi ſecundum Græcos a ſolo Patre procederet. Impugnatur etiam hic modus. Sequeretur enim ex illo, Verbum non eſſe ſimile Patri perfecte in natura, adeoque non eſſe proprie Filium. Et ſic probatur. Ideo Spiritus Sanctus non eſt ſimilis in natura cum Patre, quia non habet vim ſpirandi, quam habet Pater; ſed neque Verbum habet generandi vim, quam habet Pater: ergo neque Verbum eſt perfecte ſimile Patri in natura; & per conſequens non eſt Filius. Ulterius; Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, & Filius non haberet vim ſpirativam ipſius, adhuc Filius eſſet Filius: ergo non eſt Filius præciſe per hoc, quod habet vim ſpirativam.

Tertius explicandi modus. Proceſſio Verbi eſt generatio, quia Verbum procedit ut imago; non ſic autem illa Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus ut imago non procedit. Hæc opinio eſt Vaſquez 1. p. diſp. 113. c. 7., aliorumque poſt ipſum. Verum contra hunc explicandi modum dicitur, quod obſcurum vult per obſcurius clarificare. Quam enim evidentiam præſtat, ut cognoſcamus, Filium procedere ut imaginem, non ſic vero Spiritum Sanctum? Certe uterque procedit ut ſimilis principio producenti: ergo cur potius una perſona erit imago, & non altera?

Quartus explicandi modus. Proceſſio Verbi eſt generatio, quia eſt per intellectum, & intellectio eſt formaliter, ſeu virtualiter natura; non ſic autem proceſſio Spiritus Sancti, quæ eſt per voluntatem. Eſt ſententia Peſantii, Arriagæ, Suarez, Lugi, aliorumque. Impugnatur. Intellectio divina eſt conſtitutivum divinæ naturæ, non vero divinæ eſſentiæ; uti nos ſuo loco diximus, & Adverſarii etiam fatentur: ergo per hoc, quod Verbum procedat per intellectionem, ſequitur tantum, quod procedat formaliter in ſimilitudinem naturæ divinæ, non vero eſſentiæ divinæ; ſed hoc ſecundum ad veram generationem requiritur: ergo inſufficiens eſt modus iſte. Probatur minor. Quod generatur, ex S. Thoma 1. p. q. 27. ar. 2. in corp. debet procedere ſecundum ſimilitudinem in natura ejuſdem ſpeciei; ſed prædicata, quæ conſtituunt naturam ejuſdem ſpeciei ſunt prædicata eſſentialia rei, & quæ pertinent potius ad eſſe, quam ad operari: ergo ad veram generationem non ſufficit ſimilitudo in natura, ſed requiritur ſimilitudo in eſſentia.

Quintus explicandi modus. Proceſſio Verbi eſt generatio, qui Verbum procedit ſimile in proprietate perſonali, non ſic autem Spiritus Sanctus; adeoque generatio non eſt ejus proceſſio. Defendit hanc opinionem De Quiros. Impugnatur. Nec Verbum procedit ſimile in proprietate relativa; nec ſimilitudo in proprietate relativa, aut ſufficit, aut requiritur, ad generationem: ergo modus iſte explicandi ad nihil inſervit. Probatur prima pars antecedentis. Proprietas relativa Verbi non ſolum non eſt ſimilis, ſed eſt oppoſita, proprietati relativæ principii, a quo procedit. Probatur quoad ſecundam. Proprietas relativa ſe habet in divinis ut proprietas perſonalis, & individualis, & numerica; ſed ſimilitudo hujus proprietatis nec ad generationem requiritur, nec ſufficit: ergo &c.

His modis explicandi rejectis, aliquis alius a nobis eligendus eſt, ut diſcrimen, quod quærimus, inveniamus. Antequam autem illum propunamus, cum P. Magnano prænotare oportet. Origo in generationis definitione idem eſt ac productio; & hoc modo ſignificat vim activam in generante, non vero ſolam principii materialis præſuppoſitionem. Sic Eva originem duxit ab Adamo, ſed non fuit ad Adamo genita, quia vere non fuit producta, ſed

tantum

tantum ædificata, formata, fabricata &c. Præterea, verbum illud *conjunctio*, ſignificat, quod genitum manet ex ſubſtantia gignentis; & ideo utriuſque ſit eadem ſubſtantia, quatenus utriuſque eſt eadem conjunctio; & ſi non in totum, ſaltem pro aliqua parte; quia aliquid etiam de ſubſtantia Patris decidit in creatis, & in Filii ſubſtantiam tranſit. Et in hoc, ait Magnanus, ſitam eſſe ſimilitudinem naturæ; quatenus ſcilicet vi præfatæ conjunctionis ſubſtantiæ generans producit ſibi ſimile in natura; ut homo hominem. Inſuper, definitio illa intelligi debet in ſenſu formali; ſcilicet, ut hiſce formalibus verbis explicat Doctor profundiſſimus; ,, Ut ex propria, & formali ratione
,, ejus, quod origine, ſeu productione primario, atque directe communicatur; atque
,, ex propria formaliſſima ratione talis communicationis; aut, ut communiter dicitur, ex vi formalis proceſſionis, ſit inter
,, generantem, & genitum ſimilitudo naturæ; non autem ſit ſolum ex conſequenti
,, ob aliquid productione communicatum, non directe, ac primario, ſed ſolum conſequenter, ſive utcunque comitanter; hoc
,, eſt non ex vi formalis proceſſionis, ſed
,, ſolum ex vi alicujus aliunde connexi cum
,, eo, quod fuit primario, atque directe
,, communicatum. ,,

Hæc autem ſic ab eo accipiuntur, ut duo alia velit eſſe formaliter accipienda. Primum, ut hæc productio viventis a vivente ſit prima naturalis actio in genere vitæ. Secundum, ut quod communicatur ea actione directe ſit primum in genere vitæ, quod eſt in communicante, & quod ſit proprie ejus natura. Si ſunt hæc duo, eſt ſenſus formalis, & productio eſt generatio; ſi non ſunt hæc duo, non eſt ſenſus formalis, & productio non eſt generatio.

His poſitis, pergit Magnanus, & docet; quod quum productio ideo ſit productio, quia eſt formalis ratio tribuendi, vel communicandi eſſe alteri a producente; unum ex his duobus ſequi debet; ſcilicet, ut vel ambæ productiones, quæ in Deo ſunt, indifferenter ex vi ſui ſint rationes formales tribuendi directe, & æque primo totum, & adæquatum eſſe, quod eſt in producente; Vel ut quælibet in particulari productio ſecundum ſuum ſpecialem conceptum ſit ratio tribuendi directe id ſolum formale totius eſſe, quod eſt ſpecialiter formale fundamentum, & radicalis fœcunditas cujuſque. Primum dici non poteſt; ſic enim actiones duæ illæ confunderentur; quum præſtaret ſecunda, quod dediſſet prima; & daret prima, quod datura eſſet ſecunda. Dicendum eſt ergo ſecundum; & cum hoc dicemus pariter, quod quæ eſt actio productiva primaria in genere vitæ, ac primo, & per ſe naturalis producenti, ſit ſimul communicativa directe, atque formaliter ejus, quod in genere vitæ primum eſt producentis, ejuſque natura. Hæc ſe dixiſſe, ait Doctor, quoad generationem proprie dictam ſecundum ſe; venit modo ad divinam explicandam.

In prima perſona, negari non poteſt, quod ſit vis producendi aliam perſonam; & producendi de ſua ſubſtantia. Ulterius, prima perſuna producens eſt vivens, & ſecunda perſona producta pariter eſt vivens. Dicitur enim Joann. 5. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*. Inſuper, conjuncti, immo conjunctiſſimi, ſunt, vivens, & vivens, producens, & productus; quia producens non communicavit ei partem ſubſtantiæ ejus, ut ſit in creatis, ſed totam ſubſtantiam ſuam, quæ indiviſibilis, ſimpliciſſima, & eadem prorſus eſt in utroque; unde inter eos eſt ſimilitudo perfectiſſima ſecundum naturam. Concludit denique, quod hæc omnia ſunt ſecundæ, & tertiæ perſonæ communia; unde ſecundum hæc videri poteſt, quod ambæ ſint genitæ. Attamen aliquid aliud eſt addendum, quod uni ſit ſpeciale, & per quod eſt genita, & alteri non convenit, & ideo una proceſſio ſit generatio, & altera non ſit generatio.

Hoc autem dicit eſſe, quod producentis actio ſit in genere vitæ primaria, & primo-naturalis; & quod id ſit in genere vitæ primum, atque naturam producentis, quod ea actione directe communicatum eſt. Sic modo aptat ad rem, de qua loquimur, hoc alterum, quod explicavit. Naturam Dei explicat per principium motus, & quietis; principium motus agnoſcit in intellectione; unde in intellectione Dei naturam conſtituit. Sic deinde argumentatur. Dictio, ſeu intellectio notionalis non ſolum eſt prima Dei actio vitalis, ſed etiam eſt maxime naturalis, & in genere vitæ primo-naturalis; ſed per hanc actionem producitur ſecunda perſona: ergo ſecunda perſona producitur per actionem, quæ eſt maxime, & primo-naturalis primæ perſonæ ut viventi. Atqui eidem ſecundæ perſonæ per

hanc

hanc actionem primæ communicatur directe, & formaliter intellectus ipſe, ex cujus fœcunditate eſt intellectio: ergo eidem ſecundæ perſonæ ex vi productionis ejus communicatur id, quod in producente vivente eſt internum primo, ac per ſe vitale principium motus, & quietis; ſcilicet natura ejus ut viventis. Iterum ſubſumimus: Sed productio ſecundæ perſonæ, hoc modo explicata, habet conditiones omnes, quas diximus requiri ad verificationem definitionis generationis ſumptæ in ſenſu formali: ergo productio ſecundæ perſonæ vere eſt generatio; ac per conſequens ſecunda perſona eſt vere genita, eſt vere Filius.

Deſcendens poſtmodum ad productionem Spiritus Sancti, hæc ſuperaddit. Productio Spiritus Sancti non eſt actio intellectus, ſed voluntatis: ergo non eſt primaria actio vitalis producentis, neque primo-naturalis illi ut viventi: ergo nec directe communicat id, quod in producente eſt primum in linea vitæ, & proprie ejus natura: ergo ſolum directe communicat id, quod eſt voluntatis, nempe ſolius vitæ ſecundariæ, ex cujus fœcunditate procedit. Sed hæc omnia probant ex dictis, actioni huic non convenire generationis definitionem in ſenſu formali ſumptam: ergo pariter probant, Spiritum Sanctum non eſſe genitum, non eſſe Filium, & producentem eum, ſecundum quod ejus eſt productor, non eſſe Patrem.

Videri poteſt fortaſsis quibuſdam hic P. Magnani explicandi modus ſimilis alicui ex impugnatis; ſed ſi bene perpendantur, quæ Magnanus requirit, & qua ratione accipiat illa, & qua explicet, invenietur, non unum, ſed plura eſſe diſcrimina inter hunc explicandi modum, & quemlibet ex allatis. Interim nos illum non probamus, quia probatum ſupponimus, ſatis eſſe ad explicandum, quod requirimus. Si quæ tamen Adverſarii opponent, præſto erimus, ut ſolvamus; profecto nulla uſque modo allata ſunt, quæ nos ſciamus, quum nulla in editis legerimus.

DISSERTATIO CXXV.

De tertia Trinitatis Perſona, & de Nominibus, quæ eidem, vel a Patribus Eccleſiæ, vel a Theologis de Schola, tribuuntur:

TErtiæ Trinitatis Perſonæ nomina ad tria reducuntur; ſuntque Spiritus Sanctus, Donum, Amor. Hæc eadem ab aliquibus extenduntur ad quatuor; dicendo nimirum, quod unum ſit Spiritus, aliud ſit Sanctus, tertium ſit donum, quartum ſit amor. Unde dicunt, characteres, ſive proprios, ſive appropriatos, hujus tertiæ perſonæ, eſſe Spiritum, ſanctitatem, donum Dei, ac charitatem, ſeu amorem Dei. De his hic agere intendimus, quemadmodum de nominibus, ſeu characteribus, aliarum duarum perſonarum in præcedentibus Diſsertationibus egimus.

Dicimus I. Hæc tria, ſive quatuor, nomina tertiæ Trinitatis perſonæ convenire.

I. probatur ex Scripturis. Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* 1. Joan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Joan. 20. *Inſufflavit in Diſcipulos, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* Joan. 4. *Si ſcires Donum Dei.* Actorum 8. *Exiſtimaſti, Donum Dei pecunia poſſideri poſſe.* Ad Romanos 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Joan. 7. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

II. probatur ex Conciliis. Sexta Synodus Conſtantinopolitana generalis act. 1. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum Patre, & Spiritu Sancto, divinam, & omnipotentiſſimam naturam communem habet.* Concilium Vvormatienſe in Confeſsione fidei: *Spiritum Sanctum, tertiam in Trinitate perſonam, unum, & æqualem cum Deo Patre, & Filio credimus eſſe Deum, unius ſubſtantiæ, unius quoque naturæ.* Concilium Toletanum IV. c. 1. *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unius deitatis, atque ſubſtantiæ confitemur.* Concilium Toletanum VI. c. 1. Cre-

1. *Credimus, & profitemur ſacratiſſimam, & omnipotentiſſimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum ſolum &c.* Concilium Toletanum XI. in confeſsione fidei: *Confitemur, & credimus, ſanctam, & ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter eſſe.* Synodus Alexandrina, celebrata ann. 430. in ep. ad Neſtorium: *Etſi Spiritus in propria perſona ſubſiſtat, eat enuſque in ſeipſo cauſideretur, quatenus Spiritus eſt, & non Filius; nan eſt tamen ab ea alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur; Chriſtus autem veritas eſt; ſed & perinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit.* Concilium Epheſinum probat hanc Epiſtolam, quemadmodum Synodus IV. act. 1. & 5. Synodus V. act. ult. Synodus VI. act. 17. Synodus VII. act. 7. His adjungi poſſunt Concilia Lateranenſe IV. Florentinum, Tridentinum &c.

III. probatur ex Patribus. Ambroſius in Symbolo c. 1. *Licet enim Pater ſit Spiritus, & Filius ſic Spiritus, & Pater ſic ſanctus, & Filius ſic ſanctus; ſola tamen tercia perſona Spiritus Sanctus nominatur.* Hieronymus in c. 4. ad Galat. de Davide, qui pſal. 50. tres divinas perſonas Spiritus nominat, ſcribit: *Principalem Spiritum Patrem appellat, quia Filius ex Patre, & non ex Filio, Spiritum autem rectum, veritatis, atque juſtitiæ Chriſtum Dominum ſignificat, quia Pater omne judicium dedit Filio, ut David ait: Deus judicium tuum Regi da. Parro Spiritum Sanctum aperta nomine vocat.* Chryſoſtomus hom. 3. de Spiritu Sancto: *Dicitur Spiritus; iſta enim eſt prima, & propria appellatio; & ut evidentiorem habeus intelligentiam Spiritus Sancti naturam demonſtrat.* Cyrillus lib. 13. theſauri c. 3. Spiritus Sanctus *ex ipſa Dei ſubſtantia prodit, ſicut & ſpiritus, qui ex humano prodit ore.* Idem lib. 9. c. 44. *Propterea corporaliter Chriſtus ſufflavit; oſtendens hoc ſigno, quod quemadmodum ab ore humano carporaliter humanus ſpiritus procedit, ſic ex divina ſubſtantia, Deitati congruenter, Spiritus, qui ab ea eſt, profunditur.* Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 14. *Exiit non quomodo natus, ſed quomodo datus.* Et c. 15. *Quia ſic procedebat ut donabile, jam donum erat, & antequam eſſet, cui daretur: Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum; nam donum poteſt eſſe & antequam detur; donatum autem, niſi datum fuerit, nullo modo dici poteſt:* Et poſt pauca: *Sempiterne Spiritus donum, temporaliter autem donatur.* Idem lib. 15. de Trinit. c. 18. *Dilectio, qua ex Deo eſt, & Deus eſt, proprie Spiritus Sanctus eſt; per quem diffunditur in cordibus noſtris Dei Charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Et c. 19. *Etſi Charitas, qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonſtrat amborum; quid convenientius, quam ut ille Charitas dicatur proprie, qui Spiritus eſt communis amborum?* Probationes ex rationibus theologicis, objectiones, & reſponſiones ad illas, mox afferemus, de unoquoque de his nominibus ſigillatim pertractantes.

Dicimus II. Nomen Spiritus Sancti convenire tertiæ Trinitatis perſonæ, proprie, tum accipiendo proprie, prout diſtinguitur a metaphorico, tum prout opponitur communi.

I. probatur ex S. Cyrillo, qui ſanctitatem aſſerit tertiæ perſonæ proprie convenire, dialog. 7. de Trinit. *Sanctus eſt Spiritus ipſius, non participatione, neque externa ad Filium habitudine, ſed natura, & veritate. Nam ut ſtupidum, & inſulſum eſt hominem appellari, revera quidem hominem, tamen aliud ab eo quiddam intelligi; ita ſtultum admodum eſt, Spiritum quidem Sanctum nominare Spiritum, & tamen ipſum excludere ab eo, ut natura ſit ſanctus, & abſurde aliam in naturam excludere. Non enim gloria, aut excellentia modum aliquem nomen iſtud illi ſignificabit, quemadmodum hæc Principatus, & Thronus, & Dominatio, quæ iis tribuuntur, quæ ab illo ſunt condita; ſed ſubſtantialem potius qualitatem exprimet, veluti nomen illud Pater Patri, & Filius Filio &c.* Si enim convenit Spiritus Sancti nomen tertiæ perſonæ, uti convenit primæ nomen Patris, & ſecundæ nomen Filii, ut ultima verba declarant, quis negabit, Spiritus Sancti nomen tertiæ perſonæ proprie convenire? Dicit ulterius, non convenire participatione, ſed ſubſtantialiter, non externa habitudine, ſed re vera: ergo proprie.

II. probatur ex S. Auguſtino, qui lib. 10. de Civitate c. 24. Spiritum Sanctum appellat ſanctitatem Patris, & Filii; & deinde appellationis hujuſce rationem lib. 11. pariter de Civitate c. 24. expendens, hæc ſcribit: *Utrum boni Patris, & boni Filii Spiritus Sanctus, quia communis ambobus eſt, recte bonitas dici poſſit amborum, non audeo temerariam præcipitare ſententiam. Verumtamen amborum eum dicere Sanctitatem, facilius auſus fuero, non amborum quaſi qualitatem, ſed ipſam quoque ſubſtantiam,*

Digitized by Google

tiam, & tertiam in Trinitate perſonam. Ad hoc enim me probabilius ducit, quod cum ſit & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus; proprie tamen ipſe vocatur Spiritus Sanctus, tanquam ſanctitas ſubſtantialis, & conſubſtantialis amborum: ergo ſaltem ex his Auguſtini verbis tertia perſona dicitur Spiritus Sanctus proprie, prout proprie a metaphorico diſtinguitur; immo etiam prout communi opponitur, quum dicat, quod vocetur *proprie ipſe Spiritus Sanctus*, cujuſmodi ſupponit non vocari Patrem, & Filium, quanvis dicantur *& Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus*.

III. probatur. Iiſdem Scripturæ locis, quibus prima perſona dicitur Pater, ſecunda Filius, tertia pariter nominatur Spiritus Sanctus; ſed in illis locis nomen Patris,& nomen Filii,conveniunt primæ, & ſecundæ perſonæ proprie, non metaphorice: ergo pariter nomen Spiritus Sanctus in iiſdem locis convenit proprie tertiæ perſonæ, non metaphorice. Major patet ex textibus Scripturarum, quos paulo ante adduximus; in iis enim legitur Joan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium, dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Minor probata in ſuperioribus ſupponitur. Conſequentia ſequitur.

IV. probatur. Si Spiritus Sancti nomen per translationem tertiæ perſonæ in divinis Scripturis tribueretur,vel dicendum eſſet, nobis eſſe liberum ad metaphoras currere, quoties Scripturas interpretamur; vel Scripturas ipſas loquutionibus impropriis paſſim, & ſine neceſſitate, uti; at neutrum eſt dicendum: ergo nec illud, ex quo utrumlibet ſequitur. Probatur ſequela. Nullum enim metaphoræ ſignum deprehendimus in iis Scripturarum locis, in quibus Spiritus Sancti nomen tertiæ perſonæ tribuitur; ſi ergo adhuc licet nomen illud improprie intelligere, quæcunque alia nomina poterimus etiam metaphorice interpretari. Similiter; ſi hic aperiretur aditus dicendi, Scripturas uti loquutionibus impropriis, in hoc nomine, idem de aliis nominibus poſſemus dicere; quod quidem idem eſſet, ac reddere divinum Verbum multis obnoxium illuſionibus; & infinitis ſcatens erroribus.

V. probatur. Nomen Spiritus Sancti dicit nomen Spiritus, & nomen Sancti; ſed hæc duo nomina proprie, non metaphorice, tertiæ perſonæ conveniunt: ergo pariter nomen Spiritus Sancti. Probatur minor. Quælibet perſona divina eſt vere ſancta; Iſaiæ enim 6. ter clamabant *Sanctus* Seraphim illi; cuilibet ex illis nimirum ſanctitatem celebrantes. Spiritus vero ut ſignificat ſpiritualem ſubſtantiam, & immaterialem, naturam divinam, quæ in tribus perſonis eſt eadem, importat, & quidem non metaphorice, ſed vere, & proprie.

VI. probatur. Et quidem volunt aliqui,quod hoc nomen Spiritus Sancti non proprie, prout proprie opponitur communi, ſed appropriate, tertiæ perſonæ conveniat; quanvis limitent dicendo, hoc intelligi ſecundum communiorem, & uſitatiorem ſignificationem acceptum; & deinde ſubdunt; convenientiſſima tamen, & accommodatiſſima appropriatione. Sic Cacheranus defendit. Ex ſuis tamen probationibus eruimus, ſuum explicandi modum ad proprium etiam reduci; unde tota quæſtio fit, ut fit de nomine. Concedimus enim, quod quælibet perſona eſt ſubſtantia ſpiritualis, ut modo diximus; concedimus, quod ſit ſancta; unde ſecundum primævum modum loquendi, poteſt dici, quod hoc nomen ſit appropriatum; at ſecundum uſitatiorem, & communiorem loquendi modum, quem uſurpant Scripturæ, Concilia, Patres, Theologi, totus Catholicus orbis, adeo ſoli tertiæ perſonæ nomen hoc tribuitur, ut per ipſum diſtinguatur ipſa in omnium ore a prima, & ſecunda. Unde aſſertum noſtrum intelligimus de communiori, & uſitatiori nomine, non vero de ſignificato ipſius ex prima ſui inſtitutione; & hoc pacto abſque controverſia probatum ſupponimus. Quod quidem clariſſime patet, quia Spiritus Sancti nomen tribuitur tertiæ perſonæ per oppoſitionem ad alias perſonas, & tribuitur a Scripturis, Conciliis, Patribus, Theologis, a toto mundo: ergo proprie illi convenit, non ſolum prout proprie diſtinguitur a metaphorico, ſed etiam prout opponitur eſſentiali, & communi.

Arguunt I. Prima perſona, & ſecunda perſona, ſunt Spiritus, & quidem Sanctus: ergo hoc nomen non convenit proprie tertiæ perſonæ. II. Nomen Spiritus Sancti non ſignificat relationem: ergo non eſt proprium ſolius tertiæ perſonæ. Conſequentia ſequitur; quia ſi non ſignificat relationem, non eſt nomen relativum; ſi non eſt nomen relativum, eſt nomen abſolu-

ſolutum, ſi abſolutum: ergo non convenit uni perſonæ, ſed tribus.

Reſpondemus ad I. diſtinguendo antecedens cum Juenino; ſi ſumantur voces illæ *Spiritus Sanctus* ſecundum ſenſum grammaticum, conceditur; ſi ſumantur ſecundum ſenſum eccleſiaſticum, negatur. Hinc ſubdit citatus Auctor. ,, Senſu gramma-
,, matico, qui ex duplici hac dictione *Spi-*
,, *ritus Sanctus* petitur, non aliud ſignifica-
,, tur, quam ens immateriale, ac cujuſvis
,, impuritatis expers. Senſu vero eccleſia-
,, ſtico ſignificatur perſona, quæ in divinis
,, ſpiratur, hoc eſt per amorem, tanquam
,, principii ſpiritualis impulſum, produci-
,, tur. Ideo autem tum Scriptura, tum Pa-
,, tres, alium ſenſum eis vocibus *Spiritus*
,, *Sanctus* affinxerunt, quam is, quem illis
,, Grammatici tribuerunt, quod ſicut defe-
,, ctum terminorum productio tertiæ per-
,, ſonæ non exprimitur nomine ſpeciali,
,, ſed generali tantum, productionis nimi-
,, rum vocabulo: Ita tertia perſona defectu
,, termini ſpecialis in Scriptura, & tradi-
,, tione ſignificatur hocce nomine genera-
,, li Spiritus Sanctus. ,,

Ad II. eadem adhibetur diſtinctio, dicendo nimirum, quod nomen hoc non eſt relativum in ſenſu grammatico, eſt tamen relativum in ſenſu eccleſiaſtico. Et de facto dicunt omnes Scholaſtici Theologi, quod Spiratus dicit relationem ad Spiratorem; Spiratus autem eſt Spiritus Sanctus; & Spirator ſunt Prima Perſona, & Secunda; quemadmodum etiam uſurpant ſpirationis activæ, & ſpirationis paſſivæ, nomina. Audiatur Angelicus 1. p. q. 36. ar. 1. *Ad Secundum dicendum, quod licet hoc, quod dico, Spiritus Sanctus, relative non dicatur, tamen pro relativo ponitur, in quantum eſt accommodatum ad ſignificandam perſonam ſola relatione ab aliis diſtinctam.*

Dicimus III. Nomina Doni, & Amoris, convenire etiam proprie tertiæ Trinitatis perſonæ, ſive proprie diſtinguatur a metaphorico, ſive abeſſentiali, & communi.

I. probatur de Dono. Nomine Doni exprimitur modus, quo tertia perſona procedit a prima, & ſecunda: ergo eſt nomen, quod vere, & proprie ipſi convenit. Probatur antecedens. Modus, quo procedit tertia perſona eſt per amorem; ſed hoc nomen *Donum* exprimit proceſſionem per amorem: ergo &c. Probatur minor. Ipſemet amor eſt donum; quia in eo conſiſtit, ut alicui objecto velimus bonum; quod quidem bonum eſt donum, & eſt principium omnium donorum.

II. probatur. Scripturæ, & Patres, ſoli tertiæ perſonæ fere ſemper tribuunt nomen Doni: ergo ſignum eſt, quod hoc nomen ſit ſolius tertiæ perſonæ proprium. Probatur Antecedens. Actorum 2. *Accipietis Donum Spiritus Sancti.* Actorum 8. *Exiſtimaſti Donum Dei.* Joan 4. *Si ſcires Donum Dei.* Ad Epheſ. 4. *Aſcendens in altum &c. dedit dona hominibus.* Unde Auguſtinus lib. 15. de Trin. c. 19. *Spiritus Sanctus ita datur ſicut Dei donum, ut etiam ſeipſum det, ſicut Deus.* Et lib. 4. c. 2. *Sicut natum eſſe eſt Filio a Patre eſſe, ita mitti &c. Et ſicut Spiritui Sancto donum Dei eſſe eſt a Patre procedere &c.* Et lib. 5. c. 15. *Quemadmodum Filius non hoc tantum habet naſcendo, ut Filius ſit, ſed omnino, ut ſit; ſic etiam Spiritus Sanctus, eo quod datur, habet non tantum, ut donum ſit, ſed omnino, ut ſit.* Ibidem quoque: *Exit non quomodo natus, ſed quomodo datus;* ut ſupra etiam citavimus.

III. probatur de Amore. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 17. *Si ergo proprie aliquid horum trium Charitas nuncupanda eſt, quid aptius, quam ut hoc ſit Spiritus Sanctus?* Et quia per amorem procedit tertia perſona, ideo in Scripturis, & Patribus invaluit uſus, ut charitatis nomen, ſive amoris, tertiæ perſonæ tribueretur. Unde idem Auguſtinus cit. loc. *Tamen proprie Spiritus Sanctus Charitas nuncupatur.* Utitur pariter S. Auguſtinus ſimilitudine, quod quemadmodum Legis nomen ſumitur proprie, & ſingulariter pro Decalogo, quanvis univerſaliter aliquando pro integro teſtamento veteri, vel ſaltem pro Pentatheuco, accipiatur; ita pariter licet charitatis nomen toti Trinitati conveniat, ut dicitur, *Deus charitas eſt*; attamen uſus Eccleſiæ eſt, ut ſoli tertiæ Trinitatis perſonæ tribuatur. *Hæc ideo dixi, ne quiſquam propterea nos inconvenienter exiſtimet Charitatem appellare Spiritum Sanctum, quia & Deus Pater, & Deus Filius, poteſt charitas nuncupari. Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine Sapientiæ, cum ſit univerſaliter & Spiritus Sanctus, & Pater ipſe Sapientia: Ita Spiritus Sanctus proprie nuncupatur vocabulo Charitatis, cum ſit univerſaliter Charitas & Pater, & Filius.*

Arguunt I. Nomen Doni tribuitur Filio Iſaiæ 9. *Filius datus eſt nobis*: ergo non eſt nomen, quod proprie tertiæ perſonæ conveniat. II. Tertia perſona non poteſt dici D[illegible]um reſpectu aliarum perſonarum,

rum,

rum, quia illis non datur; neque reſpectu creaturarum; quia, quum creaturæ creatæ fuerint in tempore, in tempore etiam fuiſſet Donum; hoc autem dici non convenit, nec poteſt: ergo &c. III. Spiritus Sanctus datur a Creaturis: ergo non eſt ſemper Donum Dei. Probatur antecedens. Actorum 8. *Per manuum Apoſtolorum impoſitionem dabatur Spiritus Sanctus*: ergo dabatur a Creaturis. IV. Ad Coloſſ. 1. dicitur: *Tranſtulit nos in regnum Filii dilectionis ſuæ*: ergo nomen amoris, ſeu charitatis, eſt proprium Patris. V. Spiritus Sanctus dicitur amor vel proprie, vel appropriate; non proprie, quia amor non eſt nomen ejus proprium, quum proprium, ut diximus, ſit Spiritus Sanctus; neque appropriate, quia amor eſt proprium Dei, nequit proinde appropriari uni perſonæ, quando omnes tres perſonæ æqualiter ſunt Deus.

Reſpondemus ad I. quod Filio convenit dari improprie, non proprie; quia ſicut ille proprie generatur, quod ſuæ proceſſionis vi procedit in ſimilitudinem naturæ, & ille non generatur, qui procedit in ſimilitudinem naturæ, ſed non ſuæ proceſſionis vi: Ita pariter id proprie datur, quod datur vi ſuæ proceſſionis; & id improprie datur, quod datur quidem, ſed non datur vi proceſſionis ſuæ; & ita eſt Filius.

Ad II. Spiritus Sanctus eſt Donum reſpectu aliarum perſonarum, tanquam principium, a quo datur; eſt Donum reſpectu creaturarum, tanquam ſubjectum, cui communicatur. Ad illud, quod dicitur, quod eſſet donum in tempore, reſpondemus, quod in tempore eſſet donum in actu, donum autem in potentia eſt ab æterno. Ita Auguſtinus, cujus verba retulimus ſupra: *Quia ſic procedebat ut donabile, jam donum erat, & antequam eſſet, cui daretur; aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum; nam donum poteſt eſſe, & antequam detur, donatum autem, niſi datum fuerit, nullo modo dici poteſt*. Et poſt pauca: *Sempiterne Spiritus Donum, temporaliter autem donatur.*

Ad III. Spiritus Sanctus datur quatuor modis; & ab eo, qui præparat, ſeu ſacramenta miniſtrat; & ab eo, qui annuntiat monita ſalutis; & ab eo, qui impetrat, ſive per bona opera, ſive per orationem; & ab eo, qui producit. Sive boni, ſive mali, conferunt primo, & ſecundo modo; ſoli boni conferunt tertio modo; quarto autem confert ſolus Deus, quia a ſolo Patre, & Filio producitur, & Creaturis donatur. Ita reſpondet Seraphicus Doctor, S. Bonaventura in 1. diſt. 14. ar. 2. q. 2.

Ad IV. Secundum textum hebraicum Filius dilectionis idem eſt ac Filius dilectus; ſicut filius perditionis idem eſt ac filius perditus: Unde verba illa intelligenda ſunt; *tranſtulit nos in regnum filii ſui dilecti.* Et quamvis Eccleſia in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis canat: *Charitas Pater eſt, Gratia Filius, Communicatio Spiritus Sanctus*; quæ verba videntur ſumpta ex 11. ad Corinth. 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Charitas Dei, & Communicatio S. Spiritus*: Attamen clare patet, quod Apoſtolus loquatur de charitate creata, quam ipſe Corinthiis a Deo precabatur. Eccleſia vero loquitur per accommodationem; & rationem accommodandi Patri potius charitatem, deſumptam Theologi volunt ex iſto Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*.

Ad V. dicimus, poſſe Spiritum Sanctum nominari amorem tum proprie, tum appropriate. Appropriate quidem, quia procedit per amorem, cujus eſt amare; proprie etiam, quia eſt terminus per amorem ſpiratus, ſeu amor productus; & effective quoque; nam *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.* Unde Bernardus ep. 107. *O geminum ipſum firmiſſimum erga nos amoris argumentum! Chriſtus moritur; meretur amari: Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit, cur ametur; iſte, ut ametur: Ille multum dilectionis in nobis commendat; iſte dat: In illo cernimus, quod amemus; ab iſto ſumimus, unde amemus. Charitas ergo ab illo occaſio; ex iſto affectio.* Et S. Petrus Diamiani in Opuſc. 1. c. 2. ſcribit: *Et hæc ſumma illa Charitas, qua genitus a gignente diligitur, ſuumque diligit genitorem; ideoque non amplius, quam tria ſunt, & eſſentialiter indiviſa, & tripartita proprietate diſtincta: Unus diligens illum, qui de illo eſt; unus diligens eum, a quo eſt; & ipſa dilectio, de qua dicitur, quia Deus Charitas eſt.*

Remanet tandem, ut dicamus aliqua pauca de aliis nominibus, quibus Spiritus Sanctus, vel a Scripturis, vel a Patribus, vel ab Eccleſia, appellatur. Et ex his quædam ſic a S. Bonaventura explicantur in compendio theologico lib. 1. c. 9. Fons vivus; quia *ſeptemplici rivo donorum in nos fluit*. Ignis; quia *affectum in nobis accendit*. Charitas; *non ſolum quia eſt amor Patris, & Filii, ſed quia nos amantes facit*.

Spiritualis unctio; quia *omnes tribulationes mundanas ſuaves facit, & mundas*. Dexteræ Dei digitus; quia *ſicut corporales res digito demonſtrantur, ita per Spiritum Sanctum oſtenduntur res ſpirituales oculo ſpirituali*. Paracletus; quia *conſolationes cæleſtes mentibus inſtillat*. Magiſtrorum optimus; *quia intellectum ad Dei cognitionem, & ſui ipſius, illuminat*. Referuntur a Fraſſen; qui & ulterius ſequentia narrat.

Sunt pariter characteres ipſius; quos explicat Cornelius Muſſus lib. 3. hiſt. ſac., & deſumpti ſunt ex libro Sapientiæ c.7. Rectus; quia *prava convertit in directa, & aſpera in vias planas*. Bonus; *quo omnia mala pelluntur, vel cooperantur in bonum*. Principalis; quia *Principes nos facit, perturbationum Dominos, vitiorum triumphatores*. Dulcis; *per quem amara omnia dulceſcunt, dum charitas diffunditur in cordibus noſtris*. Sanctus; *quo peccata remittuntur, & peccatores ſanctificantur*. Mundus; *quo nihil mundius, qui facit mundos, cui non placent, niſi mundi*. Simplex; *qui effugit fictos, & odit omnem dolum*. Subtilis; *ad illabendum, & ad ſcrutanda, & examinanda judicia profunda Dei*. Modeſtus; *ſancti pudoris, & verecundiæ author*. Diſertus; *qui aperit ora mutorum, & linguas infantium facit eſſe diſertas*. Securus; *futuri, & præſentis*. Certus; *quia nec fallitur, nec fallit*. Mobilis; *abrumpens omnes injuſtas moras impii otii, negligentiæ, & tarditatis impatiens*. Humanus; *omnium hominum amans animat*.

DISSERTATIO CXXVI.

De Erroribus contra Proceſſionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio; & de Propugnatoribus illorum.

PRIMO Eunomius occurrit, uti primus errorem contra Spiritus Sancti a Patre, & Filio proceſſionem inventor, & propugnator; ejuſque inſaniæ mentionem facit S. Baſilius ad finem lib. 2. contra Eunomium. Error ejus fuit, quod Spiritus a Filio procederet, & non a Patre. Refertur a Coccio lib. 1. theſauri catholici de Deo & SS. Trinitate ar. 7. Verum, ait Fraſſen, hoc Eunomius aſſerebat, quia inſane putabat, Spiritum Sanctum, a ſolo Filio originem ducentem, non Deum, ſed facturam Verbi, eſſe; ſicut Verbum ipſum facturam Patris eſſe ſomniabat. Unde idem Baſilius cit. loc. inquit ex eodem Eunomio: *Si e creaturis ſubvehatur aliquis ad ſubſtantia comprehenſiones, intelligit Filium Ingeniti eſſe facturam, Unigeniti vero Paracletum*. Ideo infert idem Fraſſen; Spiritum Sanctum a Patre procedere in confeſſo habere omnes, quicunque ejus divinitatem fatentur. Eunomii occaſione adhuc Ariani erroris hujuſce accuſantur; ſed eadem eſt ratio de Arianis, ac de Eunomio dicta eſt.

Secundo Neſtoriani occurrunt, qui in Confeſſione fidei, quæ extat in actis Concilii Epheſini t. 2. c. 31. dicebant, quod Spiritus Sanctus eſt Deus, utpote ejus ſubſtantiæ exiſtens, cujus eſt Deus, & Pater, ex quo etiam ſecundum ſubſtantiam procedit. Aſſerebant textum Apoſtoli, qui I. ad Corinth. 2. 12. dicit: *Nos non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt*. Ex quo inducebant, quod Apoſtolus peculiari quadam ratione Spiritum Sanctum ab univerſa creatura ſejungens, Deoque, ex quo proprie ſecundum ſubſtantiam promanat, conjungens, Filium tamen non nominavit, neque per Filium ſubſtantiam ſuam ſortitum dixit. Ex præfato Coccio habemus. Bellarminus autem de Chriſto lib. 2. c. 21. aſſerit, obiter hoc Neſtorianos dixiſſe, quia alia erat cauſſa, quæ tunc ſerio agebatur; ac proinde errorem tunc temporis radices altius non egiſſe. Unde poſt Neſtorianos, & poſt Theodoretum, de quo mox, uſque ad ann. 767. nulli inveniuntur, qui hanc inſaniam defenderint.

Tertio advenit Theodoretus, qui contra Cyrilli Alexandrini anatematiſmum nonum dicebat: *Proprium Filii ſemper confitebimur Spiritum Sanctum; ſi quidem ejuſdem cum eo naturæ, & ex Patre procedens eſt. Si vero tanquam ex Filio, aut per Filium, eſſen-*

Digitized by Google

eſſentiam habere dicas, blaſphemum hoc eſt, & tanquam impium aſpernabimus. Credimus enim Domino dicenti: Spiritus, qui a Patre procedit. Idem Coccius narrat, & Jueninus aſſerit, quod primus, qui aperte negavit, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, poſt Neſtorium fuit Theodoretus; ſcribens, proprium eſſe Filii Spiritum, eſſe tamen blaſphemum, & impium dicere, aut ex Filio, aut per Filium exiſtentiam habere. Hic idem Theodoretus fuit poſtmodum, opera S. Leonis Papæ, Eccleſiæ reconciliatus in Concilio Chalcedonenſi, & in ſuam Sedem, ex qua fuerat pulſus, reſtitutus, ſimul cum aliis, qui Neſtorio favebant, ut ait Bellarminus, circa ann.430.

Quarto eſt Ruſticus quidam, Diaconus, qui contra Acephalos ſcribens, ait, teſte Coccio ſupracitato: *Utrum Spiritus Sanctus a Filio ſempiterne procedat, nondum perfecte habeo ſatisfactum*. De hoc alii; quos vidimus, non meminerunt; forſitan quia dubitando, non aſſerendo, loquutus eſt. Et quum hoc tempore illo non fuerit ſatis diſcuſſum, & ab Eccleſia definitum, crediderunt, non potuiſſe trahi in errorem, vel hæreſim.

Quinto fuerunt ann.767. Græci, qui inceperunt hujuſce erroris ſe reddere fautores, immo auctores, atque demum etiam apertiſſimos, & pertinaciſſimos propugnatores. Scribit enim Ado Viennenſis in Chronico, quod præfato anno Concilium magnum coactum eſt Gentiliaci ad Luteciam; Imperante in Oriente Conſtantino Copronymo, & in Gallia Regnante Pipino; in quo coram eodem Pipino, qui erat Caroli magni Pater, diſputatum eſt acriter inter Latinos, & Græcos, de Trinitate, & Imaginibus. Hujuſce Concilii meminerunt Rhegino, Sigebertus, & Abbas Uſpergenſis in Chronico. Nulla autem tunc temporis inter Latinos, & Græcos, eſſe poterat de Trinitate controverſia, quam circa Spiritus Sancti proceſſionem; unde diſputatio illa de Trinitate, quam prælaudati Scriptores memorant, nulla alia eſſe potuit, quam de Spiritus Sancti a Filio proceſſione, & tunc primum, Scriptores communi calculo obſervant, auditos fuiſſe Græcos, hujuſcemodi proceſſionem in aperto negantes.

Sexto iidem Græci ann.860., in romana cathedra ſedente Nicolao I., iterum ſe propalarunt falſi dogmatis hujuſce acerrimos defenſores. Eo enim tempore floruit Theophylactus, qui ſcribens in c.3. Joan. aperte, ac nominatim Latinos arguit, ut aſſerit Bellarminus, quod credant Spiritum Sanctum ex Filio procedere. Hæc ſunt Theophylacti verba apud Coccium: *Latini male exponentes, quid ſit Deum mittere Spiritum Filii ſui, vel etiam nos habere Spiritum Chriſti, dicunt, quod Spiritus etiam a Filio procedat. Cæterum eſſe ex Filio Spiritum nulla Scriptura teſtatur, ut ne duo principia introducamus, Patrem, & Filium.* Joannes Diaconus, eodem tempore ſcribens, lib.4. vitæ S. Gregorii c. 75. teſtatur, Græcos in linguam ſuam Dialogos S. Gregori tranſtuliſſe, & particulam illam, *Filioque procedit*, abraſiſſe.

Septimo ante hæc tempora erroris hujus inſimulatur Joannes quidam, dictus Pithæus, & cognominatus etiam Monachus, qui fuiſſe ſuſpicatur Joannes Damaſcenus, qui Hieroſolymis degebat ann.730. ſancte vivens, & ſancte ſcribens. Si quidem, ut narrat Ado ſub ann. 809., Aquiſgrani coactum eſt aliud Concilium, Imperante Carolo magno, in quo actum eſt, *de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio. Quam quæſtionem Joannes quidam Monachus Hieroſolymis primo concitavit, cujus definiendæ cauſa Bernharicus, Epiſcopus Vvormatienſis, atque Jeſſe, Epiſcopus Ambianenſis, & Adhelardus, Abbas Monaſterii Corbejæ, Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt &c.* Cæterum Joannes Damaſcenus lib.1. de fide c. 11. quum pluries affirmaſſet, Spiritum Sanctum a Patre procedere, circa capitis finem ſcribit: *Ex Filio autem Spiritum Sanctum non dicimus, ſed Spiritum Filii nominamus*. Et c.8. *Spiritus Sanctus a Patre procedit, & in Filio quieſcit*. Et c.7. *Spiritus Sanctus ex Patre quidem eſt, non autem ex Filio*. Unde Coccius inter illos Damaſcenum adnumeravit, qui Spiritus Sancti proceſſionem ex Filio negant. Immo & S.Thomas 1.p. q.36.ar.2. ad 3. docuit: *Plures ex Græcis in hoc fuiſſe ſequutos Theodoretum Neſtorianum, inter quos fuit etiam Damaſcenus*. Attamen Beſſarion in Concilio Florentino Damaſcenum benigne interpretatus eſt, dicens in orat. pro unione c. 6., quod Damaſcenus non abſolute negavit, Spiritum Sanctum a Filio procedere, ſed tantum in modo loquendi a Catholicis diſſenſiſſe. Putabat enim, tutius eſſe dicere *per Filium*, quam *ex Filio*; quia videbatur illi, propoſitionem *ex* denotare primam cauſam, ab alia cauſſa non procedentem; & propoſitionem *per* denotare cauſſam, ſed non primam; quod Fraſſen refert.

Octa-

Spiritualis unctio; quia *omnes tribulationes mundanas ſuaves facit, & mundas*. Dexteræ Dei digitus; quia *ſicut corporales res digito demonſtrantur, ita per Spiritum Sanctum oſtenduntur res ſpirituales oculo ſpirituali*. Paracletus; quia *conſolationes cœleſtes mentibus inſtillat*. Magiſtrorum optimus; *quia intellectum ad Dei cognitionem, & ſui ipſius, illuminat*. Referuntur a Fraſſen; qui & ulterius ſequentia narrat.

Sunt pariter charactetes ipſius; quos explicat Cornelius Muſſus lib. 3. hiſt. ſac., & deſumpti ſunt ex libro Sapientiæ c.7. Rectus; quia *provo convertit in directa, & aſpera in vias planas*. Bonus; *quo omnia mala pelluntur, vel cooperantur in bonum*. Principalis; quia *Principes nos facit, perturbationum Dominos, vitiorum triumphatores*. Dulcis; *per quem amara omnia dulceſcunt, dum charitas diffunditur in cordibus noſtris*. Sanctus; *quo peccata remittuntur, & peccatores ſanctificantur*. Mundus; *quo nihil mundius, qui facit mundos, cui non placent, niſi mundi*. Simplex; *qui effugit fictos, & odit omnem dolum*. Subtilis; *ad illabendum, & ad ſcrutanda, & examinanda judicia profunda Dei*. Modeſtus; *ſancti pudoris, & verecundiæ author*. Diſertus; *qui aperit ora mutorum, & linguas infantium facit eſſe diſertas*. Securus; *futuri, & præſentis*. Certus; *quia nec fallitur, nec fallit*. Mobilis; *abrumpens omnes injuſtas moras impii otii, negligentiæ, & tarditatis impatiens*. Humanus; *omnium hominum amans animas*.

DISSERTATIO CXXVI.

De Erroribus contra Proceſſionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio; & de Propugnatoribus illorum.

PRIMO Eunomius occurrit, uti primus errorem contra Spiritus Sancti a Patre, & Filio proceſſionem inventor, & propugnator; ejuſque inſaniæ mentionem facit S. Baſilius ad finem lib. 2. contra Eunomium: Error ejus fuit, quod Spiritus a Filio procederet, & non a Patre. Refertur a Coccio lib. 1. theſauri catholici de Deo & SS. Trinitate ar. 7. Verum, ait Fraſſen, hoc Eunomius aſſerebat, quia inſane putabat, Spiritum Sanctum, a ſolo Filio originem ducentem, non Deum, ſed facturam Verbi, eſſe; ſicut Verbum ipſum facturam Patris eſſe ſomniabat: Unde idem Baſilius cit. loc. inquit ex eodem Eunomio: *Si e creaturis ſubvehatur aliquis ad ſubſtantia comprehenſiones, intelligit Filium Ingeniti eſſe facturam, Unigeniti vero Paracletum*. Ideo infert idem Fraſſen; Spiritum Sanctum a Patre procedere in confeſſo habere omnes, quicunque ejus divinitatem fatentur. Eunomii occaſione adhuc Ariani erroris hujuſce accuſantur; ſed eadem eſt ratio de Arianis, ac de Eunomio dicta eſt.

Secundo Neſtoriani occurrunt, qui in Confeſſione fidei, quæ extat in actis Concilii Epheſini t. 2. c. 31. dicebant, quod Spiritus Sanctus eſt Deus, utpote ejus ſubſtantiæ exiſtens, cujus eſt Deus, & Pater, ex quo etiam ſecundum ſubſtantiam procedit. Aſſerebant textum Apoſtoli, qui I. ad Corinth. 2. 12. dicit: *Nos non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt*. Ex quo inducebant, quod Apoſtolus peculiari quadam ratione Spiritum Sanctum ab univerſa creatura ſejungens, Deoque, ex quo proprie ſecundum ſubſtantiam promanat, conjungens, Filium tamen non nominavit, neque per Filium ſubſtantiam ſuam ſortitum dixit. Ex præfato Coccio habemus. Bellarminus autem de Chriſto lib. 2. c. 21. aſſerit, obiter hoc Neſtorianos dixiſſe, quia alia erat cauſſa, quæ tunc ſerio agebatur; ac proinde errorem tunc temporis radices altius non egiſſe. Unde poſt Neſtorianos, & poſt Theodoretum, de quo mox, uſque ad ann. 767. nulli inveniuntur, qui hanc inſaniam defenderint.

Tertio advenit Theodoretus, qui contra Cyrilli Alexandrini anatematiſmum nonum dicebat: *Proprium Filii ſemper confitebimur Spiritum Sanctum; ſi quidem ejuſdem cum eo natura, & ex Patre procedens eſt. Si vero tanquam ex Filio, aut per Filium, eſſen-*

eſſentiam habere dicas, blaſphemum hoc eſt, & tanquam impium aſpernabimus. Credimus enim Domino dicenti: Spiritus, qui a Patre procedit. Idem Coccius narrat, & Jueninus aſſerit, quod primus, qui aperte negavit, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, poſt Neſtorium fuit Theodoretus; ſcribens, proprium eſſe Filii Spiritum, eſſe tamen blaſphemum, & impium dicere, aut ex Filio, aut per Filium exiſtentiam habere. Hic idem Theodoretus fuit poſtmodum, opera S. Leonis Papæ, Eccleſiæ reconciliatus in Concilio Chalcedonenſi, & in ſuam Sedem, ex qua fuerat pulſus, reſtitutus, ſimul cum aliis, qui Neſtorio favebant, ut ait Bellarminus, circa ann.430.

Quarto eſt Ruſticus quidam, Diaconus, qui contra Acephalos ſcribens, ait, teſte Coccio ſupracitato: *Utrum Spiritus Sanctus a Filio ſempiterne procedat, nondum perfecte habeo ſatisfactum.* De hoc alii; quos vidimus, non meminerunt; forſitan quia dubitando, non aſſerendo, loquutus eſt. Et quum hoc tempore illo nun fuerit ſatis diſcuſſum, & ab Eccleſia definitum, crediderunt, non potuiſſe trahi in errorem, vel hæreſim.

Quinto fuerunt ann.767. Græci, qui inceperunt hujuſce erroris ſe reddere fautores, immo auctores, atque demum etiam apertiſſimos, & pertinaciſſimos propugnatores. Scribit enim Ado Viennenſis in Chronico, quod præfato anno Concilium magnum coactum eſt Gentiliaci ad Luteriam, Imperante in Oriente Conſtantino Copronymo, & in Gallia Regnante Pipino; in quo coram eodem Pipino, qui erat Caroli magni Pater, diſputatum eſt acriter inter Latinos, & Græcos, de Trinitate, & Imaginibus. Hujuſce Concilii meminerunt Rhegino, Sigebertus, & Abbas Uſpergenſis in Chronico. Nulla autem tunc temporis inter Latinos, & Græcos, eſſe poterat de Trinitate controverſia, quam circa Spiritus Sancti proceſſionem; unde diſputatio illa de Trinitate, quam prælaudati Scriptores memorant, nulla alia eſſe potuit, quam de Spiritus Sancti a Filio proceſſione, & tunc primum, Scriptores communi calculo obſervant, auditos fuiſſe Græcos, hujuſcemodi proceſſionem in aperto negantes.

Sexto iidem Græci ann.860., in romana cathedra ſedente Nicolao I., iterum ſe propalarunt falſi dogmatis hujuſce acerrimos defenſores. Eo enim tempore floruit Theophylactus, qui ſcribens in c.3. Joan. aperte, ac nominatim Latinos arguit, ut aſſerit Bellarminus, quod credant Spiritum Sanctum ex Filio procedere. Hæc ſunt Theophylacti verba apud Coccium: *Latini male exponentes, quid ſit Deum mittere Spiritum Filii ſui, vel etiam nos habere Spiritum Chriſti, dicunt, quod Spiritus etiam a Filio procedat. Ceterum eſſe ex Filio Spiritum nulla Scriptura teſtatur, ut ne duo principia introducamus, Patrem, & Filium.* Joannes Diaconus, eodem tempore ſcribens, lib.4. vitæ S. Gregorii c. 75. teſtatur, Græcos in linguam ſuam Dialogos S. Gregori tranſtuliſſe, & particulam illam, *Filioque procedit*, abraſiſſe.

Septimo ante hæc tempora erroris hujus inſimulatur Joannes quidam, dictus Pithæus, & cognominatus etiam Munachus, qui fuiſſe ſuſpicatur Joannes Damaſcenus, qui Hieroſolymis degebat ann.730. ſancte vivens, & ſancte ſcribens. Si quidem, ut narrat Ado ſub ann. 809., Aquiſgrani coactum eſt aliud Concilium, Imperante Carolo magno, in quo actum eſt, *de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio. Quam quæſtionem Joannes quidam Monachus Hieroſolymis primo concitavit, cujus definiendæ cauſa Bernharicus, Epiſcopus Vuormatienſis, atque Jeſſe, Epiſcopus Ambianenſis, & Adhelardus, Abbas Monaſterii Corbejæ, Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt &c.* Cæterum Joannes Damaſcenus lib.1. de fide c. 11. quum pluries affirmaſſet, Spiritum Sanctum a Patre procedere, circa capitis finem ſcribit: *Ex Filio autem Spiritum Sanctum non dicimus, ſed Spiritum Filii nominamus.* Et c.8. *Spiritus Sanctus a Patre procedit, & in Filio quieſcit.* Et c.7. *Spiritus Sanctus ex Patre quidem eſt, non autem ex Filio.* Unde Coccius inter illos Damaſcenum adnumeravit, qui Spiritus Sancti proceſſionem ex Filio negant. Immo & S.Thomas 1.p. q.36.ar.2. ad 3. docuit: *Plures ex Græcis in hoc fuiſſe ſequutos Theodoretum Neſtorianum, inter quos fuit etiam Damaſcenus.* Attamen Beſſarion in Concilio Florentino Damaſcenum benigne interpretatus eſt, dicens in orat. pro unione c. 6., quod Damaſcenus non abſolute negavit, Spiritum Sanctum a Filio procedere, ſed tantum in modo loquendi a Catholicis diſſenſiſſe. Putabat enim, tutius eſſe dicere *per Filium*, quam *ex Filio*; quia videbatur illi, propoſitionem *ex* denotare primam cauſſam, ab alia cauſſa non procedentem; & propoſitionem *per* denotare cauſſam, ſed non primam; quod Fraſſen refert.

Octavo adnumeratur a Coccio Nicephorus Conſtantinopolitanus, qui in epiſtola ad Leonem ſcripſit: *Spiritus Sanctus ex Patre, non nativitate, ſed proceſſione, ſubſiſtentiam habens*. Non negat quidem proceſſionem ex Filio, ſed tacet; quod quidem in Græco Homine non rectæ doctrinæ indicium eſt. Hic floruit ann. 800. juxta eundem Coccium.

Nono apparet Photius, celebris quidem doctrina, ac famoſior impietate, ac iniquitate ſua. Photius auctor fuit, ut Ignatius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, e ſede ſua per injuriam pelleretur a Barda Imperatore, quod ipſum excommunicaſſet, & propter inceſtuoſam conſuetudinem cum nuru, & propter violentiam illatam Theodoræ, Michaelis Imperatoris matri, eam invitam tondere faciens, quod illa omnimode renuebat. Pulſo Ignatio Photius ſedem Conſtantinopolitanam invaſit ann.858., & poſtea in Conciliabulo ann. 861. eundem Ignatium damnavit. Ex adverſo Nicolaus, Romanus Pontifex, Photium damnat, & uti per vim in cathedram illam introſum, & quia ex laico per ſaltum Epiſcopus factus fuerat. Photius ann.863. Nicolaum, Romanum Pontificem, in Conciliabulo pariter damnat, eique, & Latinis omnibus errores plures objicit; inter quos unus erat, quod Latini docerent, Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque, procedere. Ann. 866. occiſus eſt Barda; & Baſilius Macedo, a Michaele in Collegam in imperio adſcitus, rejicit Photium, & Ignatium reſtituit. Ann.889. in Concilio Conſtantinopolitano VIII. generali Photius damnatus fuit; at poſtmodum etiam denuo ſedem invaſit, & iterum catholicum dogma aperte impugnare aggreſſus eſt. Et quo factum eſt deinde, ut Græci omnes errorem ſuum defenderent eo conatu, ut veluti hac teſſera Græci a Latinis diſtinguerentur. Librum edidit, in quo manifeſte defendit: *Spiritum Sanctum a ſolo Patre, & non a Filio, procedere*. Teſtantur Hugo Etherianus de proceſſione Spiritus Sancti lib. 2. c. 15. Nilus Theſſalonicenſis ex MS.

Decimo poſt fere annos biſcentum, ann. ſcilicet 1054. inceptum ſchiſma Photii tempore, ſub Michaele, Patriarcha Conſtantinopolitano, qui Cærularius dicebatur, perfectum eſt. Romæ ſedebat Pontifex Leo IX, & Conſtantinopoli regnabat Imperator Conſtantinus X., dictus Monomachus; quando Michael prædictus, Romanum Pontificem, Latinoſque omnes, excommunicatos eſſe, pronunciavit; quod, contra Concilii Epheſini decretum; Symbolo Niceno, & Conſtantinopolitano particulam *Filioque* addidiſſent. Unde Græci ſuum Patriarcham ſequentes, qui ſe, Romano Pontifice dejecto, univerſalem Epiſcopum appellabat, Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere conclamarunt, & Romanam Eccleſiam cum aliis omnibus, qui cum eadem communicant, anathematizarunt. Hæc omnia teſtantur Epiſtolæ Leonis IX. ad Conſtantinum Imperatorem, & Michaelem Patriarcham; S. Anſelmus, qui eodem ſeculo ſcripſit librum ſuum de proceſſione Spiritus Sancti contra Græcos; Sigebertus in Chronico ad ann. 1054., S. Antoninus in hiſt. p.3. tit.22. c.13. §.11.

Undecimo hoc eodem ſeculo undecimo contra catholicum dogma ſcripſerunt ann. 1060. Nicetas, qui librum contra Latinos edidit, quo aſſerit, Spiritum Sanctum a ſolo Patre, non item a Filio procedere. Ait Coccius, librum hunc ſervari in Bibliotheca Vaticana; citatur autem, & refutatur ab Hugone Etheriano. Fuit pariter ann.1080. Euthymius ad cap.16. Joannis hæc ſcribens: *Vide quod mittit quidem Spiritum & Filius, tanquam ejusdem cum Patre honoris, verum a Patre puto procedentem. Procedit itaque a Patre, tanquam de ejus ſubſtantia*. De utroque teſtis eſt Coccius. Hoc eodem ſeculo celebratum eſt Concilium Barenſe, ann. 1097. ſub Urbano II. Romano Pontifice, in quo Græci acerrime ſuum errorem defenderunt, & ex parte Latinorum S. Anſelmus illis omnibus ſe objecit, illorumque impetum ſic confregit, ut de illis pleniſſimam victoriam reportaverit.

Duodecimo Nicolaus Methonenſis ſeculo duodecimo ann. 1140. apparuit, qui contra Latinos edidit librum, in quo aſſeruit, Spiritum Sanctum a ſolo Patre, & non a Filio, procedere. Librum hunc pariter Romæ ſervari, teſtatur Coccius; quem quoque ait, citari, & confutari ab Hugone Etheriano.

Decimotertio Nicolaus Cabaſilas, inquit Coccius, *ſcripſit contra Thomam Aquinatem de Spiritus Sancti proceſſione a ſolo Patre*; cui reſpondit Demetrius Cydonius, Græcus Græco; & librum vult etiam Romæ aſſervari. Hic floruit ſeculo decimotertio ann. 1260., & eodem ſeculo, ann. 1215. celebratum eſt Concilium generale Lateranenſe IV. ſub Innocentio III., in quo

iterum

iterum pax inter Latinos, & Græcos ſancita eſt. Attamen poſt annos triginta ſub Joanne Duca, Theodori Laſcaris genero, iterum contentio exarſit. Nicephorus Gregoras lib. 5. hiſt. refert, quod tempore illo alter Nicephorus pro catholico dogmate egregie ſcripſit. Attamen nos invenimus, Nicephorum Calliſtum, qui in Synopſi de Trinitate hæc ſcribit: *Mens, & Verbum, & Spiritus ex Patre ſolo*. Et in dedicatione laudat Andronicum ſeniorem Palæologum, *quod liquido declaraverit, Spiritus Sancti proceſſionem a ſolo Patre, & non a Filio*. Floruit hic Nicephorus Calliſtus juxta Coccium ann. 1300. Eodem ſeculo, ann. ſcilicet 1261. Michael Pelæologus ad Gregorium X. Romanum Pontificem recurrit, opem ſuam implorans contra Carolum Andegavenſem, primum Siciliæ Regem; & ut eum alliceret, conſilium propoſuit de pace inter Latinos, & Græcos reſtauranda. Quod factum eſt in Concilio Lugdunenſi II. ann. 1274. ſub Gregorio X. celebrato. At poſtmodum ſub Andronico Palæologo, Michaelis filio, qui Conſtantinopoli imperium regebat, iterum ad contentionem redierunt Græci, & ſchiſma renovatum apparuit.

Decimoquarto acerrimus pene omnium fuit Marcus Epheſinus in Florentino Concilio, qui nunquam concordiæ initæ inter Latinos, & Græcos ſubſcribere voluit. Porro in hoc generali Concilio, quod ann. 1439. actum eſt, Græci primum mordicus defendebant, Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere. Poſtmodum Latinorum rationibus preſſi, confeſſi ſunt, procedere etiam a Filio. Marcus Epheſinus cum quibuſdam paucis Concilio non adhæſit, & communibus omnium pene votis reluctavit. At ultimo Græci fere omnes, in Græciam reverſi, priorem errorem amplexati ſunt, & antiquum ſchiſma renovarunt.

Decimoquinto ponimus Novatores, qui poſtremis temporibus fere omnia Eccleſiæ dogmata perturbarunt; & hoc quoque, de quo loquimur, illæſum non reliquerunt. Joannes de Vveſalia non credit Spiritum Sanctum procedere a Patre, & Filio, tanquam ab uno principio; pro ratione addens, quod non poſſit in textu ſacræ Scripturæ inveniri. Ita Faſciculus rerum expetendarum, & fugiendarum, Coloniæ impreſſus, in examine Joannis de Vveſalia. Petrus Martir in epiſt. ad Romanos ſcribit: *Diſputationem inter Theologos de proceſſione Spiritus Sancti eſſe meram ſcholaſticam contentionem*. Joannes Cazonovius in epiſt. ad Joannem Calvinum, Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere, expreſſe negat. Valentinus Gentilis protheſi 36., & 37. aſſerit, ſolum Patrem eſſe eſſentiatorem Filii, & Spiritus Sancti. Joannes Sommerus contra Petrum Carolium lib. 2. c. 1. inquit: *Dicat Carolius, quomodo ex Patre, & Filio, mutuo ſe amantibus procedat ὑπαρκτικὸν πνεῦμα: Filio, & Spiritu, vel Patre ſe amantibus, nihil procedat? Item quomodo Spiritus Sancti proprietas erit procedere, cum Chriſtus quoque dicatur procedere a Patre; imo cum de pluribus aliis rebus, etiam de Diabolis, hoc ipſum verbum dicat?* Chriſtianus Francus lib. cont. Trinitatem, Cracoviæ impreſſo: *Finxerunt Spiritum Sanctum ὁμοούσιον quidem eſſe Patri, & Filio, & ab utroque productum, non tamen genitum; quam commentitiam, fictamque doctrinam communis totius ſacræ Scripturæ refellit conſenſus.*

Ultimo demum hujus erroris accuſatur Macedonius cum Sectatoribus ſuis. At immerito; hic enim Hæreſiarcha quum Spiritum Sanctum omnino negaverit, de ejus proceſſione non curabat. Affertur Epiſtola quædam Juſtiniani, Epiſcopi Siciliæ, ad Petrum, Epiſcopum Antiochenum, quæ habetur in Concilio generali V., & in qua legitur: *Macedonius ſpirat a Patre ſolo Spiritum Sanctum*. Attamen Bellarminus pro *ſpirat* legendum putat *ſeparat*; quod ſane magis congruit hæreſi Macedonii; qui Spiritus Sancti divinitatem negans, negabat pariter ejuſdem conſubſtantialitatem cum Patre; adeoque illum a Patre ſeparabat.

DIS-

DISSERTATIO CXXVII.

De Proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, divini Teſtamenti vocibus, Conciliorum votis, Patrum dictis, ac Theologorum ratiociniis demonſtrata.

I. PRobatur ex divini teſtamenti libris. Joan. 15. dicitur, quod Spiritus Sanctus a Filio mittitur: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium probibebit de me.* Et Joan. 16. *Si non abjero, Paracletus non veniet ad vos: Si autem abjero, mittam eum ad vos.* Ulterius, Joan. 16. dicitur, quod Spiritus de Filio accipit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Et rationem reddens, cur de ſuo accipiat, ſubdit: *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, quia de meo accipiet.* Et Joan. 17. *Omnia tua mea ſunt.* Item, ad Galatas 4. dicitur Spiritus Sanctus Spiritus Filii: *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra:* Et Actorum 16. *Tentabant ire in Bithiniam, & non permiſit eos Spiritus Jeſu*. Præterea, Joan. 20. dicitur, quod Chriſtus, quando poſt ſuam reſurrectionem Spiritum Sanctum Apoſtolis infudit, uſus eſt cæremonia inſufflandi, ſeu inſpirandi: *Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* His poſitis, eruitur proceſſio Spiritus Sancti ex Filio. Primo, quia in divinis miſſio ſupponit proceſſionem: ergo ſi Spiritus Sanctus mittitur a Filio, a Filio procedit. Probatur antecedens. Pater a nullo mittitur, quia a nullo procedit: ergo in divinis miſſio ſupponit proceſſionem. Antecedens eſt Auguſtini lib. 4. de Trinit. c. 19. *Pater cum ex tempore a quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus: Non enim habet a quo miſſus ſit, aut de quo procedat.* Et clarius eſt Athanaſii in epiſt. ad Serapionem: *Hic eſt ordo natura divinæ a Patre, & Filio, ut qui a nullo eſt, a nullo mittatur; & qui eſt ab alio, in nomine ſuo non veniat, ſed in nomine illius, a quo exiſtit. Ita & Spiritus Sanctus, qui a ſe non eſt, a ſe venire non debuit, ſed in nomine illius, a quo eſt, & a quo habet, ut hypoſtaſis ſit Deus, quemadmodum de eo dicit Filius, Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. Eſt etiam Ambroſii lib. 1. de Spiritu Sancto c. 4. & 5. Chryſoſtomi in c. 5. ad Romanos, Cyrilli in c. 16. Joan. & iterum Auguſtini lib. 15. de Trin. c. 26. Secundo, quia Spiritus Sanctus recipit eſſentiam a Filio: ergo a Filio procedit. Probatur conſequentia. Procedere importat recipere eſſe, ſeu eſſentiam, & exiſtentiam, ab illo, a quo proceditur: ergo ſi Spiritus Sanctus recipit a Filio eſſentiam, a Filio procedit. Probatur antecedens. Recipit aliquid; non accidentale, quod locum in divinis non habet: ergo eſſentiale: ergo eſſentiam. Tertio; In Scripturis ideo dicitur, Spiritum Sanctum a Patre procedere, quia dicitur Spiritus Patris: ergo ſi dicitur etiam Spiritus Filii, a Filio procedit. Ulterius, quando dicitur Spiritus Sanctus Spiritus Filii, vel intelligitur, quod ſit Filio inferior, vel ſuperior, vel æqualis; non primum, vel ſecundum, ut patet: ergo tertium; ſed non poteſt eſſe æqualis, niſi ab eo procedat: ergo &c. Quarto; Inſufflare Spiritum Sanctum oſtendit, Spiritum Sanctum procedere ab eo, qui inſufflat; ſed Filius inſufflat: ergo a Filio procedit. Major eſt Auguſtini lib. 3. con. Maximinum c. 14. *Niſi procederet & de ipſo, non diceret Diſcipulis; Accipite Spiritum Sanctum, eumque inſufflando daret, ut a ſe quoque procedere ſignificans, aperte oſtenderet flando, quod ſpirando dabat occulte.*

Reſpondent Græci I. Per miſſionem Spiritus Sancti, de qua Scripturæ loquuntur, non intelligi, quod Spiritus Sanctus mittatur, ſed quod mittantur dona Spiritus Sancti, quæ Spiritui Sancto per appropriationem tribuuntur. II. quod Chriſtus non dixit de Spiritu Sancto, *de me accipiet*, ſed *de meo*; hoc eſt de meo Patre: unde ex illis verbis non inferri, quod nos intendimus. III. Verba illa intelligenda eſſe de ſcientia Filii, quatenus Spiritus Sanctus nihil doceret, quod iis, quæ Filius docuit, contrarium eſſet. IV. Spiritum Sanctum dici Spiritum Filii, quia ſimul

cum

cum Filio a Patre procedit; vel quia eſt illi ſimilis, vel ex alia cauſſa, non autem, quod a Filio ſpiretur. V. Iſaiæ 48 & 61. etiam Filius dicitur mitti a Spiritu Sancto; & tamen Filius a Spiritu Sancto non procedit. VI. Deridet Theophylactus argumentum petitum a cæremonia illa, tanquam nihil concludens; & potius quid puerile præſeferens; ſic ipſe in c. 3. Joan.

Contra autem ſic nos procedimus. Et quidem contra primum dicimus, quod ex Scriptura patet, perſonas divinas nobis dari, non vero communicari effectus earum. Dicitur enim Joan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ulterius, ſi ipſorum reſponſio ſubſiſteret, poſſet etiam dici, mitti Patrem a Filio, & Patrem, & Filium mitti a Spiritu Sancto, quia donorum illorum auctor eſt quælibet perſona. Poſſet etiam dici, quod Filium mitti a Patre, eſt mitti aliquod donum creatum. Denique dona, ſeu effectus, non mittuntur, ſed dantur; ut ex terminis patet. Contra ſecundum; quia etiam admiſſo, quod Spiritus Sanctus recipiat a Patre de ſubſtantia Filii, adhuc ſtat, quod recipiat pariter a Filio. Quum enim omnia, quæ habet Pater, paternitate excepta, habeat Filius; optime ſequitur, quod accipiendo a Patre, accipiat quoque Spiritus Sanctus a Filio. Contra tertium; ſcientia enim eſt communis Patri, & Filio; unde ſi Spiritus Sanctus accipit ſcientiam a Patre, accipit pariter a Filio. Cæterum quomodo poteſt Spiritus Sanctus accipere ſcientiam a Filio, ſi a Filio non accipit eſſentiam. Et ſi a Filio accipit eſſentiam, utique a Filio procedit. Contra quartum; admiſſa reſponſione illa poſſet etiam ſecunda perſona dici Filius Spiritus Sancti, & Verbum Spiritus Sancti, quia Filius ſimul cum Spiritu Sancto a Patre procedit, & eſt illi ſimilis. Si dicant, Filium habere relationem ad Patrem, & Verbum ad dicentem; nos quoque dicimus Spiritum Sanctum habere relationem ad ſpirantem. Contra quintum; dicitur, quod Filius mittitur a Spiritu Sancto, ut homo eſt; & hoc modo vere Filius eſt a Spiritu Sancto tanquam a cauſſa efficiente. Unde dicitur Lucæ 4. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus miſit me*. Contra ſextum; ſi Theophylactus hoc argumentum ridet, non ridet certe Auguſtinus lib. 3. cont. Maximinum c. 14., non ridet Cyrillus lib. 12. in Joan. c. 56., qui verba illa exponentes, dixerunt, per eadem ſignificare voluiſſe Chriſtum, Spiritum Sanctum a ſe procedere.

II. probatur ex Conciliis Orientalibus. Concilium Nicænum I. generale in Symbolo hæc ſola verba de Spiritu Sancto recitat: *Et in Spiritum Sanctum*. Non intendimus nos ex illo probare, quod Spiritus Sanctus ex Filio procedat, quia Symbolum ſilet; ſed neque audeat Hieremias, qui ſe Patriarcham Oecumenicum appellabat, in cenſura ſua ad Confeſſionem Lutheranorum ſcribere, quod ab hoc eodem Concilio ſit definitum, Spiritum Sanctum, a ſolo Patre procedere. In 1. cap. Cenſuræ inquit: *Nicæna Synodus, & reliquæ cum ea conſentientes, omnes decreverunt, Spiritum Sanctum ex ipſo ſolo Patre procedere*. Sed quibus verbis? Symbolum nec affirmat, nec negat. Quod autem non affirmet, hanc rationem reddit Nazianzenus in ep. 2. ad Celidonium; apud Bellarminum; Nicænam Synodum non tradidiſſe perfectam doctrinam de Spiritu Sancto, propterea quod nondum exorta erat quæſtio de Spiritu Sancto. Concilium Conſtantinopolitanum I. generale Symbolo, in Nicæno Concilio edito, hæc tantum addidit verba: *Qui ex Patre procedit*. Nec nos pariter intendimus ex hoc Concilio dogma catholicum probare, quia non aperte affirmat; ſed nec Hieremias ſcribat cit. loc. *Quod quidem ſacra illa, & incorrupta fidei chriſtianæ confeſſio, ſacrum, inquam Symbolum, hoc ita eſſe diſertiſſimis verbis explicat: Spiritum ſcilicet Sanctum ex ſolo Patre procedere; quam quidem ſententiam a trecentis decem, & octo plenis Deo Patribus, in Nicæna primum Synodo, deinde in Conſtantinopolitana a 150. confirmata; reliquæ item univerſales quinque Synodi, nihil addentes, nihil detrahentes, verum in idem plane uno Spiritu Sancto conſpirantes obſignarunt*. Hoc pariter Concilium nec affirmat, nec negat; dicit enim: *Qui a Patre procedit*; ſed non a ſolo Patre: Hoc tamen de ſuo dicit Hieremias; cui nulla fides, quum contrarium clament ex Græcis Cyrillus lib. 1. de Trin., & in lib. de explicat. Symboli, & ex Latinis Ruffinus lib. 10. hiſt. c. 6., qui totum ſymbolum recitant. „ Cur autem Concilium, addit
„ Bellarminus, non adjecerit ex *Filio*, ſed
„ ſatis eſſe cenſuerit dicere, qui ex Patre
„ procedit, ratio eſt certiſſima, quia eo tem-
„ pore dubium non erat, an Spiritus San-
„ ctus

,, ſtus ex Filio procederet; id enim hæretici
,, contendebant, ut conſtat ex Baſilio
,, lib. 2. in Eunom., ſed dubium erat de
,, Patre, a quo alienum omnino Spiritum
,, Sanctum, tanquam ſolius Filii creaturam,
,, hæretici eſſe dicebant. Concilium igitur
,, ut remedium morbo afferret, id poſuit in
,, Symbolo, quod neceſſe erat.,, Poſt hæc Concilia habemus alia, in quibus expreſſa mentio dogmatis noſtri facta eſt. Concilium Alexandrinum, in quo Cyrillus epiſtolam ad Neſtorium ſcripſit, & in ea verba hæc poſuit: *Spiritus appellatus eſt veritatis; & veritas Chriſtus eſt; unde & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Patre, procedit*. Legitur epiſtola hæc in Concilio Epheſino t.1.c.14., & fuit ab eodem Concilio approbata; ſicut etiam eam approbarunt IV. Synodus act. 5. V. Synodus act. ult. VI. Synodus act. 17. VII. Synodus act. 7. Denique in eodem Concilio generali VII. act. 7. lectum fuit Symbolum cum additione *Filioque*; & Græci non reclamarunt. Hæc autem omnia Concilia fuerunt Orientalia.

III. probatur ex Conciliis Occidentalibus. Concilium Barenſe, ad quod Latini, & Græci intervenerunt, ann. 1090. ſub Urbano II. S. Anſelmus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, in hoc Concilio rationibus ſuis efficaciſſimis ad deponendum errorem Græcos perduxit. Ipſius autem Concilii meminit Anſelmus ipſe lib. de proceſ. Spiritus Sancti c. 4., & Auctor vitæ ipſius, qui ibidem interfuit lib. 2. vit. diſerte narrat. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. ann. 1215. c. 1. de fide catholica decrevit: *Pater a nullo, Filius autem a ſolo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter, abſque initio ſemper, & fine*. Concilium Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. ann. 1273. in eo interfuerunt Græci, & decantantibus Latinis Symbolum cum additione *Filioque* latinis verbis, Græci græcis verbis cum eadem additione decantarunt. In Sexto Decretalium tit. 1. c. 1. hujus Concilii definitio legitur. Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. ann. 1438. hanc edidit definitionem, quæ promulgata eſt pridie nonas Julii anni 1439. *In nomine igitur ſanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hoc ſacro univerſali approbante Florentino Concilio, definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit*. Inſuper in eodem Florentino Concilio hæc alia edita eſt declaratio: *Declarantes, quod id, quod ſancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe, ſecundum Græcos quidem, cauſam, ſecundum Latinos vero, principium, ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut & Patrem*. Denique concludit Concilium: *Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum, quod Spiritus procedit ex Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus eſt*. Huic Florentino Concilio omnes Græci ſubſcripſerunt, uno ſolo Marco Epheſiorum Epiſcopo, Epheſino propterea dicto, excepto. Hæc omnia, præter Barenſe, Concilia ſunt generalia. Ex particularibus tandem proferimus Toletanum I. c. 21. III. c. 1. IV. c. 1. VIII. c. 1., & IX. c. 1. quæ omnia fuerunt celebrata ante ann. 700., hoc eſt ante Græcorum ſchiſma, atque etiam ante eorundem diſſidium. Et quidem in Toletano I. ſub Anaſtaſio Papa ann. 400. legitur: *Credimus Spiritum quoque eſſe Paraclitum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed a Patre, Filioque procedens*. In Toletano III. ſub Pelagio II. ann. 589., in quo 150. Patres interfuerunt, can. 3. habetur: *Quicunque Spiritum Sanctum non credit a Patre, & Filio procedere, anathema ſit*. In Toletano IV. c. 1., & in VIII. ſub Martino, & in IX. ſub Adeodato, eadem pene verba leguntur. Habemus quoque Concilium Gotfeldenſe ann. 650., quod memorat Beda lib. 4. hiſt. anglicanæ c. 17. ubi dicitur apertiſſime, Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere. Concilium Gentiliacenſe ann. 766., Aquiſgranenſe circa ann. 809., Vvormatienſe ann. 860. idem dogma tractarunt, ac de eo judicium, juxta catholicam Latinorum fidem, omnino tulerunt.

IV. probatur ex Patribus Græcis. Epiphanius multis in locis nobis favet, quorum aliqua, quibus Latini in Florentino Concilio uſi ſunt, in ejuſdem Concilii Actis leguntur. Igitur hæreſ. 69. quæ eſt Arianorum, ſcribit: *Sed neque Sanctus Spiritus aliis Spiritibus adæquatur, quoniam unus eſt Spiritus Dei, Spiritus ex Patre procedens, ex Filio accipiens, hi vero volunt hunc creaturam creatura eſſe*. Quibus verbis intendit dicere Epiphanius, Spiritum

San-

Sanctum non eſſe creaturam Filii, ut dicebant Ariani; & proinde ſi verba illa *ex Filio accipiens* intelligi non poſſunt de creatione, opus eſt, ut de æterna emanatione, ſeu proceſſione, intelligantur. In Anchorato n. 67. *Jam vero cum Chriſtus ex Patre credatur Deus de Deo, & Spiritus ex Chriſto, ſive ab ambobus, ut Chriſtus his verbis aſſerit: Qui a Patre procedit, & hic de meo accipiet.* His verbis docet Epiphanius, Spiritum Sanctum eſſe Deum ex Chriſto, ſicut Chriſtus eſt Deus ex Patre: unde intendit, quod ſic Spiritus Sanctus a Filio procedit, ſicut procedit Filius a Patre. Clariora ſunt verba, quæ leguntur in eodem Anchorato n. 72. *Igitur ſi a Patre procedit, & de meo, ut ait Dominus, accipiet, quemadmodum nemo novit Patrem, niſi Filius; neque Filium, niſi Pater; & ita dicere audeo, neque Spiritum, niſi Pater, & Filius, a quo procedit, & a quo accipit; & neque Filium, ac Patrem, niſi Spiritus Sanctus, qui vere glorificat, & qui docet omnia, qui teſtatur de Filio, quia a Patre, & ex Filio.* Baſilius lib. 3. cont. Eunomium docet; Spiritum Sanctum eſſe quaſi ſecundum a Filio, eo quod *eſſe ab illo habeat, & ab ipſo accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ex illa cauſa pendeat.* Habere autem eſſe, accipere eſſe idem eſt ac procedere. Idem expreſſius lib. 2. cont. eundem: *Illud vero cui non patet quod nulla Filii operatio a Patre diviſa eſt? Nec eſt aliquid in rebus, quod Filio inſit, & a Patre alienum ſit? Omnia, inquit, mea tua ſunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus cauſam, & originem Unigenito ſoli attribuit, & ad ejus accuſandam naturam hujus creationem accipit?* Nazianzenus or. 49. *Miſit nobis Chriſtus Spiritum Sanctum de propria ſua, & ex una, eademque ſubſtantia, protectorem, ſignatorem, & ductorem in vitam æternam, ſicut ſcriptum eſt de voce Dei: Effundam de Spiritu meo ſuper ſervos meos, & ancillas meas.* Et iterum: *Spiritus ex me prodiet. Et ipſe Dominus, Salvatorque noſter: De meo, inquit, accipiet.* Nyſſenus hom. 3. ſuper Pater noſter: *Filius Spiritus neque eſt, neque dicitur; neque hæc relativa conſequentia convertitur; ſed Spiritus Filii dicitur, qui ab eo accipit, ab eoque procedit, & ex eo eſt, quemadmodum ex Patre.* Joannes Chryſoſtomus hom. 1. in Symbolum: *Iſte eſt Spiritus procedens de Patre, & Filio, qui dividit propria dona ſingulis prout vult.* Cyrillus Alexandrinus de recta in Deum fide: *Immittit Chriſtus Spiritum baptizatis, non alienum, ſed eum, qui ex illo, & per illum* eſt. Idem lib. 13. theſaur. c. 2. *ex Filio naturaliter, ac eſſentialiter Spiritum Sanctum, ſicut ex Patre, provenire, credimus, per quem Filius omnia inungens ſanctificat.*

V. probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. adv. Praxeam c. 4. *Hoc mihi, & in tertium gradum dictum eſt, quia Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium.* Hilarius lib. 2. de Trinit: *De Spiritu Sancto nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt: Sed ſileri a nobis eorum cauſa, qui neſciunt, non poteſt. Loqui autem de eo non eſt neceſſe; quia de Patre, & Filio authoribus confitendus eſt. Et quidem puto an ſit, non eſſe tractandum.* Ambroſius de Spiritu Sancto ad Gratianum lib. 1. c. 10. *Spiritus Sanctus cum procedit a Patre, & Filio, non ſeparatur a Patre, non ſeparatur a Filio.* Hieronymus dial. 2. adv. Pelagianos c. 6. *Nota, quod Spiritus Jeſu Spiritus Sanctus ſit, qui in alio loco, propter unitatem ſubſtantiæ Patris Spiritus appellatur.* Damaſus Pontifex Romanus in Confeſſione fidei ad Paulum Antiochenum: *Credimus Spiritum Paracletum neque Patrem, neque Filium; ſed ex Patre procedentem, & Filio; Eſt igitur ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, ſed ex Patre procedens, & Filio.* Philaſtrius c. 45. de hæreſi triformem Deum faciente: *Eſt ergo vera Perſona Patris, quæ miſit Filium; & eſt vera perſona Filii, quæ advenit de Patre; & eſt vera perſona Spiritus Sancti, quæ a Patre, & Filio miſſa eſt.* Auguſtinus lib. 4. de Trinit. c. 20. *Non poſſumus dicere, quod Spiritus Sanctus & a Filio non procedat; neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris, & Filii Spiritus dicitur; nec video, quid aliud ſignificare voluerit, cum ſufflaut in faciem Diſcipulorum, ait: Accipite Spiritum Sanctum. Neque enim flatus ille corporeus, cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corpore ſubſtantia Spiritus fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantum a Patre, ſed & a Filio procedere Spiritum Sanctum. Quis enim dementiſſimus dixerit, alium fuiſſe Spiritum, quem ſufflans dedit, & alium, quem poſt aſcenſionem miſit?* Et lib. 15. c. 26. *Quapropter qui poteſt intelligere ſine tempore generationem Filii de Patre, intelligat ſine tempore proceſſionem Spiritus Sancti de utroque..... Et ſicut Pater habet in ſemetipſo, ut de illo procedat Spiritus Sanctus, & utrumque ſine tempore, atque ita dictum Spiritum Sanctum procedere de Patre, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre eſſe, & Filio.* Et lib. 3. adv. Maximinū c. 14. *Spiritus eſt utrinſque,*

quoniam de utroque procedit; ſed ideo cum de illo Filius loqueretur, ait: de Patre procedit; quoniam Pater proceſſionis ejus eſt author, qui talem genuit Filium, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipſo procederet Spiritus Sanctus. Nam niſi procederet & de ipſo, non diceret Diſcipulis: Accipite Spiritum Sanctum; cumque inſufflando daret, ut, a ſe quoque procedere ſignificans, aperte oſtenderet flando, quod ſpirando dabat occulte. Leo magnus ſer. 2. c. 2. *Sempiternum eſt Patri conſempiterni ſibi Filii ſui eſſe genitorem; ſempiternum eſt Filio intemporaliter à Patre eſſe progenitum; ſempiternum quoque eſt Spiritui Sancto, Spiritum eſſe Patris, & Filii.* Et epiſt. 3. ad Turibium c. 1. *Priſcillianiſtæ impie ſentiunt de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unam, atque eandem aſſerunt eſſe perſonam; tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur; nec alius ſit, qui genuit; alius, qui genitus eſt; alius, qui de utroque proceſſit.* Eucherius Lugdunenſis in qq. vet. & nov. teſt. in Geneſ. *Spiritus Sanctus nec genitus, nec ingenitus; ne, ſi ingenitum dixerimus, duos Patres dicere vereamur; & ſi genitum, duos Filios; ſed potius qui ex Patre, & Filio procedat, velut quadam Patris, & Filii concordia.* S. Proſper de vit. contemplativâ lib. 1. c. 18. *Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit.* Fulgentius de fide ad Petrum c. 11. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum Sanctum, qui Patris, & Filii unus eſt Spiritus, de Patre, & Filio procedere.* Et reſp. 3. ad Ferrandum Diaconum: *Non potuit Spiritum Sanctum divitias Filii accipere, cum ipſe Spiritus Sanctus ſic procedat a Filio, ſicut procedit a Patre; & ſic detur a Filio, ſicut datur a Patre.* Gregorius magnus in Confeſſione fidei: *Credo in Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum vero Sanctum neque genitum, neque ingenitum, ſed coæternum, de Patre, & Filio procedentem.*

VI. Probatur Rationibus. I. Qui habet perfectum principium productivum, quod a paſſivo non dependeat, nec poſſit per aliquid aliud impediri, habet hoc ipſo productionem; ſed Filius habet perfectum principium productivum, a paſſivo independens; & a quoquunque alio inimpedibile, reſpectu productionis Spiritus Sancti: ergo ipſam productionem hoc ipſo habet. Probatur minor. Filius habet voluntatem perfectiſſimam, & independentem, & inimpedibilem; ſed voluntas divina eſt principium productivum amoris adæquati: ergo filius habet, &c. Probatur major. Inter generationem, & ſpirationem eſt aliqualis ordo, quo aliquo modo generatio ſit prior ſpiratione, & in illo priori genito omnis perfectio communicetur, quæ eidem non repugnet: ergo communicatur etiam voluntas: ergo Filius habet voluntatem, &c. II. Ab eo procedit Spiritus Sanctus, qui habet operationem, per quam ipſe procedit; ſed Filius habet operationem, per quam Spiritus Sanctus procedit: ergo ab eo Spiritus Sanctus procedit. Probatur minor. Operatio illa eſt ſpiratio activa; ſed Filius habet ſpirationem activam: ergo Filius habet operationem, per quam Spiritus Sanctus procedit. Probatur minor. Excepta paternitate, id omne habet Filius, quod habet Pater; ſed Pater habet ſpirationem activam, & ſpiratio activa non eſt paternitas: ergo Filius habet ſpirationem activam. III. Ideo Spiritus Sanctus non operatur, quia nulla ei communicatur fœcunditas; ſed Filio communicatur fœcunditas: ergo Filius operatur, ſed fœcunditas, quæ Filio communicatur, non eſt intellectus, ſed voluntatis: ergo Filius operatur per voluntatem; atqui operari per voluntatem eſt producere Spiritum Sanctum: ergo Filius Spiritum Sanctum producit. IV. Ideo Filius non poteſt alium Filium producere, quia per ſui productionem expleta eſt tota fœcunditas divini intellectus; ſed non eſt expleta fœcunditas divinæ voluntatis, & a Patre eidem Filio communicatur: ergo poteſt Filius operari per voluntatem, & producere; ſed per voluntatem non poteſt producere, niſi Spiritum Sanctum: ergo Filius per voluntatem Spiritum Sanctum producit. V. Spiritus Sanctus a Filio diſtinguitur: ergo a Filio procedit. Probatur conſequentia. In divinis non eſt diſtinctio, ſi non eſt productio: ergo ſi inter Filium, & Spiritum Sanctum eſt diſtinctio, eſt productio. Probatur antecedens. In divinis omnia ſunt unum, ubi non obſtat relationis oppoſitio: ergo in divinis non eſt diſtinctio, ſi non eſt productio. Vis autem argumenti hujuſce in Diſſert. 29. exponetur.

Arguunt Adverſarii I. Non continetur in Scripturis, quod Spiritus Sanctus a Filio procedat; ſed nullum eſt admittendum dogma, quod in Scripturis non contineatur: ergo non eſt admittendum, quod Spiritus Sanctus a Filio procedat. II.

In

In Scripturis continetur potius oppoſitum: ergo a fortiori non eſt admittendum. Probatur antecedens. In Scripturis continetur, quod a ſolo Patre procedat: ergo continetur potius oppoſitum. Probatur antecedens. Joan. 15. dicitur: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, qui a Patre procedit.* III. Ex Marco Epheſino Baſilius non loquitur ex propria ſententia, ſed ex ſententia Eunomii: ergo illius auctoritas non eſt ad rem. Subdit inſuper, ſe non legiſſe in germano Baſilii textu verba, quæ alleganiur. IV. Aliæ Patrum auctoritates ſunt intelligendæ dumtaxat de conſubſtantialitate Spiritus cum Filio, non vero de productione Spiritus a Filio; unde ſenſus illarum eſt, quod Spiritus Sanctus ſit conſubſtantialis Filio, quia eſt ex ſubſtantia Filii, quæ ipſi communicatur a Patre. V. Concilium Epheſinum approbavit, Spiritum Sanctum non procedere a Filio: ergo non eſt alter ſentiendum. Probatur antecedens. In Concilio Epheſino fuit lectum Symbolum Neſtorii, fuit lectus liber Theodoreti contra anathematiſmos Cyrilli; & in his habebatur manifeſte, quod a Filio non procederet Spiritus Sanctus; & tamen Concilii Patres nihil dixerunt contra: ergo Concilium Epheſinum approbavit; &c. VI. Nazianzenus or. ad Epiſcopos Ægypti, inquit: *Omnia, quæ habet Pater, habet Filius, excepta cauſalitate*; ſed ſpiratio activa eſt cauſſalitas: ergo illam non habet Filius. VII. Baſilius ep. 43. ſcribit: *Nullam ſecundum propriam notionem communionem habet Filius cum Patre*; ſed ſpiratio activa eſt notio: ergo nec illam habet Filius. VIII. Concilium Conſtantinopolitanum non poſuit in Symbolo, Spiritum Sanctum procedere a Filio: ergo Patres illius non credebant hanc proceſſionem. IX. Patres Græci, loquentes de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, utuntur præpoſitione *ex*; loquentes vero de proceſſione ejuſdem a Filio, utuntur præpoſitione *per*: ergo non crediderunt, Spiritum Sanctum procedere a Filio, ſicut procedit a Patre: ergo nullatenus proceſſionem hanc crediderunt. X. Unum eſt Spiritus Sancti principium; ſed ſi Spiritus Sanctus a Filio procederet, duo eſſent ipſius principia: ergo a Filio non procedit. XI. Filius vel producit Spiritum Sanctum ratione perſonæ, vel ratione eſſentiæ; ſi ratione perſonæ: ergo ſpiratio non eſt communis Patri; Si ratione eſſentiæ: ergo ſpiratio eſt communis Spiritui Sancto. XII. Vel ſufficit ſolus Pater ad productionem Spiritus Sancti, vel non ſufficit: ſi ſufficit: ergo ſuperfluus eſt Filius: Si non ſufficit: ergo imperfectus eſt Pater. XIII. Non daretur æqualitas in divinis, ſi Spiritus Sanctus a Filio procederet, quia ſimilior Patri eſſet Filius, qui ſpiraret, quam Spiritus Sanctus, qui non ſpiraret, nec generaret.

Reſpondemus ad I. quod non ſola regula fidei eſt Verbum Dei ſcriptum, hoc eſt ſacra Scriptura, ſed etiam Verbum Dei non ſcriptum, ſcilicet Traditio. Dato ergo, quod dogma, de quo loquimur, in Scriptura non contineatur, continetur tamen in Traditione. Hanc confeſſi fuerunt Patres Græci in Concilio Florentino, quando illorum omnium nomine Joſephus, Conſtantinopolitanus Patriarcha, dicens pro unione ſententiam, ſubdidit: *Quoniam Sanctorum Patrum Occidentalium, & Orientalium dicta audivimus, Occidentales ſuſcipimus aſſerentes, Spiritum Sanctum eſſe ex Patre, & Filio.* Attamen etiam in Scriptura continetur, ſi non explicite, implicite certe; ut Scripturarum auctoritates, quas adduximus, manifeſtant.

Ad II. dicit Auguſtinus lib. 3. adv. Maximinum c. 14. quod *Pater* nominatur, non ut excludatur Filius, ſed quia Pater eſt principalis Spiritus Sancti auctor; quum Filius, ut ſpiret, a Patre habeat. Cæterum non excludi aliquem per hoc præciſe, quod non nominetur, multa alia Scripturæ teſtimonia oſtendunt. Matth. 16. habetur: *Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*; & tamen revelatio illa a tribus perſonis facta eſt. Joan. 15. dicitur de Spiritu Sancto: *Ille vos docebit omnia*; & nihilominus etiam Pater, & Filius nos omnia docent. Dicit etiam Anſelmus lib. de proceſſ. Spir. Sancti, quod ſi Evangeliſta dixiſſet: Nemo producit Spiritum Sanctum, niſi ſolus Pater, adhuc Filius non eſſet excluſus. Matth. 11. dicitur: *Nemo novit Filium, niſi Pater*; & tamen Filius, & Spiritus Sanctus non excluduntur, quum eundem habeant intellectum. Dicitur etiam in eodem Matthæi loco: *Neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*; & nihilominus non excluduntur Pater, & Spiritus Sanctus. Multo minus autem non excluditur Filius a verbis illis, quum in iiſdem nulla ſit excluſio, nulla negatio. Dicit denique Bellarminus, quod quando dicitur, a Pa-

Digitized by Google

Patre procedit; non intelligitur Pater ut Pater eſt formaliter; ſic enim Spiritus Sanctus eſſet Filius: ergo intelligitur Pater, ut habet communem eſſentiam cum Filio: ergo etiam intelligitur Filius.

Ad III. Baſilius non in uno ſolo loco, ſed in pluribus, docuit, Spiritum Sanctum eſſe ſecundum a Filio, & tertium in Trinitate, & præcipue habet in ep.100., ubi ex baptiſmi forma probat ordinem illum, dicens: *Spiritus vero Sanctus eo collocatur ordine, quem nos in Evangelio Dominus docuit, dicens: Euntes, baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Unde non ex Eunomio, ſed ex Evangelio, loquitur. Cæterum verba illa legebantur in codicibus, qui ſcripti ſunt ante ſexcentos annos, quam Florentina Synodus celebraretur; ut in eadem Synodo Joannes, qui pro Latinis contra Græcos argumentabatur, invicte probavit.

Ad IV. Si eſſet verum Adverſariorum effugium, plura ſequerentur abſurda. Sequeretur primum, quod poſſit dici, æque Filium procedere a Spiritu Sancto per Spiritum Sanctum, ac dicitur Spiritum Sanctum procedere a Filio per Filium; Pater enim non minus communicat Filio ſubſtantiam, quæ eſt Spiritus Sancti, quam Spiritui Sancto ſubſtantiam, quæ eſt Filii. Et nihilominus Nyſſenus or. 3. in Orat. Dominic. docet: *Filium Spiritus Sancti neque eſſe, neque dici, neque hanc relativam conſecutionem converti, cum tamen Spiritus Chriſti nominetur*. Sequeretur ſecundum, voces illas: *A Patre*; *Per Filium*; *de meo*; *quem ego mittam vobis a Patre*: intelligendas eſſe ſecundum ſubſtantiam, quum tamen nemo negare poſſit, quod debeant ſecundum proprietates relativas intelligi; exprimunt enim ordinem, & habitudinem, quam inter ſe invicem habent perſonæ. Sequeretur tertium, quod Filius, quia eſt ex eadem ſubſtantia, quam habet Spiritus Sanctus, eſſet proprius Spiritus Sancti; atque hoc pariter Patres ſcripſiſſe; quod eſt omnino falſum. Denique nullibi gentium dicerunt Patres, Spiritum Sanctum procedere a Filio, quia ipſi eſt conſubſtantialis; ſed ipſi eſſe conſubſtantialem, quia ab ipſo procedit. Eodem ſane modo, quo contra Arianos dicebant; Filium eſſe conſubſtantialem Patri, quia a Patre procedit.

Ad V. In eodem Epheſino Concilio, & deinde in IV. & V. Synodo lecta etiam eſt Epiſtola Cyrilli cum anathematiſmis ad Neſtorium, in qua continetur iterato, quod Spiritus Sanctus a Filio ſuum habeat eſſe; & in his omnibus Synodis Patres non contradixerunt: ergo approbarunt. Præterea; ſi approbatus fuit Liber Theodoreti, hic non ſolum negabat, Spiritum Sanctum procedere a Filio, ſed etiam per Filium; & tamen Græci volunt, procedere per Filium: ergo ſilentium Patrum illorum non minus fuit contra nos, quam contra illos; quod ipſi nunquam admittent. Denique Concilium Epheſinum tunc temporis de alia controverſia tractabat; unde hanc, de qua loquimur, nunquam inſtituit examinare. Significavit tamen mentem ſuam ex approbatione doctrinæ Cyrilli, & ex damnatione hæreſis Neſtorii, & Theodoreti.

Ad VI. Nazianzenus loquitur de cauſſalitate reſpectu ipſius Filii, quæ eſt proprietas ſolius Patris, & Filio incommunicabilis; & idem eſt ſuorum verborum ſenſus, ac ſi dixiſſet: Filius habet omnia, quæ habet Pater, præter eſſe Patrem: ergo habet eſſe Spiratorem. Attamen ibidem ipſemet de Spiritu Sancto ſic loquitur: *Omnia, quæ habet Filius, habet Spiritus Sanctus, excepta filiatione, ideſt excepta proprietate ejus perſonæ, a qua ipſe producitur*.

Ad VII. Baſilius non loquitur de omni notione, ſed de illa tantum, quæ eſt proprietas; & ſenſum verborum ejus hunc dicit eſſe Bellarminus: Filium, ratione filiationis, quæ ſola eſt ejus propria notio, non convenire cum Patre, aut Spiritu Sancto.

Ad VIII. In Concilio Conſtantinopolitano fuit tantummodo actum de divinitate Spiritus Sancti; & ad hanc definiendam ſatis eſſe cenſuerunt Patres dicere, quod Spiritus Sanctus a Patre procederet. Hoc ipſo enim, quod una perſona ab alia procedit, jam cum ipſa conſubſtantialis eſt; quemadmodum de Verbo actum eſt in Concilio Nicæno contra Arianos. Cæterum neque in Concilio Nicæno prolatum fuit verbum de Spiritus Sancti divinitate; non tamen ex hoc inferent Adverſarii, quod Nicæni Patres illam non agnoverint. Non enim Concilia debent de dogmatibus omnibus pertractare, ſed de illis tantum, quorum cauſa coadunantur.

Ad IX. Senſus Patrum Græcorum, quando dicunt, Spiritum Sanctum procedere ex Patre, & procedere per Filium, hic eſt, quod a Patre procedat per actionem ab alio principio non receptam; & quod

actio

actio ſpirativa non ſit in Filio tanquam in primo principio, quia eam Filius a Patre recipit. Et ratio eſt, quia præpoſitio *ex* denotat æqualitatem; præpoſitio *per* ſignificat ordinem, ſeu relationem, quam unus ad alium habet. Unde Patres, ut probarent contra Arianos, Filium eſſe æqualem Patri, dicebant ſemper, Filium ex Patre eſſe. Filius autem, etiam quando ſpirat Spiritum Sanctum, habet ordinem ad Patrem; unde Græci, ut exprimerent ordinem illum, uſi ſunt præpoſitione *per*; Latini vero autumarunt, ſatis eſſe adhibere præpoſitionem *ex* tam reſpectu Patris, quam reſpectu Filii; quia, quum per illam denotetur æqualitas, hæc implicite quoque ordinem ſervabat. Falſum eſt autem, quod per præpoſitionem *per* ſignificetur medium, per quod actio principii tranſit in terminum; quia multoties in Scripturis ſignificat actionem principii operantis. Dicitur enim Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum*; Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Dicunt pariter Patres; Cyrillus in ep. ad Theodoſium Imperatorem de Chriſto: *Natus eſt per ſanctam Deiparam Virginem*; Nazianzenus lib. 1. cont. Eunomium; *Per ipſum Filium apparuit. Rurſus autem a creatura, quæ per Filium eſt producta diſtat*. Ubi præpoſitio *per* applicatur tum Spiritus Sancti productioni, tum creationi creaturarum.

Ad X. Ut principia multiplicentur, non ſufficit, quod multiplicentur ſuppoſita, ſed debent etiam multiplicari actiones. Pater & Filius quanvis ſint duo ſuppoſita, unam tamen habent voluntatem, unam habent volitionem; & per hanc ſunt unum Spiritus Sancti principium. Et hinc eſt, quod non duo, ſed unus dicuntur Spirator, quanvis duo dici poſſint ſpirantes. Quod patet, quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, producunt res ad extra; & tamen non tres creatores dicuntur, ſed unus creator; quia operantur per omnipotentiam, quæ una eſt in tribus illis. Unde Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. profitetur: *Fideli, ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione, procedit*. Et Concilium Florentinum: *Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens, habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit*.

Ad XI. Productio Spiritus Sancti non eſt eſſentialis, ſed perſonalis; proprietates perſonales non ſunt communes toti Trinitati, ſed poſſunt aliquæ duabus perſonis convenire. Et in hoc ſita eſt præſens quæſtio; unde illam ſumentes Adverſarii pro ratione, principium abſque dubio petunt. Quis autem ex illis neget, amorem duabus perſonis convenire? Et hunc amorem, unum, atque eundem eſſe? Si ergo per amorem producunt, utraque perſona producit, non ut duo principia, ſed ut unum, quia una eſt voluntas, unus eſt amor.

Ad XII. Si argumentum valeret, poſſet dici, quod etiam Filius, & Spiritus Sanctus, ſuperflui fuiſſent ad mundi creationem; quia ſufficiens fuiſſet ſolus Pater ad mundum creandum. Concedimus ergo, ſatis fuiſſe in Patre virtutem ſpirativam ad producendum Spiritum Sanctum; ſed illa virtus eadem eſt in Filio; quia Filius non per aliam virtutem ſpirativam, ab illa Patris diſtinctam, Spiritum Sanctum producit. Quemadmodum etiam per unicam actionem creativam tres divinæ perſonæ mundum crearunt.

Ad XIII. Si Spiritus Sanctus procederet a ſolo Patre, eſſet ſimilior Filius Spiritui Sancto, quam Patri; quia Filius procederet, ut procedit Spiritus, & non produceret, ut producit Pater. Attamen argumenta hæc nihil in divinis concludunt; quia in illis non attenditur ſimilitudo ex parte relationum, ſed tantum ex parte eſſentiæ.

Digitized by Google

DISSERTATIO CXXVIII.

De Additione particulæ Filioque *Symbolo facta; quando nam fuerit facta; & an fuerit legitime facta?*

A Deo Græcis inviſa evaſit additio, Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano facta, circa particulam illam *Filioque*, qua nimirum dicitur, Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere; ut illius cauſſa a Latinis diſcedere, & perniciofum ſchiſma conflare, non dubitaverint. „ Hæc enim additio, inquit Fraſſen, fuit iſtmus, qui duo maria, nedum ſemi-Orbes terræ, ſed & utranque Eccleſiam, Orientalem, & Occidentalem, diviſit; & Græcis anſam præbuit, ſe ab unione, & obedientia Romanæ Eccleſiæ ſubducendi. „ Sic primo teſtatus eſt Photius, de quo dicitur, quod inceperit ſchiſma, in epiſtola Encyclica ad Patriarchales Sedes Orientis; in qua ſui a Romana Eccleſia diſceſſus rationem reddens, hanc præ cæteris prætexuit: *Quæ eſt malorum ſumma, & apex, ſacrum etiam Symbolum, quod ab omnibus Synodicis, & Oecumenicis calculis vim habet irrefragabilem, & authoritatem, ſpuriis, & falſis quibuſdam diſceptationibus . . . . adulterare non dubitarunt, Spiritum Sanctum non ex Patre ſolo, ſed ex Filio, procedere noviter docentes*. Atque ita pariter poſtmodum confirmavit in Florentino Concilio Marcus Epheſinus, obteſtans, additionem illam neque veram eſſe, neque legitime fuiſſe factam. *Quam ſane conſtat noſtri ſchiſmatis, ac diſſidii præcipuam cauſam fuiſſe:* Et poſt pauca: *Romana Eccleſia dogma ſibi proprium finxerat; idque propterea ſolvendæ amicitiæ noſtræ cauſam, ſimultatumque noſtrarum initium, dubio procul, fuiſſe conſtat*.

Diximus uſque modo, diſſidii cauſſam additionem hanc extitiſſe; dicamus modo, quare hæc additio Græcis inviſa fuerit adeo fortiter, ut illius ratione a Latinis diſcedere, non modo non piaculum, ſed religionem quoque, judicaverint. Prætextus quidem religionis in iis fuit, quod crederent oecumenicis Conciliis per additionem hanc fuiſſe derogatum. Siquidem in Conciliis Epheſino; & Chalcedonenſi cautum fuerat, nemini licitum eſſe, aliquid addere Symbolo Nicæno, & auctiori eidem Conſtantinopolitano; & qui hoc auderent, anathemati ſubiiciendos. Quum autem particula hæc *Filioque* in Nicæno Symbolo non legatur, nec pariter in auctiori Conſtantinopolitano inveniatur; ſi qui illam deinde addiderunt, male quidem, & irreligioſe addidiſſe, Græci exiſtimabant; ac proinde cenſuram incurriſſe, a Conciliis præteritis inflictam, Latinis omnibus opponebant. Ut hæc autem recto hiſtoriæ ordine, & perſpicuo rationis criterio; diſcutiantur, primum examinandum ſuſcipimus rem facti, quando ſcilicet additio hæc facta fuerit; ſecundum vero rem juris, an nimirum legitime fuerit facta?

Pro primo, ſunt qui putant, additionem fuiſſe factam ſub Damaſo I. Papa, eundemque additionis ipſius fuiſſe auctorem. Ita ſentit Manuel Calecas in lib. contra Græcos, cui adhæſit Genebrardus, aliique poſtmodum ſubſcripſerunt. Rem geſtam ſic narrat Stanislaus Socolovius in c. t. annotationis cenſuræ orientalis Eccleſiæ factæ per Hieremiam, Patriarcham Conſtantinopolitanum. Damaſus evocavit Romam Eccleſiæ orientalis Epiſcopos, qui Conſtantinopoli Concilium peragebant, ut ſimul cum Latinis Romæ concilium generale celebrarent. Orientales Patres, ob multa impedimenta, quæ advenerunt, & ob majora incommoda, quibus ſe exponere debuiſſent, ſi Romam veniſſent, ſe excuſarunt ab itinere ſuſcipiendo; & ſuam fidem ad romanum Concilium ſub Damaſo tranſmiſerunt. Eam probavit Damaſus cum toto Concilio Romano, & in Fidei Symbolo particulam *Filioque* addiderunt, ad majorem Nicæni Symboli explicationem; quam quum iterum ad Conſtantinopolitanos Patres emiſiſſet, iidem receperunt illam, ratamque habuerunt. Ad hoc probandum profert Epiſtolam Concilii ad Damaſum; profert Symbolum

bolum Damaſi, quod apud Hieronymum habetur; profert denique Scriptores non exigui meriti, nec pauci numeri, qui, ut dictum eſt, rem narrant.

Verum non probatur nobis hæc ſententia, hiſque rationum ponderibus movemur, ut eidem nullo pacto aſſentiamur. Primo, Epiſtola Conſtantinopolitani Concilii ad Damaſum de hac additione nihil habet, & additionem ipſam non exhibet; nec enim in ipſa legitur *Filioque*. Secundo, inter decreta ipſius Concilii Romani, quæ leguntur in lib. 9. Hiſtoriæ Tripartitæ c. 16. nullum eſt decretum, quod proceſſionem Spiritus Sancti a Filio definiat; & ſolummodo damnantur iu canone 16. illi, qui negaverint Spiritum Sanctum a Patre procedere. Tertio, Symbolum Damaſi norunt Eruditi cujus ſit fidei; a multis enim negatur, Damaſi genuinum fœtum fuiſſe. At dato quod ſit, non eſt idem Damaſi Symbolum ac Nicænúm, vel Conſtantinopolitanum; nobis autem non eſt quæſtio, ubi primum Spiritus Sancti proceſſio a Filio definita fuerit, ſed ubi primum fuerit addita particula *Filioque* Symbolo Nicæno, vel Conſtantinopolitano. Quarto denique, ſi Damaſi tempore additio hæc fuiſſet facta, quare Leo III., qui a Damaſo non parum diſtat, a Gallis de additione conſultus, eam non approbavit; & non approbavit, quia Romæ ſuo tempore in uſu non erat Symbolum cum additione hac decantare?

Alii vero exiſtimant, inter quos eſt etiam Manuel Calecas, additionem fuiſſe factam tempore ſexti generalis Concilii circa ann. 680.; & hoc probant ex quadam S. Maximi ad Marinum Epiſtola. Sed nec pariter ſententia hæc eſt admittenda; quia in Epiſtola Maximi continetur quidem dogma catholicum de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio; ſed non dicitur, quando additio fuerit Symbolo facta; immo nec verbum de additione ipſa legitur; ut cuilibet accurate legenti facile innoteſcit.

Alii volunt, additionem factam fuiſſe juſſu Septimæ generalis Synodi, ann. 787., & hujus ſententiæ fuerunt Cardinalis Julianus Cæſarini, & Andreas Coloſſenſis, in Concilio Florentino ſeſſ. 5. & 7. At nec placet ſententia hæc; ſi enim Septima generalis Synodus decretum hoc feciſſet, Græci utique cognoviſſent, quia attente illius acta obſervabant; ac proinde novum non fuiſſet illis additionem videre, nec Latinis objeciſſent eam, quaſi ab iiſdem factam. Ulterius, Anaſtaſius Bibliothecarius pòſt ſeptuaginta annos Concilium hoc ex græco in latinum tranſtulit, & nec verbum de decreto, de quo Scriptores iſti loquuntur, verbum poſuit. Igitur Hiſtoricus, quo Cardinalis Cæſarini utebatur, quum nullum ex antiquitate teſtimonium proferat, nullam quoque fidem meretur.

Alii putant, additionem fecisſe primum Patres Concilii Toletani I. ann. 400. Et probant, quia in Confeſſione fidei, quæ in hoc Concilio facta fuit, ex Idatio Lemovicenſi, leguntur hæc verba: *Spiritum quoque eſſe Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed a Patre, Filioque procedens.* Attamen idem replicamus, quod modo diximus; non eſſe ſcilicet quæſtionem de tempore, quo dogmatis confeſſio fuerit facta, ſed de tempore, quo dogmatis confeſſio Nicæno Symbolo fuerit addita. In hoc Concilio nec verbum de Symbolo legitur; igitur fidei confeſsio, quæ profertur, non eſt ad rem, de qua agitur.

Dicimus ergo I. hanc additionem primum legi in Concilio Toletano III., celebrato ann. 589. ſub Rege Reccaredo. Rex enim, ut fidem ſuam redderet omnibus manifeſtam, Symbulum Conſtantinopolitanum recitavit, & in eo hæc verba dixiſſe, Acta illius Concilii nos edocent: *Credimus & in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificatorem, ex Patre Filioque procedentem*. In Concilio Toletano IV. ann. 633. replicatur, at non in Symbolo, verum in fidei expoſitione, quæ in c. 1. Synodi ſic legitur: *Spiritum vero Sanctum, nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre, & Filio, profitemur*. In Concilio Toletano VI. ann. 639. pariter in fidei expoſitione c. 1. habetur: *Spiritum vero Sanctum, neque genitum, neque creatum, ſed de Patre, Filioque, procedentem*. In Concilio Toletano VIII. ann. 653. inſerta etiam Symbolo legitur: *Credimus in Spiritum Sanctum, vivificatorem, ex Patre, & Filio procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum*. In Concilio Toletano XII. ann. 681. lecta eſt etiam in Cunſtantinopolitano Symbolo, quod c. 1. recitatum fuit: *Credimus & in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificatorem, ex Patre, & Filio procedentem*. In Concilio Toletano XIII. ann. 683., & in Concilio Toletano XV. ann. 688. continetur quoque additio, & quidem pariter Conſtantinopolitano Symbolo inſerta. Et hæc quidem

de Hiſpaniarum Eccleſiis diximus,in quibus, ut viſum eſt,primum ſub finem ſexti ſeculi additio fieri incepit,& poſtmodum in ſeptimo ſeculo continuata fuit.

Modo loquimur de Eccleſiis Galliarum, & Germaniæ; & in ipſis putamus, additionem fuiſſe factam, vel potius receptam, quum alibi prius facta fuerit, ſeculo octavo. In Concilio Aquisgranenſi, ann.809. a Galliarum, & Germaniæ Epiſcopis celebrato,lecta eſt additio in Symbolo Conſtantinopolitano, a Patribus recitato. Ex hoc eodem Concilio miſſi ſunt ad Leonem III., Romanum Pontificem, Bernarius, Vvormatienſium Epiſcopus,& Jeſſe, Epiſcopus pariter Ambianenſium,& Adalardus, Corbejenſis Abbas, ut illum rogarent, primo, ut additionem factam ſuæ auctoritatis pondere confirmare dignaretur; deinde, ut Symbolum cum additione eadem in Romana Eccleſia inter miſſarum ſolemnia cantari præciperet.Quum hoc autem fuerit factum ann.809., ut dictum eſt, initio ſcilicet ſeculi noni, credendum ſane eſt, ante Concilium morem illum in Galliis,& in Germania, obtinuiſſe. Si enim non fuiſſet ita obſervatum, aliquis ex Patribus illis in Aquisgranenſi Concilio novitati illi ſe oppoſuiſſet; quod quum nemo fecerit, immo quum omnes in unum convenerint; argumentum nobis profecto eſt,ut credamus, additionem, de qua loquimur, agnitam fuiſſe apud Gallos, atque Germanos, ſeculo octavo labente ſaltem, aut etiam ineunte, vel procedente.

Tandem in Romana Eccleſia nono ſeculo deſinente additio fuit recepta, atque probata. Etenim Leo III. noluit eam probare ad Legatorum preces Aquisgranenſis Concilii ſub initium noni ſeculi, ut diximus: unde iisdem reſpondit: *Si prius quam ita cantaretur interrogatus eſſem, ne inſereretur, utique reſpondiſſem*; ut refert Cardinalis Baronius ad ann. 809. Nec ſua negatione, & hac reſponſione contentus, juſſit pariter, ut Symbolum Nicænum abſque additione tabulis argenteis incideretur, in una quidem latino, in altera vero græco idiomate, ſicque in Eccleſia expoſitæ haberentur. Et hoc pariter teſtatus eſt Photius in ſua ad Patriarcham Aquilejenſem epiſtola: *Leo junior, pietatis fervens zelator, ut nullo pacto barbara lingua corrumperetur immaculata noſtræ fidei doctrina; græca lingua Occidentalibus ſanctam Trinitatem glorificandam, & celebrandam tradidit. Et non ſolum ſermone, & mandato id faciendum curavit, verum etiam quibusdam ancilibus,quaſi clypeis conſtructis, & columnis erectis, illam inſcripſit, & in conſpectu omnium ſtatuens ad Eccleſiæ valvas collocavit, ut hoc pacto facile, & incorrupte poſſent omnes pietatem ediſcere.* Teſtatur etiam Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 11. c. 2. Immo apud Baronium cit. loc. etiam legimus, Leonem III. in ſuæ ſententiæ confirmationem hanc rationem dictaſſe: *Nunquid magis ſalutare eſt credere, periculoſumve non credere, Spiritum Sanctum a Filio, ſicut a Patre, procedere, quam Filium Sapientiam, Deum, a Sapientia, Deo, veritatem, Deum, a veritate, Deo, genitum eſſe? Et tamen utrunque unam ſapientiam, unam veritatem, eſſentialiter Deum eſſe: Quum tamen id a Sanctis Patribus eidem Symbolo conſtet non additum eſſe.*

Verum quod Leo III. non conceſſit, nec fecit, alii ſubſequentes Pontifices approbarunt,conceſſerunt,atque ſecerunt. Etenim eodem ſeculo nono, Photius, in epiſtola ad omnes Orientis Epiſcopos, querebatur, a Pontificibus Romanis eſſe factum; & præcipue Nicolaum I. carpit, quaſi hic idem effecerit. Scribens enim contra prædictum Nicolaum, inquit: *Præter illa, quæ commemoravimus abſurda, ſacrum etiam, & ſanctum Symbolum, cui Synodica omnia, OEcumenica ſuffragia, inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis ſermonibus, non ſine incredibili audacia, falſare aggreſſi ſunt. O mali Dæmonis medicamenta! Spiritum Sanctum non ex Patre ſolum, ſed etiam ex Filio procedere, vaniſsime prædicantes.* Confirmat hoc Ratramnus, Corbejenſis Monachus, in lib.2., pro romana Eccleſia contra Græcos ſcripto, aſſerens, circa ann. 858. Nicolai I. temporibus, fuiſſe factum. Modo remanet, ut ſtatuamus, additionem hanc legitime, & jure, Romanos Pontifices admiſiſſe temporibus ſuccedentibus, ac in uſu in quibuslibet Eccleſiis Occidentalibus, præcipue in Romana, poſuiſſe; proinde

Dicimus II. Additionem *Filioque* in Symbolo Nicæno, vel auctiori Conſtantinopolitano, legitime factam fuiſſe.

I. Probatur. Additio hæc neceſſaria fuit; & vera: ergo legitime facta. Probatur antecedens pro prima parte. In Symbolo legebatur, Spiritum Sanctum a Patre procedere; propter hæc verba vigebat contentio, aliis dicentibus, procedere a Patre ſolo, aliis aſſerentibus, procedere a Patre, & Filio; atqui neceſſarium erat hoc dogma Eccleſiæ proponere ut erat

ab

ab Eccleſia declaratum, ac definitum: ergo additio neceſſaria fuit. Probatur etiam pro ſecunda parte. Jam definitum fuerat, Spiritum Sanctum a Filio procedere: ergo verum erat dogma, cujus facta eſt additio: ergo vera erat additio. Pro Eccleſiis autem Hiſpaniæ ſi non Eccleſiæ expreſſa definitio, traditio certe dogma reddebat innegabile.

II. Probatur. Si non eſset additio legitime facta, ideo eſset, quia Eccleſia non habuiſset poteſtatem eam faciendi; ſed hanc poteſtatem Eccleſia habuit: ergo fuit legitime facta. Major eſt certa. Minor probatur. Eccleſia habet poteſtatem condendi Symbolum: ergo habet poteſtatem addendi ad Symbolum. Antecedens negari non poteſt; jam enim legimus ſymbola ab Eccleſia condita. Conſequentia ſequitur; quia majus eſt condere ſymbolum, qua ſymbolo jam condito inſerere expoſitionem, quæ ſit neceſsaria, & vera.

III. Probatur. Eccleſia poteſt id totum, quod jus divinum non prohibet, nec excipit, nec reſervat; ſed ius divinum non prohibet, non excipit, non reſervat, aliquid Symbolo addere, quod ſit neceſsarium, & verum: ergo Eccleſia legitime fecit additionem illam. De majori non eſt dubium, nec poteſt eſse; minor probatur. Si jus divinum hoc prohiberet, vel exciperet, vel reſervaret, illegitime fuiſsent condita ab eadem plura Symbola; nempe poſt illud Apoſtolorum, aliud Nicænum; poſt Nicænum, aliud auctius Conſtantinopolitanum; ſed nemo ex Græcis dicet hæc Symbola fuiſse non legitime condita: ergo jus divinum non prohibet, nec excipit, nec reſervat, aliquid Symbolo addere, quod ſit neceſsarium, & verum.

IV. Probatur. Eadem erat in Eccleſia poteſtas tempore, quo facta eſt additio *Filioque*, ac tempore, quo Symbolum Nicænum, vel Conſtantinopolitanum, conditum eſt; ſed tempore, quo Symbolum Nicænum, vel Conſtantinopolitanum, conditum eſt, Eccleſia habebat poteſtatem faciendi additionem hanc: ergo etiam illam habuit tempore, quo illam fecit. Major negari non poteſt, quia ſemper una, & eadem eſt Eccleſia, nec ſua poteſtas diminuta eſt tempore. Probatur Minor. Sicut potuit Eccleſia tempore Nicæni Concilii facere additionem in Symbolo particulæ *conſubſtantialis*; ſicut potuit tempore Concilii Conſtantinopolitani I. facere additionem articuli divinitatis Spiritus Sancti, per hæc verba: *Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit; Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur*: ita etiam potuiſset facere additionem particulæ *Filioque*, ſi tunc fuiſset neceſſitas; non enim eſt major ratio pro una additione, quam pro altera: ergo Eccleſia habebat tunc poteſtatem faciendi additionem vocis *Filioque*.

V. Probatur. Si additio poſſet jure improbari, ideo fieret, quia contra leges Epheſini, & Chalcedonenſis Concilii eſſet facta; ſed hoc eſt falſum: ergo jure improbari non poteſt. Probatur minor. Additio facta eſt eo modo, quo factæ ſunt aliæ additiones ad Concilium Nicænum ante Concilium Epheſinum, & Calcedonenſe; ſed hæc duo Concilia non improbarunt additiones factas ante ipſorum celebrationem: ergo nec improbabilem dixerunt additionem faciendam poſt ipſa. Probatur major. Epheſini, Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſis Concilii Patres addiderunt *cœli*, *& terra*, quæ in Nicæno Symbolo non habentur; alii addiderunt *ex Maria Virgine*, quæ nec etiam in Nicæno inveniuntur; Sed Græci volunt, quod Concilio Nicæno ne verbum quidem addere liceat ex Concilio Epheſino, & Chalcedonenſi: ergo additio *Filioque* facta eſt, ſicut aliæ additiones præcedentes factæ fuerunt: ergo vel omnes illegitime, vel omnes legitime factæ.

VI. Si eſt improbanda additio, ideo eſt, quia facta fuit ſine conſenſu utriuſque Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis; ſed hoc nil officit: ergo improbanda non eſt. Probatur minor. Romana Eccleſia, quum ſit omnium Eccleſiarum mater, & magiſtra, hoc ipſo quod aliquid præcepit, approbat, confirmat, in Eccleſia, aliarum Eccleſiarum conſenſu non indiget: ergo ſufficit, quod additionem Romana Eccleſia probaverit, ut dicatur legitime facta. Præterea prioribus ſeculis Eccleſiæ orientales multa de fide ſtatuebant, multa etiam ſymbola condebant; & nihilominus occidentales Eccleſiæ non improbabant, quando nihil a fide alienum continebant. Et hoc probatur ex ipſiuſmet Marci Epheſini confeſſione in eo, quod Symbola reſpicit. Etenim in Concilio Flurentino hæc aſſerere non renuit: *Inter primum Concilium, a quo divinum illud Nicænum Symbolum fuerat editum, ac ſecundum, non parum ſane temporis interceſſerat, in quo quidem temporis intervallo fere triginta alia Symbola a particularibus, ac privatis*

Conciliis prodita fuere.

VII. Debuit Eccleſia, non ſolum potuit, Symbolo inſerere teſſeram, qua Catholici ab Hæreticis diſcernerentur: ergo debuit, non tantum potuit, in Nicæno, vel Conſtantinopolitano Symbolo inſerere particulam *Filioque*. Probatur conſequentia. Eccleſia declaraverat ut fidei dogma proceſſionem Spiritus Sancti a Filio; atqui erant Catholici, qui eam profitebantur, & erant Schiſmatici, qui eam negabant: ergo debuit Eccleſia inter illos teſſeram ſtatuere; atqui hæc teſſera alia eſſe non poterat, quam additio particulæ *Filioque*: ergo ſi Eccleſia debuit inſerere Symbolo teſſeram, qua Catholici ab Hæreticis diſtinguerentur, debuit quoque particulam *Filioque* Nicæno, vel Conſtantinopolitano Symbolo inſerere.

VIII. probatur. Si additio dicitur facta ſine auctoritate, ideo eſt, quia eam particulares Eccleſiæ, vel Hiſpaniarum, vel Galliarum, vel Germaniæ, fecerunt; ſed hoc nil obſtat legitimitati additionis: ergo ſemper dicenda eſt legitime facta. Probatur minor. Nec particulares Eccleſiæ ſibi auctoritatem ſumpſerunt introducendi eam in totam Eccleſiam abſque Romani Pontificis imperio; nec nos dicimus, illam fuiſſe legitime factam, abſque Romani Pontificis approbatione: ergo nil officit legitimitati additionis, quod fuerit primum a peculiaribus Eccleſiis facta, dummodo acceſſerit deinde Romani Pontificis, eam confirmantis, auctoritas. Cæterum nec novum, quod peculiares Eccleſiæ hoc faciant, uti vidimus ex Marco Epheſino factum poſt Nicænum Concilium a peculiaribus Orientis Eccleſiis, qui triginta Symbola condiderunt.

Arguunt I. Concilium Epheſinum p. 1. act. 6. prohibuit ſub anathematis pœna prolationem alterius fidei a Nicæna; ſed particula *Filioque* continet prolationem alterius fidei a Nicæna: ergo eſt ejus additio ab Epheſino Concilio prohibita. II. Idem Concilium Epheſinum cit. loc. vetuit pariter compoſitionem alterius fidei formulæ præter Nicænam; ſed additio particulæ *Filioque* eſt compoſitio alterius fidei formulæ a Nicæna: ergo eſt ab eodem Concilio interdicta. III. Concilium Chalcedonenſe act. 11. noluit aliam exponere fidei formulam præter Nicænam; & reſpondentes Patres Judicibus, qui eam expoſcebant, dixerunt: *In ſcriptis expoſitionem non facimus. Regula eſt, quæ prædicat, ſufficere quæ ſunt expoſita. Regula vult, aliam expoſitionem non fieri. Ea, quæ ſunt Patrum, teneantur*: ergo a Concilio etiam Chalcedonenſi omnis immutatio, additio, diminutio, in Nicæno Symbolo eſt prohibita. IV. Concilium generale VII. pariter anathematizat illos, qui Symbolo aliquid addunt, vel demunt: *Nos leges Patrum cuſtodimus. Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus*: ergo additio, de qua loquimur, eſt quoque ab hoc Concilio improbata. V. Cyrillus in ep. ad Joannem Antiochenum, cujus initium eſt, *Latentur Cœli*, & quæ Orientalium confeſſionem complectitur, hæc ſcribit: *Nullo autem modo patimur, ut ab aliquo fides illa, ſive fidei Symbolum, concutiatur, quod a ſanctis quondam Patribus Nicænis editum eſt. Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam voculam ibi poſitam immutare, aut unam etiam ſyllabam præterire, permittimus*: ergo ex Cyrillo illegitime facta eſt additio. VI. Ex Leone III. ſupra citato habemus, quod non per hoc, quod nova dogmata exponuntur, & declarantur, debent in Symbolo poni; quod in Verbo exemplificat: ergo neque per hoc, quod de Spiritu Sancto fuerit novum dogma explicatum, ac declaratum, debebat illud in Symbolo poni. VII. Fuit etiam definitum, ac expoſitum, B. Virginem eſſe Dei Matrem, Corpus Chriſti vere ſub euchariſticis ſpeciebus contineri, Confeſſionem auricularem dari, & ſimilia; & tamen hæc in Symbolo non continentur: ergo non per hoc, quod proceſſio Spiritus Sancti a Filio fuerit definita, addi poterat Symbolo. VIII. Aliud eſt Fidei Symbolum; aliud præſefert fidei Confeſſio; hæc quidem variari poteſt, dummodo ſubſtantia fidei invariata conſiſtat. At fidei Symbolum eſt prorſus immutabile, nec quidem vocis, aut ſyllabæ, mutationem ſuffert. Et hinc eſt, quod in Conciliis ſæpe Confeſſiones exhibentur, non Symbola; quod quidem in omnibus Conciliis ſemper eſt idem.

Reſpondemus ad I. primo, Epheſinum Concilium eſſe intelligendum de mutatione, quæ fit privata auctoritate, non vero de illa, quæ fit auctoritate Eccleſiæ. Vel enim de Conciliis loquimur, quorum auctoritate fit mutatio, & par in parem non habet imperium: Vel loquimur de Pontifice ſummo, & multo minus auctoritatem habet in Pontificem, qui eſt ſuperior, Concilium, quod eſt inferius. Secundo, intelligitur Concilium de iis, quæ ſunt contraria illis, quæ in Symbolo conti-

nen-

nemur, non vero de iis, quæ illis non opponuntur.

Ad II. Proferenda ſunt verba Concilii, & occaſio perquirenda, propter quam fuerint a Patribus ſcripta. Verba ſunt. *Decrevit ſancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut ſcribere, aut exponere, præter eam, quæ definita fuit a ſanctis Patribus apud Nicænam Urbem in Spiritu Sancto congregatis. Eos autem, qui fuerint auſi aliam fidem componere, ſive porrigere, aut proferre, his, qui volunt ad veritatis cognitionem converti ex Gentibus, vel ex Judæis, vel etiam ex qualibet hæreſi: iſtos, ſi quidem Epiſcopi fuerint, aut Clerici, alienos, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos a clericatu; ſi vero Laici fuerint, anathematizatos.* Occaſio autem fuit hæc. Chariſius Presbyter Epheſino Concilio præſentavit Symbolum Neſtorii; Symbolum autem Neſtorii contrarium erat Nicænæ fidei; & tamen Neſtorius volebat, quod infideles omnes, qui catholicæ Eccleſiæ adſcribebantur, illud amplecterentur. Hoc certe Concilium improbavit, & decretum, quod recitavimus, promulgavit. Cæterum Chariſius, ut ſe catholicum oſtenderet, Symbolum Nicænum, vel Conſtantinopolitanum recitavit, quod deprehenſum a Patribus fuit cum vero Nicæno, vel Conſtantinopolitano non convenire; & tamen non per hoc Chariſius vel accuſatus fuit, vel uti catholicus non fuit admiſsus.

Ad III. IV. & V. eadem eſt reſponſio; loqui nimirum in teſtimoniis citatis de voculis, & ſyllabis, quæ eſsent Nicænæ fidei contrariæ, non vero de illis, quæ oppoſitæ non eſsent. Et hoc quidem hac ratione probatur, quia Cyrillus præcipue probat confeſſionem fidei Epiſcoporum Orientalium in epiſtola citata; in qua confeſſione Joannes Antiochenus, & Epiſcopi eidem adhærentes, profitebantur, ſe in ſua confeſsione nihil Nicænæ fidei addidiſse. Hæc ſunt verba Epiſcoporum Orientalium: *De Virgine autem Dei genitrice quomodo ſentiamus, & loquamur, deque unigeniti Filii Dei incarnationis modo, breviter dicemus, nihil omnino addentes fidei in Nicæa a ſanctis Patribus expoſitæ. Illa nanque, ut prius dictum eſt a nobis, ad omnem pietatis cognitionem, omniſque hæreticæ pravitatis refutationem ſufficit.* Igitur æque Concilium Chalcedonenſe, Concilium generale VII., & Cyrillus, intelligi debent de voculis, & ſyllabis, quæ contrariæ ſunt Nicæno Symbolo, non vero de iis, quæ eidem non opponuntur.

Ad VI. & VII. dicimus, quod non omnia quidem poni debent in Symbolo, quando peculiaris ratio, & urgens cauſſa non poſcunt. Attamen ad particulam *Filioque* in Symbolo ponendam urgebat, & hæreſis exorta, quæ quidem ab eodem Symbolo occaſionem accipiebat, quatenus in eo dicebatur Spiritus Sanctus a Patre procedens; unde in Symbolo, a quo Adverſarii Schiſmatici virus arripiebant, medicinam ponere conſultum quam maxime viſum eſt: Et pariter ſuadebat facilitas ponendi additionem illam ſine novi articuli multiplicatione, ſed tantum cum expoſitione, vel prorogatione ejuſdem articuli, qui jam poſitus in Symbolo inveniebatur. Rationes autem hæ, vel cauſſæ, pro aliis additionibus, de quibus vel loquebatur Leo Pontifex, vel Adverſarius loquitur, locum omnino non habent. Dogmata enim eſſent multa; hæreſes iiſdem oppoſitæ, non eſſent a Sectatoribus illarum a Symbolo depromptæ, & non facile ita poſſent verbis reſtringi, ut Symbolum interminabile non redderent.

Ad VIII. Fecimus nos quoque diſtinctionem illam inter Symbolum, & fidei confeſſionem, ut ſupra ſcriptum eſt; pariterque obſervavimus in Toletanis Conciliis, non fuiſſe Symbolum in omnibus recitatum, ſed in quibuſdam Symbolum, in aliis vero ſolam fidei confeſſionem. Unde incaſſum Adverſarii hoc nobis opponunt, quaſi pro eodem ſumpſiſſemus utrumque, vel pro uno aliud, aut unum pro alio, intelligendum eſſe voluiſſemus. Verum non in hoc ſtat diſcrimen inter Symbolum, & fidei confeſſionem, quod hæc capax ſit additionis, illud vero minime; ſed potius conſiſtit, quod fidei confeſſio quibuſcunque verbis poteſt concipi, & quibuſcunque articulis exponi; non ſic vero Symbolum, quod præſcriptis verbis, & ſtatutis articulis comprehenditur; quia fidei confeſſio privata auctoritate fit, ſymbolum publica Eccleſiæ auctoritate concipitur, efformatur, ac promulgatur. Unde fit, quod accedente Eccleſiæ auctoritate, vel in Concilio congregatæ, vel in ipſius capite, quod eſt Romanus Pontifex, contentæ, Symbolum eſt ſolummodo capax accipiendi additionem, quæ ſit neceſſaria, conveniens, vera, cujuſmodi fuit illa, de qua ſcribimus. Confeſſio tamen fidei nil obſtat, quin a privatis etiam perſonis fiat, verbis ad eorum libitum adhibitis, dummodo fidei ſubſtantia non varietur.

DIS-

DISSERTATIO CXXIX.

De Scholaſticorum Controverſia; Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, an ab eo diſtingueretur; an Hypotheſis ſit admittenda, & quid de Controverſia dicendum?

THEOLOGI de ſchola, ut contra Græcos probarent, vere Spiritum Sanctum a Filio procedere, hoc argumento uſi ſunt; adeo ſcilicet veram eſſe unius ab alio proceſſionem, ut ſi illa non eſſet, non eſſet Trinitas, ſed eſſet dualitas; Spiritus Sanctus enim non diſtingueretur a Filio, adeoque non eſſent duæ perſonæ, ſed una. Et quidem præ cunctis Angelicus Doctor rationis hujuſce vel inventor, vel promotor, vel propugnator fuit acerrimus; eam enim expreſſe docet 1. p. q. 36. ar.2. At Doctor ſubtilis ex adverſo ſtat in 1. diſt. 11. q.2. fortiſſime defendens, quod etiam ſi Filius a Spiritu Sancto non procederet, adhuc ab eo realiter diſtingueretur; adeoque rationem S. Thomæ non eſſe adeo firmam, ut communiter Theologi exiſtimant. Et quidem Scotus duas in Filio relationes diſtinguit, Filiationem ſcilicet, & Spirationem activam, non realiter quidem, quod dici non poteſt, ſed formaliter, aut ſaltem modaliter. Filiatione vult Filium conſtitui non ſolum in ratione Filii divini, ſed etiam in ratione Perſonæ divinæ omnimode completæ, & perfectæ. Spiratione vero activa, quæ ex Filiatione reſultat, eamque ſupponit, & adeo ſupponit, ut perſona Filii ſupponatur quoque omnimode completa, & a qualibet alia perſona diſtincta, non conſtitui proinde in ratione perſonæ divinæ utcunque, ſed in ratione tantum Spiratoris. Diſtinguit etiam in divinis præter relationes originis, relationes alias, quas nominat diſparatas; ut ſunt filiatio, & ſpiratio paſſiva, & inter eas realem diſtinctionem agnoſcit, abſque eo, quod originis relatio intercedat.

Non de ſunt quidem Scriptores, qui quæſtionem hanc inutilem omnino judicent; inter quos eſt Godfredus quod lib.7.q.4., qui eam etiam dicit ſolutionis indignam, quia impoſſibile ſupponit. Et re vera P. Magnanus in Philoſophia ſacra c. 20. prop.15. fatetur, haud libenter aſſentiri, ut hujuſmodi quæſtiones proponat, quæ procedunt ex hypotheſi impoſſibili; aut ſi proponat, facile adduci, ut ex hypotheſi impoſſibili concluſionem deducat impoſſibilem. Unde ſubdit; quod ſi a Filio non procederet Spiritus Sanctus, nullus eſſet Spiritus Sanctus; immo nec ullus eſſet Filius, nec ullus eſſet Pater, nec prorſus ullus eſſet Deus. Quod hoc pacto probat: Secundum intrinſeca Dei non eſt minus neceſſaria immutabilitas ejus, quam ejus exiſtentia; ſed ſi Spiritus Sanctus a Filio non procederet, tolleretur Dei intrinſeca immutabilitas: ergo tolleretur Dei exiſtentia: ergo nullus eſſet Deus. Major eſt certa; ſi enim quis tolleret neceſſitatem immutabilitatis, in ſuppoſitione, quod Deus aliter intrinſece ſe habeat, quam re vera ſe habet, hoc ipſo auferret neceſſitatem exiſtentiæ. Deus enim ita neceſſe eſt, ut ſit intrinſece omni eo modo, quo eſt, ut impoſſibile ſit, ullo alio modo eſſe. Sic Magnanus. Præter Godfredum, & Magnanum, ſunt etiam Gregorius Ariminenſis in 1. diſt.11. q.1. ar.2., Gabriel q.2., aliique pauci, qui ex principio illo; *ex impoſſibili ſequitur quodlibet*, putant, ex hypotheſi illa impoſſibili; Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet; quodlibet ex contradictoriis ſequi; nimirum, & quod Spiritus Sanctus a Filio diſtingueretur, & quod non diſtingueretur: unde inferunt, inutilem eſſe quæſtionem hanc, qua ſub tali hypotheſi de diſtinctione Spiritus Sancti a Filio quæritur.

Attamen P. Lallemandet de Deo trino diſp. 4. partic. 5. diſputabilem ait ſub hac hypotheſi inquiſitionem, de qua loquimur, & rationem ſuppetit ex Aureolo, quæ ſub ejus formalibus verbis mox afferetur; & hanc, dicit, eſſe communem Theologorum ſententiam. Hanc eandem aſſerit, & probat Cacheranus tract.2. de Deo trino c.4. §. 9. ubi firmat, valde utile, ac neceſſarium eſſe agitare controverſiam

de

de diſtinctione Spiritus Sancti a Filio, ſi a Filio non procederet; & citat Scotum, Vaſquez, Lugum, Arriagam, Ruiz. Aſſerit pariter, & probat Fraſſen trac. 3. diſp. 3. ar. 2. q. 2., dicens, quod omnes Scholaſtici tanti fecerunt hanc quæſtionem, ut accuratas, & ſubtiles in ejus reſolutione diſputationes texuerint, nec fuit caſſus eorum labor. Immo ſuſtinendo illorum ſententiam, qui volunt, in facta hypotheſi Spiritum Sanctum a Filio non diſtingui, multum juvat contra Græcos probare, vere Spiritum Sanctum a Filio procedere; quod per ſe clarum omnino eſt.

Dicimus I. Hypotheſim hanc recte, & utiliter fieri, ut proceſſio Spiritus Sancti a Filio magis innoteſcat.

I. Probatur a P. Lallemandet ex Aureolo. Illa inquiſitio eſt rationabilis, & diſputabilis, quæ formatur de propoſitione hypothetica, cujus cathegorica æquipollens eſt dubitabilis, & ſub inquiſitione cadens; ſed talis eſt inquiſitio, de qua loquimur: ergo &c. Probatur major. Hæc propoſitio: An Aſinus volaret, ſi haberet alas, eſt dubitabilis, quia non omne habens alas volat; ut eſt Struzio, qui habet alas, & non volat: ergo illa inquiſitio eſt rationabilis, & diſputabilis, quæ formatur de propoſitione hypothetica, cujus cathegorica æquipollens eſt dubitabilis, & ſub inquiſitione cadens. Minor primi argumenti eſt manifeſta, quia jam de facto controvertitur inter Scholaſticos, an ſub illa hypotheſi Spiritus Sanctus a Filio diſtingueretur, vel ne?

II. Probatur a Cacherano. Argumentari ab impoſſibili non eſt inutile, immo eſt utile, quando impoſſibile non involvit contradictoria ex terminis, & arguitur illatione formali, & per locum intrinſecum; ſed in hypotheſi, de qua loquimur, ita argumentamur: ergo utiliter, & non inutiliter, argumentamur. Major patet; quia tunc eſt inutile argumentari ab impoſſibili, quando ex impoſſibili ſequitur quodlibet; ſed quando impoſſibile non involvit contradictoria ex terminis, & arguitur illatione formali, & per locum intrinſecum, ex impoſſibili non ſequitur quodlibet: ergo, &c. Probatur autem minor. Hypoteſim hanc nos præciſe conſideramus, & non cum addito, nimirum, & remaneret idem Filius, & idem Spiritus Sanctus, qui nunc ſunt; ſed ſub hac conſideratione non involvit contradictoria ex terminis, & argumentamur illatione formali, & per locum intrinſecum: ergo in hypotheſi, de qua loquimur, ita argumentamur. Minor conſtat terminos conſideranti; major probatione non indiget; conſequentia ſequitur.

III. Probatur ab eodem. Utile eſt quærere, an proceſſio Spiritus Sancti a Filio ſit tota ratio diſtinctionis inter Spiritum Sanctum, & Filium; item, an Spiritus Sanctus poſſit realiter diſtingui a Filio, abſque eo quod a Filio realiter procedat; Sed hoc idem continet hypotheſis, de qua loquimur: ergo non eſt inutile argumentari per illam. Probatur minor. Propoſitio hypotheticа, de qua loquimur, æquivalet quoad rem duabus illis cathegoricis; & idem eſt dicere per illam, ac per hanc: ergo hypotheſis, de qua loquimur, idem continet.

IV. Probatur a Fraſſen. Hypotheticæ quæſtioni, de qua tractamus, aliæ ſimiles ſunt, quæ pariter a Theologis agitantur, & utiliter agitantur: ergo & hæc. Probatur antecedens. Tractantur nimirum; an ſi Deus non eſſet immutabilis, foret æternus? An ſi homo non peccaſſet, Verbum veniſſet? An ſi homo non eſſet riſivus, diſtingueretur ab equo; ſed quæſtiones iſtæ utiliter tractantur: ergo, &c. Probatur minor. Ex eo utiliter tractantur, quia prima inſervit ad inveſtigandum, an immutabilitas ſit formalis ratio æternitatis? Secunda, an peccatum primi hominis fuerit Incarnationis motivum; Tertia, ad cognoſcendum formale principium conſtituens hominem, & eum a brutis diſtinguens; ſed hoc etiam verificatur in noſtra hypotheſi: ergo, &c. Probatur minor, & ſimul conſequentia primi argumenti. Noſtra quæſtio hypothetica inſervit ad inveſtigandum, an vere Spiritus Sanctus a Filio procedat; vel melius, ad confirmandum, quod vere Spiritus Sanctus a Filio procedit: ergo hoc etiam verificatur in noſtra hypotheſi.

V. Probatur. Controverſia hæc hypothetica utilis eſt admodum ad explicandam ſimul, & tuendam veritatem proceſſionis Spiritus Sancti a Filio: ergo non eſt inutilis, & reſponſione indigna. Probatur antecedens. Ut videbimus, Sancti Patres ex diſtinctione Spiritus Sancti a Filio inferunt proceſsionem ejuſdem a Filio; & in Concilio Florentino Latini Græcus urgebant, quod negantes proceſsionem Spiritus Sancti a Filio, tenebantur etiam negare ejuſdem a Filio diſtinctionem, & per conſequens Trinitatem perſonarum: ergo

go dum in hac quæſtione hypothetica diſcutitur Spiritus Sancti a Filio diſtinctio, vere etiam proceſsio ejuſdem a Filio firmatur : ergo utilis eſt admodum ad explicandam ſimul, & tuendam veritatem proceſsionis Spiritus Sancti a Filio.

Arguunt I. ex P. Magnano. Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, aut nullus omnino eſſet Spiritus Sanctus, aut oon eſſet is, qui jam eſt, ſed alius; Si nullus; quæſitio jam eſt de ſubjecto, quod non ſuppooitur; ſi alius; is noo poterit eſſe niſi chimæricus. Hic autem, qui modo eſt, eſſe non poteſt; quia hic, qui jam eſt, a Filio procedit; & hoc eſt ita immutabile, ut non poſsit eſſe is, qui eſt, ſi a Filio noo procedat; quia ab eo accipit eſſe ſuum, & ad eum refertur velut ad ſuum principium; & proprietas, quæ illi fundamentum eſt ejus relationis, eſt ipſius conſtitutiva. Hæc Magnanus. II. Ex impoſsibili ſequitur impoſsibile; ſed nulla utilitas infertur ex impoſsibili concluſione: ergo plane inutilis eſt controverſia hæc. III. Si hæc impoſsibilis ſuppoſitio admitteretur, redargui poſſet admitteos eam, & adigi ad concedeoda contradictoria; ſed hoc urgeret maxime reſpondentem, & in errorem pariter induceret : ergo, &c. IV. Similes impoſsibiles hypotheſes a Theologis tantum de Schola fiuot, qui nugas adamant, & tricas amplectuntur, non vero a primis Theologiæ magiſtris, qui ſunt Sancti Patres, apud quos nullam ex his ioveniet quicunque eos etiam accurate revolvat.

Reſpoodemus ad I. P. Magnanum ſupponere, quæſtionem fieri de Spiritu Sancto pro ut modo eſt, itaut remaoeat Filius idem ac eſt, & idem ac eſt Spiritus Sanctus. Quod plane a oobis negatum fuit. Alius eſt ergo, nimirum qui a ſolo Patre procederet, & noo a Filio, uti eſt qui modo eſt, & qui ab utroque procedit; & tameo non eſſet chymericus; vel ſi eſſet, hoc eſt, quod quæritur, an in tali hypotheſi eſſet Spiritus Sanctus, vel non eſſet. Cæterum P. Magnanus, agnoſceos deinde utilitatem hujuſce hypotheticæ controverſiæ, ſic ſe explicat: „ Verum quia
„ ſolet hæc in ſcholis paſſim agitari quæ-
„ ſtio, & poteſt in tantum eſſe utilis, in
„ quantum ordinari poteſt ad probaodum
„ cootra Græcos neceſſitatem, qua tene-
„ mur fateri, Spiritum Sanctum a Filio pro-
„ cedere, hoc ipſo, quod ab iovicem diſtin-
„ gui eos, habemus ex fide; idcirco ſuſci-
„ pio, & dico breviter : Si per impoſſibile
„ Spiritus Saoctus a Patre ſolum, non item
„ a Filio procederet, nullum fore nobis ar-
„ gumentum diſtinctionis inter Filium, &
„ Spiritum Sanctum realis, ſed ad ſummum
„ furmalis „.

Ad II. dicitur, quod ex impoſſibili ſequitur impoſſibile; hoc eſt ex contradictoriis, quorum intuitu fit impoſſibilis ſuppoſitio; quo eſt impoſſibile involvens contradictoria ex terminis; vel eſt impoſſibile, ex quo fiat illatio materialis, & per locum extrinſecum; quæ illatio in re transfert ſuppoſitionem præciſe impoſſibilem ad ſuppoſitionem ex terminis contradictoriam, ſicque deſtruit ipſam ſuppoſitionem. Ita loquitur Cacheranus; qui ſubdit etiam ex Vaſquez, recte valere illationem ex impoſſibili, quando illatio fit manente ipſa ſuppoſitione impoſſibili.

Ad III. jam diximus, quod nos loquimur de ſuppoſitione impoſſibili, quæ non involvat contradictoria ex terminis; quod clare patet de hypotheſi noſtra; quia ſi conſiderantur illius termini, illico conſtat, ipſos ex ſe non exprimere affirmationem, & negationem ejuſdem. Uode ratio non eſt cootra hypotheſim noſtram, oec contra nos.

Ad IV. proponimus Auguſtinum, qui lib. 3. de Trin. c. 6. hanc impoſſibilem quæſtionem proponit : *Si Pater Filium non genuiſset, nihil probiberet eum dici ingenitum.* Patrem non gignere Filium in divinis eſt omnioo impoſſibile; & nihilominus ex hac impoſſibili ſuppoſitione recte Auguſtinus concludit, quod etſi in divinis perſona non eſſet generans, non minus tameo foret ingenita. Non ſolum ergo Theologi de ſchola quæſtiones haſce de hypotheſi impoſſibili proponunt, verum quoque veræ Theologiæ magiſtri, Sancti Patres, inter quos omnes eminere Auguſtioum, illi ſulum igoorant, qui ignorant Auguſtinum.

Ad principalem controverſiam tempus modo eſt ut accedamus examinandam, ac dirimendam. S. Thomas, qui nullam agnoſcit realem diſtioctiooem inter Filium, & Spiritum Sanctum, ſi hic ab illo non procederet, ultra ſuos Thomiſtas, ſectatores pariter habet Ægydium, Molinam, Arrubal, Granados, Montoyam, Bellarminum, Vaſquez, Valentiam, Lugum, Arriagam, Marchioum, De Quiros, Cacheranum, P. Magnanum, Jueninum, alioſque plurimos; quibus adduntur Alenſis, S. Bonaventura, B. Albertus magnus, Durandus &c. Scotus vero, qui rea-

lem

lem propugnat diſtinctionem inter Filium, & Spiritum Sanctum, ſi ab illo hic non procederet, aſſeclas habet, præter ſuos Scotiſtas, Henricum Gandavenſem, P. Lallemandet, & alios paucos. At Valentia volens mediam ingredi viam hac utitur diſtinctione apud Cauvinum tract. 1. de Trinit. diſp. 7. q. 1. §. 1. Si quæſtio agitatur theologice, inquit, ideſt, innitendo principiis revelatis a Deo, negare, quod ſit diſtinctio; Si vero metaphyſice, ſive adhærendo ſoli lumini naturæ, & principiis illius, affirmare, quod diſtinctio intercedat.

Dicimus II. Quod Spiritus Sanctus non diſtingueretur realiter a Filio, ſi ab illo non procederet.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Toletanum I. in aſſertione fidei: *Credimus .... Spiritum quoque eſſe Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed a Patre, Filioque procedens. Eſt ergo ingenitus Pater, genitus Filius, & non genitus Paracletus, ſed a Patre, Filioque procedens*. Ab aliis citantur hæc Concilii verba cum altero verbo adjuncto; ſcilicet ubi primo dicitur, *ſed a Patre, Filioque procedens*; ponunt, *eo quod a Patre, Filioque procedat*. Unde Fraſſen infidelitatem citationis opponens, ab ulteriori reſponſione ſe abſtinet. At nos verbum illud, quod vere in Concilio non reperitur, non recitantes, ex aliis tamen, quæ remanent, vere putamus, aſſertionem noſtram probari. Idem enim eſt ſenſus, etſi eadem non ſint verba; & ſenſus quidem eſt, quod ideo Spiritus Sanctus non ſit Pater, nec Filius, quia a Patre, & a Filio procedit; unde verbum illud *ſed* in eo loco æquivalet alteri verbo, forſitan majoris explicationis gratia adjuncto, *eo quod*: Fraſſen reſponſionem, & diſſimulationem, ſequitur etiam Henno. Concilium Toletanum XI. in Expoſitione fidei: *Ergo hoc ſolo numerum inſinuant; quod ad invicem ſunt, & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt*. Explicat Fraſſen hæc verba de relationibus diſparatis, non autem de oppoſitis; at perperam, quia ſi de diſparatis intelligerentur, deberent etiam de paternitate, & ſpiratione activa, de filiatione, & de ſpiratione pariter activa, intelligi; quod nemo dicere audebit, quia hæ relationes numerum in divinis non faciunt: ergo intelligenda ſunt de relationibus oppoſitis, quæ ſunt illæ originis. Concilium Florentinum ſeſſ. ult. *Nam credentes, Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt, ut intelligant; Spiritum Sanctum ex ſolo Patre procedere, ac conſequenter eum eſſe Filium*. Fraſſen etiam opponit nobis infidelitatem in recitatione verborum, dicens, quod hæc ultima ſic leguntur in omnibus Codicibus; *ac conſequenter non eſſe Filium*. Quod ſic legantur, non contendimus; quod ſic legi debeant, omnino negamus. Contrarius enim ſenſus, & nulla eſſet cum præcedentibus verbis connexio. Spiritus Sanctus ergo non eſt Filius, quia a Filio non procedit; nulla eſt illatio; ſed potius eſt Filius, quia a Filio non procedit. Et hic debebat eſſe loquendi modus Latinorum, aliter Græcis dediſſent anſam inferendi, quod poſſet Spiritus Sanctus non procedere a Filio, & diſtingui a Filio, & perſonarum Trinitas perſiſtere. Quod quidem eſt maxime advertendum, verba illa non Græcorum Patrum, ſed Latinorum fuiſſe. Et noſter legendi modus confirmatur aliis verbis ejuſdem Concilii in ſeſſ. 18: nimirum: *Secundum omnes Doctores, tam Græcos, quam Latinos, ſola proceſſionum differentia, quæ principalius dicitur, multiplicat perſonas in divinis, ad quam ſolam accommodantur, qui eſt ab alio, & a quo eſt alius*. Ad quæ verba reſpondet Fraſſen, quod Concilium loquitur de facto, & non de poſſibili. Valeret ſua reſponſio, ſi de poſſibili eſſet alia Trinitas, quam quæ modo eſt; & perſonarum conſtitutiva alia eſſent, quam quæ modo ſunt. Re vera Concilium ſolas proceſſiones oppoſitas in perſonarum multiplicatione cognoſcit, non vero diſparatas, quæ Conciliis, & Patribus, erant omnino incognitæ.

II. Probatur ex Patribus. Auguſtinus lib. 2. de Civit. Dei c. 10. *Ideo ſimplex Deus, quoniam quod habet, hoc eſt, excepto eo, quod relative quæque perſona ad alteram dicitur, ſicut Pater habet Filium, & non eſt Filius*. Eſſet ergo Filius Spiritus Sanctus, ſi a Filio non procederet, quia ad illum relative non diceretur. Negat Conſequentiam Fraſſen cum Scoto, dicens, quod Auguſtinus non vult, quod perſona una, non habens correlationem cum altera; non ſit realiter ab ea diſtincta; ſed tantum vult, quod habeat quicquid habet altera, præter relationem ipſius perſonalem. Sed contra. Præter quidem relationem ipſius perſonalem, quam habet cum illa; ſed cum illa nullam habet relationem perſonalem: ergo habet quicquid habet altera: ergo eſt eadem cum altera. Nec recurrat ad relationem diſparatam; quia

5. Doctor de relatione oppoſita loquitur; ut patet in exemplo, quod affert, Patris, & Filii. Boetius lib. 1. de Trinit. c. 22. *Eſſentia continet unitatem; relatio vero multiplicat Trinitatem*: Ergo in divinis eſt multiplicatio tantum per relationes: non per relationes diſparatas, quia aliter Pater, & Spirator, eſſent duæ perſonæ; Filius, & Spirator, eſſent duæ perſonæ: ergo per relationes oppoſitas. Unde præcluditur effugium Fraſſen, qui intelligit Boetii verba de relationibus diſparatis. Anſelmus lib. de proceſ. Spir. Sanct. c. 3. *Unitas non amittit ſuam conſequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppoſitio*. Ex quibus vulgatum habetur effatum: *Omnia in divinis idem ſunt, ubi non obviat relationis oppoſitio*. Nec dicat Fraſſen, quod Anſelmus agnovit relationes diſparatas, nempe nativitatis, & preceſſionis; adeoque de his intelligendus eſt. Ne dicat quidem, quia relationes diſparatæ compatiuntur cum unitate; ut patet in paternitate, & ſpiratione activa, filiatione, & ſpiratione pariter activa. Anſelmus autem loquitur de relationibus, quæ cum unitate non compatiuntur: ergo non loquitur de relationibus diſparatis.

III. Probatur Rationibus. I. Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, ideo ab eo diſtingueretur, quia darentur inter ipſos relationes diſparatæ; ſed relationes diſparatæ non ſufficiunt ad diſtinctionem realem inter perſonas divinas; ergo in facta hypotheſi Spiritus Sanctus a Filio non diſtingueretur. Major eſt doctrina Adverſariorum. Minor probatur. Relationes diſparatæ diſtinguere non ſunt aptæ ut relationes formaliter, & modo proprio relationum; ſed relationes in divinis non diſtinguunt, niſi ut relationes formaliter, & modo relationum proprio: ergo relationes diſparatæ non ſufficiunt ad diſtinctionem realem inter perſonas divinas. Probatur major. Relationes diſparatæ non ſe habent ut relationes formaliter, & una relatio diſparata ad aliam diſparatam non ſe habet modo relationum proprio: ergo relationes diſparatæ diſtinguere non ſunt aptæ ut relationes formaliter, & modo relationum proprio. Probatur antecedens. Quæ in ſe ſunt abſoluta, vel imitantes abſoluta, non ſunt relationes formaliter; & quæ inter ſe non ſe habent modo relativo, & non explicant habitudinem *ad*, non ſe habent modo relationum proprio; ſed ſic ſe habent relationes diſparatæ: ergo relationes diſparatæ non ſe habent ut relationes formaliter, & una relatio diſparata ad aliam diſparatam non ſe habet modo relationum proprio. Probatur minor. Relationes diſparatæ ex ſuo conceptu non involvunt realem diſtinctionem inter ſe; ut patet inter paternitatem, & ſpirationem activam, inter filiationem, & ſpirationem pariter activam; ſed quæ non involvunt ex ſuo conceptu realem diſtinctionem, non ſunt relationes formaliter, quæ ex ſuo conceptu important realem diſtinctionem; nec ſe habent modo relationum proprio, qui eſt dicere realem diſtinctionem inter relativa: ergo relationes diſparatæ non ſunt relationes formaliter, & inter ſe non ſe habent modo relationum proprio. Sic argumentatur Cacheranus.

II. Ideo in creatis relationes diſparatæ fundant realem diſtinctionem inter creaturas, & etiam inter perſonas divinas, & creaturas, quia diſtinctivum creaturarum ab invicem, vel divinarum perſonarum a creaturis, & poſſunt eſſe rationes abſolutæ, & poſſunt eſſe relationes imitantes formas abſolutas, ſeu quæ se habent modo abſoluto, ut ſunt relationes diſparatæ; ſed hoc non ſufficit ad diſtinctionem perſonarum in divinis: ergo relationes diſparatæ quanvis ſufficient ad fundandam diſtinctionem inter creaturas, & inter perſonas divinas, & creaturas, non ſunt tamen ſufficientes ad fundandam diſtinctionem realem inter perſonas divinas. Probatur minor. Diſtinctivum divinarum perſonarum ab invicem ſunt ſolæ relationes ut relationes formaliter; ſed quæ poſſunt eſſe relationes abſolutæ, & poſſunt eſſe relationes formas abſolutas imitantes, & quæ ſe habent modo abſoluto, non ſunt ſolæ relationes ut relationes formaliter: ergo illud, quod explicatur per relationes diſparatas, non ſufficit ad diſtinctionem perſonarum in divinis: ergo relationes diſparatæ non ſufficiunt in divinis, quanvis ſufficiant in creatis.

III. Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, Filius etiam diſtingueretur realiter a Patre: ergo non diſtingueretur realiter a Spiritu Sancto. Probatur conſequentia. In principiis Adverſariorum Filius non poſſet diſtingui a Patre quia Filius in illa hypotheſi: ergo quia ſpiratus: ergo eſſet realiter Spiritus Sanctus. Probatur antecedens. Filiatio, & paternitas ſunt compoſſibiles in eadem virtute ſpirativa, ſeu in eadem ratione principii ad ſpirandum; quod de fide habemus: ergo Filius

non

Digitized by Google

non poſſet diſtingui a Patre quia Filius. Probatur conſequentia. In principiis Adverſariorum, ubi eſt incompoſſibilitas duorum in eodem, eſt perpetuo, & in omni eventu diſtinctio realis inter illa: ergo ubi eſt compoſſibilitas duorum in eodem, erit inter illa realis identitas. Antecedens eſt Adverſariorum doctrina; dicunt enim, inter filiationem, & ſpirationem paſſivam eſſe perpetuo diſtinctionem realem, etiam remota oppoſitione relativa, & non aliunde, niſi quia in illis eſt incompoſſibilitas in eodem. Conſequentia ſequitur, & ex admiſſione hujus doctrinae, & ex lege contrariorum; nam ſi negatio compoſſibilitatis eſt cauſſa negationis identitatis, affirmatio illius erit cauſſa affirmationis identitatis. Unde a primo ad ultimum hoc abſurdum devorare Adverſarii coguntur, quod ſi admittant in facta hypotheſi diſtinctionem Spiritus Sancti a Filio, admittere etiam debeant indiſtinctionem Filii a Patre. Sic Cauvinus.

IV. Non implicat, quod ratio producti per intellectum, & ratio producti per voluntatem, eidem omnino perſonae conveniant, ſi una ab alia non procedat: ergo in noſtra hypotheſi magis deberet diſtingui Filius a Patre, quia ſpiratus, quam quia Filius. Conſequentia ſequitur; quia ratio ſpirati, tam de facto, quam in hypotheſi, eſt incompoſſibilis cum Patre; ratio vero Filii ſaltem de facto eſt compoſſibilis cum illo in ratione principii, ſeu in virtute ſpirandi. Antecedens probatur. Non repugnat, unam perſonam, & eandem eſſe genitam ratione unius formalitatis, & eſſe ſpiratam ratione alterius: ergo non implicat, quod ratio producti per intellectum, & ratio producti per voluntatem, eidem omnino perſonae conveniant, ſi una ab alia non procedat. Probatur antecedens. Non repugnat, quod una, & eadem perſona ſit improducta ratione eſſentiae, & ſit producta ratione relationis: ergo non repugnat, unam, & eandem perſonam eſſe genitam ratione unius formalitatis, & eſſe ſpiratam ratione alterius. Probatur conſequentia. Magis diſtant produci, & non produci, quam produci duabus formalitatibus diſtinctis: ergo ſi illud non repugnat, neque hoc repugnabit. Ad haec autem abſurda impedienda non ſufficit relatio quaecunque, niſi ſit oppoſitionis; quia in divinis, ſublata hac oppoſitione, ob eorum infinitatem, omnia tranſeunt in identitatem.

V. Divinae perſonae de facto ſunt idem realiter in omni eo, in quo relative non opponuntur, etiam in eo, in quo diſparate referuntur: ergo, quia in noſtra hypotheſi filius, & Spiritus Sanctus, non haberent oppoſitionem relativam, quanvis haberent relationem diſparatam, eſſent tamen una, & eadem perſona. Antecedens negari nequit; quia in Patre paternitas & ſpiratio activa, etſi ſint relationes diſparatae, ſunt tamen unum, & idem. Conſequentia ſequitur ex paritate rationis. Poſſent tamen Adverſarii aſſignare diſcrimen inter principium, & terminos; dicendo nimirum, quod in eodem principio poſſunt identificari relationes diſparatae, non ſic autem in duobus terminis; quia termini ex ſe poſcunt realem diſtinctionem. Sed hoc eſſet petere principium, quum hoc ſit in quaeſtione; Verum nos in ratione quarta nuper probavimus, non repugnare, quod in uno, & eodem termino identificentur relationes diſparatae.

VI. Sine ſumma neceſsitate non eſt in Deo admittenda realis pluralitas, & realis diſtinctio; ſed facta noſtra hypotheſi, non eſſet haec ſumma neceſsitas: ergo non eſſet admittenda. Major conſtat; quia in Deo ponenda eſt ſemper major perfectio; unitas autem ex genere ſuo perfectior eſt, quam pluralitas, & identitas, quam diſtinctio; & hoc etiam patet, quia diſtincta in inferioribus ſunt, in ſuperioribus autem ſunt unita, collecta, & magis ad unitatem accedentia. Minor probatur. Neceſsitas illa nobis omnino non innoteſcit: ergo non eſſet. Probatur antecedens. Si innoteſceret, vel innoteſceret ex fide, vel ex naturali ratione; ſed non innoteſcit neque ex fide, neque ex naturali ratione: ergo nobis non innoteſcit. Probatur pro prima parte. Fides ſolum docet, eſſe Spiritum Sanctum, qui de facto exiſtit, & conſequenter realiter a Filio procedere, & realiter a Filio diſtingui: ergo ex fide non innoteſcit. Probatur pro ſecunda parte. Hoc ſolum nobis eſt certum, & ſuo modo quoque evidens, eſſe realem diſtinctionem ubi eſt oppoſitio relativa, ſeu relatio originis; quod vero ſit pariter realis diſtinctio ubi eſt diſparata relatio, nec certum, nec evidens, ipſimet Adverſarii dicere audebunt.

Arguunt Adverſarii I. Ex Auguſtino lib. 5. de Trinit. c. 14. de Spiritu Sancto loquente: *Exit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus; & ideo non dicitur Filius, quia nec*

nto natus eſt ſicut Unigenitus: Ergo ex Auguſtino non diſtinguitur Spiritus Sanctus a Filio præciſe, quod ab eo procedat, ſed quia productio ipſius eſt alterius rationis a productione Filii. II. ex Nyſſeno, quem citat Beſſario in Orat. pro unione ex lib. 1. in Evangelia: *Spiritus Patri conjunctus eſt, & ſecundum quod uterque increatus, & ſecundum quod uterque ex primo principio ſuam ſubſtantiam habet conjunctus; diſtinguitur ſua proprietate, quæ eſt, quod nec unigenitus, ex Patre productus eſt, & quod per ipſum Filius ſit manifeſtus.* Si ergo Nyſſenus diſtinctionem Spiritus Sancti a Patre non a ſpiratione deſumit, ſed a proprietate eorum conſtitutiva; ita pariter diſtinctio Spiritus Sancti a Filio deſumenda eſt. III. ex Anſelmo tract. cont. Græcos de proceſsione Spiritus Sancti c. 2. *Quoniam Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus procedendo, ipſa diverſitate nativitatis, & proceſſione referuntur ad invicem, ut diverſi, & alii ab invicem.* Idem in eodem loco. *Filius autem, (ut interim aliam taceam cauſam, quoniam nondum conſtat, quod Spiritus Sanctus de ipſo ſit, & procedat) ideo non eſt Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus eſt Filius, quia Filius naſcendo habet eſſe de Patre, Spiritus Sanctus autem non naſcendo, ſed procedendo.* Idem in eodem tract. c. 3. *Alii ſunt ab invicem per hoc dictum eſt, ut puta quia alter naſcitur, alter vero procedit; & ideo cum naſcitur unus, non poteſt cum eo naſci ille, qui per hoc eſt alius ab eo, quia non ſimiliter naſcitur, ſed procedit; & cum unus procedit, nequit ille ſimul procedere, qui per hoc eſt alius ab illo, quia non ſimiliter procedit, ſed naſcitur.* Et c. 4. concludit: *Si per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent diverſi, ſcilicet, quia alter naſcendo, alter exiſtit procedendo.* Verba ita ſunt clara, ut expoſitione non egeant. Subdunt tamen Adverſarii; quod Urbanus Pontifex, qui in Barenſi Concilio S. Anſelmi doctrinam cum omnibus Concilii Patribus probavit, videtur etiam eorum ſententiam probaſſe. IV. Damaſcenus lib. 1. de fide c. 7. 9. 10. 11. & 18. vult, Spiritum Sanctum a Filio diſtingui, quia a Patre procedit; *non filialiter, ſed proceſſibiliter.* V. Athanaſius Filium, & Spiritum Sanctum diſtinguit, quod unus *ex utero ſit, alter ex ore.* VI. S. Thomas quod lib. 4. ar. 3. docet, rem diſtingui per ſuam formam non ſolum ab oppoſita, ſed etiam a diſparata; & affert exemplum ſaphiri, quem vult diſtingui per ſuam formam non ſolum ab aliis lapidibus, ſed pariter a plantis: Unde concludit: *Sic ergo dicendum, quod Filius ſua filiatione diſtinguitur quidem a Patre ſecundum oppoſitionem relativam filiationis ad paternitatem; ſed a Spiritu Sancto diſtinguitur filiatione, per quod Spiritus Sanctus non habet filiationem, quam Filius habet.*

Reſpondemus ad I. quod utique Filius, & Spiritus Sanctus diſtinguuntur, quia diverſo modo procedunt; attamen nequeunt diverſo modo procedere, ſi Spiritus Sanctus a Filio non procedat; quæ eſt reſponſio S. Thomæ q. 10. de pot. ar. 5. ad 2. Quod vero non poſsent diverſo modo procedere, ſi Spiritus Sanctus a Filio non procederet, oſtendit S. Doctor in corp. docens, quia ex æquo reſpiceret Patrem quantum ad originem, unde vel non eſsent duæ perſonæ, vel eſset ordo inter eos perfectionis ſecundum Arianos (qualis ſcilicet ab his hæretice ſtatuitur ſecundum majoritatem unius ad aliam, ut immediate antea explicat); vel eſset inter eos materialis diſtinctio, quod eſt impoſsibile. Sic ex S. Thoma Cauvinus.

Ad II. Si valeret argumentum, quod ex verbis Nyſſeni Adverſarii deducunt, poſſet etiam dici, quod ſi Spiritus Sanctus a Patre non procederet, etiam ab eo diſtingueretur per relationem diſparatam; quod tamen Adverſarii non dicunt, docentes, in illa hypotheſi diſtingui per relationem originis, ſi non immediatam, ſaltem mediatam. Cæterum Nyſſenus intelligendus eſt de paternitate prout ſibi identificat ſpirationem activam, & ſic pariter debet intelligi de filiatione prout ſibi eandem ſpirationem identificat; ſicque nihil ex illis verbis Adverſarii in favorem ſuæ ſententiæ inferunt.

Ad III. Dicit S. Thomas cit. loc. mentem Anſelmi in lib. de proceſs. Spir. Sanct. eſſe, ut prius ponat ea, in quibus nos convenimus cum illis, qui Spiritum Sanctum a Filio eſſe negant, & dicunt a Filio diſtingui; unde S. Doctor concludit: *Verba Anſelmi inducta ſunt magis, ut diſputativa ſuppoſitio, quam veritatis definitio.* Nec credibile eſt, Anſelmum ex ſua propria opinione loquutum fuiſſe; quia aliter anſam dediſſet Græcis in ſua obſtinatione perſiſtendi, quando ipſe tam acriter, ut omnes ſciunt, contra Græcorum errorem dimicabat.

Ad IV. Damaſcenus, ut eum amice exponamus, intelligitur de proceſſione utriuſque, prout modo ſunt; ſcilicet de Filio

filia-

filialiter, quatenus filiatio ſibi identificat ſpirationem activam; Spiritus Sanctus *proceſſibiliter*, quatenus dicit ſpirationem paſſivam etiam a Filio. Quod ſi dicatur, Damaſcenum non admiſiſſe in Spiritu Sancto ſpirationem paſſivam a Filio; tunc reſpondemus, illius auctoritatem nobis non imponere onus, ut eam vel recipiamus, vel exponamus.

Ad V. Athanaſius unum ex capitibus diſtinctionis intercedentis inter Filium,& Spiritum Sanctum exponit, ſed non afferit, totam ipſorum diſtinctionem in eo ſolo capite conſiſtere; nec pariter a Filio poſitive excludit rationem ſpirationis activæ, quanvis expreſſe non innuat; immo ſupponit,quatenus loquitur de Filio prout nunc eſt.

Ad VI. Reſpondet Cacheranus, S. Thomam loqui de filiatione non utcunque, ſed ut tali, qualis de facto eſt; quæ quidem diſtinguit Filium a Spiritu Sancto penes habere, & non habere, at hoc ipſum non habere filiationem convenit Spiritui Sancto ex vi oppoſitionis correlativæ fundatæ in proceſſione a Filio; ideo negata oppoſitione correlativa, & proceſsione Spiritus Sancti a Filio, filiatio evaderet diverſa ab ea, quæ nunc eſt, nec amplius foret fundamentum diſtinctionis penes habere, & non habere, ſed haberetur ab eadem perſona filiatio, & ſpiratio paſsiva, ſicut modo habetur ab eadem perſona paternitas, & ſpiratio activa. Hæc Cacheranus.

Arguunt Rationibus I. Ideo in Patre relationes diſparatæ non fundant diſtinctionem realem,quia in eodem principio non ſunt incompoſsibiles proceſsiones illæ; ſed in eodem ſuppoſito ſunt incompoſsibiles: ergo ratio deducta a Patre non valet in Filio. Probatur minor. Impoſsibile eſt, idem ſuppoſitum produci duplici totali productione paſsiva: ergo in eodem ſuppoſito ſunt incompoſsibiles duæ relationes diſparatæ, quanvis non ſint incompoſsibiles in eodem principio. II. Admittitur de facto realis diſtinctio inter filiationem, & ſpirationem paſsivam; ſed hæ ſunt relationes diſparatæ: ergo de facto admittitur realis diſtinctio inter relationes diſparatas: ergo quemadmodum admittitur de facto, ita in hypotheſi admitti etiam debet. III. Conſtitutivum cujuſcunque rei eſt ejuſdem diſtinctivum; ſed filiatio eſt conſtitutiva Filii: ergo eſt ejuſdem diſtinctiva a quocunque alio, & per conſequens a Spiritu Sancto. Probatur major. Quia rationale conſtituit hominem, pariter hominem ab omni eo, quod non eſt homo,diſtinguit. IV. Si Spiritus Sanctus procederet a ſolo Filio, etiam realiter diſtingueretur a Patre; ergo a pari ſi procederet a ſolo Patre,etiam realiter diſtingueretur a Filio. V. Ex hoc, quod Spiritus Sanctus active non generet, non infertur, quod paſsive generetur: ergo ex hoc, quod Filius active non ſpiret, neque infertur, quod paſsive ſpiretur. VI. Spiritus Sanctus non opponitur Patri ut generanti, neque opponitur Filio ut genito, & nihilominus neque a Patre participat generare, nec a Filio generari: ergo pariter Filius in hypotheſi neque opponeretur Patri ut ſpiranti, neque Spiritui Sancto ut ſpirato, & nihilominus neque a Patre participaret ſpirare, nec a Filio ſpirari: unde diſtingueretur a Patre, & Spiritu Sancto, abſque eo, quod ſpiraret, vel ſpiraretur.

Reſpondemus ad I. Non eſſe impoſsibile in creatis, eundem numero effectum poſſe duplici cauſſa totali per duplicem actionem totalem produci, ſaltem de omnipotentia Dei; ut ex Phyſicis: ergo non eſt univerſaliter verum aſſumptum ſecundi argumenti. Attamen in caſu dicimus,quod in noſtra hypotheſi relationes filiationis, & ſpirationis paſsivæ non eſsent realiter diſtinctæ, nec diſtinguerentur magis, quam modo diſtinguuntur paternitas, & ſpiratio activa. Si una ergo eſſet operatio, unum quoque eſſet ſuppoſitum. Reſponſio eſt Cacherani.

Ad II. Idem Cacheranus ait, quod diſparatæ relationes ſunt duplicis generis; quædam ſunt pure tales, carentes ſcilicet omni oppoſitione, tum radicali, tum formali; aliæ vero non ſunt pure tales, quia licet careant oppoſitione formali, habent tamen oppoſitionem radicalem. In hypotheſi filiatio, & ſpiratio paſsiva eſſent relationes diſparatæ primo modo; de facto ſunt relationes diſparatæ ſecundo modo. Nulla admittenda eſt diſtinctio realis inter relationes diſparatas primo modo; admittitur tamen inter eaſdem ſecundo modo; ſicque non valet argumentum a relationibus diſparatis, quæ de facto ſunt in Filio, & Spiritu Sancto, ad illas, quæ in hypotheſi in iiſdem eſſent.

Ad III. dicitur ex Cauvino; quod conſtitutivum Filii eſt ſola filiatio, at non ſub hoc explicito tantum conceptu filiationis, ſub quo dicitur ad Patrem, ſed etiam ſub implicito radicis, quo exigit, Spiritum San-

Sanctum a Patre, & a Filio procedere. Adæquatum igitur conſtitutivum perſonæ Filii non eſt ſola filiatio, qua præciſe dicitur ad Patrem, ſed conjuncta cum ſe ipſa ut radice proceſsionis exigentiæ Spiritus Sancti a ſe ipſo; quemadmodum paternitas non conſtituit perſonam Patris præciſe ſub hoc conceptu relationis ad Filium, ſed conjuncta cum vi ſpirativa, qua reſpicit Spiritum Sanctum.

Ad IV. Negatur paritas; quia ſi Spiritus Sanctus non procederet a Patre immediate, procederet ab eo mediate, quia procederet a Filio, qui a Patre producitur. Hæc mediata proceſsio ſufficit ad realem diſtinctionem inter Patrem, & Spiritum Sanctum; quæ quum non ſit, nec eſſet in illa hypotheſi, inter Filium, & Spiritum Sanctum, nulla proinde realis diſtinctio inter illos eſſet.

Ad V. Negatur conſequentia. Ratio eſt, quia linea ſpirativa eſt poſterior origine linea generativa; unde Patrem ſpirare eſt poſterius origine ad hoc quod eſt Filium naſci. Si Filius autem non acciperet a Patre vim ſpirativam, eſſet quia inter ipſos inveniretur aliqua oppoſitio; & ratione hujus oppoſitionis, ſi Filius non ſpiraret, recte inferretur, quod deberet paſsive ſpirari. Hæc autem oppoſitio non eſt in hac ratione inter Patrem, & Filium, eſt tamen inter Patrem, & Spiritum Sanctum, & inter Filium, & Spiritum Sanctum; & hæc eſt differentia, & diſparitas inter utroſque ex eodem Cauvino.

Ad VI. Idem Cauvinus dicit, quod quum Pater ſit principium fontale totius deitatis procedentis, neceſſario radicat vitam ſpirativam; pariter Filius quum ſit genitus conſubſtantialiter a Patre, & a Patre accipiat illa omnia, in quibus illi non opponitur; accipit etiam ab illo vitam ſpirativam, utpote ſibi non oppoſitam; unde utrique eſt neceſſarium opponi intra hanc lineam cum Spiritu Sancto, quem producunt.

DISSERTATIO CXXX.

De Exiſtentia Angelorum; de Hæreſibus contra illam, & de earundem Auctoribus; ac de illius probationibus, tum ex auctoritate, tum ex ratione.

ANgelorum nomen exponimus primo, deinde rem, quæ ſub nomine continetur. Angelus vox græca eſt, ἄγγελος, quæ latine vertitur, *nuncius*; derivata a græco verbo; ἀγγέλλειν; latine *nunciare*. Non autem eſt nomen naturæ, ſed officii: Unde Auguſtinus in pſal. 103. *Spiritus Angeli ſunt, & cum ſpiritus ſunt, non ſunt angeli; cum vero mittuntur, ſunt angeli. Angelus enim officii nomen eſt, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ? Spiritus eſt: Quæris officium? Angelus eſt.* Concinit Ambroſius in c. 1. epiſt. ad Hebræos: *Angelus nomen officii eſt, non natura: Qui etiam ſemper ſunt ſpiritus, ſed non ſemper angeli vocari poſſunt. Quæris hujus naturæ nomen? Spiritus eſt. Quæris officii? Angelus; quia Angelus græce, Nuntius latine dicitur. Sic erit homo nomen naturæ, miles officii: Sic qui erant jam ſpiritus conditi a creatore Deo, facit eos angelos, mittendo eos nuntiare, quod juſſerit.*

Concinit & Gregorius magnus hom. 34. in Evangel. ante medium: *Angelorum vocabulum nomen eſt officii, non naturæ. Nam ſancti illi cæleſtis patriæ ſpiritus ſemper quidem ſunt ſpiritus, ſed ſemper vocari angeli nequaquam poſſunt; quia tunc ſolum ſunt angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde & per Pſalmiſtam dicitur: Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Ac ſi patenter dicat: Qui eos, quos ſemper habet ſpiritus, etiam cum voluerit, angelos facit.*

Hinc nomen idem, tum in ſacris, tum in profanis libris, aliis etiam tributum legimus, etſi ſpiritus non ſint; quia officium, quod Angeli exercent, & propter quod Angeli dicuntur, exercebant. Mercurius a Græcis græco vocabulo dictus eſt angelus, quum Jovis nuncius eſſe putaretur. Eodem nomine iris, quæ ſerenitatis, & aurora, quæ ſolis, nunciæ ſunt. Hæc apud prophanos Scriptores. In ſacris vero Bibliis Malachiæ 2. Angeli nomen tribuitur Sacerdoti: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt*

ſcien-

ſcientiam, quoniam Angelus Domini exercituum eſt. Matth. 11. a Chriſto Domino datur Joanni Baptiſtæ: *Ecce ego mitto Angelum meum*. Et Iſai. 11. Ipſemet Chriſtus *magni conſilii angelus vocatur*; quia, ut ait Baſilius lib. 2. contr. Eunomium, Patris voluntatem Sanctis ſuis annuntiat. Et, ut alia omittamus, in Joannis Apocalypſi Epiſcopi Angeli appellantur c. 2. *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe*; & num. 12. *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe*; & num. 18. *Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe*; & ſic deinceps. Denique ex Irenæo lib. 4. adverſ. hæreſ. c. 79. advertimus, quod ſi angeli nomen piis hominibus datur, quando cœleſtia annuntiant, datur etiam impiis, quando ſcelerum ſunt, & malorum operum hominibus ex Diabolo nuntiatores; unde dicuntur angeli Satanæ, quod pariter in Evangelio obſervamus, quando legimus, & Matth. 25. *Diabolo, & angelis ejus*; & II. ad Cor. 12. *Angelus Satanæ &c.* Hæc de nomine ſint ſatis.

Rem, quæ ſub nomine continetur, modo exponentes, dicimus pro nunc, majora inferius dicturi, quando de Angelorum natura ſermo erit; quod Angeli ſunt naturæ quædam intellectuales, quæ ſunt mediæ inter Deum, & homines: Deo ſunt quidem inferiores, ſuperiores vero hominibus; unde pſal. 8. dicitur de homine: *minuiſti eum paulo minus ab Angelis*; quemadmodum explicant ex Patribus non pauci. Etiam II. Petri 2. habetur: *Angeli fortitudine, & virtute cum ſint majores, non portant &c.* Gentiles Philoſophi eos appellare conſueverunt Intelligentias, Genios, Dæmones, Deos ſecundarios, cœlorum animas, ſpecies ſeparatas, motores cœlorum &c.; ut ex antiquiſſimo Ethnicorum Theologo, ac Poeta, meminit Heſiodus in lib. 1. apud Petavium theolog. dogmat. t. 3. lib. 1. c. 1. n. 1., & tit. 1. lib. 8. c. 4.: Ex ex noſtris teſtantur Tertullianus in apologet. c. 22., & Cyprianus lib. de Idolor. vanit. At in ſacris libris, præter Angeli nomen, habent quoque alia; nimirum, ut ait Rab. Moiſes, Elohim, hoc eſt Deos, tanquam divini conſilii participes; & Auguſtinus lib. 9. de civit. Dei c. ult. oſtendit, Angelos in Scripturis vocari Deos; ut quando dicitur in pſal. 49. *Deus Deorum Dominus loquutus eſt*. Vocantur etiam Spiritus ab Apoſt. ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi*; quod quidem nomen, ut vidimus, naturam explicat, non officium. Unde Auctor libri de cœleſti Hierarchia, qui dicitur Dionyſius Areopagita c. 2. *Non exiſtimemus cœleſtes, ac divina ſpecie præditos Spiritus &c.* Et Tertullianus apologet. c. 22. *Omnis Spiritus ales eſt; hoc eſt Angeli, & Dæmones*. Cæterum apud Hebræos מלאכים, hoc eſt ἀγγέλους, videlicet Nuntii, communi vocabulo dicti ſunt; & inviſibiles ſubſtantiæ eſſe, ſeu Spiritus, reputati.

Ad eorundem exiſtentiam devenientes, errores contra illam enumeramus, & qui fuerint auctores, referimus; ut poſtmodum exiſtentiam ipſam, tum auctoritate, tum ratione, probemus.

Primo ponimus Atheos; qui nihil, præter viſibilia, & corporalia, credunt. Quum autem ſint Angeli ſpirituales creaturæ, non generatione propagatæ, ſed a Deo omnes, & ſingulæ creatæ; ſi illas Athei admitterent, omnino deberent concedere creatorem illarum, quem tamen, ut corrupto cordi aſſentiantur, cæca prorſus mente, inficias eunt.

Secundo ſunt aliqui Ethnici Philoſophi antiqui, quos memorat Ariſtoteles lib. 8. phyſic. tex. 52., & 57., & lib. 12. metaphyſic., & quorum meminit quoque S. Thomas lib. 2 con. Gentes c. 46., & opuſc. 15. c. 1. & 2., & 1. p. q. 50. ar. 1. Ubi ait. *Ignorantes vim intelligendi, & non diſtinguentes inter ſenſum, & intellectum, nihil eſſe exiſtimaverunt in mundo, niſi quod ſenſu, & imaginatione apprehendi poteſt. Et quia ſub imaginatione non cadit niſi corpus, exiſtimarunt, quod nullum ens eſſet, niſi corpus*.

Tertio adducimus Sadducæos, qui, ut refert S. Lucas Actor. 23. 8. *neque reſurrectionem fore credunt, neque Angelum eſſe, neque Spiritum*. Cum Sadducæis Samaritani pariter conveniebant. Et adeo illis Spiritus idea impoſſibilis erat, ut Deum quoque corporeum eſſe ſentirent; ut teſtantur Epiphanius hæreſ. 14., & Leontius lib. de Sectis. Hoc tamen mirum Scriptoribus omnibus accedit, quod quum Sadducæi quinque Moiſis libros reciperent, ſeu Pentatheuchum, Spiritus deinde, & Angelos negarent, quorum mentio in libris illis eſt pervia, & frequentiſſima. Immo magis admirari pergunt, obſervantes, quod Angelorum notitiam, quam Gentiles Philoſophi ſine ſacrorum librorum adjutorio aſſequuti ſunt, ipſimet Judei, quales erant Sadducæi, & Samaritani, cum ſuis quoque Bibliis aſſequi detrectarunt.

Quarto Georgius David, Delphis in Batavia natus, circa annum 1555. ex Sectariis Lutheri haud alteri ſecundus in impietate, & hæreſi, negavit apertiſſime, Angelos eſſe. Teſtatur Cochlæus de dictis, & factis Lutheri de anno 1545.; pariter Lindanus in Dubitantio; & Coccius lib. 4. de Angelis ar. 1.

Quinto Libertini ſtatuunt, unum eſſe immortalem Dei Spiritum, qui omnia in omnibus operetur; unde Angelos nihil eſſe fingunt. Apud Coccium citatum referunt Joannes Calvinus, contra Libertinos, Lindanus in Dubitantio, & Prateolus de hæreſibus.

Sexto ſcribitur Andreas Hiperius, qui floruit 1560., & ex aliorum ſententia lib. 2. methodi theologici aſſeruit, ut refert cit. loc. Coccius, at non explicans, num Hiperius ſequutus fuerit errorem, quem narravit, an vero impugnaverit. Dicit enim: „ Nonnullos imaginari, Angelos eſſe motus, vel affectiones animorum in nobis, qui tacite ſubinde irrepunt; bonos autem vocari, quando ad rem bonam, malos, quando ad rem malam, inſtituunt, vel exercent. Negant igitur ſpiritales, & per ſe ſubſiſtentes, eſſe ſubſtantias. „ Cæterum hoc ipſum Sadducæos intellexiſſe, habemus apud Eſtium in II. diſt. 2. §. 1. qui ſcribit. „ Per Angelos non Spiritus, aut ſubſtantias, aut perſonas aliquas intelligi volebant, ſed occultas inſpirationes, quibus, quaſi Dei nunciis, homines admonerentur voluntatis divinæ. „

Septimo ſubdit idem Eſtius, quod Sadducæorum errorem ex parte reſuſcitarunt hodie Anabaptiſtæ, dum Angelorum cuſtodiam, & Dæmonum oppugnationem, ad ſolas transferunt cogitationes, vel bonas, vel malas. Verum eidem Eſtio aſſentiri nullatenus poſſumus, quando aſſerit, quod nulli poſt Chriſtum natum Hæretici leguntur eo progreſſi, ut cum Sadducæis Angelicam naturam prorſus negarent; quum ex iis, quæ modo retulimus, contrarium plane habeatur. Modo ad erroris impugnationem deſcendimus, Angelorum exiſtentiam tum auctoritate, tum ratione, probantes.

I. Probatur ex veteris teſtamenti libris. Gen. 16.7. *Cum inveniſſet Agar Angelus Domini, dixit ad illam: Agar, ancilla Sarai, unde venis? & quo vadis? Quæ reſpondit: A facie Sarai, dominæ meæ, ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius; multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Eæ ſunt circumſtantiæ in hoc facto, quæ nullatenus poſſunt internis motibus, aut cogitationibus, aut inſpirationibus, applicari. Numer. 22. 31. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.* Joſue 5.13. *Cum autem eſſet Joſue in agro urbis Jericho, vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an Adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum?* Pſal. 102. 20. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus; potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendum vocem ſermonum ejus.* Pſal. 103.4. *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* Pſal. 148.2. *Laudate eum omnes Angeli ejus: Laudate eum omnes virtutes ejus.* Daniel 7.10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Tobiæ 12. 15. *Ego ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* 18. *Cum eſſem vobiſcum per voluntatem Dei eram.* 19. *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor. Tempus eſt ergo, ut revertar ad eum, qui me miſit.* 21. *Et cum hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & ultra eum videre non potuerunt.* His addimus, & duos Angelos Sodomam miſſos; Gen. 19. & Angelum, quem deprecatus eſt Abraham, ut famulum ſuum, in Meſopotamiam miſſum, comitaretur. Gen. 24. Item Judic. 2., Iſai. 6., Pſal. 99. 7., & alibi paſſim; in quibus omnibus locis de Angelis Scripturæ divinæ loquuntur, tanquam de perſonis, officia exercentibus, munera varia obeuntibus, cum hominibus tractantibus, loquentibus, bellantibus &c.; quæ quidem omnia non poſſunt de motibus, cogitationibus, & inſpirationibus, explicari.

II. Probatur ex novi teſtamenti libris. Lucæ 1. 26. *Menſe ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem, deſponſatam Viro, cui nomen erat Joſeph &c.* Lucæ 12. 9. *Ecce Angelus Domini ſtetit juxta Paſtores, & claritas Dei circumfulſit illos, & dixit illis Angelus: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator. Et ſubito factu eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium*

tium

tium: Gloria in altiſſimis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Heb. 12. 22. *Acceſſiſtis ad multorum millium Angelorum frequentiam*. Et n. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede ad dextris meis, quo ad uſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum suorum? Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* I. Petr. 3. 22. *Profectus eſt Chriſtus in cœlum, ſubjectis ſibi Angelis, & Poteſtatibus, & Virtutibus*. Apocalyp. 5. 11. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus eſt agnus &c.* Eadem habentur Heb. 1. 14. Apocalyp. 22. 9. II. Petr. 2. Verba autem ita ſunt clara: ut nullo modo poſſint ad motus, cogitationes, inſpirationeſque, detorqueri.

III. Ex Conciliis. Concilium Nicænum I., & Concilium Conſtantinopolitanum I. in Symbolo: *Viſibilium, & Inviſibilium*. Nomine creaturarum inviſibilium veniunt Angeli. Expreſſius Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III., & habetur in cap. *firmiter &c. Deus eſt creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui condidit utramque naturam, ſpiritualem, & corpoream, angelicam videlicet, & mundanam*. A Cardinale Brancato de Lauræa citantur hæc alia Concilia in ſua Epitome Canonum verb. *Angelus*. Concilium Epheſinum generale I., ubi dicitur, quod Angeli nomen eſt officii, non naturæ. Concilium Bracarenſe I. c. 5. ubi habetur, quod Angeli non habent ſubſtantiam divinam. Concilium Romanum II. ſub Zacharia, ubi legitur, quod Angelorum nomina non alia ſint ſuſcipienda, niſi quæ habentur in Scriptura; alia enim ſunt nomina Dæmoniorum.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Auctor libri de cœleſti Hierarchia c. 2. *Nos exiſtimemus cœleſtes, ac divina ſpecie præditos Spiritus, multis pedibus, multiſque eſſe faciebus &c.* Eadem ſcribit in eodem libro c. 4. Juſtinus Martir Dialog. cum Tryphone: *Quod quidam ederint Angeli ſcriptum eſt; non tamen eodem, quo nos, alimento utuntur*. Irenæus lib. 2. c. 6. *Multi ſunt, & innumerabiles circa Factorem Angeli, quemadmodum omnes confitentur Prophetæ, dena millium denum millium aſſiſtere ei, & multa millia millium miniſtrare ei*. Origenes hom. 1. in Geneſ. *Cum ea, quæ facturus erat Deus, ex ſpiritu conſtarent, & corpore, iſta de cauſa in principio, & ante omnia, Cœlum dicitur factum, ideſt omnis ſpiritualis ſubſtantia, ſuper quam, velut in throno quodam, & ſede Deus quieſcit*. Euſebius Cæſarienſis de demonſt. evangelic. lib. 4. c. 1. *Cum Deus vellet divitiarum ſuarum theſauros pluribus impertiri, eſſetque jam jam omnem rationalem creaturam in lucem producturus, incorporeas videlicet quaſdam, atque intelligentes, & divinas poteſtates, Angelaſque, atque Archangelos, materiæque expertes, & omni parte puros Spiritus produxit*. Baſilius ad Pſal. 32. *Angelos initio ut eſſent, Verbum opifex omnium condidit*. Nazianzenus orat. 38. *Primum angelicas, & cœleſtes virtutes cogitavit*. Nyſſenus or. 4. *Eſt autem angelica quidem incorporea, altera vero ſpecies nos homines ſumus*. Chryſoſtomus ad c. 6. Iſai. *Seraphim Spiritus dicuntur Virtutes incorporeæ ſupernæ illius, ac numeroſiſſimæ multitudinis, quarum virtutem, & beatitudinem, per earum nomen claturam, quis poſſit noſſe?*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus in apologet. c. 22., cujus verba recitavimus ſupra. Lactantius lib. 4. inſtit. c. 6. *Magna inter hunc Dei Filium, & cæteros Angelos differentia eſt. Illi quidem ex Deo taciti Spiritus exierunt, quia non ad doctrinam Dei tradendam, ſed ad miniſterium creabantur. Ille vero cum ſit & ipſe ſpiritus, tamen cum voce, ac ſono ex ore Dei proceſſit*. Hilarius ad Pſal. 118. *Si enim Angeli parvulorum Patrem noſtrum quotidie vident, qui in cœlis eſt, poſſumus teſtimonia eorum metuere, quos & nobiſcum manere, & Deo quotidie ſcimus aſſiſtere?* Ambroſius ad c. 1. Lucæ: *Apparuit Angelus, & nunc præſto eſt, ſed non videtur. Neque enim in poteſtate noſtra eſt videre, ſed in poteſtate illius apparere. Tamen etſi poteſtas non eſt videndi, eſt gratia promerendi, ut videre poſſimus*. Auguſtinus lib. 11. de civit. Dei c. 32. *Ut volet quiſque accipiat, dum tamen Angelos ſanctos in ſublimibus cœli ſedibus, non quidem Deo coæternos, ſed tamen de ſua ſempiterna, & vera felicitate ſecuros, ac certos eſſe, nemo ambigat*. Hieronymus ad pſal. 46. *Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Angeli pro innocentia eorum dicuntur ſedes, quia non peccarunt. Inde dixit: Cœlum mihi ſedes eſt*. Fulgentius de fide ad Petrum c. 3. *Illos, quos terrenorum corporum gravat nulla lutulenta materia, ideſt angelicos Spiritus, quis non videat non unius naturæ eſſe cum Deo, ſed factos ex nihilo?*

VI. Probatur ex antiquioribus Scholaſticis. Magiſter Sententiarum in II. diſt. 2. *Simul creata eſt ſpiritualis creatura, ideſt angeli-*

gelica, & corporalis; *ſecundum quod accipi poteſt illud Salomonis : Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul ; ideſt ſpiritualem, & corporalem creaturam .* Hugo Victorinus trac. 2. eruditionis theologicæ c. 1. *Cum in Angelos, & Homines diſtincta ſit rationalis creatura , primum de Angelis agendum videtur &c.* Albertus magnus ad c. 1. Lucæ *Angelus definitive eſt in loco; & cum eſt in uno loco, non eſt in alio ; & cum eſt in cælo , non eſt in terra ; & cum eſt in medio, non eſt in extremis .* S. Thomas 2. cont. Gent. c. 46. & 47., de potentia q. 6. ar. 10. p. 1. q. 50. ar. 1. & q. 52. ar. 2. *Eſſe in loco diverſimode convenit corpori, & Angelo.* S. Bonaventura p. 2. Breviloquii c. 8. *Sicut Angeli a Deo averſi ſtatim ſunt obſtinati per impœnitentiam , ſic Angeli ad Deum converſi ſtatim fuerunt confirmati per gratiam, & gloriam in voluntate .* Ægidius Romanus lib. 1. Hexamer. c. 15. *Primo fuerunt producti Angeli , poſtea fuerunt diſtincti .*

VII. Probatur ex Philoſophis Gentilibus . Hoſtenes , antiquiſſimus Philoſophus citatur a S. Cypriano lib. de Idolorum vanitate ſub his verbis : *Magorum præcipuus Hoſtanes , & formam veri Dei negat conſpici poſſe , & Angelos veros ſedi ejus aſſiſtere, dicit.* Idem aſſerit in eodem loco de Platone Cyprianus : *In quo & Plato pari ratione conſentit, & unum Deum ſervans, ceteros Angelos, vel Dæmones , dicit.* De Platone teſtatur etiam Tertullianus in apologetico c. 22. Plato inſuper teſtatur de Socrate ; ait enim Ammonius in Comment. ad librum Ariſtotelis de Categoriis in c. de ſubſtantia : *Interrogante Timæum Socrate , quid eſt Deus ? Ait ille : Quid non ſit, equidem ſcio: quid autem ſit, neſcio. Nam non eſſe corpus, neque colorem, neque Angelum , nec hujuſmodi quicpiam , ſed his omnibus præſtare novi : Quid autem ſit , ignoro.* Et quanvis Plato Angelorum nomen non uſurpet , ſed Dæmonum , teſtatur tamen Auguſtinus lib. 9. de civit. c. 19., eoſdem eſſe apud nos Angelos , qui apud Ethnicos Dæmones dicebantur: *Eoſdem ab aliis Angelos dici, quos ipſi Dæmones nuncupant*; & ex Labeone refert. Auguſtinus inſuper lib. 2. de civit. c. 14. de Labeone , & de aliis Ethnicis Philoſophis teſtatur . Ariſtoteles lib. 1. de Cœlo c. 9. ex motu cœlorum infert Angelos eſſe : Item lib. 8. Phyſicorum ait, aſtra ab Angelis moveri. Etiam lib. 12. Metaphyſ. eadem aſſerit: De Platone inſuper , & Ariſtotele , teſtimonium habemus S. Thomæ opuſc. 15. c. 1. & 2.

VIII. Rationibus . I. Ex S. Thoma , quæ ſic proponitur a Cauvino : Id , quod præcipue intendit Deus in rebus creatis eſt bonum Univerſi conſiſtens in aſſimilatione ad ſeipſum , ſed perfecta aſſimilatio non habetur , effectu non imitante cauſſam in eo, per quod cauſſa agit , vel producit: ergo in Univerſo debet dari creatura ſic imitans Deum ; nempe intellectualis tantum, vel incorporea , aut complete ſpiritualis; ſed hujuſmodi creatura non poteſt eſſe , niſi Angelus : ergo &c. Minor ſubſumpta negari non poteſt, quia nos loquimur de majori aſſimilatione, quæ non in animabus rationalibus , ſed in Angelis, verificatur . Sed de hoc fuſius in ſolutione argumentorum. II. Sine Angelis non haberetur perfectio Univerſi ; ſed perfecta ſunt quæcunque creavit Deus : ergo Univerſum creavit Deus perfectum : ergo in illo creavit Angelos. Major probatur: Sunt in mundo craturæ pure materiales, & corporeæ , ſunt creaturæ ex parte materiales , & corporeæ , ex parte vero immateriales , & incorporeæ : ergo debent eſſe pariter, ut mundus ſit perfectus, creaturæ pure immateriales , & incorporeæ; ſed iſti ſunt Angeli : ergo ſine Angelis non habetur mundi perfectio . III. Sicut eſſet improprium , quod Pictor exponeret tabulam eximia arte depictam ſolis cæcis , & cæcutientibus ; aut Muſicus harmonici cantus chorum ſolis ſurdis, & ſurdaſtris : Ita fuiſſet Deo non conveniens exhibere mirabilem mundi ſtructuram cæcis, & ſurdis , quæ ſunt creaturæ materiales , & cæcutientibus , & ſurdaſtris, quæ ſunt homines ; & illam non exponere creaturis perfecte videntibus, & intelligentibus , quales ſunt Angeli . Ita Eſparza lib. 2. q. 1. ar. 18. IV. ex mirabilibus, quæ operari videmus a Magis, & quæ naturæ vires ſuperare cognoſcuntur: Hæc autem dici non poteſt , quod operentur a Deo , nec ab hominibus , nec ab animabus ſeparatis : ergo a Dæmonibus: ergo ab Angelis. V. ex aliis, quæ operantur ab Energumenis & Arreptitiis , quæ nec pariter poſſunt auctorem habere , nec homines, nec animas ſeparatas: ergo Dæmones : ergo Angelos . Hæ duæ ultimæ rationes a quibuſdam tribuuntur naturalibus cauſſis , quibus non aſſentimur , ut mox videbimus. Aſſentimur autem iis, qui dicunt , nec has duas ultimas , nec priores alias eſſe rationes demonſtrativas; ut ſunt Eſtius , Fraſſen , Cacheranus , Jueninus, Vaſquez, aliique , contra quoſdam Thomiſtas,

miſtas, & præcipue contra Cauvinum, putantes, primam S. Thomæ perſectam eſſe demonſtrationem. VI. rationem Ariſtutelis ex Cœlorum motu petitam non approbamus, ut plerique etiam ex ſuis non approbant; quia motus illi rectius ab aliis Philoſophis refunduntur, ut ait Caïcheranus, vel in formam propriam corporum cœleſtium, vel in impulſum corporibus cœleſtibus a Creatore creationis initio impreſſum, vel immediate in ipſum Deum, Cœlos conſervantem cum virtute illa, cum qua ipſos condidit. Et quia etiam multo plures ſunt Angeli, quam Cœli; unde illi, qui ſuperſunt, intelligentiæ Cœlorum non eſſent; ac per conſequens juxta Ariſtotelis mentem otiarentur. A primo autem ad ultimum dicimus, allatas naturales rationes non ut demonſtrativas nos proponere, ſed ut mere probabiles; & ſic eas intendimus quoque, & non aliter, ſuſtinere.

Arguunt Adverſarii I. Moiſes in mundi creatione Angelos non recenſuit; debebat tamen illos recenſere, ne increati a Judæis crederentur: ergo ſi non ſunt increati, nec pariter fuerunt a Deo creati: ergo non ſunt. II. Angeli nec in Scripturis, nec apud Patres, habent nomen, quod ipſorum naturæ conveniat, ſed tantum nomen, quod convenit ipſorum officio: ergo non ſunt, quantum attinet ad naturam, ſed ſolum quantum attinet ad officium. III. Ratio S. Thomæ petita a ſimilitudine Univerſi ad Deum nihil probat pro intento: ergo inefficax. Probatur antecedens. Nullum agens per intellectum, & voluntatem ſibi aſſimilat effectum in natura ſua, ſed tantum in idea, quæ eſt in ipſo: ergo pariter Deus ſibi aſſimilat effectus in idea. IV. Effectus Magorum negantur a multis, & dicuntur vel illuſiones, vel apparentiæ, vel præſtigiæ: ergo nihil ex illis infertur pro exiſtentia Angelorum. V. Negantur etiam a plerique mirabilia, quæ operari videmus ab Energumenis, dicendo quod proveniant vel a Deo, vel a naturalibus cauſſis: ergo pariter nihil ex illis concluditur ad præfatæ exiſtentiæ favorem. VI. Ex Auguſtino lib. de quantitate animæ c. 34. *Quemadmodum fatendum eſſet animam humanam non eſſe Deum, ita præſumendum nihil inter omnia, quæ creavit, Deo eſſe propinquius*: ergo non ſunt Angeli; quia ſi eſſent, Deo eſſent propinquiores anima. VII. Angeli non ſunt præſtantiores anima rationali: ergo ſecunda ratio a nobis allata corruit. Sequitur conſequentia; quia ex illa probatur exiſtentia Angelorum, ſupponendo Angelos eſſe medios inter animas rationales, & Deum, adeoque animabus ſuperiores, & præſtantiores. Antecedens probatur ex S. Auguſtino cit. loc. *Aliquid eſſe deterius anima hominis, ſcilicet animam Bruti; aliquid par, ut Angelus, melius autem nihil.* Et lib. 3. de libero arbitrio: *Animae rationales ſuperioribus Poteſtatibus eſſe officio impares, natura vero pares.* Et lib. 83. qq. quæſt. 54. Nihil eſt melius anima rationali, niſi Deus. Et ex S. Bernardo lib. 5. de conſider. c. 3. *Spiritus eſt Deus, ſunt & Angeli, & hi ſuper te, ſed Deus natura, Angeli gratia ſuperiores ſunt.*

Reſpondemus ad I. Nihil Moiſen de Angelis dixiſſe, quia Judæorum Populus non erat aſſuetus res ſpirituales audire, vel percipere, ſed tantum corporeas, & materiales; unde minus aptos putavit eos ad ipſorum intelligentiam. Reſponſio eſt S. Joannis Chryſoſtomi hom. 2. in Geneſim dicentis: *Nihil de invisibilibus virtutibus diſſerit, neque dicit: In principio fecit Deus Angelos, vel Archangelos. Non ſimpliciter, neque temere, hanc nobis doctrinæ viam paravit; Judæis enim loquebatur, qui toti præſentibus rebus inhiabant, neque ſpirituale quicquam comprehendere valebant. Itaque eos a ſenſibilibus ad cognoſcendum Univerſi Opificem inducit.*

Ad II. vel dicitur, quod officii nomen ſupponit naturam; ut quando dicimus Principem, Legatum, &c. ſupponimus hominem, qui eſt Princeps, vel Legatus; non enim exerceri poteſt officium, quod perſonam exigit, ab eo, qui non eſt: Vel dicitur, quod officii vocabulum ad naturam tranſlatum eſt, ut in aliis quoque obſervamus: unde factum eſt, quod Angeli communi vocabulo, tum in Scripturis, tum in Patribus, ſive Latinis, ſive Græcis, tum in Theologis, & in Scriptoribus omnibus, ſpirituales illæ ſubſtantiæ vocarentur. Utraque reſponſio eſt Eſtii, Juenini, &c.

Ad III. Diſcrimen eſt inter agentia creata, & Deum; nam illa quum producant effectus, non naturales, ſed artificiales, non imitantur naturam, ſed artem, & ideam ſui. Non ſic vero Deus, qui in effectibus ſuis intendit ſimilitudinem ſuam imprimere; unde Gen. 1. dixit de homine, quem creare volebat: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; quæ quidem verba intelliguntur per intellectum, & voluntatem, ut cum S. Thoma communiter

niter explicant Theologi.

Ad IV. immerito tribuuntur cauſſis naturalibus Magnrum effectus; vel enim pro naturalibus cauſſis intelligunt irrajonales creaturas, vel animas ſeparatas. Non poſſunt tribui irrationalibus creaturis; quia iſtæ verborum vim, quæ adhibentur a Magis, nnn præſentiunt; nec pariter obedire poſſunt ſignis quibuſdam, pactis, ac fœderibus, quibus utuntur Magi. Nec pariter animabus ſeparatis adſcribi valent; quia animæ non habent, nec habere poſſunt, plus naturalis virtutis, quando ſunt ſeparatæ, quam habeant, quando ſunt corporibus unitæ. Sunt igitur Dæmones, quorum auxilium Magi implorant, & illis præſto ſunt, ut nperentur illa, ad quæ per pacta, ſive expreſſa, ſive tacita, ſe nbligarunt.

Ad V. Quæ vern operantur Energumeni, majora ſunt, quam quæ agi poſſint a creaturis irrationalibus, vel ab animabus ſeparatis. Non poſſent per has quidem ignotis, & alienis linguis, de repente, & expedite loqui; non poſſent res occultas, vel in longinqun poſitas manifeſtare; non poſſent de ſcientiis, quas nunquam excoluerunt, ex prnfeſſo tractare. Eſt ne creaturarum irratinnalium hæc facere, quarum eſt incapax ipſarum natura? Vel animarum ſeparatarum hæc præſtare, quæ corporibus unitæ omnino neſciebant?

Ad VI. Auguſtini auctnritas Angelos non negat, ſed ad ſummum vel facit æquales animabus noſtris, vel illis non tribuit, quæ Scriptores alii ad enrum excellentiam adſcribunt. Unde ex hoc potius Angelorum exiſtentia ennfirmatur, quanvis ipſnrum præſtantia diminuatur. Verum, ſi bene Auguſtini verba intelligantur, nec etiam diminuitur; quia non loquitur de naturæ, ſed de gratiæ, dnnis, quæ aliquando in hominibus poſſunt eſſe æqualia, vel etiam majora, illis, quæ ſunt in Angelis. Poteſt etiam dici, quod humanæ animæ nomine intelligat ſubſtantiam omnem ſpiritualem, qua vere nihil eſt, quod ſit Deo propinquius. Nomine autem ſpiritualis ſubſtantiæ intelliguntur etiam Angeli.

Ad VII. negatur, Angelos non eſſe natura præſtantinres hominibus; quia, ut de homine dicitur pſal. 8., minnratus eſt paulo minus ab Angelis; & ut Auguſtinus lib. 11. de Civit. c.5. ait: *Angelica natura omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit*. Cæterum Auguſtinus ipſe lib. 1. retractat. c.26. explicans verba illa prædictæ quæſt. 54. ſic eadem emendare videtur: *Ubi dixi, quod omni anima melius, id Deum dicimus; magis dici debuit; omni creato ſpiritu melius*. Sic pariter intelligendus eſt Bernardus.

DISSERTATIO CXXXI.

De Auctore, & creatione Angelorum; de erroribus antiquorum, & de ſententiis recentiorum, circa illa; & de loco, & tempore creationis ipſorum, juxta Patrum traditionem, & Theologorum doctrinam.

ANgelorum Auctorem Deum ſolum eſſe, de fide eſt; at nnn ideo apud omnes hoc fuit aden exploratum, ut errores contra hanc fidei veritatem non fuerint. Fuerunt ſane, & illorum, qui eos genitos dicere auſi ſunt, & illorum, qui a Deo nnn creatos affirmare non erubuerunt. De his primo loco in hac Diſſertatinne tractabimus; poſtmndum de aliis, quæ in ejuſdem titulo præmiſimus.

Primo ponitur Baſilides, qui dixit, alios Angelos ex aliis eſſe natos, ac enrum quemlibet unum feciſſe cœlum, uſque dum cœlos tercentos ſexagintaquinque cnndidiſſent. Teſtantur Epiphanius, Philaſtrius, & Theodnretus, in Baſilidis hæreſi recenſenda.

Secundo Fauſtus Manichæus fingit Deorum agmina, & Angelorum cohortes innumerabiles; at negat hæc omnia fuiſſe a Deo creata, verum de ſua ſubſtantia genuiſſe affirmat. Citatur Auguſtinus lib. 15. contra Fauſtum c.5.

Digitized by Google

Tertio Proclus Philoſophus in Elementis Theologicis ſomniavit, minores Angelos a majoribus generari. Refert Coccius lib.4. de Angelis ar.1.

Quarto Hermannus Riſvuich commentus eſt, Angelos, ſive boni ſint, ſive mali, a Deo creatos non eſſe; quum hoc nullibi in Scriptura inveniatur. Ex Bernardo Lutzemburgio narrat Coccius cit. loc.

Ex adverſo alii a Deo creatos Angelos volunt, ſed ab æterno. Tribuitur I. hic error Platoni, qui, Auguſtino teſte, lib.8. de civit. Dei c.14. 15. 16., docuit, Dæmones eſſe genere animalia animo paſſiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. Nomine autem Dæmonum Angelos intelligit, ut in præterita Diſſertatione diximus.

Secundo adſcribitur Ariſtoteli; quia, quum poſuerit mundum ab æterno, ab æterno etiam poſuit cœlos, qui ſunt mundi partes; & ab æterno quoque admittere debebat Angelos, quos voluit eſſe Cœlorum intelligentias, & qui cœlos moverent.

Tertio impingitur S.Baſilio hom.1. Examer. dicenti: *Erat ſane ſtatus quidam mundi generatione ſuperior, abſtractis illis a concretione materiæ potentiis, mundo præſtantioribus, pro decore accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum, ac perpes.*

Quarto imponitur Hieronymo ſup. Epiſt.ad Titum c.1. ſcribenti: *Sex millia nondum noſtri temporis complentur annorum, & quanta tempora, quantaſque ſeculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæterique Ordines Deo ſervierunt?*

Verum utrunque Eccleſiæ Doctorem ab hac labe liberandum putamus, ſi pro primo dicamus, in ea fuiſſe opinione, ut voluerit Angelos ante mundum, adeoque ante cœlorum motum, fuiſſe a Deo creatos; & quum tempus in cœlorum motu conſiſtat, ſi Angeli ante hunc motum creati fuerunt, fuerunt pariter ante omne tempus creati. Quod autem ante tempus creatum dicitur, dicitur etiam largo modo æternum; quatenus nimirum, quod nullo tempore præcedatur. Pro Hieronymo vero dicimus, in ipſius verbis non legi æternitatem creationis Angelorum, ſed quod fuerint per longa tempora a Deo Angeli creati ante rerum omnium creationem; hoc autem non eſt, fuiſſe Angelos ab æterno creatos.

Dicimus ergo I. de fide eſſe, Angelos fuiſſe a Deo creatos, & tempore, non ab æterno, creatos.

I. Probatur ex Scripturis. Eſther 13. *Tu feciſti cælum, & terram, & quicquid cæli ambitu continetur; Dominus univerſorum tu es.* Quum ergo Deus fecerit cœlum tempore, non ab æterno, tempore pariter & ipſe fecit quicquid cœli ambitu continetur, hoc eſt Angelos. Pſal. 148. *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus: Laudate eum ſol, & luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen: Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini: Quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt.* Si creaturæ aliæ, quæ Deum laudant, a Deo factæ ſunt, a Deo etiam facti ſunt Angeli; & ſi aliæ tempore, non ab æterno creatæ ſunt, tempore etiam, & non ab æterno, creati ſunt Angeli. Joan.1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ad Rom.11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, ſunt omnia.* Ad Coloſſ.1. *In ipſo condita ſunt univerſa, ſive throni, ſive dominationes, &c. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes.* Ergo omnia a Deo creata, & tempore creata.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I., & Conſtantinopolitanum I., In Symbolo fatentur, Deum eſſe creatorem viſibilium, & inviſibilium; nomine inviſibilium veniunt Angeli. Concilium Bracarenſe I. c.5. decernit, Angelos non habere ſubſtantiam divinam: ergo vult eſſe creaturas: ergo a Deo creatas. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. in cap. *firmiter*, in quo legitur: *Unum eſt univerſorum principium, Creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corpoream, angelicam ſcilicet, & mundanam; & deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Quibus verbis declaratur, & Deum creaſſe Angelos, & non ab æterno, ſed tempore creaſſe. Concilium Conſtantinopolitanum generale VI. action. 11., in qua lecta eſt epiſtola Sophronii, & probata a Patribus omnibus. In ea autem epiſtola continetur, Deum condidiſſe omnia inviſibilia, & viſibilia, creaturam ſpiritualem, & corporalem, & omnia tempore, non ab æterno, creaſſe.

III. Probatur ex Patribus. Epiphanius hæreſ.65. *Clare indicat divina Scriptura, quod ne-*

neque poſt ſydera facti ſunt Angeli, neque ante cœlum, & terram; cum palam intranſmutabile ſit dictum hoc, quod ante cœlum, & terram, nihil erat ex creatis. Victor Antiochenus ad c.12. Marci: *Angelorum multitudo, tametſi ingens, per generationem non eſt multiplicata, neque unquam multiplicabitur, ſed tantum per creationem.* Theodoretus in Epitome divinorum decretorum c. de Angelis: *Angelos, nec ut Græcorum Poetæ, & Philoſophi, in Deos referimus; nec in maſculinum, & fœmininum ſexum incorpoream naturam diſtinguimus; nec intemperantis coitus, quæ ſub aſpectum non cadunt, Poteſtates accuſamus; neque, ut ſtatuunt Hæreticorum fabulæ, eſſe creationis effectorem definimus; neque coæternas eſſe dicimus Deo univerſorum, &c. Immortali naturæ ſupervacanea eſt generis diviſio; neque enim incremento opus habent, cum non diminuantur; neque coitu, cum ſint a corporibus liberi.* Cyprianus in prœmio libri de Operibus Chriſti: *Deus vero his omnibus* (Angelis) *non arctatur, ſed excedens omnia, & æternaliter antecedens poteſtas, & virtus, nihil habet coævum, nec immenſitatis ejus profundum ulla creatura, vel cœleſtis, vel terrena, metitur.* Ambroſius ad c.1. ep.ad Hebr. *Sic qui erant jam Spiritus conditi a Creatore, facit eos Angelos, mittendo eos nuntiare, quod juſſerit.* Auguſtinus de Geneſ. ad litter. lib.4. c. 24. *Procul dubio univerſam creaturam, in qua ipſi* (Angeli) *ſunt principaliter conditi, in ipſo Verbo Dei prius noverunt.*

IV. Probatur Rationibus I. Si Angeli non fuiſſent creati, ſed geniti, vel fuerunt geniti per externam generationem, vel per internam: Non per externam; quia non ſunt corporei: Neque per internam; quia hæc ſoli Deo convenit, qui eſt infinite intelligens: ergo non fuerunt geniti, ſed creati; ergo a Deo creati; quia non eſt alius vim creativam habens præter ſolum Deum. II. Nulla creatura fuit ab æterno a Deo creata: ergo neque Angeli. Probatur antecedens. Omnia creavit Deus tempore; ut ex Scripturis, & Patribus innoteſcit: ergo nulla creatura fuit a Deo ab æterno creata. III.Ut Patres probarent contra Arianos Verbum eſſe Deum, hoc argumento utebantur; quia ſcilicet Verbum in divinis Scripturis dicitur æternum: ergo intelligebant Patres, æternitatem nulli creaturæ convenire: ergo neque Angelis convenit. IV. Deus creavit mundum ut opus ſuum præſtantiſſimum, ac abſolutiſſimum; ergo eum creavit ut conſtantem ex creaturis omnibus, quæ ipſum componere debebant: ergo etiam ex ſpiritualibus creaturis, quales ſunt Angeli. Probatur prima conſequentia; quia aliter univerſum non fuiſſet integrum in ſui productione, nec ſuis partibus æque conſtans. V. Angeli peccaverunt poſt creationem cœlorum: ergo non fuerunt ab æterno creati. Antecedens conſtat ex Scriptura. Conſequentia probatur. Non potuerunt Angeli ab æterno permanere in gratia, & poſtmodum peccare poſt cœlorum creationem; quia ſtatus viæ ipſorum non potuit eſſe ita longus, ut non ſolum excederet ſtatum viæ primi hominis, ſed etiam omnium aliorum hominum: ergo, &c.

Opponunt I. Apoſtolus c.1. Ep. ad Titum ait de Verbi Incarnatione: *Quam promiſit, qui non mentitur Deus, ante tempora ſecularia.* Sed quibus promiſit? Non hominibus; quia iſti non fuerunt ante tempora ſecularia: ergo Angelis: ergo Angeli fuerunt ante tempora ſecularia: ergo fuerunt ab æterno. II. Job.38. dicitur: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ .... cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei?* Sed iſti ſunt Angeli, ut communiter explicant ſacri Interpretes: ergo Angeli jam erant priuſquam mundus creatus eſſet: ergo ab æterno erant, quum Scriptura non aſſignet, quo tempore creati fuerint. III.Job. 4. dicitur de Behemot, qui intelligitur Diabolus: *Ipſe eſt principium viarum Domini*; id eſt creaturarum: ergo Diabolus fuit ab æterno creatus: ergo quoque Angeli cæteri omnes. IV. Clemens Romanus lib. 8. Conſtit. apoſt. c. 12. ſcribit: *Deus, qui ante omnia, Cherubim, & Seraphim feciſti, & ſecula, & exercitus, virtuteſque, & poteſtates, principatus, & thronos, Archangelos, & Angelos: qui fabricatus es poſt hæc omnia hunc mundum, qui cernitur, & omnia, quæ in eo continentur*; ſed ante ſecula eſt æternitas: ergo Angeli fuerunt creati ab æterno. V. S. Damaſcenus lib.2. de fide: *Quidam dicunt, quod ante omnem creationem geniti ſunt Angeli, ut Theologus dicit Gregorius. Primum quidem Deus excogitavit angelicas virtutes, & cœleſtes, & excogitatio opus ejus fuit*; ergo ex mente Patrum Angeli ab æterno creati ſunt. VI. Conveniens erat, ut Deus ab æterno laudaretur a creaturis ſuis; non a creaturis materialibus, quæ tempore creatæ ſunt: ergo a creaturis intellectualibus: ergo iſtæ ab æterno creatæ ſunt a Deo, Re-

Reſpondemus ad I. Per verbum *promiſit* non ſignificari promiſſionem verbis alicui expreſſam, ſed æternam Dei prædeſtinationem de futura Verbi ſui Incarnatione. Sic explicant verbum illud Chryſoſtomus, Anſelmus, aliique in locum illum. Et confirmatur explicatio ex verbis ejuſdem Apoſtoli II. ad Timoth. c. 1. *Secundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu, ante tempora ſecularia*.

Ad II. Angeli fuerunt a Deo creati cum omnibus dotibus intellectus, adeoque ſtatim poſt eorum creationem Deum noverunt, & laudaverunt; erantque pariter, quando Deus creavit Solem, Lunam, & aſtra; quia hæc non fuerunt primo die condita, quando creati ſunt Angeli; ut mox dicemus.

Ad III. Behemoth ſecundum literam eſt Elephas, aut animal ex genere draconum; dicitur principium viarum Dei, non prioritate durationis, ſed virtute corporis, qua aliis animalibus præſtat, magnitudine ſcilicet, ac fortitudine. Si velimus autem intelligere de Dæmone, dicimus cum Beda q. 9. ex variis, Luciferum dici primum, *ordinis prælatione, non temporis quantitate*.

Ad IV. Non eſt ille verus Clemens Romanus, ſed fictitius; non enim quod citatur, eſt opus ejus genuinum, ſed ſuppoſitum; ut omnes ſcribentes de Scriptoribus Eccleſiaſticis clamant. Cæterum verborum illorum legitimus ſenſus eſt, quod Angeli fuerunt creati ante res corporeas; quæ fuit ſententia multorum etiam Patrum; de qua mox loquemur; non vero quod fuerint creati ab æterno.

Ad V. eadem eſt reſponſio; Non enim dicit aut Damaſcenus, aut Nazianzenus, quod ab æterno Angeli ſunt creati; ſed fuerunt creati ante omnem creaturam, vel ante omnem creationem. Si inferatur ex hoc: ergo ab æterno ſunt creati; inepta eſt illatio; datur enim in tempore prius, & poſterius, ut omnibus notum eſt.

Ad VI. Non indiget Deus creaturarum laude ad beatitudinem ſuam; ſufficit enim ipſe ſibi. Nec beatior, nec glorioſior, evaſit poſtquam Angelos, & Homines creavit, quod prius erat. Communicavit utique bonitatem ſuam in creatione rerum, ſed ante illam pro perfectione ſuæ bonitatis ſatis erat, quod poterat illam communicare quandoquumque vellet. Et quia liberc hoc faciebat, poterat a nemine cogi, ut creaturam aliquam ab æterno crearet.

Statuto jam, quod Deus, non ab æterno, ſed tempore, Angelos creaverit, videndum ſupereſt, quo temporis momento creavit illos. Hoc ad fidem non pertinere plerique aſſerunt cum S. Thoma, & cum S. Bonaventura; alii autem volunt, de fide eſſe, ſaltem ad præſens; ut apud Eſtium legitùr, & nos infra diſcutiemus. Apud Sanctos Patres tres inveniuntur ſententiæ de hoc; quorum aliqui volunt, Angelos ante mundum corporeum fuiſſe a Deo creatos; & ſunt Origenes, Nazianzenus, Baſilius hom. 1. & 2. in Exameron; Hieronymus in c. 1. ep. ad Tit. Hilarius & alii, quos refert Sixtus Senenſis lib. 5. biblioth. annot. 5. Alii vero tuentur, creatos fuiſſe poſt mundum corporeum, quemadmodum, dicunt, hominis anima poſt ejuſdem corpus creata a Deo fuit; & ſunt Gennadius, Achacius, aliique relati a Lippomano in ſua catena in Geneſ. Alii denique defendunt, creatos fuiſſe ſimul cum mundo corporeo; & ſunt Epiphanius hæreſ. 65. Auguſtinus lib. 11. de civit. c. 9. Gregorius magnus lib. 32. moral. c. 10., & communiter omnes Scholaſtici cum Magiſtro Sententiarum in 2. diſt. 2. S. Thoma 1. p. q. 61. ar. 3.

Dicimus II. Angelos fuiſſe a Deo creatos ſimul cum hoc mundo corporeo.

I. Probatur ex Scripturis. Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram*. Quid nomine cœli intelligatur, ſunt decem, & octo explicandi modi apud Ricciolum in Almageſto t. 2. pag. 2., quos nuper attulit Cherubinus a S. Joſeph, Carmelita Diſcalceatus in ſumma criticæ ſacræ diſp. 1. ar. 2. In iis tamen legimus, quod nomine cœli intelligantur Angeli, eſt ſententia, quam plurimi tuentur; ſcilicet Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius magnus, Albertus magnus, S. Bonaventura, Lyranus, Toſtatus, Hugo Victorinus, Alenſis, Rupertus, Guillelmus Pariſienſis, Ambroſius Catharinus, aliique. Exod. 6. *Sex diebus fecit Deus cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt*. Angeli autem comprehenduntur inter illa, quæ in cœlis ſunt; quia Pſal. 148. iis, quæ ſunt in cœlis, Angeli adnumerantur. Item Geneſ. 1. *Dixitque Deus: fiat lux*. Nomine lucis intelligunt etiam plerique Angelos; & ſunt præcipue Auguſtinus, Gregorius magnus &c. Verum etſi nomine cœli, & nomine lucis, non intelligantur Angeli; adhuc tamen ex verbis illis: *in principio creavit Deus cælum, & terram*; & ex aliis Pſal. 101. *initio tu Domine terram*

funda-

fundaſti ; eruitur ſufficientiſſime, Angelos non fuiſſe creatos ante cœlum, & terram. Quum enim ibi dicatur , *in principio* ; & ibi etiam , *initio* ; bæc verba profecto ſignificant *ante omnia*; ut explicat Auguſtinus lib.11. de civit.c.6. & probat ex aliis conſimilibus verbis Proverb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum , antequam quicquam faceret a principio* . Sic pariter exponit Rupertus lib.1. de Vict. V. Dei c. 28. Immo ex præfatis Proverbiorum libris infertur quoque , Angelos non fuiſſe antequam cœlum , & terra fierent ; quia aliter Sapientia Dei , quum vellet ſe oſtendere priorem omni re creata , non dixiſſet , ſe fuiſſe ante creationem cœli , & terræ, ſed potius ante Angelorum creationem . Quod quum non dixerit , dat nobis argumentum dicendi, Angelos non ante , ſed poſt cœlum , & terram, fuiſſe a Deo creatos .

II. Probatur ex Conciliis . Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. in c.firmiter , decernit : *Unum eſt univerſorum principium , creator omnium viſibilium , & inviſibilium , ſpiritualium , & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utranque de nihilo condidit creaturam , ſpiritualem, & corpoream , angelicam ſcilicet , & mundanam; & deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu , & corpore conſtitutam* . Adnotandum eſt verbum illud *ſimul* , quod intelligi debet de ſimultate temporis ; quod ſequentia verba oſtendunt ; *Deus ſimul ab initio temporis* . Verum eſt , quod verbum *ſimul* aliquando accipitur in ſenſu collectivo, & idem ſonat ac *æque* ; ut quando dicitur pſal. 48. *Simul inſipiens , & ſtultus peribunt*; hoc eſt *æque* peribunt ; eodem ſcilicet mortis fine, ſed non eodem temporis momento: Attamen in allatis verbis accipitur in ſenſu temporali ; quod patet non ſolum a verbis , quæ ſubjunguntur , & diximus ; *ſimul ab initio temporis*: ſed pariter ab aliis, quæ ſequuntur ; *deinde humana &c.* Verbum *deinde* ſignificat etiam tempus , & temporis poſterioritatem ; unde omnia ad temporis ſimultatem referenda ſunt , ad diſtinctionem illorum , quæ præſeferunt temporis vel prioritatem , vel poſterioritatem . Concilium Conſtantinopolitanum VII. act.11. pariter indicat in epiſtola Sophronii , quam approbat , ſe probare ſimultatem creationis in Angelis cum mundo corporeo .

III. Probatur ex Patribus. Epiphanius hæreſ. 65. *Illud enim evidenter divinus ſermo declarat , neque poſt ſydera productos Angelos neque ante cœlum, terramque conſtitutos*. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. cont. Julianum: *Primum, quod creavit Deus , fuit cœlum, & terra*. Theodoretus q.4. *Quo miniſterio fungebantur Angeli, qui creationem præcedebant , cum nullus eſſet , qui indigeret , ut adjuvaretur eorum opera ?* Auguſtinus lib.11. de civit. c.6. *Porro ſi litera ſacræ , maximeque veraces , ita dicunt, in principio feciſſe Deum cœlum , & terram, ut nihil antea feciſſe intelligatur , quia hoc potius in principio feciſſe diceretur , ſi quid feciſſet ante cætera cuncta , quæ fecit* . Beda l. 4. in Exameron. dicens , terram fuiſſe dictam inanem , & vacuam , quia carebat hominibus , & plantis ; non ſic vero dictum eſt cœlum ; *quia mox creatum ſuis incolis , hoc eſt beatiſsimis Angelorum Spiritibus repletum eſt* ; unde Moiſes ſubdit : *Perfecti ſunt cœli, & omnis ornatus eorum* . Gennadius Maſſilienſis lib.de dogmatibus eccleſiaſticis c. 10. *In principio creavit Deus cœlum , & terram , & aquam ex nihilo . Et cum adhuc tenebræ ipſam aquam occultarent, & aqua terram abſconderet, facti ſunt Angeli , & omnes cœleſtes virtutes , ut non eſſet otioſa Dei bonitas.*

IV. Probatur rationibus. I. Angeli ſunt pars Univerſi hujus: ergo ſimul cum hoc Univerſo creati ſunt. Antecedens eſt certum, non enim ſeipſis totum aliquod conſtituunt , quod ſit ab hoc Univerſo diſtinctum , ac ſeparatum . Conſequentia probatur . Nulla pars , a ſuo toto ſeparata , perfecta eſt; ſed Angeli ſunt pars univerſi perfectiſſima : ergo non debebat eſſe temporis aliquo intervallo a ſuo toto ſeparata ; aliter imperfecta fuiſſet , quod non eſt dicendum . II. Abſonum eſt dicere, creatum fuiſſe mundum , & in mundo non fuiſſe qui Deum laudaret; ſed hoc ſequeretur admiſſa ſententia dicentium, Angelos fuiſſe creatos poſt creatum mundum corporeum : ergo hæc ſententia admitti non debet . Probatur minor . Quinque diebus illis ante hominis creationem quiſnam laudabat Deum ? Non homo, qui creatus fuit ſexta die ; Non Angeli , qui creati ſunt poſt mundum : ergo Deus quinque illis diebus abſque laudatore fuit in mundo , quum alias mundum ad ſui gloriam manifeſtandam creaſſet . III. Sicut poſt terram Deus creavit hominem , ita poſt cœlum , vel in ipſamet creatione cœli , creavit Angelos : ergo Angeli non ſunt creati nec ante mundum , nec poſt mundum . Probatur antecedens . Sicut

cut

cut terra erat locus hominum, ita erat cœlum locus Angelorum; ſed quia terra erat locus hominum, homo poſt terram creatam ſtatim factus eſt: ergo etiam quia cœlum erat locus Angelorum, Angeli ſtatim poſt creatum cœlum conditi ſunt. IV. probat Eſtius ex Cantico Eccleſiæ: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper &c.* Hæc verba intelligenda ſunt, *in principio creatura*; ſcilicet; ab initio, quo facta eſt creatura, fuiſſe Deum a creatura glorificatum; ſed hoc verum non eſſet, ſi Angeli non fuiſſent prima die creati; quia non erat alia creatura, quam angelica, quæ potuiſſet laudare Deum. Unde fit, quod Angeli glorificaverunt Deum ab initio creaturæ; hoc eſt nec ante mundum conditum, nec poſt ejuſdem creationem; non ante mundum conditum, quia non glorificaſſent in principio, ſed ante principium creaturæ: Non poſt mundum conditum, quia non feciſſent in principio, ſed in fine creationis creaturæ.

Obſtant I. Ex S. Thoma omnes Græci Patres noſtræ ſententiæ opponuntur: ergo ſaltem ob reverentiam tot, tantorumque Patrum non eſſet nec a nobis, nec ab aliis defendenda. II. Celebriores Latini Patres noſtram ſententiam reſpuunt; puta Ambroſius, Hieronymus, Hilarius; eam tamen totis viribus amplexantur in magno numero poſt Magiſtrum ſententiarum, & S. Thomam, Scholaſtici, ſed sanctis Patribus non ſunt præponendi Scholaſtici: ergo Scholaſticorum opinionem non debemus Patrum ſententiæ præferre. III. Deus tot ſeculis ante mundi creationem non debebat eſſe otioſus; ſed ſic fuiſſet, ſi Angelos ante mundum conditum non creaſſet: ergo illos antequam conderet mundum creavit. IV. Si Deus Angelos cum mundo corporeo ſimul creaſſet, hoc ſane expreſſiſſet Moiſes, corporei mundi creationem deſcribens; ſed Moiſes nihil de Angelis dixit: ergo Deus ſimul illos cum mundo corporeo non creavit. V. Incertum eſt apud noſtræ ſententiæ Aſſertores, quando Deus Angelos creaverit; ſi quidem dicunt quidam, illos intelligi nomine cœli, alii nomine lucis, alii nomine ignis, alii nomine aeris: ergo incertum eſt quoque, ſi non etiam falſum, ſaltem tamen improbabile, quod ſuper incertum fundatur. VI. Angeli, quia ſunt præſtantiores inter cæteras creaturas, debebant priori loco creari, & ante ordinem illarum; ob eorum præ excellentiam: ergo non ſimul creati ſunt cum creaturis.

Reſpondemus ad I. Traditionem Patrum tunc facere concluſionem theologicam, quando vel eſt omnium Patrum, vel majoris partis ipſorum. In caſu autem non eſt ſic; quia ex parte noſtra in majori numero ſunt Patres. S. Thomas docet quidem 1. p. q. 61. ar. 4.: *Hieronymus loquitur ſecundum ſententiam dictorum Græcorum, qui omnes hoc concorditer ſentiunt, quod Angeli ſunt ante mundum corporeum creati.* Sed ejus verba non ſunt univerſaliter, at cum exceptione, intelligenda; quia Epiphanius, Theodoretus, & alii plures apud Petavium, ſunt Patres Græci, & tamen contrarium docent, & pro noſtra ſtant ſententia. Aliorum vero Græcorum Patrum, & præcipue Baſilii, Chryſoſtomi &c. verba non ita ſunt perſpicua, ut explicari non poſſint; & de facto a Theologis explicantur, ut videre quiſquis poterit apud Petavium, Eſtium, Fraſſen, Jueninum &c.

Ad II. Stat pro noſtra ſententia Auguſtinus, qui unus eſt pro multis. Sed ſtant etiam alii, quibus adjuncti Scholaſtici fere omnes, ſententiam noſtram probabiliorem oppoſita reddunt. Sunt pariter, qui Hieronymi, & Bedæ, & Ambroſii verba ita exponunt, ut noſtræ ſententiæ contradicere non videantur. Non ergo nos præferimus Scholaſticorum opinionem ſententiæ Patrum; ſed Scholaſtici ex oppoſitis Patrum ſententiis, unam eligunt, Patrum etiam auctoritate vallatam, quibus nos adhæremus.

Ad III. dicitur, quod ſi ratio valeret, ſequeretur, Deum ab æterno debuiſſe Angelos creare, ne momentum temporis eſſet, in quo Deus otioſus fuiſſet. Si enim Deus Angelos creaſſet ante mundum per decies centena millia ſecula, ante hæc ſecula otioſum dicendum eſt fuiſſe; quod nemo dicet. Reſponſio eſt Theodoreti q. 3. in Geneſ. Cæterum Deus nunquam eſt otioſus, quando intra ſeipſum operatur, & in ſe ipſo ab æterno eſt, & ſolo ſe ipſo beatus.

Ad IV. aliqui dicunt, Moiſen non omiſiſſe creationem Angelorum, ſed eam expreſſiſſe vel ſub nomine cœli, vel ſub nomine lucis: & ſunt Auguſtinus lib. de Geneſ. ad liter. Beda in Examer. aliique. Cæteri vero docent, omiſiſſe, ne Judæis, qui rudes erant, & ad Idola inclinati, Idololatriæ occaſionem daret. Nos vero cum

aliis dicimus; quod omiſit, quia ſui inſtituti ratio de Angelis loqui non poſtulabat. Ut enim ſcribit Hieronymus ep. 139. ſolum voluit Moiſes rerum corporalium creationem deſcribere, a quibus Angeli alieni erant.

Ad V. non valet argumentum ad probandum incertitudinem ſubſtantiæ rei ex incertitudine circumſtantiarum ejus. Multa enim ſunt, quæ certa habentur in ſua ſubſtantia, quam certam utique reddunt, vel fides, vel experientia, vel naturalis ratio; & tamen circumſtantiæ illorum ſunt omnino incertiſſimæ. Et hoc præcipue habet locum in explicandi modis, qui varii poſſunt eſſe, ſecundum Scriptorum varietatem; & tamen res, quæ explicatur, non eſt dubia.

Ad VI. ſi argumentum valeret, nec etiam homo debuiſſet poſt cætera corporalia creari. Attamen Angeli creati ſunt poſt creatum cœlum, quod ipſorum erat ſedes; ſicut homo poſt creatum mundum, in quo habitare debebat.

Controvertitur modo inter Scholaſticos, an hæc ſententia, qua diximus, Angelos ſimul cum mundo corporeo fuiſſe creatos, ſit de fide; itaut contraria dicenda ſit, vel hæretica, vel erronea, vel ſaltem temeraria? Gregorius Ariminenſis, Ferrarienſis, Melchior Canus, & alii nonnulli, docent, de fide eſſe. Alii vero magis communiter negant; S.Thomas hujus eſt ſententiæ, docens, quia de fide determinatum non eſt; ac proinde contrarium nec eſſe hæreticum, nec erroneum. Plerique tamen diſtinguunt inter tempora, quæ Concilium Lateranenſe præceſſerunt, & tempora, quæ ſubſequuta ſunt; & dicunt, quod vere temporibus illis non erat nec hæreticum, nec erroneum contrarium aſſerere, quia Eccleſia nihil definierat. At quia Concilium Lateranenſe definivit, poſt ipſum aſſerere illud idem, eſt hæreticum, erroneum, & omnino temerarium. Eſtio tamen non aſſentimur dicenti, quod S.Thomas, & S. Bonaventura, qui poſteriores Concilio Lateranenſi fuerunt, hanc quæſtionem tractantes, decreti illius non fuerint memores; & rationem ſubdit, dicens: ,, Nam alioqui ,, mentionem aliquam ejus feciſſent, nec ,, de ſententia contraria, tanquam de libera ,, opinione fuiſſent locuti; quandoquidem ,, & hi, qui etiam nunc fidei quæſtionem ,, hanc eſſe negant, tamen propter verba de- ,, creti, ſaltem alicujus temeritatis notant ,, dictam opinionem. ,, Etenim S.Thomas vere meminit Concilii Lateranenſis; & ipſius decretum explicavit; ut docet Petavius dicens: ,, At Sanctus Thomas in ,, Opuſculo, quo Decretalem illam expo- ,, ſuit, cenſet ita decretaſſe Synodum ad- ,, verſus Origenis errorem; qui ſpiritales ,, creaturas ſolas, ac per ſe, ab initio con- ,, ditas aſſerebat; corporeas vero ex acci- ,, denti, non autem ex primaria deſtinatio- ,, ne, ut eo velut carcere Spirituum delicta ,, plecteret; contra quos Innocentius ita ,, ſanxit; utramque ſimul, hoc eſt pari con- ,, ſilio, & primario conſtitutam a Deo, id- ,, que ab initio temporis, hoc eſt non ex ,, omni æternitate. ,, Eſtius tamen, & Jueninus, hanc explicationem Cajetano, non S.Thomæ, tribuunt. Verum hæc explicatio nec ſatisfacit aliis, qui putant, initium illud temporis verborum Concilii, æque ſignificare tempus creationis Angelorum, ac rerum viſibilium; ut nos paulo ante probavimus. Denique pro hoc noſtrum eſt judicium, quod vere quæſtio hæc ante Concilii Lateranenſis tempus ad fidem non pertinebat; unde ſalva fide pro utraque parte poterant Patres, & Scriptores, libere opinari; poſt vero Concilium, quia Concilium non ex propoſito hoc definivit, ſed quaſi ex accidenti protulit, nec quoque expreſſe ad fidem pertinere; attamen negandum non eſt, quod contraria ſententia, ſi non hæretica, nec erronea, eſt ſine dubio præſenti tempore temeraria; quod ex dictis patet.

Remanet tandem, ut de Loco creationis Angelorum pauca dicamus. Exiſtimant quidam Angelos fuiſſe creatos in cœlo Sydereo, quod eſt proximum empyreo; hujus opinionis eſt Fraſſen, qui Hieronymum pro ſe citat. Alii vero volunt, conditos fuiſſe in cœlo empyreo, quod eſt Beatorum ſedes; ſic intelligit Eſtius, qui S. Thomam pro ſe allegat. Quidam aſſerunt, non omnes Angelos fuiſſe in cœlo empyreo creatos, ſed illos, qui motui cœlorum deputati ſunt, fuiſſe conditos unumquemque in ſuo cœlo, cujus motioni deputatus eſt. Plerique creatos dicunt in aere; uti ſunt Rupertus, Eugubinus, &c. Denique non pauci ſuſtinent, incertum eſſe locum creationis Angelorum; quam opinionem communiſſimam profert Cacheranus, & eam ex profeſſo tuetur Jueninus.

Dicimus III. Angelos fuiſſe creatos in cœlo empyreo.

I. Probatur. Nullus eſt Scripturæ locus, qui huic

huic aſſertioni opponatur; nullum eſt Patrum teſtimonium, quod contra eam faciat; nulla eſt ratio convincens, quæ pro oppoſitis opinionibus urgeat: ergo aſſertio noſtra præ cunctis aliis eſt probabilior; quod ſolum nos intendimus. II. Omnes congruentiæ pro noſtra ſententia faciunt; quod ſic de ſingulis probatur: Summus locus deputandus erat creationi ſummæ creaturæ; ſed ſumma creatura eſt angelica, & ſummus locus eſt cœlum empyreum: ergo cœlum empyreum deputari debebat Angelorum creationi: Iterum; creatura ſpiritualis præſidet creaturæ corporeæ: ergo creanda erat in ſupremo corpore, in quo poterat toti naturæ corporeæ præſidere: Rurſus; Homo ſi in innocentia permanſiſſet, in meliori terræ parte habitaſſet; ergo quia Angeli in gratia permanſerunt in digniori cœlo habitarunt: ergo in eodem cœlo creati ſunt. Conſequentia ultima probatur. Non enim Scriptura mentionem facit de tranſlatione Angelorum, ſicut narrat tranſlationem hominis in paradiſum: ergo quum Scriptura ſileat, quum ſilear traditio, quum ratio non convincat, dicendum eſt, Angelos ibi creatos fuiſſe, ubi habitabant, ut ubi habitare debebant. III. Beda in Geneſ. 1. aſſerit, quod ſupremum cœlum, hoc eſt empyreum, a volubilitate mundi ſecretum eſt mox ut creatum fuit; unde eodem momento fuit Angelis repletum. IV. Lucæ 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*; Iſai. 14. *quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* Apocalyp. 12. *factum eſt prœlium magnum in cœlo.* Scimus ab Adverſariis in præfatis locis cœlum non explicari de empyreo, ſed vel de aereo, vel de ſydereo; at non ita explicavit Auguſtinus lib. 11. de civit. c. 33. ſcribens; Sanctorum Angelorum ſocietatem *illam in cœlis Angelorum habitantem*, *iſtam*, diabolicam, *inde* e cœlis cœlorum *dejectam*. Scimus pariter, verba illa ab Adverſariis explicari de habitatione, non de creatione; ſicut homo extra paradiſum fuit creatus, & in paradiſo habitavit: At non oſtendunt de Angelis, quæ de primo homine narrantur; & quum non oſtendant, non poſſunt abſque claro, & ſolido fundamento inter Angelorum creationem, & habitationem, diſtinctionem effingere.

Arguunt I. Iſai. 14. *In cœlum conſcendam*; dicebat Lucifer: ergo in empyreo non habitabat: ergo in Empyreo creatus non fuit. II. Hieronymus lib. 6. in Iſai. c. 14. de Lucifero loquens, ait: *Si adhuc in cœlo poſitus, quomodo dicit, aſcendam in cœlum? Sed quia legimus, cœlum cœli Domino, cum eſſet in cœlo, in cœlum cœli, ubi ſolum Domini eſt, cupiebat aſcendere*. III. Si Angeli creati fuerunt in empyreo, habitarunt pariter in empyreo: ergo mali Angeli in empyreo quoque peccarunt; ſed hoc indignum eſt dicere; quia eſſet ante faciem throni Dei peccare: ergo dici non debet, quod Angeli in cœlo empyreo creati ſint. IV. Angeli pro illo temporis momento, quo erant in via, non debebant eſſe in termino: ergo extra cœlum empyreum habitare debebant; quia cœlum empyreum erat terminus Angelorum bonorum, infernum vero malorum: Unde in altero cœlo prœliantes, in ſydereo ſcilicet, vel aereo, poſtmodum victores ad empyreum aſcenderunt, victi vero in infernum præcipitati ſunt.

Reſpondemus ad I. Verba illa Iſaiæ non ſunt proprie Luciferi, ſed Babyloniorum Regis, Lucifero autem attribuuntur, & hoc propter ejus ſuperbiam, cujus ratione de Rege illo dicta ſunt. Cæterum ſi Lucifero, & Angelis ejus tribuuntur, cœli nomine intelligunt Scriptores cœlum Sanctiſſimæ Trinitatis, cui aliquo modo ſe æquales facere volebant. Sic S. Thomas 1. p. q. 63. ar. 4. *Ad tertium dicendum, quod loquitur ibi non de cœlo aliquo corporeo, ſed de cœlo Sanctiſſimæ Trinitatis, in quod Angelus peccans aſcendere voluit, dum voluit aliquo modo Deo æquiparari*. Addimus, quod ſi verba illa proprie de Lucifero intelligi deberent, de eodem quoque ſequentia verba intelligeremus: Nempe; *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum &c. Aſcendam ſuper altitudinem nubium &c.* Quod ſi hoc conceditur, ſic argumentamur. Quia Lucifer aſcendere volebat in cœlum empyreum, dicitur non in eodem cœlo creatus: ergo quia Lucifer volebat pariter aſcendere in cœlum *ſydereum*; *ſuper aſtra Dei &c.* nec etiam in cœlo ſydereo dicendus eſt creatus: ergo etiam, quia Lucifer volebat aſcendere in cœlum *aereum*; *ſuper altitudinem nubium &c.*, nec quoque dicendus eſt in aereo cœlo conditus. Remanet ergo, ut in terra creatus fuerit; quod nullo modo Adverſarii dictitabunt.

Ad II. Cœlum cœli vel ſignificat cœlum Sanctiſſimæ Trinitatis, ut explicat S. Thomas, a nobis allatus, exponens verba illam, *in cœlum conſcendam*, quæ ſibi exponenda aſſumit S. Hieronymus: Vel

cœlum cœli denotat omnes cœlos, ut habetur ex illo Pſal. 113. Dicitur enim ibi cœlum cœli prout oppoſitionem dicit ad terram; ſed ad terram omnes cœli oppoſitionem dicunt: ergo per verbum illud omnes cœli ſignificantur. Quod ibi dicatur cœlum cœli per oppoſitionem ad terram, patet ex verbis illis Pſalmi: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*.

Ad III. Numquam potuit cœlum empyreum Angelorum peccato contaminari; & quanvis ex ſanctitate loci gravius reddatur peccatum, non per hoc tamen loci ſanctitas peccati labem contrahit. Ezechiel. 28. Lucifero dicuntur verba hæc: *Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei...., & peccaſti; & ejeci te de monte Dei, & perdidi te, o Cherub protegens &c.* Quibus verbis clare oſtenditur peccati gravitas, quia commiſſum eſt in monte ſancto Dei; at per montem ſanctum Dei quodnam aliud cœlum, quam empyreum, commodius poteſt intelligi? Et numquid per Luciferi peccatum mons ſanctus Dei contaminatus eſt, ut non fuerit deinceps nec ſanctus, nec mons Dei?

Ad IV. Etiam primus homo in paradiſo voluptatis peccavit. Unde per peccatum fuit ab illo dejectus. Quid igitur mirum, ſi Lucifer cum ſociis ſuis in Empyreo conditus, poſtquam peccavit, meruit quoque, ut ab illo dejiceretur. Status autem viæ non deſumendus eſt in Angelis a loco, in quo erant, quando erant in via, ſed a libertate merendi, & demerendi, in quo pro illo temporis momento inveniebantur. In quocunque proinde loco eſſent, ſemper fuiſſent in via, dummodo fuiſſent liberi ad merendum, vel demerendum. Differentia tantum fuit inter bonos Angelos, & malos, quod boni, perſeverantes in Dei obedientia, non ſunt ejecti e loco illo, in quo erant; mali vero, ob inobedientiam, & rebellionem, ejecti, in profundum inferni deſcenderunt.

DISSERTATIO CXXXII.

De Natura Angelorum; de Philoſophorum, & Hæreticorum, erroribus, & de opinionibus Patrum, circa illam; & quid modo catholica Fides nobis credendum proponat?

SPirituales ſubſtantias Angelos eſſe uſquemodo obiter diximus; nunc tempus eſt, ut hoc ipſum probemus, & ab adverſariorum vel opinionibus, vel erroribus, vindicemus. Attamen priuſquam hoc a nobis præſtetur, juxta noſtram conſuetam methodum, illos recenſere oportet, quos, & erroribus, & contrariis opinionibus, aut ortum, aut ſequelam, comperimus dediſſe.

Primo ponuntur Sadducæi, & Athei; quatenus crediderunt, nullam eſſe in mundo ſpiritualem ſubſtantiam, ac proinde Angelos negarunt. Verum aliud eſt ſpiritualem ſubſtantiam negare, ac proinde Angelos quoque; aliud eſt Angelos admittere, at illos negare ſpirituales ſubſtantias eſſe. Primum examinavimus in Diſſert. 130., & ibi etiam Sadducæos, & Atheos, recenſuimus. Unde hoc in loco, in quo illos adducimus, qui Angelos admiſerunt, & ſpirituales ſubſtantias eſſe negarunt, locum vere non habent.

Secundo ex Philoſophis ponitur Plato, qui, ex Auguſtino lib. 8. de civit. c. 14. 15. & 16. apud Coccium, dixit, Dæmones eſſe animalia genere, & animo paſſiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. Plutarchus lib. 1. de Placit. Philoſoph. c. 8. aſſerit, Platonem una cum Thalete, Pythagora, & Stoicis, *Heroas putaſſe animas eſſe corporibus perfunctas: ac bonos quidem eſſe animas bonas: malos autem malas: Porro Dæmones dixiſſe eſſe ſubſtantias animales*. Refert Petavius lib. 1. de Angelis c. 1.

Tertio Philo Judæus Angelos, ſive Dæmones, ut idem narrat Petavius, ejuſdem atque hominum animos generis eſſe docuit; & animalium vocabulo, ac natura

com-

complexus eſt. Subdens, quod Philo de ſomn. fol. 586. diſtribuit *naturam animalium in rationalem, & rationis expertem; priorem rurſus in mortalem, & immortalem; mortalem, ut hominum; immortalem, ut animarum corporis expertium, quæ in aere, ac cœlo volitantes, pravitate carent omni.*

Quarto inter Hæreticos eſt Mahometus, qui hoc etiam ſomniis ſuis adjunxit, Angelos nimirum ex igne creatos eſſe, & quemadmodum corpus hominis ex terra compactum eſt, ita etiam ex igne, ſeu materia, compactos Angelos, eoſque peccare, & mori poſſe. Refert Coccius ex Joanne Cantacuzeno or. 2. cont. Mahometum, & ex Ænea Sylvio epiſt. ad Morbiſanum, Turcarum Principem.

Quinto adnumerantur Fauſtus Rhegienſis, qui epiſt. ad Paulinum aſſeruit, Angelos eſſe corporeos; Pſellus, qui lib. de Dæmonibus Angelis corpora tribuit; Rupertus Tuitienſis, qui lib 1. in Geneſ. c. 11. dixit, Angelos ex ſua origine ſubtilia corpora habere; hi omnes apud Coccium leguntur. Apud Cacheranum vero inveniuntur Elias in orat. 1. Nazianzeni §. nihil enim mihi; Caſſianus collat. 7. c. 13. Gennadius lib. de eccleſ. dogmat. c. 11. & 12.

Ad Patres modo devenimus; ſed antequam illos recenſeamus, aliqua præmittere oportet. Primum eſt, quod nomen *Spiritus* quinque poteſt ſignificationes habere; nempe ſignificat primo tenuiſſimas partes corporis organici, quæ ſi per nervos a cerebro emiſſi permeant, vocantur ſpiritus animales, ſi per arterias, & venas a corde, vel ab hepate tranſmittuntur, dicuntur ſpiritus vitales; ſecundo denotat ventum, aerem, etherem &c. unde dicitur in Scriptura *ſpiritus procellarum*; & nos quando aerem trahimus, dicimus ſpirare, reſpirare &c., tertio importat animam, ſive rationalem, ſive ſenſitivam; unde Eccleſ. 3. habetur: *Quis novit, ſi ſpiritus Filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* quarto dicit ſubſtantiam incorpoream prout corpori craſſo, & compacto ex carne, & oſſibus componitur; unde Lucæ 24. legitur: *Palpate, & videte, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet*; quinto ſignificat naturam immaterialem, hoc eſt nulla conſtantem materia, nulloque corpore, quanvis ſit tenuiſſimum, ac ſubtiliſſimum. Secundum quod præmittimus eſt, ſubſtantiam omnino ſpiritualem tripliciter etiam accipi; primo nimirum apud quoſdam Patres ſpirituale idem ſonabat, ac increatum; unde quia ſolus Deus increatus eſt, ſolum Deum ſpiritualem dicebant; & omne, quod creatum eſt, corporeum appellabant. Ita loquitur Hilarius cap. 5. in Matth. *Nihil eſt, quod non in ſubſtantia, & creatione corporeum ſit, ſive in cœlo, ſive in terra, ſive viſibilium, ſive inviſibilium elementa formata ſunt; nam & animarum ſpecies, ſive obtinentium corpora, ſive corporibus exulantium, corpoream tamen natura ſua ſubſtantiam ſortiuntur; quia omne, quod creatum eſt, in aliquo ſit neceſſe eſt.* Secundo alii accipiunt incorporeum pro illimitato, & ſic videtur accepiſſe Eliam or. 1. Nazianzeni. *Solus Deus circumſcriptionis expers eſt, quia ſolus proprie corpore vacat; circumſcripti autem Angeli, quia nec incorporei proprie ſunt, etiam ſi noſtri reſpectu incorporei dicantur*; & Fauſtus citatus, qui vult, Angelos, & animas eſſe materiales, eo quod locis circumſcribantur. Tertio alii uſurpant corporeum pro incommutabili; & hoc legitur apud Auguſtinum ep. 28. ubi poſtquam ſtatuit animam eſſe corpoream, ſubdit: *Ne verbi controverſiam vel ſuperflue faciam, vel invitus patiar. Si corpus eſt omnis ſubſtantia, vel eſſentia, vel ſi quod aptius nuncupatur, id quod aliquo modo eſt in ſe ipſo, corpus eſt anima. Item ſi eam ſolam placet incorpoream appellare naturam, quæ ſumme incommutabilis, & ubique tota eſt, corpus non eſt anima, quoniam tale aliquid ipſa non eſt. Porro ſi corpus non eſt, niſi quod per loci ſpatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita ſiſtitur, vel movetur, ut majori ſui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minuſve ſit in parte, quam in toto, non eſt corpus anima.*

Deberemus hic quoque Spiritus eſſentiam inquirere, ac ſtabilire; ſed quum eam in Phyſicis explicatam, ac probatam, ſupponamus, non putamus hic neceſſarium repetere, quæ alibi dicta ſupponuntur, & quæ hic vere locum non habent. Cæterum in quocumque conſiſtat Spiritus eſſentia, quando de Angelo probamus Spiritum eſſe, illud quoque Angelo eſſentialiter convenire, probandum eſt. Sive ergo Spiritus eſſentia conſiſtat in penetrabilitate, ſive in indiviſibilitate, & extenſione, ſive in eſſe intellectivo; ut plerique volunt; ſive in intellectione actuali, ut defendit Carteſius; ſive in penetrabilitate ad libitum, ut P. Magnanus tuetur; has omnes rationes neceſſe eſt ut probemus convenire Angelis, relicta

poſt-

poſtmodum quæſtione, quænam ex his ut eſſentia, quænam ut proprietas, conveniat; quæ certe ad præſens noſtrum inſtitutum non facit. Nos enim hic quærimus tantum de natura Angelorum; an ea ſcilicet ſit materialis, an immaterialis; an Angelus ſit ſpiritus, an corpus; an ſit compoſitum, an ſimplex. Ulterius dupliciter res aliqua poteſt dici ſpiritualis; primo quod non ſit corpus; ſecundo quod nullum ordinem dicat ad corpus; ordinem vero ad corpus dupliciter etiam poteſt dicere; & ut forma corporis, dicit ordinem ad corpus tanquam ad materiam, faciens cum eo compoſitum; & ut operans utatur corpore tanquam inſtrumento ad operandum, itaur non poſſit ſine inſtrumento hoc ſuas operationes exercere. Et quia dicemus, Angelos eſſe natura ſpirituales; hoc ipſum intelligemus, & prout ſpirituale opponitur corpori, & prout non conſtat ex ſpiritu, & corpore; & prout demum non indiget corpore ut inſtrumento, per quod ſuas naturales operationes exerceat; & hoc eſt eſſe ſubſtantiam omnino ſpiritualem, & pure ſpiritualem.

Ex una parte modo ſcribemus Patres illos, qui ſpirituali ſubſtantiæ Angelorum ſe viſi ſunt oppoſuiſſe; & quos explicare, & ſano modo intelligere poterimus, ſic omnino intelligemus; quos nulla eos excuſandi vel recto ſenſu interpretandi ſpes affulgeat, dicemus qualitati temporum conceſſiſſe, quibus non adeo perſpectæ erant res, vel ad fidem, vel ad Scripturas, vel ad dogmata, ſpectantes, ut modo perſpicuæ, firmæ, ac communiter receptæ, manifeſtantur. Ex altera vero parte adducemus Patres, qui eidem Angelorum ſpirituali ſubſtantiæ ſuffragium tulerunt, eam ſcripris ſuis amplectentes, exponentes, & aliquando etiam propugnantes.

Primo nobis occurrit Juſtinus martir in Dialogo cum Tryphone, qui putavit Angelos corporibus eſſe præditos, cibum ſumere in cœlo, nobis incognitum, ſed quem nominat Scriptura pſal. 77. *panem Angelorum*; apud homines vero fuiſſe aliquando viſos comedere, ſed re vera non comediſſe; & ſi dictum fuerit, quod comederint, intelligendum eſt, ut de igne dicimus, combuſtibilia devorare.

Secundo Origenes lib. 1. Periarchon c. 6. dicit, quod *ſolius Dei eſt proprium, ut ſine materiali ſubſtantia, & abſque ulla corporeæ adjectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere*, Et lib. 2. c. 8. dicit: *Non videri abſurdum de ſanctis Angelis, cæteriſque cœleſtibus virtutibus, vel dicere, vel ſentire, illos animas habere*. Hæc & ſimilia dicunt, Origenem ex Platonicorum philoſophia deſumpſiſſe, quæ quidem nullam admittunt excuſationem. Cæterum idem Origenes lib. 6. cont. Celſum, ut teſtatur Petavius, aſſerit verbis ſequentibus, Angelos carere corpore: *Nos corpoream ſubſtantiam non putamus igne conflagrare, neque in ignem reſolvi hominis animam, vel Angelorum, ſive thronorum, aut dominationum, aut principatuum, aut poteſtatum, ſubſtantiam.*

Tertio Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. c. 6. inquit, manna eſſe cibum Angelorum. Item in fine Operum ejus leguntur quædam excerpta ex ſcriptis Theodoti, in quibus Angeli dicuntur corporei. At non putamus hæc ſomnia Clementem approbaſſe; quia aliter approbaſſet etiam quæ in eodem libro continentur deliramenta; ſcilicet Angelos, animas huminum, & ipſum Dei Verbum, cœleſtia corpora habere, formoſa, & intelligibilia. Quod vero dixit de Angelorum cibo, quod ſit manna, poteſt pariter ſymbolice intelligi, & explicari.

Quarto Baſilius lib. de Spiritu Sancto c. 16. docet de Angelis: *Subſtantia quidem ipſorum ſpiritus puta eſt aereus, aut ignis expers materiæ ..... Ideo & in loco ſunt, & fiunt aſpectabiles, in ſpecie propriorum corporum iis, qui digni ſunt, apparere.* At ſi miti interpretatione utamur, explicare poſſumus Baſilium, dicendo, quod metaphorice loquatur, illo quidem modo, quo loquitur Pſalmus, cujus verba ipſemet citat, ſubdens immediate ad priora verba: *Secundum id, quod ſcriptum eſt: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem.* Quomodo enim potuiſſet curporeos dicere Angelos, quos materiæ dicit expertes? Per verba poſteriora intelligit propria corpora, hoc eſt propria repræſentative, non vero propria entitative; quatenus ſcilicet ſunt ſua propria illa corpora, quæ ipſos repræſentant, & non alios. Quod magis confirmatur, quia idem Baſilius in homil., in qua probat, Deum non eſſe malorum auctorem, Angelos vocat *intelligibilem creaturam*, & eos a corporea diſtinguit: Ibidem eoſdem in fine nominat *naturam corporis expertem*: In lib. 4. cont. Eunomium eandem dicit *corpore carentem, & ratione præditam*: Et in cit. lib. de Spiritu Sancto c. 16. paulo ante allata verba dixerat: eſſe cœ-

leſtes

leſtes virtutes *puras, & intellectu preditas, ac ſupra mundum ſitas*.

Quinto Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Joan. docer, ſolum Deum eſſe incorporeum. Ar incorporeum, ur paulo ante diximus, accipirur vel pro increato, ur explicavimus S. Hilarium; vel pro illimitato, ut intelleximus Eliam; vel pro incommutabili, ut interpretati fuimus Auguſtinum: Unde nil vetat, ut pariter ſic pro Cyrillo intelligamus. Et ſic intelligentes, re vera ſolus Deus eſt incorpureus. Immo ex ipſomet Cyrillo pater, quia ideo dixit, ſolum Deum eſſe incorporeum, quatenus ſolus ipſe circumſcribi non poteſt, quum cætera circumſcribantur, quia corpora ſunt; unde incorporeum accipit pro immenſo, quod non circumſcribitur a loco; & idem eſt ac illimitatum in loco.

Sexto Athanaſius ſic naturam Angeli definit: *Angelus eſt animal rationale, materia expers, hymnis Deum prædicans, immortale*. Sed primo dicitur, hæc verba deſumpta eſſe ex Quæſtion. ad Antiochum; at hic liber Athanaſio eſt ſuppoſitus, ex concordi Criticorum mente. Secundo pro animali intelligitur vivens; aliter quomodo verificaretur, eſſe animal, & eſſe materiæ expers? Tertio ſi eſſet animal, eſſet compoſitum ut homo, ex corpore, quia animal, ex anima, quia rationale; quomodo autem eſſet immortale, vel incorruptibile, ſaltem ab intrinſeco?

Septimo Tertullianus lib. de carne Chriſti c. 6. inquit: *Conſtat Angelos carnem non propriam geſtaſſe, ut puta naturæ ſubſtantiæ ſpiritualis; & ſi corporis alicujus, ſui tamen generis; in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus; ut videri, & congredi cum hominibus poſſent*. Et lib. 2. cont. Marcionem c. 8. *Nam et ſi Angelus, qui ſeduxit, ſed liber, & ſuæ poteſtatis qui ſeductus eſt: ſed imago, & ſimilitudo Dei fortior Angelo; ſed ad flatus Dei generoſior ſpiritu materiali, quo Angeli conſtiterunt. Qui facit, inquit, Spiritus Angelos, & apparitores flammam ignis*. At quis non videt, Angelis tribuiſſe in prioribus verbis, aliorum corpora, ſuam vero ſubſtantiam ſpiritualem, Tertullianum appellaſſe? In poſterioribus vero verbis animam dixit adflatum, & Angelum ſpiritum, phraſi utens Scripturarum, quæ ad metaphoram in hoc luquutæ ſunt; ut nuper de Baſilio explicavimus.

Octavo Hilarius in cap. 5. Matth. hæc ſcribit: *Nihil eſt, quod non in ſubſtantia ſua, & creatione corporeum ſit; & omnium ſive in cœlo, ſive in terra, ſive viſibilium, ſive inviſibilium elementa formata ſunt. Nam & animarum ſpecies, ſive obtinentium corpora, ſive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ ſuæ ſubſtantiam ſortiuntur; quia omne, quod creatum eſt, in aliquo ſit, neceſſe eſt*. Et ad calcem lib. 2. de Trinit. *Spiritus nec circumſcribitur, nec tenetur, quia per naturæ ſuæ virtutem ubique eſt*. Si, ut diximus, incorporeus aliquando ſumitur pro increato, quid mirum, ſi corporeus pro creato intelligitur? Et ſi Spiritus accipiebatur pro illimitato, ſeu immenſo, conſequenter quod limitatum erat non ſpiritus dicebatur, quia loco circumſcribi oportebat. Et hæc verborum Hilarii germana eſt intelligentia.

Nono Ambroſius lib. 2. de Abraham c. 8. dum confutaret ſententiam Peripateticorum, qui dicebant, Cœlum conſtare quinta ſubſtantia quadam, quæ eſſet diverſa ab illa quatuor elementorum, inquit: *Nos autem nihil materialis compoſitionis immune, atque alienum putamus, præter illam ſolam venerandæ Trinitatis ſubſtantiam, quæ vere pura, & ſimplex ſincera, impermixtaque natura eſt*. Dicunt, quod per hæc verba intelligat Ambroſius, omnes creaturas, ſive Angelos, ſive cœlos, ſive animas, ex illa eadem materia conſtare, ex qua omnia elementa conſtant. Attamen non ſic explicant plerique, ſed dicunt, ſolum Deum, intellexiſſe Ambroſium, nullam in ſe admittere compoſitionem; creaturæ vero omnes aliquo modo compoſitæ ſunt, vel ex ſubſtantia, & accidenti ſpiritualibus, ut ajunt Ariſtotelici, vel ex eſſe, & eſſentia, vel ex genere, & differentia, &c. Et ſic pariter intelligunt Damaſcenum lib. 2. de fide orthod. c. 3. hæc ſcribentem: *Comparatione quidem noſtrorum corporum Angeli ſpiritus ſunt; ſed comparatione ſummi, & incircumſcripti ſpiritus, ſunt corpus*. Et quanvis Ambroſius dicat *materialis compoſitionis*; tamen materia largo modo accipitur, prout ſcilicet ſignificat ſubjectum, cui juxta Ariſtotelis hypotheſim accidentia inhærent.

Decimo Auguſtinus multis in locis de Angelorum natura loquutus eſt; & præcipue in pſal. 85. docet, dum homo vivit, vitam habere, ſed vitam hanc eſſe mortuam, & corpus mortuum; quia *comparatum corpori illi, quod futurum eſt; qualia ſunt Angelorum corpora*. Item lib. 2. de Trinit. c. 7. dicit Angelos, *corpus ſuum, cui non ſubduntur, ſed ſubditum regunt, in ſpecies, quas velint, accommodare*. Inſuper ep. 115. re-

ſpon-

ſpondet Nebridio; & ait: *Nequaquam eſt abſurdum eos, qui aereo, vel ætherео corpore aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longe majori uti facultate ad movendum quicquam volunt*. Et ſer. 102. de diverſis facit comparationem inter celeritatem motus cœlorum, & corporis angelici. At hæc omnia facili negotio explicantur; dicendo ſcilicet, quod pleraque Auguſtinus ex aliorum, non ex propria, ſententia ſcripſit; alia dubitando, non afferendo, protulit; & alia demum expreſſe docuit pro ſpiritualitate Angelorum, & ea retractavit, quæ forſitan contra illam antea docuerat. Quæ ut videatur, notamus loca, in quibus ipſe ſcripſit, quæ nos pro ipſius defenſione induximus. In Enchiridio c.59. ſe exprimit dicens, difficillimam eſſe de corporibus Angelorum quæſtionem. In lib. 1. retract. c. 26. retractat quod dixerat in lib.83. qq. q. 67., ſcilicet, quoſdam Angelos ad animalium inſtar vivere; retractat quidem tanquam dictum audacius, & ſine fundamento. In lib.21. de civit. c.10. aſſerens, Dæmones ex aere conſtantia habere corpora, ſubdit: *Si autem quiſquam nulla habere corpora Dæmones aſſeverat, non eſt hac de re aut laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum*. In lib. 3. de Geneſ. ad literam c.10. agens de Angelorum corporibus, dicit: *Si hæc ita ſint*. Dubitando etiam loquitur lib. 15. de civit. c.23. & epiſt.157. Verum in ep.174. clarius ſe explicat, dicens: *Nam hoc nomen, quod ſpiritus dicitur, non ſecundum id, quod refertur ad aliquid, ſed ſecundum id, quod aliqua natura ſignificatur, omnis incorporea natura ſpiritus in Scripturis appellatur. Unde non tantum Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ſed omni rationali creaturæ, & animæ, hoc vocabulum congruit*. Igitur per Auguſtinum Angelus eſt ſpiritus, ſicut eſt anima; at per eundem anima eſt merus ſpiritus, dictus ſpiritus humanus, a corporeo, ideſt a vento, diſtinctus; ut docet lib.2. de Trin. c.18., ep.28., ep.157., & in tract. ad pſal.145. ergo, &c. Item Auguſtinus lib. 2. retract. c.11. negat, Angelos habere animam: aut igitur Angeli per ipſum erunt mera corpora, aut erunt meri ſpiritus: non mera corpora; ut ex ipſo afferit Claudianus contra Fauſtum lib. 3. de ſtatu animæ: ergo erunt meri ſpiritus.

Undecimo Petrus Chryſologus ſer.52. aſſerit, Dæmones habere corpus aereum. Caſſianus Collat.7. c.13. dicit, & Angelos, & animas hominum, eſſe corpora; ut nos etiam in hac Diſſertatione adnotamus. Fulgentius in lib. de Trinit. docet, Angelos conſtare ex ſpiritu incorporeo, & ex corpore. Maximus Taurinenſis hom. de S.Michaele, pariter corporeos Angelos eſſe vult. Gennadius, de quo etiam diximus, in lib. de ecclic. dogmat. c.11. & 12. profert, omnia eſſe corporea, præter ſolum Deum. Rupertus in lib. 1. de Trin. c. 11. Angelis tribuit corpora aerea, vel ætherea. Bernardus idem docet lib.5. de confider. c. 4. Arnobius in diſp. cum Serapione de Deo trino uno dicit, Angelos, & animas eſſe corporeos. Sed hi omnes Patres facile etiam explicantur, & ad catholicum ſenſum reducuntur. Petrus Chryſologus ſimilitudinem auræ ſpirantis Angelis tribuit propter motus velocitatem; dicit enim: *Velut aura ſpirans orbem totum temporis tranſeat in momento*: reſpicit autem ad illud pſalmi: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, &c.* Caſſianus accipit incorporeum pro immenſo, & corporeum pro limitato, quod ſit circumſcriptive in loco; dicit enim cit. loc. ſolum Deum eſſe incorporeum, *quia eſt ubique, & omnia penetrat*. Fulgentius loquitur de corporibus, quibus Angeli aliquando hominibus apparent; ait enim; *& ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent*. Maximus intelligendus eſt de habitibus, quibus apparent Angeli veſtiti, quando hominibus ſe videndos exhibent; de palliis enim, & de tunicis loquitur, non de corporibus. Gennadius accipit corporeum pro limitato, & incorporeum pro illimitato, & immenſo, ut diximus. Rupertus inquirendo loquitur, non affirmando; etſi alibi affirmat, metaphorice intelligendus eſt, ut intelliguntur verba pſalmi, quibus innititur. Bernardus ſe explicat ſer.5. in Cant. ſe dubitando loqui de Angelorum ſubſtantia; dicit nanque: *Ceterum angelica corpora utrumnam ipſis ſpiritibus naturalia ſint, ſicut hominibus ſua.... Nolo, ut a me requiratis. Videntur Patres de hujuſmodi re diverſa ſenſiſſe; nec mihi perſpicuum eſt, unde alterutrum doceam, & neſcire me fateor*. Arnobius demum expreſſe loquitur de modo ſtandi in loco; unde dicit: *Quicquid menſuram habet, corpus eſt, non humanis, ſed divinis oculis patens. Immenſus autem, & incorporeus ſolus Deus eſt. Omnes enim Angeli a Deo facti initium habent*. En quomodo accipit incorporeum pro immenſo, illimitato, increato; corporeum vero pro limitato, & pro creato.

Duo-

Duodecimò ponuntur duo recentiores, Cajetanus ſcilicet, & Eugubinus; ille in adnotat. ad c.2. ep.ad Epheſ., iſte in lib.8. de perenni philoſophia c.26. Petavius dicit, quod de ſolis Dæmonibus ita ſenſerint, quorum naturam ab Angelorum bonorum conditione ſecernunt veteri aliqui Patres. Eliam illum, quem poſuimus n.5.inter Hæreticos, ut re vera ponit Cacheranus, excuſandus etiam venit; uti eum explicavimus nuper, antequam ad Patres recenſendos deveniremus; ubi etiam expoſuimus Fauſtum, quem quoque in eodem numero ex Coccio repoſuimus; ſicuti modo ſaniori modo intelleximus Gennadium, & Rupertum, in eodem catalogo recenſitos.

Dicimus modo, Angelos eſſe omnino incorporeos, & pure ſpirituales.

I. Probatur ex Scripturis. Pſal.103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus*. Quæ verba ſic explicantur a Nazianzeno or. 34., & a Damaſceno lib.2. de fide c. 3. Eos, quorum ſubſtantia ſpiritus eſt, & quorum natura ſpiritualis eſt, facis miniſtros tuos, & nuntios tuos, & exequutores mandatorum tuorum. Apoſtolus ad Hebræos 1. hæc eadem verba reportat: Et ad Angelos quidem dicit. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*. Ibidem Apoſtolus: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus?* Et ad Epheſios 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*. Matth.8. *Ejiciebat Spiritus*. Lucæ 10. *Spiritus ſubjiciuntur vobis*; & c.11. *Aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe*. In iiſdem Scripturis nomen ſpiritus Deo, & animæ hominis tributum, omne corpus excludit; ut quando dicitur Joan. 4. *Spiritus eſt Deus*; & 1. ad Cor. 4. *tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini*: ergo quando etiam Angelis datur, excluditur omnis ratio vel corporis, vel ordinis ad corpus, vel corporeitatis, vel cujuſcunque materialis compoſitionis.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III.in c.*firmiter* habet: *Unum eſſe univerſorum principium, creatorem omnium ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utranque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corpoream, angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam*. Verbis hiſce primo decernitur, animam eſſe creatam; ergo non productam ex aere, vel ex æthere; ſecundo, eſſe ſpiritum, & ſpiritualem, ſicut ſpiritus, & ſpiritualis eſt anima humana; ſed anima humana eſt pure ſpiritualis, & incorporea; ut definitum eſt in Concilio Lateranenſi VI. ſub Leone X. ergo pariter Angeli; tertio docetur, hominem eſſe ſubſtantiam mediam inter ſubſtantiam angelicam, & ſubſtantiam humanam; ſed ideo eſt ſubſtantia media, quia humana nihil habet de ſpiritu, & angelica nihil habet de corpore; homo vero habet de utroque: ergo vere Angeli ſunt ſubſtantiæ pure ſpirituales, & incorporeæ. Concilium Nicænum I. act.2. in profeſſione fidei Sophronii probat, quod ibidem dicebatur, nimirum; animas rationales, & Angelos poſitos in eodem ordine intellectualium, ſeu ſpiritualium ſubſtantiarum: ergo vere Angeli ſunt pure ſpirituales, ut ſunt animæ rationales. Concilium Nicænum II. generale VII.act.4. in profeſſione fidei Angelos vocat incorporeos: *Veneramur imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum, utpote qui tanquam homines figura humana juſtis apparuerunt*. Concilium Epheſinum I. probans Epiſtolam Cyrilli ad Reginas: *Angeli carent carne*. Concilium Bracarenſe I. c. 5. *Angeli non habent ſubſtantiam divinam*. Hæc duo poſtrema Concilia referuntur a Cardinali Brancati de Lauræa in ſua Epitome canonum; verb. Angelus.

III. Probatur ex Patribus. Ignatius martir in ep. ad Trallenſes vocat Angelos *Cælites incorporeas naturas*. Gregorius Thaumaturgus, vel quiſquis eſt auctor homiliæ in Theophania inter Opera Chryſoſtomi t. 7. pariter nominat *incorporeas virtutes*. Didymus lib. 1. de Spiritu Sancto inter Opuſc. Hieronymi: *Spirituales ſubſtantias non circumſcribi loco, & finibus, tamen proprietate ſubſtantiæ finiri*; has autem ſpirituales ſubſtantias Angelos eſſe dicit. Baſilius lib. de Spir. San. c. 1. incorpoream ſubſtantiam Angelos eſſe ait. Nyſſenus lib.12. cont. Eunomium *incorpoream creaturam* appellat. Nazianzenus or. 34. *intelligibilem, & incorpoream* vocat. Euſebius Cæſarienſis lib. de demonſtr. evang. c.1. nominat *incorporeas quaſdam, & intelligentes, ac divinas virtutes, Angelos, & Archangelos, materia carentes, & puros omnino ſpiritus*. Chryſoſtomus hom. 22. in Geneſ., & hom.1. in Matth., & lib.1.ad Stagirium, inquit: *Fecit Angelos, & Arcangelos, ac reliquas incorporeorum ſubſtantias*.

Hieronymus ep. ad Avitum confutat Origenem, docentem *Dæmones ob delicta corporibus eſſe veſtitos*. Leo magnus ep. ad Turibium, quæ eſt 93. c. 6. *Fidem veram, qua eſt catholica, omnium creaturarum, ſive ſpiritualium, ſive corporearum, bonam confiteri ſubſtantiam*. Gregorius magnus moral. lib. 4. c. 19. *Angelus nanque ſolummodo ſpiritus eſt; homo vero & ſpiritus eſt, & caro*.

IV. Probatur Rationibus. I. Productio creaturæ omnino incorporeæ fuit Deo poſſibilis, & conveniens: ergo eſt de facto. Probatur antecedens; tum quia non eſt chimæra creatura omnino incorporea: ergo eſt Deo poſſibilis; tum etiam quia univerſi ordo exigebat, ut quemadmodum erat creatura omnino corporea, & creatura ex parte corporea, & ex parte incorporea; ita etiam eſſe deberet creatura omnino incorporea. Conſequentia ſequitur. II. Ubi datur unum extremum, & medium, debet dari aliud extremum; ſed inter creaturas datur unum extremum, hoc eſt ſubſtantia corporea, & medium, nempe ſubſtantia compoſita ex corporea, & incorporea: ergo dari debet aliud extremum, videlicet ſubſtantia pure incorporea. III. Per corpus non differrent Angeli ab hominibus, ſi corpus haberent: ergo ejuſdem ſpeciei cum hominibus eſſent. Probatur antecedens: Ipſorum corpua eſſet aereum, vel æthereum, hoc eſt ſubtilius humano corpore, quod eſt craſſius; ſed ſubtile, & craſſum non differunt ſpecie: ergo &c. IV. Multæ ſunt implicantiæ, quare Angelorum corpus non poſſit eſſe aereum; ſed qui corpus Angelis tribuunt, aereum dicunt: ergo ſi aereum non habent, corpus non habent. Probatur major. In corpore aereo non poſſunt eſſe organa, & nervi, quæ exiguntur ad motum; non eſt niſi unum clementum; & unum elementum non facit corpus etherogeneum, ſed homogeneum; quod in rigore non eſt compoſitum; conſtat ex particulis flexibilibus, quæ ſunt pronæ ad diſſolutionem, &c. V. Angelus deberet habere corpus humano corpore præſtantius; ſed corpus aereum eſt humano corpore inferius: ergo &c. Probatur minor. Quia corpus aereum eſt corpus elementare, corpus humanum eſt corpus mixtum, ſeu compoſitum; hoc autem eſt perfectius illo. VI. Si Angeli eſſent corporei, quando in terram deſcendunt, aut debet cœlum ſcindi, aut Angeli cum cœlo penetrari; nullum ex his admittendum eſt: ergo &c. VII. Si Angeli haberent corpora, moverentur corpora in inſtanti; & aer deberet ſimul aperiri celerrime, & celerrime claudi, hæc autem fieri non poſſent ſine magno ſibilo, & ſonitu, quem nunquam percipimus. VIII. Lucæ 6. habemus integram Dæmonum Legionem in uno hominis corpore fuiſſe; ſed ſi Dæmones corpora haberent, hoc incredibile eſſet; ut ait Richardus Victorinus lib. 4. de Trinit.: ergo &c.

Arguunt I. Concilium Nicænum II. act. 5. probavit Dialogum Joannis Theſſalonicenſis, in quo Sanctus cum Gentili diſputat; & Sanctus pro Chriſtianis loquens primo dicit, Angelos, & Archangelos eſſe corporeos, quum ſolus Deus ſit incorporeus: *Solus revera Deus incorporeus, & incircumſcriptus eſt. Intelligibiles vero creaturæ non penitus incorporeæ ſunt*. Secundo dicit, Angelos circumſcribi poſſe, quia ſunt corporei: *Ideo in loco ſunt, & circumſcribuntur*. Tertio intendit, Patres, qui dicunt, Angelos eſſe incorporeos, intelligi debere de carentia corporis craſſi, ſolidi, & impenetrabilis, non vero corporis ſubtilis, quod ex elementis non conſtat. Quarto affirmat, Angelos in propriis corporibus viſos fuiſſe aliquando ab hominibus: *In ſpecie propriorum corporum viſi ſunt ab iis, quorum Deus oculos aperuit*. Quinto aſſerit, Baſilium, Athanaſium, & Methodium, cum ipſo ſentire. Perlecto Dialogo, Taraſius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, hæc dixit: *Oſtendit Pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & hominum ſpecie multis apparuerunt*. Tota autem Synodus ad Taraſii verba conclamavit: *Sancta Synodus dixit: Etiam Domine*. II. Angeli, præcipue Dæmones, habent cum rebus quibuſdam materialibus, vel amorem, vel odium; ſic Dæmon recedebat a Saule, quando David citharam pulſabat; apud Tobiam Dæmon quoque fugatus eſt fumo jecoris piſcis; Delrius teſtatur lib. 2. diſp. magic. q. 30. Dæmones exagitari ad odorem rutæ, balneorum, ſtercoris caprini &c. Hi autem, & his ſimiles effectus, in Angelis oſtendunt corpoream naturam; quia aliter ad corporea inclinationem, & amorem non haberent; nec pariter a corporeis quid ſibi contrarium paterentur. III. S. Gregorius magnus hom. 10. in Evangel. nominat Angelum *rationale animal*: ergo ſecundum ipſum habet Angelus & corpus, per quod eſt animal,

& animam, per quam eſt rationalis. IV. Nullum mutabile eſt ſimplex; ſed Angelus eſt mutabilis ex ſua natura: ergo non eſt ſimplex, ſed compoſitus; ſed quod eſt compoſitum, & mutabile conſtat ex materia, quæ eſt principium mutabilitatis, & compoſitionis: ergo &c. Argumentum eſt S.Bonaventuræ. V. Angeli Geneſ. 6. dicuntur, quod habuerint carnale commercium cum hominibus, & filios genuerunt: ergo non ſunt pure immateriales. VI. Angeli apparent cum corporibus humanis: ergo vere habent corpora. Antecedens patet ex variis Scripturæ locis, in quibus dicitur, Angelos viſibiliter hominibus apparuiſſe, comediſſe, bibiſſe, alloquutos fuiſſe &c.

Reſpondemus ad I. Taraſium non probaſſe omnia, quæ ſcripta erant in Dialogo Joannis Theſſalonicenſis, ſed tantum quod Angeli poterant pingi, quia multis apparuerunt, non ſub propria, ſed ſub aliena ſpecie, ſcilicet hominum ſpecie. Hæc ſunt verba Taraſi. *Oſtendit Pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & hominum ſpecie multis apparuerunt.* Et quum hæc ſola probaverit Taraſius, hæc etiam ſola determinavit Concilium; ſubdit enim ad verba Taraſii: *Sancta Synodus dixit, etiam Domine.* Cætera autem, quæ Joannes Theſſalonicenſis dixerat, remanſerunt in privatæ opinionis linea ejuſdem Joannis, cujus non eſt tanta auctoritas, quæ tot Sanctis Patribus, quot recenſuimus, præferri debeat.

Ad II. dicimus, quod effectus illi non proveniunt ex vi naturalis oppoſitionis inter res ipſas, & Dæmones; ſed vel quia Deus rebus illis utitur tanquam inſtrumentis ad hoc aſſumptis ad Dæmones abigendos; vel quia movetur ex ſanctorum hominum, aut Angelorum, virtute, & ſanctitate; ut in Davide, & in Raphaele, contigit; vel quia demum moventur per res illas hominis obſeſſi humores noxii, quibus inſidet Dæmon, & iiſdem ad hominem vexandum utitur; ut Fraſſen reſpondet.

Ad III. diximus etiam nuper, animalis nomine venire vivens; itaut per animal rationale intelligatur vivens rationale; quod multis probat Petavius, ad quem Legentes, qui plura cupiunt, remittuntur.

Ad IV. reſpondet in ſuis principiis Fraſſen negando minorem ſubſumptam; quia Angeli, inquit, ſunt mutabiles ſecundum perfectiones accidentales; & ſic compoſitionem habent, non ſolum ex eſſentia, & exiſtentia, ſed etiam ex ſubjecto, & accidente. Et ſic, ait, explicandos eſſe Auguſtinum, & Boetium, quos S.Bonaventura in probationem ſuæ ſententiæ laudat.

Ad V. & VI. reſponſiones peculiaribus Diſſertationibus dabimus, quas mox inſtituemus.

Quæ diximus de natura Angelorum multorum eſt ſententia ad fidem pertinere; unde contrarium ad hæreſim trahunt: Alii vero temeritatis tantum cenſura inurunt. Nos diſtinguimus & ante Concilium, & poſt Concilium Lateranenſe IV. ut in præterita Diſſertatione diximus. Hinc noſtris temporibus præcipue putamus, catholica fide credendum eſſe, Angelos eſſe pure, & omnino ſpirituales, & incorporeos!

DISSERTATIO CXXXIII.

De carnali cum mulieribus commercio, quod Angelis falſo tribuitur; germana Scripturarum intelligentia aſſeritur; Errores proſcribuntur; Patres vindicantur.

IN libro Geneſis c.6.v.1.& 2. hæc leguntur: *Cumque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulcræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant . . . . Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Poſtquem enim ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, iſti ſunt potentes a ſeculo viri famoſi &c.* Et quia in quibuſdam Codicibus habebatur loco *filii Dei*, *Angeli Dei*; & Philo pariter lib. de Gigantibus, ſic legit; inde fuit, quod Patres qui-

quidam lectionem hanc amplectentes, occaſiooem aliis dederunt credendi, quod vere Angeli cum mulieribus congreſſum habuiſſeot, & ex illis Gigantes genuiſſent. Patres, qui illorum Codicum, & Philonis, lectionem amplexati ſunt, fuerunt, Euſebius lib. 5. de præpar. evangel. c. 4. Auguſtinus lib. 15. de civit. c. 23., aliique. Fuerunt præterea alii Patres, qui non legerunt, ſed interpretati ſunt verba illa *Filios Dei* pro Angelis; nimirum Chryſoſtomus hom. 22. in Geneſ., & Theodoretus interrog. 47. Verum non omnes in eandem abierunt ſententiam; quia quidam credentes, Angelos eſſe corporeos, ut aſſerit Cornelius a lapide, voluerunt, hoc primum ſuum peccatum luxuriæ in corpore admiſiſſe, & ob hoc fuiſſe cœlo dejectos. Hujus opinionis nominat ex Judæis Joſephum, & Philonem; ex Chriſtianis vero Juſtinum apolog. 1. Clementem Alexaodrinum lib. 3. Stromatum, Tertullianum lib. de habitu mulierum, Lactaotium lib. 2. c. 15. Alii vero dixerunt, filios Dei, ſcilicet in natura, eſſe Dæmooes, qui ex ſe, ſuaque natura, & corpore, homines, inſtar hominum, generarunt; & opinionis hujuſce fuiſſe vult, Platonicos, & Fraociſcum Georgium tom. 1. probl. 74. Præter hos memorat Burgenſem, & Franciſcum Valeſium c. 8. ſacræ philoſophiæ, qui aſſeruerunt, eſſe Dæmones, primum ſuccubos, a potentiſſimis viris validiſſimum ſemen excipientes, & poſtmodum incubos ſemen illud in validiſſimas fœminas transfundentes, Gigantes hoc modo geoeraſſe. Et quanvis Pererius dubitet, an ex incubis Dæmonibus generari poſſit homo, quod Cyrillus negat; affirmant tamen Cardanus, Cajetanus, & probat inſuper Delrio lib. 2. Diſquiſit. magic. q. 15. Hæc omnia apud A lapide.

Attamen Natalis Alexander in hiſt. eccl. vet. teſt. t. 1. diſſert. 7. prop. 1. alios addit iis, quos Cornelius enumerat. Scilicet, Athenagoram in legation. pro Chriſtianis, Cyprianum lib. de diſcipl. & habit. Virginum, Minutium Felicem in Octavio, Ambroſium lib. de Noe, & arca c. 4., & lib. 1. de Virginibus. Senteotia nihilominus communis, & vera eſt, quod nomine filiorum Dei vocati ſuot filii Seth; tum quia ob ſanctitatem, juſtitiam, temperantiam, cæteraſque virtutes, Dei imaginem ſic in ſeipſis præferebant, ut Filii Dei meruerint dici; & ſic intelligunt Chryſoſtomus, Cyrillus, Hilarius, Theodoretus, & Rupertus; tum etiam, quia juxta hebraicam phraſim omnia fortia, magna, & egregia, dicuntur eſſe Dei; ut montes, & cedri, altiſſimi, & maximi, vocantur montes Dei, cedri Dei; ita pariter filii Seth vocantur filii Dei, quia robuſti viribus, forma pulcherrimi, ſtatura proceres; & hujus opinioois eſt Oleaſter. Filii vero, & filiæ Caio dicebantur filii, & filiæ hominum: tum quia perverſi, mali, & terreois rebus erant addicti; tum etiam quia robore, pulcritudine, procere ſtatura, præditi non erant; unde ob immodicam libidinem, quam exarcuerant, geoerandi virtutem non habebant, niſi ut fœminas, non autem mares, adeoque filias, non vero filios, generarent. Sunt præterea alii, qui per filios Dei vertunt filios poteotum; ut ſunt Symmachus, Pagninus, & Chaldei; & filias hominum intelligunt mulieres plebis, quibus viri potentes per ſuperbiam, & tyrannidem abutebantur. Et hujus opioionis eſt Molina; ea fretus ratione, quia Deus a prævideodo, & providendo ſic dicitur; unde potentes, atque regnantes, Dii pariter appellantur; & hoc pacto Moiſes Deus Pharaonis dictus eſt: *Conſtitui te Deum Pharaonis*. Geneſ. His poſitis.

Dicimus, nomine filiorum Dei non intelligi nec Angelos, nec Dæmones, ſed tantum filios Seth; unde Angeli nullum cum mulieribus habuerunt carnale commercium; ut propter hoc dici poſſit, corporeos eſſe.

I. Probatur. Matth. 22. 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo*; ſed in illis Geneſis verbis dicitur, quod filii Dei elegerunt ſibi mulieres, ſibi eaſdem matrimonio coojunxerunt, illarum pulcritudine capti, cum iiſdem propter matrimonium firmum, & ſtabile, cohabitationem fixerunt: ergo verba illa de Angelis intelligi nullo modo poſſunt.

II. Probatur. Filii Dei, qui filias hominum ſibi in uxores junxerunt, illi fuerunt, quibus Deus in eodem loco maledictionis ſuæ pœnam inflixit; ſed iſti fuerunt homines, non Angeli: ergo filii Dei, cum Filiabus hominum copulati, non fuerunt Angeli, ſed homines. Major eſt certa; non enim pœna, ibidem comminata, alios percutere debuiſſet, quam quos ibidem peccantes deſcripſerat. Minor probatur verbis illis, quæ ſubjunguntur: *Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt; eruntque dies*

illius

illius centum viginti annorum. Quæ quidem verba homines afficiunt, non Angelos; dicit enim, *in homine*; dicit etiam, *quia caro eſt*; qui ſane homo eſt; dicit tandem, quod eis concedebat ſpatium centum viginti annorum, ut pœnitentiam agerent; hominibus ſane, non Angelis, pœnitendi tempus impertiebatur.

III. Probatur. Propter commixtionem Filiorum Dei cum filiabus hominum Deus homines diluvio caſtigavit: ergo non fuerunt Angeli, qui cum filiabus hominum commixti ſunt, ſed homines. Sequitur conſequentia; pœna enim conſequitur culpam, & ſuos tenet auctores. Antecedens probatur verbis Scripturæ, quæ in eodem loco ſuperadduntur. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ.* Profecto quis credet, homines ſubituros pœnam, qui non peccaverant, & Angelos, qui peccaverant, evaſuros; ſi vere illi Filii Dei, qui cum filiabus hominum commixti ſunt, Angeli & non homines, fuiſſent?

IV. Probatur ex Patribus. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Glaphyrorum in Geneſ. *Neque vero ignoramus in quibuſdam exemplaribus ita aperte legi:* Videntes autem Angeli Dei Filias hominum: *Propterea detorquent quidam voluptaria hujus vitæ inquiſitionem, adeoque turpium cupiditatum culpam in perditos Angelos conjiciunt, quia a principio ſuo deſciverunt.* Proſequitur poſtmodum rationibus quidem efficaciſſimis errorem hunc propulſare. Chryſoſtomus hom. 20. in Geneſ. *Aſſerunt enim, quod non de hominibus hoc dictum ſit, ſed de Angelis. Hos enim filios Dei appellavit. Primum oſtendant, ubi Angeli filii Dei appellati ſint; ſed non poterunt uſquam monſtrare. Homines quidem filii Dei dicti ſunt, Angeli autem numquam.....Cæterum quid dicunt? Profecto Angeli quidem erant, ſed quia ad iniquum hoc opus deſcenderunt, dignitate ſua exciderunt. En iterum fabuloſius aliud. Itaque nunc exciderunt, & hæc ruina illorum cauſa. Verum Scriptura nos aliter docet; quod antequam formaretur primigenius homo, a ſua dignitate exciderunt, & Diabolus, & qui cum eo majorem, quam decebat, dignitatem ambiebant.* Denique poſt multa concludit: *Prius docuimus vos, morem eſſe Scripturæ, ut homines filios Dei vocet. Et quia iſti a Setho originem trahebant, & ab ejus filio, qui appellatus eſt Enos: dicit enim:* Iſte ſperavit vocari nomine Domini Dei: *ab illo poſtea nati vocati ſunt Filii Dei in divinis Scripturis, propterea quod eo uſque parentum virtutem imitati ſunt. Filios autem Cain, & qui ex eo nati, & qui ante Seth geniti fuerunt, filios hominum vocat.* Auguſtinus lib. 15. de civit. c. 23. *Potuerunt ergo Gigantes naſci, & priuſquam filii Dei, & Angeli Dei dicti ſunt, filiabus hominum, hoc eſt, ſecundum hominem viventium, miſcerentur, filii ſcilicet Seth filiabus Cain.* Eadem docent Theodoretus interrog. 47. in Geneſ., Baſilius Seleucienſis orat. 6., Philaſtrius Brixienſis lib. de hæreſ. c. 59.

Arguunt I. Ex S. Juda Apoſtolo, in ſua epiſtola canonica v. 6. ubi dicitur: *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Verba hæc aperte oſtendunt Angelos, ſeu illos filios Dei, qui cœlo relicto, in terram deſcenderunt, & cum mulieribus commixti ſunt. Fit enim ſermo non de primo lapſu Angelorum; quia ille dicitur præcipitium, hic vero deſcenſus: ille fuit propter ſuperbiam, hic propter luxuriam; unde ſubditur exemplum Sodomæ, & Gomorrhæ. II. ex libro Enoch, in quo pariter ſic legitur; unde in citata Judæ Epiſtola dicitur; *prophetavit & de his ſeptimus ab Adam Enoch*: ergo vere de Angelis Dei intelligenda ſunt verba illa. III. Poſſunt Dæmones incubi cum mulieribus carnale exercere commercium: ergo non eſt repugnans, quod Spiritus cum feminis miſceantur: ergo potuerunt Angeli nomine filiorum Dei in loco illo intelligi. IV. Tot Patres, qui contrariam docuerunt ſententiam, probabilem ſaltem reddunt illam; quum inter illos reperiantur, & qui fuerunt in Eccleſia ex antiquioribus, & qui inter doctiores non infimum locum ſibi merito vindicarunt.

Reſpondemus ad I. quod S. Judas Apoſtolus loquitur de primo Angelorum lapſu, qui lapſum hominis præceſſit. Diabolis duo vertit in culpam; unum, quod ſuum non ſervaverint principatum; alterum, quod ſuum dereliquerint domicilium. Hæc duo ad primam prævaricationem referuntur; & quidem de primo teſtatur Auguſtinus lib. 13. de civit. c. 1. illud intelligens, quod in veritate non ſteterint. Secundum quoque; quia quamvis dicatur, quod ſponte de cœlo, hoc tamen ideo dici-

tur,

tur, quia libere peccaverunt. Cain quoque pulſus a Deo in exilium, dicitur tamen Gen. 4. 16. *Egreſſuſque Cain a facie Domini habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden*.

Ad II. Apocryphus, immo ſuppoſitus omnino eſt liber Enoch. Judas Apoſtolus non citat librum, ſed prophetiam; unde librum canonicum non reddit. Prophetia autem poterat eſſe voce tradita, non literis ſcripta. Verum hæc prophetia non de Angelis fuit, ſed de aliis ſceleſtiſſimis, de quibus loquitur Judas. Perperam ergo ex prophetia Enoch ſumitur argumentum ad probandum, quod nomine filiorum Dei in illo Geneſis loco Angeli intelligantur. Audiatur Auguſtinus de libris Enoch nomine vulgatis lib. 15. de civit. c. 23. ſcribens: *Cur non ſunt in canone? Niſi quia ob antiquitatem ſuſpectæ fidei judicata ſunt, nec utrum hæc eſſent, quæ ille ſcripſiſſet, poterat inveniri; non proferentibus ea talibus, qui ea per ſeriem ſucceſſionis reperiuntur rite ſervaſſe*.

Ad III. Incuborum commercium cum mulieribus, primo non probat, Angelos eſſe corporeos, quod nos omnino in præterita Diſſertatione impugnabamus; quia poſſunt exercitium illud peragere, ſicuti peragunt alia, ſub alienis corporibus, ut in ſequenti Diſſertatione videbimus. Secundo non probat de Angelis bonis, ſed de Dæmonibus; Dæmones autem non ſunt Angeli Dei, filii Dei; unde ſtat, quod verba illa Geneſis de Angelis accipi non poſſint.

Ad IV. Quod Patres in illa fuerint opinione, non mirum; non enim fuerunt omnes, ſed pauci; & pauci illi ex varia Scripturarum verſione decepti ſunt. Attamen quæ poſſumus pro Patrum illorum defenſione proferre, hæc ſunt.

Primo Juſtinus in apologia I. dixit quidem, quod Angeli mulierum amore capti, cum illis commercium habuerunt; ſed non expreſſit, quod hi Angeli fuerint, qui in Geneſis libro vocantur Filii Dei. Potuerunt in ſua ſententia eſſe Angeli mali, qui ad modum incuborum rem veneream exercuerint. Et quanvis dicatur, quod iſti filios genuerint, quos Dæmones appellamus; omnibus nihilominus liquet, Græcis ut plurimum, Dæmones eſſe genios, qui apud Platonicos Dæmones pariter dicebantur. Semper igitur ſunt genii mali; & quod Juſtinus crediderit incubos generare, tolerabilius eſt, quam dicere, Angelos genuiſſe.

Secundo Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis multa quidē dicit de Angelis bonis, & malis, quæ temporibus illis, quibus adhuc res fidei noſtræ, & quæ illas conſequebantur, ſatis explicatæ non erant, tolerari ullatenus poterant; at non exprimit, quod Angeli illi, de quibus ille ſcribit, ſint filii Dei, de quibus loquitur Moiſes in Geneſis libro.

Tertio Clemens Alexandrinus lib. II. pædag. c. 11., & lib. 3. Stromat., & lib. 5. dicit quidem, quod Angeli pulcritudinem Dei reliquerunt, ut mulierum pulcritudine fruerentur; at neque etiam explicat quinam fuerint hi Angeli. An illi qui in Geneſis loco filii Dei dicti ſunt, an alii? Poteſt quidem cum illis aliqualis applicatio fieri; at non poteſt abſolute dici, quod memorati Patres de illis expreſſe, & manifeſte loquantur. At dicetur, quod ſaltem non negarunt, habuiſſe corpora; ſed jam diximus, quod vel potuerunt aſſumere corpora, vel potuerunt agere, ut corpora ipſa agunt; ut in ſeq. Diſſ. dicetur.

Quarto Tertullianus filios quidem Dei in illo Geneſis loco legit, ſed deinde de Angelis interpretari videtur; non vocat autem illos Dei Angelos, ſed deſertores Dei; unde nobis aperit viam, ut illum de Dæmonibus intelligamus. Quod ſi intelligat, malos Angelos eſſe factos ob illud cum feminis commercium; nun poteſt quidem negare prælium illud magnum, quod factum eſt in cœlo, priuſquam fieret commixtio illa in terra, quam ipſe putat. Igitur prius Angeli facti ſunt Dæmones, quando in cœlo peccaverunt; & per conſequens, quando cum feminis congreſſum habuerunt, Dæmones erant, non Angeli Dei, ſi vult ille congreſſum illum de Angelis, non de hominibus, intelligere. Loquitur Tertullianus lib. de Idololatria c. 9., lib. de cultu femin. c. 21., lib. de Virgin. veland. c. 7.

Quinto Cyprianus lib. de diſcipl. & habit. Virg. loquitur de Angelis, qui fuerant Apoſtatæ, a quibus mulieres de corporis ornatu, & fuco edoctas eſſe, dicit. Angeli autem, qui fuerant Apoſtatæ, non ſunt Angeli Dei, qui videntes filias hominum, eas concupierunt, & cum iiſdem commixti ſunt. Nec pariter ipſe verbum ſcribit, quos Apoſtatas hoſce intelligat eſſe illos filios Dei, de quibus Scriptura citato Geneſis loco loquitur.

Sexto Minutius Felix in Octavio apertiſſime lo-

loquitur de Dæmonibus, quos dicit in ſolatium ſuæ pœnæ, poſtquam a Deo de cœlo fuerunt dejecti, cum mulieribus ſe conjunxiſſe. Ait enim: *Spiritus ſunt inſinceri, vagi a cæleſti vigore, terrenis labibus, & cupiditatibus degravati: Iſti igitur Spiritus, poſteaquam ſimplicitatem ſubſtantiæ ſuæ ennuſti, & immerſi vitiis perdiderunt, ad ſolatium calamitatis ſua non deſinunt jam perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati a Deo, inductis pravis religionibus e Deo ſegregare*. Nec pariter in his fit mentio de filiis Dei, qui in Geneſis loco deſcribuntur; immo nec verbum commercii cum mulieribus; ſed loquitur ſolummodo de malis artibus, quibus Dæmones utuntur ad homines perdendos, vel intelligit idololatriam, vel alia crimina, ad quæ homines inducunt.

Septimo Lactantius lib. 2. c.14., & cum eo Euſebius lib. 5. de præparatione evangelica c. 4., & Methodius or. de reſurrectione, adducuntur. Verum apud Lactantium lib.4. c.8. legimus hæc: *Magna inter hunc Filium Dei, & cateros Angelos differentia eſt. Illi enim ex Deo taciti Spiritus exierunt; quia non ad doctrinam Dei tradendam, ſed ad miniſterium creabantur. Ille vero cum ſit & ipſe Spiritus, tamen cum voce, ac ſono ex ore Dei proceſſit*. En Angelos per Lactantium Spiritus; ſi ergo per ipſum cum mulieribus ſe immiſcuerunt, non fecerunt per propria corpora, ſed per aliena; igitur non fuerunt Angeli boni, ſed mali, qui incubi eſſe ſolent.

Euſebius lib.4. demonſtr. evangel. c.1. ſcribit: *Cum Deus vellet divitiarum ſuarum theſauros pluribus impertiri, eſſetque jam jam omnem rationalem creaturam in lucem producturus, incorporeas videlicet quaſdam, atque intelligentes, & divinas Poteſtates, Angeloſque, atque Archangelos, materiæque expertes, & omni parte puros ſpiritus produxit*. Credibile ne eſt, quod Euſebius, qui Angelos voluit incorporeos, intelligentes, materiæ expertes, & omni parte puros ſpiritus, crediderit eoſdem cum mulieribus carnale commercium habuiſſe? Ubi corpora in incorporeis, in materiæ expertibus, in puris ſpiritibus? Si autem corpora habuerunt, aliena fuerunt; ſed hiſce utuntur ad peccandum Dæmones, & non Angeli. Eadem de Methodio dici poterunt.

Octavo Ambroſius lib.de Noe, & arca c.4., & lib.1. de Virginibus, aſſerit, Gigantes ex Angelis, & mulieribus fuiſſe genitos; item & Angelos propter intemperantiam fuiſſe de cœlo dejectos. Sed primo, non diſtinguit inter Angelos bonos, & malos; unde poterit etiam explicari de malis, ſicut & alii intellecti ſunt. Secundo, ſuperbia Angelorum poteſt quoque intemperantia appellari; & plerique eam nominant luxuriam ſpiritualem: Unde Angeli, qui de cœlo fuerunt dejecti propter ſuperbiam, poteſt bene dici, quod per intemperantiam de cœlo ceciderint. Cæterum Ambroſius ad c.1. Ep.ad Heb. Angelos dicit eſſe ſpiritus: *Quæris hujus naturæ nomen? Spiritus eſt*. Et lib. de fide cont. Arianos docet: *Angeli in figura hominum ſæpe viſi ſunt, & tamen non aliud ſunt, quam quod ſe eſſe norunt; neque ſubſtantiam mutant, cum formam humani corporis ſumunt*: Ergo ſemper ipſorum propria ſubſtantia ſpiritus eſt. Quomodo igitur poterant cum mulieribus coire? Sub forma humani corporis, ſi dicent: Nos redicemus: ergo non fuerunt Angeli boni, ſed mali, quorum eſt ſub forma humani corporis venerem exercere.

DISSERTATIO CXXXIV.

De Apparitione Angelorum ſub aliena forma. Apparitionis ſubſtantia in ſacris libris continetur; Modus autem Scholaſticorum diſputationibus controvertitur: Communis ſententia explicatur; & peculiaris P. Magnani opinio de hoc eodem modo exponitur:

ANGELOS multoties hominibus apparuiſſe, ſæpe ſæpius Scripturæ teſtantur, Patres enunciant, Hiſtorici manifeſtant. At quibuſnam apparent corporibus? Propriis nequaquam; ut fortaſſis credere se dicunt illi, qui corporeos Angelos ſuſpicantur. Si non propriis: igitur alienis; quod quidem modo in comperto eſt apud omnes, tum Bibliorum Interpretes, tum Theologiæ Profeſſores. At quomodo alienis corporibus utuntur Angeli, ut hominibus appareant, & cum iiſdem converſentur? Hoc eſt, quod apud Scholaſticos controvertitur; & nos cum illis in hac præſenti Diſſertatione inveſtigamus.

Prima opinio eſt illorum, qui putant, omnes Angelorum apparitiones, quarum ſacræ literæ meminerunt, non fuiſſe vere exterius exhibitas, ſed tantum fuiſſe phantaſticas; per ſolam ſcilicet immutationem factam in illorum imaginatione, quibus Angeli apparuiſſe dicuntur.. Sic Prophetæ omnes videbant illa omnia, quæ, vel ſcribebant, vel manifeſtabant; non corpore nimirum, ſed ſpiritu, percipiebant; quemadmodum Joannes Apocalypſim vidit, Petrus linteum ſerpentibus, aliiſque animalibus plenum, Paulus tertium cœlum, ad quod per raptum, ſive per ecſtaſim, aſcendit.

Secunda eſt aliorum opinio, qui aſſerunt, apparitiones haſce fuiſſe factas per quaſdam ſenſuum exteriorum immutationem; per quam accidit, ut quæ non ſunt, appareant, & quæ ſunt, diverſo appareant modo ab eo, quo ſunt. Sic in iride, in columbæ collo, in nubibus aliquando, apparent colores, qui non ſunt; ita pariter in aquis remus apparet ruptus, qui eſt ſanus; navigantibus montes videntur moveri, qui ſunt immobiles; & vertigine correptis omnia moventur per gyrum, quæ nullo pacto moventur.

Tertia aſſerit, Angelos mutare ipſum corpus ſuum, ac vertere in ſpecies, quas volunt accommodatas, atque aptas actionibus ſuis. Opinionis hujuſce meminit Auguſtinus lib.2. de Trinit. c.7.,& lib.3.c.1.

Quarta opinio eſt dicentium, Angelos de creatura corporea aſſumere corporalem ſpeciem in uſum miniſterii ſui. Citatis locis etiam Auguſtinus hanc opinionem affert.

Quinta opinio huic quartæ accedere videtur, quatenus aſſerit, apparitiones hujuſmodi fieri in corporibus aſſumptis; quæ quidem corpora nec ſint de novo creata, quatenus ſimul initio tota materia corporea creata eſt; nec habeant naturam corporum, quæ repreſentant; ut putavit Tertullianus; quatenus non erant veri homines corpora illa, in quibus humana ſpecie Angeli apparebant; ſed ſint corpora ex aere, vel ex æthere, vel ex alio quocunque apto, & formabili ad hunc uſum, facta, & aſſumpta. Sic explicat Eſtius, & defendit, cum Fraſſen, Juenino, aliiſque communiter.

Sexta eſt peculiaris opinio P.Magnani, quam ipſiuſmet verbis exponere, ſatius judicamus. Ait igitur in Philoſophia Naturæ c.33.prop. unic. de anima rationali ſeparata: „ Animas corpore exolutas, pariterque alias intelligentias, aliquando mortalibus apparere ſub ſpecie humana, vel alia, habemus ex hiſtoria, tum ſacra, tum eccleſiaſtica: modus autem, quo hujuſmodi fiunt apparitiones faciliime intelligitur ex phyſicis principiis; ut tamen eum breviter explicem, dico ſic. Res corporeæ, cum, ut hactenus oſtenſum eſt, nullam aliam agendi vim habeant, quam ut

„ mo-

,, moveant localiter, vel reſiſtant motui lo-
,, cali; conſequenter non alia vi ſe præbent
,, ſenſibus; ſeu non alia vi faciunt, ut ſic
,, dicam, ſentiri ſe, quam ea, qua proprios
,, motus, tanquam proprios characteres,
,, ſeu ſpecies imprimunt ſenſibus; vel qua
,, reſiſtunt alienis motibus. Itaque ſi intelli-
,, gis, poſſe ſubſtantiam immaterialem exer-
,, cere in ſenſus eos omnes motus, quos po-
,, teſt hæc, aut illa corporea ſubſtantia in
,, eoſdem ſenſus exercere; itemque reſiſtere
,, motibus alienis ad modum, & menſuram
,, reſiſtentiæ, quam ad eoſdem motus exer-
,, cet ſubſtantia corporea: Hoc ipſo intelli-
,, ges, eandem immaterialem ſubſtantiam
,, poſſe percipi ſenſibus ſub ſpecie non pro-
,, pria, ſed aliena; ideſt poſſe apparere ſub
,, ſpecie, & forma corporea, videlicet ejus
,, corporeæ ſubſtantiæ cujus imitabitur
,, movendi, aut motui reſiſtendi, modum,
,, atque menſuram ,,.

Poſt hæc pergit Doctor profundiſſimus magis in particulari modum hunc ſuum, a ſe ipſo ſcilicet ſubtiliter quidem, & germane excogitatum explicare, & exponere, hiſce aliis verbis. ,, Igitur anima ſe-
,, parata, vel Angelus, ut dent ſeſe in con-
,, ſpectum noſtrum; minime egebunt, ut
,, vulgo putatur, compingere ſibi, & coa-
,, ptare corpus aëreum tali modo opaca-
,, tum, conſtitutum, figuratum, &c. ut co-
,, lorem habeat, & figuram, & duritiem,
,, & pondus ejus corporis, in cujus ſpecie
,, optant apparere; ſed ut viſui v. g. ſe ex-
,, hibeant, omnino ſufficiet eis, quod eſt
,, longe facilius, & expeditius, ſi illa ipſa
,, vi, qua putantur compingere, formare,
,, movere, &c. aëreum illud corpus; lucem
,, incidentem refringant, & reflectant ad
,, oculum eadem menſura, & eodem modo,
,, quo eam refringeret, & reflecteret, ſi
,, adeſſet corpus illud, cujus in ſpecie volunt
,, apparere: Ac ſimiliter ut auditui ſeſe of-
,, ferant; ſufficiet ſi aërem velut ex arte,
,, nempe imitando naturam, eodem modo
,, pellant, & verberent, quo eum pelleret,
,, ac verberaret, ſi adeſſet res corporea ſo-
,, nora, cujus imitari cupiunt ſonum: Sic
,, enim aer verberatus motum illum ab im-
,, materiali ſubſtantia receptum communi-
,, cabit tympano auris, & conſequenter hæc
,, percipiet ſunum omnino ſimilem ei, quem
,, ederet, vel edere ſolet res illa corporea;
,, & ita ſubſtantiam immaterialem percipiet
,, auditus ſub ſpecie talis rei ſonoræ. Et ita
,, de aliis ſenſibus. Atque, ut vides, hac
,, arte poteſt facillime Angelus, vel anima,
,, dare ſe in conſpectum unius, & ſe oc-
,, cultare alteri; quod ſane eſſet illis impoſ-
,, ſibile in eo aëreo, ut putatur, involucro
,, aſſumpti corporis; hujuſmodi enim cor-
,, pus, quantum eſt de ſe, omnibus indiſ-
,, ferenter, & æque daret ſpecies ſui ,,.

Igitur ex Magnano poteſt ſubſtantia ſpiritualis immittere in ſenſus noſtros ſpecies, quas immitteret res corporea, ſi nobis præſens eſſet; hoc enim, & non aliud eſt, agere in ſenſus, movere ſenſus &c. Et illas ſpecies immittendo, quæ ſane non ſunt ſui propriæ, ſed alienæ, illa corpora a ſenſibus percipientur, quorum ſpecies ſunt propriæ; hoc eſt, quorum ſunt propriæ, & genuinæ actiones objectivæ, per quas movent ſenſus, & a ſenſibus percipiuntur. Sub iiſdem principiis ipſemet docet, quod quia Chriſtus ſub ſpeciebus euchariſticis agit non modo proprio Chriſti, ſed modo proprio panis, in ſenſus; inde eſt, quod non videtur, non tangitur, non odoratur Chriſtus, ſed panis. Ita pariter egit idem Chriſtus, quando Magdalenæ apparuit ſub ſpecie Hortolani, & Diſcipulis peregrinantibus in Emmaus ſub ſpecie Peregrini. Quod autem ſic agendo res ſpiritualis, agendo ſcilicet ut ageret res materialis, ſi adeſſet, non videatur ipſa, ſed illa, cujus agendi modum imitatur; patet apertiſſime, tum ex allatis exemplis, tum etiam, quia motus illi ſunt ſpecies impreſſæ ab objectis, & ſpecies ſunt vicariæ objectorum, non prout ſunt, ſed prout agunt: ergo percipiuntur objecta, non ut ſunt, ſed ut agunt, ut movent, ut ſpecies immittunt.

Neminem autem credimus hunc agendi modum rei ſpirituali denegaturum; ſcilicet ut agat modo illo materiali, quum ſic ipſa ſpiritualis ſubſtantia; & quanvis dicatur, vel dici poſſit, quod Deus etiam aliquando ſic agat, diverſus tamen eſt agendi modus Dei, & creaturarum. Quæ opponi poſſent, ut candide dicamus, duo ſunt; & quod Chriſtus ſic agat ut panis in euchariſtia, & quod Deus ſic agat in cœlo, ut a corporeo ſenſu ſuo modo percipiatur ut in t. I. Diſſ. LIX. ex P. Magnani mentem diximus. Chriſtus quidem eſt res materialis ratione corporis ſui: unde non mirum, ſi poteſt alterius rei materialis agendi modum in ſenſus imitari. Deus vero, quia Deus eſt, eminenter continet omnes agendi modos creaturarum in ſe ipſo; adeoque continet etiam modos agendi creaturarum in ſenſus. At Angelus, vel anima, eſt res ſpiritualis, & eſt creatura; ſicque non poteſt agere in ſen-

ſus ut res materialis, quomodo agit Chriſtus; nec pariter quomodo agit Deus, quia modum illum agendi in ſenſus eminenter non continet. At quis dicet, quod agendi modus ſupponat entitatem in agente mutari, nnn vero virtutem? Non tribuimus rei immateriali nec quidem minimam rei materialis particulam, quæ ſit omnino cum ſua ſubſtantia incompoſſibilis; ſed virtutem damus, ſeu modum agendi; qui quidem, ut diximus in præfata Diſſert. LIX. exercetur a Deo non tantum ſecundum eſſe participabile, quod eſt in ſe ipſo ſolo, ſed etiam ſecundum eſſe participatum, quod eſt in creatura; & inde eſt, quod ſi Deus agat ſecundum modum participatum a creatura, non Deus, ſed creatura percipitur; ſi vero Deus agat ſecundum modum participabilem, qui eſt in se ipſo, non percipitur creatura, ſed Deus. Et ita duu illa objecta evaneſcunt.

At aliud eſt, quod citato loco ſibi objicit Magnanus verbis ſequentibus. „ Hæc tamen, quæ jam dixi de modo, quo ſubſtantia immaterialis creata poteſt in ſenſus corporeos agere ad inſtar alicujus rei ſenſibilis corporeæ, & ita in ſpecie ejus apparere; minime repugnant dictis a me num 23., ubi fatebar, non poſſe Angelum quidditative cerni, tangi &c. ſenſu corporeo; quanvis Deum ita poſſe videri &c. aſſeruerim. Nam quoad hoc eſt inter Deum, & Angelum, ſeu aliam quanvis immaterialem ſubſtantiam creatam diſcrimen hujuſmodi; quod cum Deus contineat eminenter virtutem omnem cujuslibet rei ſenſibilis, poteſt, ut nu. 22. expoſui, virtute illa ſua eminentiali agere in ſenſum eo modu primigenio, cui ob virtutem participatam reſpondet naturalis modus agendi rei ſenſibilis: Angelus vero non ita contineat eminenter virtutes cujuslibet rei ſenſibilis, quaſi hæ ſint virtutis angelicæ eminentialis participationes quædam; ſicut ſunt participationes virtutis divinæ eminentialis: Unde licet poſſit in ſenſum agere Angelus quemadmodum agit res ſenſibilis; hic tamen modus non eſt Angelo, ſicut Deo, proprius, ac naturalis (proptereaque num. 23. dicebam, Angelum non in eo eſſe activum) ſed ſolum ei convenit per imitationem, ac per artem: adeoque ut ſic agens Angelus in oculum v. g., non pariter ac Deus, dicendus eſt quidditative, ſeu in ſpecie propria, cerni, ſed ſolum apparere in aliena „.

Cæterum hoc quod eſt Angelum ſibi compingere corpus ex aere, ex æthere, vel ex aliqua alia materia, plus quidem eſt, quam ſolummodo rei materialis agendi modum in ſenſus imitari. Et ſi incompetens dicitur ſpirituali ſubſtantiæ agere, ut ſubſtantia materialis agit, multo magis ab Angelo alienum erit rem materialem componere, ac conflare in corpus, quod aſſumat. In ſententia quidem P. Magnani Angelus, ut quæquunque alia ſpiritualis ſubſtantia, eſt penetrativa ad libitum; adeoque poteſt cum re corporea penetrari, & non penetrari, prout vult; unde Angelus, qui revolvit lapidem in Chriſti Domini ſepulcro, non fuit cum eodem lapide penetratus, aliter non potuiſſet illum revolvere. Quumodo autem penetratus non fuit? Quia egit modo illo, quo egiſſet alia materialis ſubſtantia, ſi illum xevolvere intentaſſet. Et ſi poteſt agendi modum corporeæ ſubſtantiæ in hac linea motus imitari, quare non poterit etiam in alia motus linea, ſcilicet agendi in ſenſus? Nec dicere quiſquam poterit, quod hoc idem eſſet, ac per præſtigias agere; non enim Angelus agere oſtendit, & non agit: neque apparenter agit; ſed vere agit, quanvis non modo ſibi proprio, ſed alieno. Aliter etiam Chriſtus per præſtigias egiſſet, quando Magdalenæ ut Hortolanus, & Diſcipulis ut Peregrinus apparuit. Denique nec dicatur, quod opinio P. Magnani eadem eſt cum illa, quam quinto loco reportavimus. Differt enim quammaxime ab illa; quia illa ſupponit ſpeciem diſtinctam, ac ſeparabilem a creatura corporea, cujus eſt ſpecies corporea: unde illius opinionis Auctores dicebant, quod Angelus hac ſpeciem deſumit, & ſibi ipſi adaptat. At P. Magnanus non dicit, quod deſumit ſpeciem, quam vult realiter indiſtinctam, ſed quod imitatur modum agendi in ſenſus rei corporeæ; licet poſtea in hoc agendi modo ſpecies impreſſa conſiſtat.

Adductis, expoſitis etiam, atque explicatis, opinionibus hiſce, modo devenimus ad probandum, quod in Diſſertationis titulo propoſuimus. Et quidem, quod in ſacris libris contineatur apparitionis Angelorum ſubſtantia, atque etiam apud Sanctos Patres, & Eccleſiaſticos Hiſtoricos, nemini dubium eſſe putamus. Quod ſi aliqui dubitare voluerint, teſtimoniis, quæ ſubjungimus, tum ex illis, tum ex iſtis deprompris, hoc pacto probamus. Geneſ. 18. de Angelis, qui Abrahaæ apparuerunt, ſit ſermo: *Cumque ſublevaſſet*

oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum; quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adoravit in terram. Geneſ. 19. deſcribuntur Angeli, quos vidit Loth: *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Loth in foribus civitatis. Qui cum vidiſſet eos, ſurrexit, & ivit obviam eis; adoravitque pronus in terram*. Geneſ. 28. ſunt Angeli, quos vidit Jacob: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam*. Geneſ. 32. de Angelis etiam, qui Jacob apparuerunt, ſermo habetur: *Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat; fueruntque ei obviam Angeli Dei. Quos cum vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc; & appellavit nomen loci illius Mahanaim, ideſt, caſtra*. Etiam in libro Danielis, in libro Tobiæ, & in aliis quoque, aperta eſt mentio apparitionis Angelorum. In novo teſtamento pariter in Apoſtolorum Actis habetur Angelus, qui Petrum de vinculis liberavit; in Evangelio Angelus, qui apparuit Mariæ Virgini, eanque ſalutavit, Sponſo ejus virgini Joſepho, Zachariæ, S. Joannis Baptiſtæ Patri, aliiſque: ergo vere ex Scripturis conſtat, Angelos apparuiſſe multis. Ex Patribus proferimus Auguſtinum, qui lib. 4. de Trin. c. ult., docet, apparitiones factas ante Chriſti adventum per Angelos fuiſſe factas; immo etiam illas, quæ poſt Chriſti incarnationem leguntur factæ; ut notat Eſtius, qui etiam eundem Auguſtinum citat lib. 2. de Trin. c. 5. 6. & 7., & lib. 3. c. 10. & 11. Adduntur ad ſuperabundantiam Leo magnus ſer. 2. de aſcenſ. Dom. c. 4. *Sicut concipiendum Chriſtum de Spiritu Sancto B. Virgini Angelus nuntiavit; ſic & editum de Virgine vox Cœleſtium Paſtoribus cecinit. Sicut reſurrexiſſe a mortuis ſupernorum nuntiorum prima teſtimonia docuerunt; ſic ad judicandum mundum in ipſa carne venturum, Angelorum officia prædicabunt*. Eucherius ſer. in dedicat. Eccleſ. *Angeli, quando volunt, ex aere corpus aſſumunt, quo videri, & tangi, & loqui, & manducare, & bibere poſſunt*. Claudianus Mamertus de ſtat. anim. lib. 3. *Satis, ut arbitror, patet, Angelos utriuſque ſubſtantiæ & incorporeos eſſe in ea ſui parte, qua ipſis viſibilis Deus; & in ea itidem parte corporeos, qua hominibus ſunt ipſi viſibiles; quoniam nec Deus ab Angelo per corpus, nec Angelus ab homine ſine corpore, videri poteſt*. Eadem docent Alcuinus lib. 2. de Trin. c. 17., Ambroſius Anſbertus in lib. 3. in Apocal. c. 6., Petrus Alphonſus tit. 5., Damaſcenus lib. 2. de fide c. 3. *Non quales ſunt, apparent, ſed aliam, atque aliam formam, prout videri ab hominibus poſſint, aſſumunt*; ut cæteros, brevitatis ergo, omittamus.

Ex dictis confutatæ remanent prima, & ſecunda opinio; Non enim referri poſſunt ad ſolam imaginationem, & propheticam viſionem, cuncta quæ in Scripturis narrantur de Angelorum apparitionibus. Teſtantur enim ſæpiſſime ſacræ literæ, Angelos ab hominibus viſos, adoratos, contrectatos, etiam per pedum ablutionem; ut conſtat de Abrahamo, Loth, Jacob, Tobia, & aliis. Inſuper, Angelicus 1. p. q. 51. ar. 2. ſic contra duas illas opiniones diſcurrit. Quæcunque imaginaria viſione videntur, ſolum ſunt in imaginatione videntis, non vero videntur ab aliis præter ipſum; ſed Angeli, qui apparuerunt Abrahamo, viſi ſunt a tota ejus familia; illi, qui viſi ſunt a Loth, viſi etiam fuerunt a civibus Sodomorum; Raphael, qui apparuit Tobiæ, a cæteris etiam videbatur; & ſic de aliis ſere omnibus dicendum eſt: ergo illi iidem Angeli non videbantur ſolum aut imaginaria viſione, aut exteriorum ſenſuum immutatione. Ulterius; apparitiones illæ non unius ſenſus actione probatæ ſunt, ſed multoties etiam multorum ſenſuum operatione confirmatæ; ſed quæ multorum ſenſuum teſtimonio probantur, non poſſunt ad imaginariam viſionem, & ad fictitiam apparentiam reduci: ergo &c. Tobias enim non ſolum vidit Raphaelem, ſed cum eo alloquutus, & peregrinatus eſt, & inſuper cum eo multoties comedit. Denique, ſi hic explicandi modus ſufficeret, poſſet etiam idem adhiberi in explicandis aliis apparitionibus a Chriſto factis, de quibus loquitur Evangelium; & præcipue de illa, qua Apoſtolis apparuit, & Apoſtoli crediderunt, ipſum eſſe phantaſma; at non poteſt illis applicari; Chriſtus enim dixit, quod tangerent, & palparent eum, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet; ergo &c.

Tertia opinio confutata remanet ex dictis ſuperius. Supponit enim, Angelos habere corpora; & dicit, Angelum mutare corpus ſuum, ac vertere in ſpecies, quas vult accommodatas, atque aptas actionibus ſuis. Sed nos probavimus, Angelos non habere corpora: ergo nequeunt mutare corpora, quæ non habent, nec ſpecies

deſumere a corporibus, quibus carent.

Quarta opinio, quanvis, ut diximus, accedat & communi opinioni de corporibus aſſumptis, & peculiari P. Magnani ſententiæ, de actionibus objectivis; nihilominus ut jacet, pariter refellitur: Hæc enim ſpecies, quæ ab Angelo deſumitur, eſt ſpecies corporea, petimus, vel eſt diſtincta realiter a corporea creatura, ex qua deſumitur, vel indiſtincta? Si indiſtincta realiter; ergo non ſolum deſumitur corporea ſpecies, ſed etiam corporea ipſa creatura, cujus eſt ſpecies; quod non dicunt. Si diſtincta realiter; nemo dixit uſque modo ex Peripateticis, quod ſpecies, quæ ſunt accidentia, quibus ſint ſeparabiles a potentiis, vel ab objectis ſuis; quanvis dicant accidentia, quæ vocantur accidentia quæ, ſint a ſubjectis ſuis ſeparabilia miraculoſe; ut in venerabili Euchariſtiæ Sacramento. At ſi nomine ſpecierum intelligat actiones, non eaſdem numero, ſed ſpecie, coincidit cum opinione P. Magnani.

Communem opinionem modo proponimus, & explicamus, atque probamus. Auguſtinus lib. 3. de Trin. c. 1. apud Eſtium quærit; an Angeli aſſumant ex inferioribus elementis corpulentioribus corpus ſibi coaptatum, quod deinde mutent quaſi veſtem in quaslibet ſpecies corporales, eaſque veras? Et huic opinioni accedit. Etiam ſer. 16. de Diverſ. qui eſt tractatus 3. cont. Manichæos docet, quod Deus corpoream ſubſtantiam poteſtati Angelorum ita ſubdidit, ut poſſent ex illa verum corpus aſſumere, quod pro ſui libito converterent ex qualibet ſpecie in quamlibet ſpeciem, prout exigeret ſui officii, & ſui miniſterii ratio. Hoc idem aſſerit Gregorius magnus lib. 27. moral. c. 2. docens, quod Angeli viſi fuerunt oculis corporeis aſſumptis, & ex aere formatis. Etiam Beda lib. de natur. rer. c. 7. aſſerit, Angelos aſſumere ætherea corpora. Diſplicet Eſtio hic dicendi modus, arguens; quod æthereum corpus vel importat cœleſte, & non eſt aptum ad hunc uſum; vel importat æthereum, hoc eſt aereum ſubtilius, & purius, & poſſe concedi, ait; ſed non eſſe neceſſe, ut hoc aſſumant. Si Eſtius obſervaſſet differentiam, quam modo Philoſophi conſtituunt in aerem, & ætherem, ſcilicet, quod aer dicat commixtionem aliorum corporum cum ſua ſubſtantia, æther vero nullam dicat commixtionem; adeoque aer ſit aer impurus, æther vero ſit aer purus; nullam contra Bedam adverſandi occaſionem habuiſſet.

In his corporibus aſſumptis poſſunt Angeli exercere primo operationes intellectus, & voluntatis, eodem prorſus modo, quo extra corpus exercent. Ratio eſt, quia Angeli non ſunt formæ corporum, quæ aſſumunt; adeoque ab illis nec dependentiam, nec impedimentum habere poſſunt in operationibus ſuis exercendis. Secundo, non poſſunt exercere operationes ſenſitivas; adeoque habere nequeunt ſenſationem ullam, ſive externam, ſive internam, nec ullum ſenſitivi appetitus actum. Ratio eſt, quia operationes ſenſitivæ ſunt eſſentialiter vitales, Angelus autem eſt principium extrinſecum; ſed operationes eſſentialiter vitales requirunt principium intrinſecum, & non ſufficit eis extrinſecum: ergo, &c. Tertio, poſſunt Angeli exercere in corporibus aſſumptis modo non vitali operationes aliquas materialiter, & ſecundum quid ſimiles operationibus vitalibus. Ratio eſt, quia quanvis ab Angelis exerceantur operationes ſimiles ambulationi, loquutioni, comeſtioni; attamen hujuſmodi operationes non exercent modo vitali, ut dictum eſt: ergo exercent modo non vitali; & dum exercentur ab Angelis vitales non ſunt nec formaliter, nec ſimpliciter, ſed materialiter tantum, & ſecundum quid aſſimilantur operationibus vitalibus. Unde quando denominatur Angelus comedere, ſic dicitur, quatenus localiter movet cibum, ore ſumit, dentibus frangit, in ventrem mittit. Verum quia in corpore aſſumpto non eſt verum os, verus venter, veri dentes; ideo cibus Angelo non inſervit nec ad guſtum in ore, nec ad nutritionem in ventre; & ſic illa ſumptio cibi, trituratio, conglutio, non eſt vitalis comeſtio. Quod dixit Raphael Angelus Tob. 12. *Videbar quidem vobis manducare, & bibere; ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Quod quidem & de aliis quoque congruenter explicat Catheranus.

Si autem quæratur, an in aſſumptione corporum utantur Angeli naturali ſua virtute, an ſupernaturalis vis, adeoque miraculum interveniat? Hæret Eſtius in quæſiti hujus deciſione; ſiquidem ex una parte affert S. Thomam, qui cit. loc. ſibi proponens hoc argumentum: Angeli non aſſumunt corpora de terra, nec de aqua, quia ſtatim diſparerent; non de igne, quia comburerent ea, quæ contrectarent; non ex aere, quia aer nec patitur figuram,

nec

nec colorem : ergo non aſſumunt corpora; eidem argumento reſpondet S. Doctor, quod quanvis aer manens in ſua raritate, non retineat figuram, nec colorem, quando tamen condenſatur, & figurabilis eſt, & colorabilis. Unde concludit, quod Angeli aſſumunt corpora aerea, condenſando illa virtute divina, quantum eſt neceſſe ad corporis formationem. Subdit Eſtius; ſi virtute divina: ergo per miraculum. Quod pariter confirmat ratione; tum quia aer non poteſt naturaliter redigi ad denſitatem, & ſoliditatem corporis; tum etiam quia non poteſt naturaliter recipere colorem; tum denique quia ſic repente efformari corpora illa, & illico diſparere, non eſt ſine miraculo. Ex altera vero parte, addit etiam Eſtius, ſi hæc per miracula fierent, non poſſent Dæmones corpora quoque aſſumere, & cum illis apparere, quia non eſt credibile, quod Deus cum iiſdem per miracula cooperetur. Concludit ergo Eſtius, quod aſſumpta corpora non ſint ex ſolo aere, pro quo ſatis urgent argumenta S. Thomæ; ſed ex mixtura quoque aliorum corporum craſſorum; & in horum compoſitione nullum putat miraculum intervenire. Ait enim juxta ſua principia: ,, Poſſunt enim Angeli naturali ſua virtute celeriter colligere diverſa corpora, diverſis qualitatibus affecta, quibus inter ſe commiſtis, fiat unum corpus, humano corpori viventi ſimile; ſcilicet compactum, ſolidum, grave, calidum; & quodammodo carneum, & oſſeum, habens diſtincta ſua quaſi membra, & membrorum proprietates. Quod tamen corpus, non natura, ſed compoſitione quadam unum ſit, & proinde non unius ſpeciei, ſed diverſarum, ad quas pertinent corpora componentia. ,, Concludit denique Eſtius, quod huic explicationi favet Auguſtinus lib. 3. de Trin. c. 1. & Scotus adhæret, dicens, hujuſmodi corpora fieri ex aere imperfecte miſto; eo quia aliter non haberent figuram, neque colorem. Quod ſi hæc eſt virtus naturalis in Angelis, nulla eſt repugnantia, quod etiam a Dæmonibus exerceatur. Et quod Dæmones hac virtute utantur, probat ex apparitione unius ex illis Chriſto facta in Deſerto. ,, Non enim veroſimile eſt, Diabolum, quando permiſſus eſt Chriſtum tentare, tantam in illum accepiſſe poteſtatem, ut ſenſibus ejus illuderet; aut phantaſiam ejus quibus veller imaginibus commoveret; ſed in aſſumpto vero corpore, humanam formam habente, ei apparuiſse, quando & allocutus eſt eum, & e loco in locum duxit, Matth. 4. ,,

Opponunt I. Multorum eſt opinio, quod aſsumpta corpora ab Angelis, de novo producantur ea nihilo: ergo creata; & quod in nihilum revertantur, quando ab Angelis derelinquuntur: ergo annihilata; repugnat autem Angelis creare, & annihilare: ergo, &c. II. Si Angeli operationes ſenſitivas in corporibus aſsumptis exercere non poſsunt, cur in iiſdem corporibus aſsumunt organa, per quæ operationes iſtæ fiunt? ergo ſi hæc organa aſsumunt, iiſdem utuntur; ſi iiſdem utuntur, operationes ſenſitivas exercent. III. Angeli in corporibus aſsumptis aliquando excrementa quædam effuderunt; videlicet lacrimarum, quando dicitur, quod Angeli pacis amare flebant; ſalivæ, quando expuunt in faciem illorum, quibus Dæmones apparent; ſed hæc excrementa provenire non poſsunt, niſi ex operationibus vitalibus: ergo operationes iſtæ vere ab Angelis exercentur. IV. Vel Angeli poſsunt effurmare veras humani corporis organizationes, vel non poſsunt: Si poſsunt: ergo poſsunt etiam efformare corpus humanum, & ita ipſum diſponere, ut animam recipiat, adeoque hominem producent: Si non poſsunt: ergo apparenter aſsumunt corpus, ſeu aſſumunt corpus apparens, non verum, nec tale, quale apparet; hoc vero non eſt aſsumere corpus, ſed eſt illuſorie apparere, non realiter. V. Sancti Patres Angelis, & Dæmonibus aliquando tribuuns ſenſum; ut docet S. Auguſtinus in pſal. 96. & alibi: ergo exercent operationes ſenſitivas; quia ſenſus eſt principium ad hujuſmodi operationes exercendas. VI. In Chriſto poſt reſurrectionem fuit vera comeſtio: ergo eſt etiam in Angelis. Probatur conſequentia. Corpus Chriſti poſt reſurrectionem omnibus dotibus gaudebat corporum Beatorum; & tamen vere comedebat: ergo pariter Angeli in corporibus aſsumptis.

Reſpondemus ad I. Calvinus in ea fuit ſententia, ut crederet, corpora aſsumpta ab Angelis, his diſparentibus, in nihilum converti; & Tertullianus putavit, quod eadem, dum aſsumuntur, creantur. At communis & Patrum, & Theologorum eſt vox, corpora aſsumpta ex aere, vel ex alio craſſiori corpore efformari; & dum Angeli diſparent, eo redire, unde ſumpta

pta

pra fuerant; in aerem ſcilicet, vel in alia corpora, ex quibus commiſta ſunt.

Ad II. dicit Cacheranus, quod Angeli ut plurimum aſſumuns corpora cum organis ſenſuum, ſolum quoad exteriorem figuram perfectis; quoad interiorem vero ſymmetriam inſufficientibus ad operationes ſenſitivas; & non per hoc eſſe fruſtranea, quia deſerviunt fini, ad quem apparitiones illæ ordinantur. Reſponſio eſt S. Thomæ 1. p. q. 51. n. 3. ad 2. dicentis: *Non ad hoc ſunt formata* (organa), *ut per ea ſentiatur, ſed ad hoc ut virtutes ſpirituales Angelorum deſignentur; ſicut per oculum deſignatur virtus cognoſcitiva, &c.*

Ad III. Nulli apparuerunt Angeli, qui proprie flerent; ſed tantum metaphorice fuit dictum, quod flerent; quod ſi proprie fleviſſent, ſimilitudinem quidem habuiſſent fletus, non proprietatem. Excrementa autem illa, etiam dici poteſt, quod ex eodem aere formentur.

Ad IV. dicitur, quod Angeli aſſumendo corpora aſſumunt corpus verum ſub ratione communi corporis, non vero ſub ratione corporis particularis, videlicet hominis; unde ſat eſt Angelo efformare corpus, quod ſufficiat ad aſſumptionem veram; ut ſit vero ſufficiens ad aſſumptionem veram, non eſt neceſſe, ut ſit perfecte organizatum, & proxime diſpoſitum ad rationalem animam recipiendam. Unde verum corpus efformat Angelus, & aſſumit, ſed verum corpus humanum non diſponit, non organizat, itaut ſit proxime aptum ad animæ receptionem.

Et ſic nec hominem producit, nec apparens corpus efformat.

Ad V. reſpondet Eſtius, quod ſenſus, ut tribuitur Angelis, ſignificat in genere facultatem cognoſcendi, ſeu percipiendi res ſenſibiles; quomodocumque id fiat, ſive per intellectum, cujus objectum etiam ſenſibilia complectitur, ſive per ſenſum proprie dictum. Ita Eſtius. At credimus, ſolum id fieri per intellectum; quatenus nulla ſenſitiva operatio tribuenda eſt Angelis, qui ſenſus habent potius ad ornatum corporum, quam ad operationum exercisium.

Ad VI. dicimus, quod Chriſtus poſt reſurrectionem vere comedit, ut ſe non phantaſma, ſed verum, & vivum hominem oſtenderet. Non fuit tamen cibo illo nutritus; poteſt enim ſtare vera comeſtio abſque nutritione. Et hoc quanvis fuerit poſt reſurrectionem Chriſti corpus glorificatum, atque beatificatum; ſemper enim corpus remanebat, etiam cum beatitudine, & cum glorificatione. At Spiritus angelicus ſemper eſt ſpiritus; & per conſequens cum materialibus hiſce operationibus incompatibilis. Audiatur S. Thomas 1. p. q. 51. ar. 3. *Et quamvis in corpus Chriſti poſt reſurrectionem cibus non converteretur, ſed reſolveretur in præjacentem materiam; tamen Chriſtus habebat corpus talis naturæ, in quod poſſet cibus converti, unde fuit vera comeſtio.* Et quia Angelus non habet tale corpus, in quod poſſit cibus converti, ideo veram habere nullo modo poteſt comeſtionem.

DISSERTATIO CXXXV.

De Immortalitate, & incorruptibilitate Angelorum; de Acatholicorum erroribus, & de Scholaſticorum diſputationibus de illa. Errores impugnantur, Opiniones examinantur, probabilior eligitur.

ANgelos eſſe aliquo modo immortales, & incorruptibiles, aſſerit Cacheranus, eſſe de fide; atque inſuper, in eo convenire omnes Theologos, immo omnes Catholicos, & quod magis eſt, pene omnes etiam Ethnicos, Plutarcho excepto. Verum nos aliter legimus, quod modo referimus, recenſendo errores illorum, qui contra Angelorum immortalitatem, & incorruptibilitatem male ſenſerunt.

Primo ſcribimus Plutarchum, qui, ſecundum citatum Cacheranum, voluit lib. 1. de defectu oraculorum, poſt certa temporum intervalla Dæmones occumbere,

co-

eorumque vitæ novies mille ſeptingentos viginti annos eſſe tribuendos.

Secundo ponimus Mahometum, qui ſomniavit, Angelos peccare, & mori poſſe. Refert Coccius ex Joanne Catacuzeno orat. 2. contra Mahometum, & ex Ænea Silvio ep. ad Marbiſanum, Turcarum Principem.

Tertio adduntur a Fraſſen Hæretici dicti Libertini, qui negarunt, Angelos, & rationales animas, eſſe immortales; addentes, quod ſicut initium habuerunt, ita pariter finem habebunt; & ratio ipſorum eſt, quod ſolius Dei propria ſit immortalitas, adeoque non poſſint creaturæ immortalitatis eſſe participes.

Quarto idem Fraſſen adducit aliquos, quos non diſtinguit proprio ipſorum nomine, qui affirmant, Angelus eſſe naturaliter, & intrinſece defectibiles, & ſolo Dei beneficio perſeverare, ſicut cætera entia perſeverant; quum enim ex nihilo educti fuerint, etiam ex ſe poſtulant in nihilum abire. De his etiam loquitur Petavius lib. 1. de Angelis c. 5., qui pariter adducit aliquot Patres, qui videntur in eandem ſententiam abire; ſed horum verba inferius explicabimus.

Quinto apud Petavium quoque habemus Platonem in Timæo, in perſona ſummi Dei, ut ipſe ait, alloquentem minores Deos verbis hiſce, quæ Cicero latine reddidit, & in ſuo lib. de Univerſ. affert: *Hac Vos, qui Deorum ſatu orti eſtis, attendite; quorum operum ego parens, effectorque ſum, quæ per me facta, non ſunt diſſoluta me invito, quanquam omne colligatum ſolvi poteſt; ſed haud quaquam boni eſt, ratione vinctum velle diſſolvere. Sed quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis: neutiquam tamen diſſolvemini; nec vos ulla mortis fata periment; nec fraus valentior, quam conſilium meum; quod majus eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illa, quibus eſtis tum, cum gignebamini, colligati.* Quæ quidem omnia poſſunt etiam Angelis convenire juxta ipſorum diſcurrendi modum. De hac Platonis ſententia loquitur etiam Eſtius dicens: „Nam Platonis quidem in Ti-
„ mæo ſententia eſt, Deos minores, ideſt
„ Angelos, natura diſſolubiles, ideſt cor-
„ ruptibiles eſſe. Cui ſententiæ Gabriel.
„ q. 1. ſup. diſt. 2. hujus libri eatenus acce-
„ dit, ut doceat, Angelos, natura ſua cor-
„ ruptibiles, per manutenentiam Dei ex-
„ trinſecam perpetuo in eſſe conſervari.
„ Qui ita ſentiunt, idem pari ratione tra-
„ dunt de animabus humanis.„

Ad Scholaſticorum modo diſcendimus opiniones. At prius adnotare oportet, immortalitatem, & incorruptibilitatem multipliciter poſſe intelligi; & quidem primo prout negat mortem, & corruptionem, quæ conſiſtat in ſeparatione animæ a corpore in homine, & in animalibus, vel in receſſione formæ principalis a ſua materia. Secundo prout negat quamlibet deſitionem eſſe, etiam per annihilationem; itaut quod annihilatur, dicatur quoque, quod moriatur, & corrumpatur. Tertio prout negat corruptionem præciſe, ſcilicet ſeparationem partium, in quorum unione compoſitum conſiſtit, & in qua ſeparatione intelligatur etiam mors; cum hac tamen differentia a primo modo, quod ibi ſit ſermo de partibus eſſentialibus, hic vero de partibus integrantibus.

Rurſus obſervare convenit, immortalitatem, & incorruptibilitatem poſſe alicui enti convenire vel ab extrinſeco, vel ab intrinſeco. Ab extrinſeco convenit, quando provenit ab aliqua cauſſa extrinſeca, quæ impedit entis corruptionem. Ab intrinſeco vero, quando provenit ex ipſius entis natura, quæ non eſt ſuſceptiva corruptionis. Ulterius, poteſt etiam immortalitas, & incorruptibilitas convenire alicui per naturam, & alicui per gratiam. Per naturam quidem, quando eam habet aliquod ens a ſe ipſo, & non ab alio; & in hoc ſenſu ſolus Deus eſt immortalis. Per gratiam vero, quando eam habet ab aliquo, a quo eandem participavit; & ſic eam habent creaturæ, ſic a Deo factæ, ut ſint natura immortales, & incorruptibiles, ſed non ſint tales ex ſui natura, quatenus ſunt ex libera Dei productione. Denique, ut obſervat Petavius, id etiam dicitur natura mortale, & corruptibile, quod etſi reipſa non corrumpatur, quia fortior vis aliqua illud conſervat, habet tamen in ſe ipſo corruptionis principium; quodcumque illud ſit, juxta Philoſophorum varia rerum principia. Si autem hoc principio corruptionis careat, natura erit incorruptibile, & immortale; at non per naturam, ſed per gratiam; hoc eſt per liberum Dei beneplacitum, ac liberam voluntatem, qua voluit aliqua ſic creare, & alia non voluit.

Prima Scholaſticorum opinio eſt illorum, qui putant, Angelos naturaliter exigere incorruptionem; & ita exigere, ut per ſolam potentiam Dei extraordinariam & abſo-

abſolutam, non vero per ordinariam, deſtrui poſſint, & annihilari. Referuntur a Fraſſen.

Secunda eſt opinio Cajetani, quam refert P. Neri in QQ. ſelectis theologicis t. 3. q. 1. ſect. 2. ſubſect. 4. Admittit Cajetanus duplicem potentiam corruptivam, phyſicam ſcilicet, & logicam. Illa eſt talis ſecundum aliquam naturæ inclinationem; & eſt materia ad corruptionem inclinata: Hæc vero eſt ſola non repugnantia. Negat Cajetanus in Angelis primam, quia materiales non ſunt; concedit ſecundam, quia poteſt Deus illos annihilare.

Tertia opinio ab eodem P. Neri tribuitur Vaſquez, ſic docenti; quod quum omne corruptibile ad corruptivum comparetur, ſequitur, quod vel corruptibile comparatur cum potentia creata, vel increata, & divina: Si cum creata, Angeli ſunt incorruptibiles; ſi cum increata, & divina, Angeli ſunt corruptibiles.

Quarta opinio eſt Scoti in I. diſt. 8. q. 5. §. ad quæſtionem; & in IV. diſt. 49. q. 6. §. hic duo ſunt; quem citat Cacheranus, negantis immortalitatem, & incorruptibilitatem Angelis convenire ab intrinſeco, & per naturam, ſed tantum ab extrinſeco, & per gratiam. Citantur etiam a Cachetano Gabriel, Ochamus, Vaſquez, Martinonus, aliique nonnulli. Attamen Fraſſen, qui eſt unus ex diſcipulis Scoti, fidenter affirmat, atque defendit, Angelos eſſe incorruptibiles, & immortales ex ſuis intrinſecis; quum in altera concluſione antecedenter firmaverit, Angelos non eſſe abſolute incorruptibiles, & reſpectu potentiæ extraordinariæ Dei; & pro hac concluſione citat Scotum in I. diſt. 8. q. 5. n. 22.

Sexta tandem opinio eſt S. Thomæ 1. p. q. 9. ar. 2., & 2. cont. Gent. c. 55. docentis, immortalitatem, & incorruptibilitatem convenire Angelis ab intrinſeco, & per naturam, non ab extrinſeco, & per gratiam. Angelicum Doctorem ſequuntur omnes Thomiſtæ communiter; & cum eis Sylvius, Eſtius, Valentia, Lugus, Herincx, aliique multi.

Dicimus I. Dogma fidei eſſe, quod Angeli ſint incorruptibiles, & immortales.

I. Probatur ex Scripturis. Pſal. 148. poſtquam David Rex loquutus fuiſſet de cœlis, & de Angelis, ſtatim ſubdidit: *Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi.* Si æterni: ergo incorruptibiles, & immortales. Matth. 15. *Ite in ignem æternum, qui paratur eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Si pœna Angelorum eſt æterna: ergo æterni erunt Angeli, qui illam ſubibunt: ergo incorruptibiles, & immortales. Matth. 22. *Erunt*, hoc eſt homines beati, *ſicut Angeli Dei in cælo.* De hominibus beatis dicitur etiam, quod in æternum regnabunt: ergo pariter Angeli. In epiſt. canon. Judæ Apoſtoli num. 6. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Item Apocal. 21., & Luc. 20. idem eſt præmium Angelorum, & hominum juſtorum, eadem menſura, & deſcribitur æqualitas: ergo utrique in æternum Dei viſione fruentur, & per conſequens Angeli immortalitate gaudebunt.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium generale Lateranenſe ſub Leone X. animas humanas decernit eſſe immortales ſeſs. 8. Angeli autem perfectiores ſunt animabus humanis, II. Pet. 2., & ad Hebr. 2. Verba Concilii ſunt: *Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam eſſe mortalem; cum illa non ſolum vere, & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verum & immortalis.* Concilium generale VI. act. 11. recitans epiſtolam Sophronii, & act. 13. eam approbans. In illa autem hæc legebantur: *Deus ſuis operibus præſidens, principiumque omnibus temporale conſtituens, ſenſibilia quidem fini temporali ſuppoſuit, intellectualia vero, & inviſibilia hac meliori dignitate dignatus eſt; & nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, juxta quod ſenſibilia defluunt, atque pertranſeunt, ſed gratiam eis largitus eſt a corruptione ea, & a morte coercentem. Sic hominum animæ permanent incorruptæ, ſic Angeli immortales perſeverant.* Concilium Epheſinum in epiſt. Cyrilli ad Reg., quod citatur a Cardinali Brancati de Lauræa, ſub his verbis: *Angeli ſunt incorruptibiles.*

III. Probatur ex Patribus. Auctor libri de divin. Nomin., qui creditur S. Dionyſius Areopagita, c. 4. *Angelos habere vitam ſempiternam, & quæ imminui non poteſt, ab omni interitu, & morte ſolutam, & liberam.* Athanaſius tract. de definition. volens, Angelum, & Animum appellari poſſe æternos, *quia licet initium habuerint, immortales ſunt, & æternum vivunt.* S. Baſilius in Pſal. 44. docens, Angelos non eſſe mutabiles in ſuo eſſe, *quia, in quo ſtatu creantur, in eo perpetuo remanent, ſervata ſimplici, & eadem immutabili propriæ naturæ ſubſtantia.* Theodoretus in epit. divin.

decr.

Digitized by Google

deer. c. de Angelis: *Immortali naturæ ſuper-vacanea eſt generis diviſio*; *neque enim in cremento opus habent, cum non diminuantur; neque coitu, cum ſint a corporibus liberi: Et hac docet ſacra Scriptura: Angelos enim non duos ab initio ſolos, quemadmodum homines, fabricatus eſt; ſed quotquot voluit produxit myriadas. Quæ enim ab interitu aliena eſt natura, non eget incremento*. Lactantius inſtit. lib. 2. c. 16. *Deus neque nomine, cum ſolus ſit, eget: Neque Angeli, cum ſint immortales, dici ſe Deos aut patiuntur, aut volunt*. Fulgentius de fide ad Petrum: *Etſi inhærentibus Deo nihil in eſt de varietate temporis, quia collato ſibi æternæ incorruptionis, atque incommutabilitatis munere, nihil in ſe ſentiant immutationis; ineſt tamen ſingulis naturalis terminus, quo a ſe invicem diſcernuntur, quia nullus eorum in alio eſt*.

IV. Probatur Rationibus. I. Angeli non ſunt geniti: ergo ſunt incorruptibiles. Antecedens conſtat ex dictis; probavimus enim, Angelos eſſe creatos: ergo non ſunt geniti. Conſequentia ſequitur; quia corruptio reſpondet generationi, ſicut creationi annihilatio; quod ergo non eſt genitum, non eſt corruptibile; quod non eſt corruptibile, eſt incorruptibile. II. Angeli ſunt eſſentialiter, & integraliter ſimplices: ergo ſunt incorruptibiles. Antecedens ſupponimus ſuperius probatum, quando probavimus, Angelos eſſe puros ſpiritus; ſi enim ſunt puri ſpiritus, non habent nec partes eſſentiales, ſcilicet materiam, & formam; nec partes integrantes. Conſequentia non poteſt negari; quia ſive corruptio conſiſtat in materialis formæ corruptione, & in immateralis ſeparatione a materia, juxta principia Peripateticorum; ſive explicetur per ſeparari, & uniri, juxta Atomiſtarum hypotheſim; ſemper ſupponit partes: ergo ſi Angeli non habent partes, quia ſunt omnino ſimplices, non ſunt corruptibiles. III. Angeli ſunt ſubſtantiæ complete ſpirituales: ergo nec poſſunt mori, nec corrumpi. Antecedens patet ex dictis. Conſequentia probatur. Quicumque ſpiritus, ſicut non habet nativitatem, ita non habet mortem; ſicut non naſcitur per generationem, ita non moritur per corruptionem; quia enim ſpiritus eſt, nec generat, nec generatur: ergo ſi Angeli ſunt ſubſtantiæ complete ſpirituales, nec poſſunt mori, nec corrumpi: ergo ſunt incorruptibiles, & immortales. IV. ex S. Thoma apud Illuſtriſs. P. Palanco t. 2. de peccabilit., & impeccabilit. creaturæ intellectualis q. 19. Subſtantia nullum principium intrinſecum corruptionis habens eſt incorruptibilis ab intrinſeco; quilibet Angelus eſt ſubſtantia, quæ nullum habet principium intrinſecum corruptionis: ergo eſt ab intrinſeco, ſeu ex natura rei, incorruptibilis. Probatur minor. Angelus nullam habet contrarietatem intrinſecam, quia eſt omnino ſimplex; non eſt potentia paſſiva materiæ ad non eſſe formæ, ut loquuntur Ariſtotelei; quia caret materia, & forma: ergo Angelus eſt ſubſtantia, quæ nullum habet principium intrinſecum corruptionis. V. ex eodem S. Doctore apud eundem P. Palanco: Ens, quod ſubſiſtit per ſe, ſeu, ut illi loquuntur, forma per ſe ſubſiſtens, non poteſt ex natura rei ullo modo corrumpi; ſic eſt Angelus: ergo &c. Probatur major. Forma per ſe ſubſiſtens petit ex natura ſua conſervationem ſui eſſe: ergo non poteſt deſtrui. Probatur antecedens. Forma per ſe ſubſiſtens adæquate eſt apta nata per ſe ad ſui eſſe in ſe ipſa: ergo exigit ex natura ſua permanentiam in ſui eſſe. Has duas poſteriores rationes multis reſponſionibus debilitare contendunt Herrera, Vaſquez, Arriaga; ſed ab omnibus eas vindicat ſubtiliter P. Palanco, quem conſulent, qui ulteriora deſiderant.

At tempus eſt, ut Scholaſticorum opiniones examinemus. Et quidem prima opinio ex adductis a nobis confundit corruptionem cum annihilatione, quæ re vera ſunt diſtinguendæ, ſicut diſtinguuntur generatio, & creatio; Hæc ſunt verba Fraſſen, qui hanc refert opinionem: „ Tertio denique contendunt alii, illos naturaliter „ incorruptionem exigere; ita quod per ſolam „ extraordinariam Dei potentiam deſtrui poſſint, & annihilari „. Aut enim opinionis hujuſce propugnatores loquuntur de annihilatione; & non ſumus in caſu; quia nos loquimur de corruptione, & non de annihilatione: Aut diſcurrunt de corruptione, & hæc non eſt annihilatio. Sicut generatio, & creatio in hoc differunt, quod creatio nihil præſupponat, & generatio præſupponat aliquid; ita corruptio, & annihilatio in hoc diverſificantur, quod in annihilatione nihil remanet, in corruptione vero remanet aliquid. Unde ſi Auctores iſti ita diſcurrunt, ut intelligant, Angelos eſſe incorruptibiles, quia non ſunt geniti; & eſſe annihilabiles, quia ſunt creati; & per conſequens iiſdem negant corruptionem, & corruptibilitatem, bene diſcurrunt, & nos ab ipſis

ſis non diſcrepamus. Concedimus quidem Angelos naturaliter incorruptionem exigere, quia non ſunt geniti; generationi enim reſpondet corruptio; & quia incorruptibiles ſunt, poſſunt a Deo annihilari, quia creationi reſpondet annihilatio. Quod autem hoc fiat per extraordinariam Dei potentiam; ut Auctores iſti contendunt; dicimus, quod annihilatio creationi reſpondet; & quemadmodum Deus creat, ita pariter annihilat.

Pro ſecunda opinione, quæ eſt Cajetani, nimis improprie vocatur corruptio, quæ propriiſſime eſt annihilatio. Si enim concedit Cajetanus, eſſe incorruptibiles Angelos, quia non ſunt materiales; ſequitur, quod ſolum ſint annihilabiles. Et quidem res ita ſe habet, ut generationi reſpondeat corruptio, creationi annihilatio; unde ſi Angeli non ſunt geniti, neque ſunt corruptibiles, & ſi ſunt creati, ſunt etiam annihilabiles. Cæterum illa non repugnantia ad corruptionem, quam ſupponit Cajetanus in Angelis, a nobis nullo modo conceditur; quia quum Angeli non ſint geniti, ſed creati, ex eodem Auctore, nullam habere poſſunt non repugnantiam ad corruptionem. Unde ſunt omnino incorruptiles, quia non ſunt geniti; & ſunt ſolummodo annihilabiles, quia ſunt creati; ita enim apud Philoſophos ſtat ſive rerum, ſive terminorum connexio, ut generationi reſpondeat corruptio; creationi annihilatio.

Pro tertia opinione dicimus, quod ſemel ac aliquod ens non eſt corruptibile, neque per Dei potentiam corrumpi poteſt; quamvis poſſit quidem annihilari. Corruptio enim reſpondet generationi, ſicut annihilatio creationi. Quod non eſt genitum eſt ſimplex, quod eſt ſimplex annihilari poteſt, non corrumpi; quia quum non habeat partes, neque eſſentiales, neque integrales, ut ſupponimus; ſi perit, totum perit, & totaliter perit, & nihil ex eo remanet: ergo annihilatur quidem, ſed non corrumpitur. Et hoc præcipue in ſententia illorum, qui volunt, generari idem eſſe ac uniri, corrumpi idem ac ſecerni; Potentia autem increata annihilare poteſt Angelos, quod facere non poteſt potentia creata; ſed corrumpere nullo modo poteſt; quum non poſſit facere, quod ſint compoſiti, qui ſunt ſimplices; quod ſint corpora, qui ſunt ſpiritus; & maxime in ſententia illorum, apud quos generari idem eſt ac uniri, corrumpi idem ac ſecerni.

Pro quarta opinione, quæ tribuitur Scoto, dicimus, quod incorruptio poteſt quidem convenire ab extrinſeco illis, quæ ſunt ab intrinſeco corruptibilia; at non vero incorruptibilitas. Unde ſi Angeli ab intrinſeco, & per naturam non ſunt incorruptibiles, & immortales, non poteſt illis ab extrinſeco, & per gratiam convenire incorruptibilitas, ſed incorruptio. Quod autem Angelis etiam ab intrinſeco incorruptibilitas conveniat, patet, quia non ſunt compoſiti, non ſunt geniti, non ſunt miſti, ut loquuntur: ergo incorruptibiles ſunt quidem, quanvis ſint annihilabiles, quia ſunt creati, ſed ſimplices, & indiviſibiles, & non compoſiti, neque miſti. His poſitis.

Dicimus II. Immortalitatem, & incorruptibilitatem convenire Angelis ab intrinſeco, & per naturam, non ab extrinſeco, & per gratiam.

I. Probatur a Cacherano. Duratio æterna non poteſt negari Angelis actione externa Dei annihilante, & contra naturalem ipſorum rationem: ergo ſunt incorruptibiles ab intrinſeco, & per naturam. Probatur antecedens. Poſſibilis eſt creatura, quæ naturaliter petat ſemper durare, & cui negari non poſſit &c. ſed talis eſt Angelus: ergo duratio æterna non poteſt negari Angelis ſine actione externa Dei annihilante, & contra naturalem ipſorum naturam. Major patet; quia non repugnat creatura, cui ſit naturaliter debita duratio pro ſequenti inſtanti: ergo pro aliis inſtantibus; non enim eſt major ratio pro uno, quam pro pluribus. Probatur minor. Angelus de facto nullum habet intrinſecum principium corruptionis, & mortis, quia eſt ſpiritualis, & ſimplex: ergo eſt illis naturalis duratio æterna a parte poſt, & non poteſt ipſi negari ſine actione externa Dei annihilante.

II. Probatur ab eodem. Angeli ſunt incorruptibiles, & immortales; ſed tales non ſunt per donum aliquod gratuitum, a creatione, & conſervatione diſtinctum: ergo ſunt immortales ab intrinſeco, & per naturam. Probatur minor. Dæmones, quanvis ſpoliati fuerint donis omnibus gratuitis, permanſerunt nihilominus incorruptibiles, & immortales: ergo Angeli non ſunt tales per donum aliquod gratuitum, quod ſit a creatione, & conſervatione diſtinctum.

III. Probatur. Angeli non ſunt ſuſceptivi principii corruptionis: ergo ſunt immortales,

tales,

tales; & incorruptibiles ab intrinſeco, & per naturam. Probatur antecedens. Principium corruptionis eſt diſſolutio partium; ſed Angelica natura non eſt ſuſceptiva hujuſmodi diſſolutionis: ergo Angeli non ſunt ſuſceptivi principii corruptionis. Probatur minor. Angelica natura eſt omnino ſpiritualis: ergo non eſt ſuſceptiva diſſolutionis partium. Probatur conſequentia. Angelica natura non habet partes; ſed non habet partes quia eſt omnino ſpiritualis: ergo quia Angelica natura eſt omnino ſpiritualis, non eſt ſuſceptiva diſſolutionis partium.

IV. Probatur. Angelica natura corrumpi non poteſt: ergo Angeli ſunt immortales ab intrinſeco. Probatur antecedens. Forma per ſe ſubſiſtens corrumpi non poteſt; ſed Angelica natura eſt forma per ſe ſubſiſtens: ergo corrumpi non poteſt. Major patet; quia forma, quæ non eſt in aliquo ſubjecto, & non exigit in eo eſſe, & eſt per ſe ſubſiſtens, corrumpi non poteſt. Minor probatur. Angelica natura habet eſſe independenter a quocunque ſubjecto: ergo eſt per ſe ſubſiſtens.

Arguunt contra utranque Concluſionem. I. 1. ad Timoth. 6. dicitur, quod ſolus Deus ſit immortalis: *Qui ſolus habet immortalitatem*: ergo immortalitas Angelis non convenit. II. Ex Patribus Angeli non ſunt naturaliter immortales: ergo immortalitas non competit ipſis ab intrinſeco. Probatur antecedens. Ambroſius lib. 3. de fide c. 2. *Nec Angelus immortalis eſt naturaliter, cujus immortalitas in voluntate eſt Creatoris.* Cyrillus lib. 20. theſauri: *Nam etſi Angelus immortalis quædam res eſt, propter ita conſtitutam de ea Conditoris voluntatem, & gratiam; nihilominus quoniam exiſtendi principium habet, poſſet utique finem etiam ſortiri; naturales enim prærogativæ habentibus quidem validæ ſunt, non autem earum Opifici Deo. Quemadmodum ignis urendi vim habet, ſed non Deo; & Angelus immortalis eſt quidem, ſed non Deo.* Damaſcenus lib. 3. de fide c. 2. *Immortalis eſt Angelus, non natura, ſed gratia; nam quicquid initium habuit, & deſinere ſuapte natura poteſt.* III. Concilia, & Patres docent, Angelos eſſe immortales non ex natura, ſed ex gratia: ergo falſa noſtra Concluſio. Probatur antecedens. In ſexta Synodo act. 13. habetur: *Sic hominum animæ permanent incorrupta, ſic Angeli immortales perſeverant, non naturam re vera, proprieve immortalem habentes eſſentiam; ſed gratiam a Deo ſortiti ſunt, qua immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet.* Hieronymus dial. 2. cont. Pelagianos: *Salus Deus habet immortalitatem, quia per naturam habet, & non per gratiam.* Bernardus lib. 5. de conſiderat. c. 4. *Angelos beatos eſſe immortalitate perpetua impaſſibiles, non creator, ſed factos; ideſt gratia, non natura.* Cyrillus Alexandrinus lib. 3. theſaur. c. 2. *Angelus immortalis quædam res eſt propter voluntatem, & gratiam Salvatoris.* Damaſcenus lib. 2. de fide c. 3. *Angelus eſt ſubſtantia, per gratiam, non per naturam, immortalitatem conſecuta.* IV. Rei finitæ non poteſt correſpondere duratio infinita; ſed Angelus eſt res finita: ergo non poteſt habere durationem infinitam. Probatur major. Rei finitæ debet correſpondere duratio proportionata; ſed duratio proportionata eſt duratio finita: ergo rei finitæ non poteſt correſpondere duratio infinita. V. Salſem Angelus in ratione perſonæ eſt proprie corruptibilis: ergo in aliquo ſenſu Angeli ſunt corruptibiles. Probatur Antecedens. Poteſt Angelo deficere ſua ſubſiſtentia, & non per annihilationem: ergo ſaltem Angelus in ratione perſonæ eſt proprie corruptibilis. Probatur antecedens. Potuiſſet angelica natura aſſumi a Perſona divina; ſed in hoc caſu defeciſſet propria ſubſiſtentia, & non per annihilationem: ergo poteſt Angelo deficere ſua ſubſiſtentia, & non per annihilationem. VI. Angelus non eſt perfectionis infinitæ: ergo non debetur ei naturalites immortalitas. Probatur conſequentia. Res quæcunque eo eſt perfectior, quo majorem exigit durationem: ergo ſi Angelus exigit durationem infinitam, erit perfectionis infinitæ; atqui ex conceſſis non eſt perfectionis infinitæ: ergo non debetur ei duratio infinita: ergo non debetur ei immortalitas.

Reſpondemus ad I. triplex eſſe mortalitatis, & immortalitatis genus. Unum, quo res ab uno ſtatu ad alium mutatur; alterum, quo res non a ſe, ſed ab altero habet, ut mori non poſſit; tertium, quo res a ſe habet, ut non poſſit nec ex ſe, nec per alium deficere. Secundum primum genus Auguſtinus ep. 28. animam hominis modo mortalem, modo immortalem dicit: *Anima hominis immortalis eſt ſecundum quendam modum ſuum, non enim omnimodo ſicut Deus, de quo dictum eſt; quia ſolus habet immortalitatem: Nam de animæ mortibus ſacra Scriptura multa commemorat; quale eſt illud: Sinite mortuos ſepelire mortuos.* Et

Et in lib. 2. de Trin. c. 9. *Ipſa mutabilitas non inconvenienter mortalis dicitur, ſecundum quam & anima dicitur mori; non quia in corpus, vel in aliam aliquam ſubſtantiam mutatur, & vertitur; ſed in ipſa ſua ſubſtantia quicquid alio modo nunc eſt, aut fuit, ſecundum id, quod deſtitit eſſe, vel quod erat, mortale deprehendatur.* Juxta ſecundum modum etiam Angeli dicuntur a Patribus modo immortales, modo mortales; ex ſe enim immortales ſunt, ſed quia poſſunt a Deo annihilari, dicuntur aliquando mortales. Secundum tertium modum ſolus Deus eſt immortalis; & ſic verba Apoſtoli intelliguntur.

Ad II. dicitur, quod Patres vocant Angelos immortales non natura, ſed gratia, quatenus dicere intendunt, immortalitatem non eſſe illis debitam natura, ſed gratia; & nomine gratiæ intelligunt creationis donum, non autem intelligunt donum ſupernaturale. Intelliguntur ergo, quod Angeli immortalitatis donum non habuerint a se, ſed a Deo; & dicunt donum, quia creaturæ nondum exiſtenti non debebatur. Non eſt vere gratia, ſupernaturalis ſcilicet, quia eam tam Angelis, quam Dæmonibus, communem faciunt. Audiatur Hieronymus in Comment. Epiſt. Pauli ad Titum, per cujus verba Patrum allata teſtimonia explicantur: *Et niſi fallar, quomodo ſolus habere dicitur immortalitatem, cum & Angelos, & multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem: Ita & ſolus dicitur verax; non quod & cæteri non immortales, & veritatis ſint amatores; ſed quod ille ſolus naturaliter ſit & immortalis, & verus; cæteri vero immortalitatem, & veritatem ex largitionis illius dona conſequantur.*

Ad III. Hæc duo ſunt diſtinguenda, Angelum ſcilicet eſſe immortalem, & incorruptibilem per naturam, & non eſſe talem ex natura. Primum ſonat, quod ſit talis ab intrinſeco, & non ab extrinſeco; ſecundum importat, quod ſit talis non a ſe, ſed ab alio. Et quum poſſint æque ſtare, Angelum eſſe immortalem ab intrinſeco, & non ab extrinſeco, & non eſſe immortalem a se, ſed ab alio; hinc poſſunt quoque convenire, eſſe talem per naturam, & non eſſe talem ex natura. Si immortalitas Angeli eſſet tantum ab extrinſeco, in tantum eſſet, in quantum ejus corruptio ſemper impediretur a cauſſa extrinſeca; ſed non eſt talis; quia ex ſuis intrinſecis impeditur, quum ſit ſimplex, quum ſit ſpiritus &c. Eſſe autem tale ex intrinſecis eſt idem ac eſſe tale per naturam; non autem ex natura, quia hoc non a ſemetipſo habet, ſed a Deo.

Ad IV. dicimus, quod ad ſalvandam in Angelo rationem finiti, & rationem creati, ſufficit, quod poſſit annihilari a Deo, qui ipſum creavit, & non ab alio. Non poteſt autem corrumpi, quia hoc repugnat ſuis intrinſecis, quum non ſit genitus, non ſit compoſitus, ſed ſit creatus, & ſimplex, & purus ſpiritus.

Ad V. dicit P. Palanco, quod in caſu propoſito Angelus melioraretur, non corrumperetur, quia ſubſiſteret per perſonam, quæ eminenter contineret ſuam propriam perſonalitatem. Unde Perſona divina non corrumperet Angelum in ratione perſonæ, ſed potius perficeret, & compleret.

Ad VI. quod Adverſarius nullam facit diſtinctionem inter annihilationem, & corruptionem. Angelus non poteſt corrumpi, poteſt autem annihilari a Deo. En quomodo non debetur ei duratio infinita, excludens omne genus, quod ſit contrarium durationi. Ulterius, etſi habeat durationem infinitam, hoc eſt æternitatem a parte poſt, illam non a se ipſo habet, ſed a Deo; unde non per hoc in illo derivatur aliquod, quod ipſum Deo ſimilem reddat. Ex his facilis eſt ad argumentum reſponſio in forma.

DISSERTATIO CXXXVI.

De multitudine, & diſtinctione Angelorum. Errores proſcribuntur, Opiniones referuntur, quæ veroſimilior eſt ſententia defenditur.

NIHIL certi habemus, nec de Angelorum multitudine, nec de eorundem diſtinctione, ſive Scripturas, ſive Concilia, ſive Patres ipſos, conſulamus. Theologi tantum de ſchola hanc ſibi provinciam attribuerunt, ut congruentiis quibuſdam, ex ſacris paginis deſumptis, immo etiam rationibus, quas theologicas appellant, de utraque dicerent aliqua, probabiliter quidem, opinando, ac diſputando. Nos horum ſequentes exemplum, primo loco de multitudine Angelorum pauca differimus, poſteriori vero de eorundem diſtinctione latius diſputabimus. Interim ad opiniones recitandas accedimus.

Prima opinio eſt nonnullorum, qui putarunt, Angelos eſſe numero infinitos. Hos nomine ſuppreſſo refert Fraſſen; eoſque ex Guillelmo Pariſienſi par. 2. ſecundæ partis dè Univerſo c. 17. invicte etiam refutat.

Secunda opinio eſt dicentium, Angelos eſſe plures numero, quam ſint omnes corporeæ creaturæ, ſive in ſpecie, ſive in individuo, conſiderentur. Hi pariter citantur a Fraſſen, ſed etiam abſque nomine.

Tertia eſt opinio exiſtimantium, Angelos ſic ad homines haberi, ut ex parabola evangelica centum ovium habentur nonaginta novem, quibus Angeli ſignificantur, ad unam, qua homines intelliguntur. Vel aliorum putantium, Angelos haberi ad homines, ut ex alia parabola pariter evangelica decem drachmatum, novem habentur ad unam, per novem accipiendo Angelos, per unam vero homines, interpretando. Auctor Quæſtionum ad Antiochum, qui non eſt Athanaſius, quanvis opus hoc inter Athanaſii opera contineatur, opinionis hujuſce meminit, illius autem propugnatores non nominat.

Quarta opinio eſt aliorum, qui volunt, Angelos, & homines, æquali numero eſſe. Hæc etiam opinio refertur a Fraſſen abſque Auctorum nomine. Cacheranus quoque meminit; aſſeritque, illam defendiſſe nonnullos, quos refert Auctor, quem Athanaſium, ſed immerito vocat, quæſtionum ad Antiochum, quas modo indicavimus q. 2.

Quinta opinio eſt aliorum, qui credunt, majorem eſſe numerum hominum, quam Angelorum. Ex Bubalo q. 50. ar. 3. quæſit. unic. difficult. 3. refert ſimiliter Cacheranus.

Sexta opinio eſt illorum, qui aſſerunt, homines prædeſtinatos ad gloriam tot eſſe, quot fuerunt Angeli damnati ad pœnam; unde numerum Angelorum longe majorem hominum numero credunt, quia major eſt abſque dubio numerus Angelorum, qui perſtiterunt in gratia, numero hominum, qui ad gehennam damnantur. Hi quoque a Fraſſen referuntur, ſed abſque nomine.

Ex his opinionibus prima recenſenda potius eſt inter errores; adeoque adnumeratur uti primus error in hac re, qui proſcribendus omnino eſt. Loquitur pariter de hoc errore Cacheranus, eum ſuperaddens aliis, quos antecedenter retulerat, & nos modo ſubnectimus.

Secundus error eſt illorum Hæreticorum, quorum idem Cacheranus teſtatur meminiſſe S. Thomam in II. diſt. 3. q. 1. ar. 3. in corp. Hi quidem ponebant unum tantum Angelum, qui diverſa habeat nomina, prout diverſi ſunt actus, quos exercet.

Tertius error eſt antiquorum Philoſophorum, qui admittebant tot ſolum Angelos, quot ſunt Cœli, quos movere pro munere habebant. Unde Ariſtoteles 12. metaph. tex. 48. quum poneret quadraginta ſeptem orbes, ſeu cœlos, totidem quoque intelligentias, ſeu Angelos poſuiſſe dicendus eſt. Quanvis alio in loco, nimirum 1. de cœlo c. 9. majorem numerum intelligentiarum adſtruere conetur.

Quartus error eſt Rabb. Moiſis, qui modo ſcribit, Angelos non eſſe in numero determinato, ſed tot eſſe, quot ſunt in Scripturis virtutes, ſive corporales, ſive

ſpirituales, quibus Deus utitur tanquam ſuæ voluntatis nuntios, per quos ordinem ſuæ providentiæ explet: Modo vero aſſerit, tot determinate Angelos eſſe, quot ſunt cœlorum orbes, ad quorum motum, juxta antiquorum Philoſophorum, & præcipue Ariſtotelis, placitum, ſunt deputati.

Dicimus I. Angelos multos eſſe, ſed non infinitos. Et hoc fidei certitudine firmiſsimum contra relatos errores habemus.

I. Probatur ex Scripturis. Job. 25. *Nunquid eſt numerus Militum ejus?* Daniel. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Matth. 26. *Exhibebit mihi modo pluſquam duodecim Legiones Angelorum.* Ad Hebræos 12. *Acceſſiſtis ad multorum millium Angelorum frequentiam.* Apocal. 5. *Audivi vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium.* His quidem, aliiſque Scripturarum oraculis, oſtenditur, maximum eſſe Angelorum numerum, ſed non eſſe infinitum. Quum enim Angeli numerentur, hoc ſufficit ad probandum infinitos non eſſe; infinitum nanque comprehendi numero non poteſt. Quod vero numerus ad millia, & ad centena millia, extendatur, hoc non probat, infinitos eſſe, ſed in maximo quidem numero, quod nos æque aſſerimus, quando negamus infinitos eſſe.

II. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 2. c. 6. *Multi ſunt, & innumerabiles circa Factorem Angeli, quemadmodum omnes confitentur Prophetæ, dena millia denum millium aſſiſtere ei, & multa millia millium miniſtrare ei.* Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 15. *Cogita primum, quantum ſit Romanorum genus; cogita, quot gentes Barbarorum nunc viventes, & quot ante centum annos mortui; cogita, quot ante mille annos ſepulti ſunt; cogita eos, qui fuerunt ab Adam uſque ad hodiernum diem: magna quidem hæc multitudo, ſed hæc tamen parva eſt. Plures enim Angeli. Nonaginta novem oves ſunt illæ, tu vero centeſima.* Theodoretus in epit. divin. decret. c. de Angelis: *Angelos enim non duos ab initio ſolos, quemadmodum homines, fabricatus eſt; ſed quotquot voluit, produxit myriadas.* Et de curatione græc. affection. lib. 3. de Diis, & Angelis: *Naturam Spirituum, qui videri non poſſunt, nequaquam ex duobus conſtituit, ſed univerſa ſimul, ſemelque creavit. Quot enim millia eorum Spirituum ab initio eſſe ſanxit, tot repente ſimul produxit.* Hieronymus ad c. 7. Danielis: *Millia millium aſſiſtebant ei;* inquit: *Non quod iſte Miniſtrorum Dei numerus definitus ſit, ſed quod majorem multitudinem humanus ſermo explicare nequiverit. Iſta ſunt millia, & iſtæ myriades, de quibus in Pſalmis legimus: Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium Dominus in eis: Et alio in loco: Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem.* S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. de ſum. bon. c. 12. *Bonorum Angelorum numerus, qui poſt ruinam malorum Angelorum eſt diminutus, ex numero electorum hominum ſupplebitur, qui numerus ſoli Deo cognitus eſt.*

III. Probatur Rationibus. I. Angeli ſunt creaturæ cæteris perfectiores: ergo eſſe debent in magno numero. Probatur conſequentia; Antecedens enim non negatur; a S. Thoma 1. p. q. 50. ar. 3. in corp. *Cum perfectio univerſi ſit illud, quod præcipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua ſunt magis perfecta, tanto in majori exceſſu ſunt creata a Deo; ſicut autem in corporibus attenditur exceſſus ſecundum magnitudinem, ita in rebus incorporeis poteſt attendi exceſſus ſecundum multitudinem.* II. Quo major eſt Princeps, eo amplior eſt Aulicorum numerus; ſed Deus eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium: ergo ampliſsimus Angelorum, qui ſunt Aulici ejus, numerus eſſe debet. Major eſt Proverb. 14. *In multitudine populi dignitas Regis.* III. Angeli ſemel fuerunt a Deo creati, non autem in dies creantur; ergo non poſſunt nec per generationem, nec per ulteriorem creationem, juxta præſentem providentiam, multiplicari; ergo in tanta multitudine fuerunt a Deo creati, ut ulteriori multiplicatione non egeant; ſed hoc eſſe non potuit, niſi fuerint a Deo in magno numero creati: ergo &c. IV. Omnia creavit Deus in numero, pondere, & menſura: ergo pariter Angelos; ſed creare in numero, pondere, & menſura, eſt creare in numero finito, in pondere finito, in menſura finita: ergo Angelos in numero finito creavit. V. Probatur a Guillelmo Pariſienſi apud Fraſſen multis rationibus, quibus intendit, non poſſe eſſe numerum, & eſſe infinitum; at multitudo Angelorum dicitur numerus: ergo non poteſt eſſe infinitus: ergo finitus.

Arguunt I. Illarum rerum, quorum non eſt numerus, multitudo eſt infinita; ſed Angelorum non eſt numerus: ergo multitudo Angelorum eſt infinita. Probatur minor ex illo Job. 25. *Nunquid eſt numerus militum ejus?* Ex his verbis nos probavimus multitudinem Angelorum; Adverſarii

rii probare intendunt infinitatem. II. ex Chryſoſt.homil.2. de Incompr. *Dena ſunt millia myriadum Angelorum ſupra, & decies centena millia Archangelorum: Item Throni, & Dominationes, & Principatus, & Poteſtates, & infiniti populi corpore carentium Virtutum, ac gentes innumerabiles; & tamen has omnes virtutes tanta facilitate condidit, quantam ſermo nullus aſſequi poteſt*: ergo per Chryſoſtomum Angeli ſunt infiniti, & innumerabiles. IV. Si argumentum S. Thomæ valeret, probaretur illo, divinas Perſonas eſſe innumerabiles; quia ſunt perfectiſſimæ; & quia res quo ſunt perfectiores, eo debent in majori numero eſſe: ergo perſonæ divinæ, quia ſunt perfectiſſimæ, debent eſſe numero infinitæ. Eſt argumentum Durandi in II. diſt. 3.q.4.n.8.IV. In creatis materialibus videmus, creaturas minus perfectas eſſe in majori numero, perfectiores vero in minori; ergo pariter in Angelis. Probatur Antecedens. Unus eſt Sol, & ſtellæ plures; plures ſunt formicæ, quam homines; plures paſſeres, quam aquilæ; plures mures, quam elephantes &c. V. Numerus finitus Angelorum, vel eſt limitatus ex parte creantis, vel ex parte creatorum, vel ex utraque parte: Non creantis; quia hujus potentia eſt infinita, & hujus voluntas eſt ſine limite: Non creatorum; quia ipſi non reſpuunt ſocios, nec ſe invicem impediunt: igitur ex neutra parte eſt finitus: ergo infinitus. VI. Angeli non in ea ſunt ſubſtantia, ut unus poſſit alterum impedire; non in eo ſunt loco, ut infiniti numeri illorum non ſit capax; non in eo ſunt munere, ut ipſo ſuperiores reputentur: Subſtantia eſt ſpiritualis, penetrabilis ad libitum &c. Locus eſt amplitudo cœlorum; munus eſt laudare Deum, qui infinite eſt laudabilis, & nunquam ſatis laudatur.

Reſpondemus ad I. quod verba illa Job intelliguntur reſpectu noſtri, non autem abſolute; quia etſi reſpectu noſtri non ſit determinatus numerus Angelorum, eſt determinatus tamen reſpectu Dei. Sic Gregorius magnus ad verba illa Job: *In cogitatione humanæ rationis ſupernorum Spirituum numerus non eſt; quia quanta ſit illa frequentia inviſibilis exercitus, neſcit*. Et lib. 27. moral.c. 9. idem Pontifex ſanctiſſimus, & doctiſſimus, verba Danielis cum verbis Job conferens, ſcribit: *Supernorum civium numerus infinitus eſt, & definitur eſt, & exprimitur; ut qui Deo numerabilis eſt, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur.*

Ad II. Verba Chryſoſtomi ſunt pari modo intelligenda; nimirum, quod ingens Angelorum numerus, qui a ſolo Deo determinate cognoſcitur, nobis infinitus apparet, quamvis in rei veritate ſit finitus, & determinatus.

Ad III. Angelicus Doctor non aſſignat illam pro ratione, ſed pro congruentia pro multitudine Angelorum; quam quidem multitudinem Angelorum ſupponit antecedenter probatam. Probet igitur Durandus prius ratione pro Perſonis Divinis multitudinem, quam probavit S. Thomas pro multitudine Angelorum, & poſtea congruentia illa pro multitudine Perſonarum Divinarum utatur, qua S. Doctor utitur pro multitudine Angelorum. Et quum illud facere non poſſit Durandus, illius reſponſio inutilis remanet.

Ad IV. S. Thomas loquitur de præcipuis univerſi partibus, non autem de ſingulis cujuſcunque ſpeciei individuis, multo minus de perſonis divinis. De præcipuis autem univerſi partibus ratio ejus ſubſiſtit; quia ex his conſurgit univerſi perfectio, quam Deus intendit. Ulterius tunc arguitur ex majori perfectione exceſſus in multitudine, quando non eſt exceſſus in magnitudine; quia ergo homo excedit formicas in magnitudine, aquila etiam paſſeres; non eſt neceſſe, ut inferamus ex majori perfectione in multitudine exceſſum. Sunt reſponſiones Cacherani.

Ad V. reſpondet Guillelmus Pariſienſis apud Fraſſen verbis hiſce, quæ etiam ad literam Fraſſen adducit „ provenire illud
„ non ex parte Creatoris, ſed creaturæ; &
„ quemadmodum non defuit Creatori vir-
„ tus, ſive potentia, ut mundum infinitum
„ creare poſſet, ſed mundo defuit potentia,
„ cujus defectu infinitus creari non potuit;
„ defuit enim ei receptibilitas infinitæ ma-
„ gnitudinis „. At nos aliter reſpondemus; dicendo nimirum, quod argumentum probat, Deum potuiſſe infinitos Angelos creare, quod non negamus; ut non probat de facto creaſſe, quod negamus.

Ad VI. dicitur, quod pari modo probat, Angelos potuiſſe a Deo creari in multitudine infinita; quod nos, admittentes in Philoſophicis poſſibilitatem infiniti categorematici, non inficias imus; quum præcipue eſſet multitudo infinita Angelorum infinitum in multitudine, quod a pluribus poſſibile admittitur.

Quanta autem ſit Angelorum multitudo, plures indagare non curant, illam divinæ cogni-

cognitioni remittentes; alii vero per congruentias diſcurrentes, vel dicunt, Angelos numero plures eſſe, quam ſint ſpecies corporeæ, & præſtantiorum ſpecierum individua, quamvis non videantur tot eſſe, quot ſunt individua ſpecierum corporearum minus nobilium; & hujus opinionis eſt Fraſſen. Vel aſſerunt abſolute, plures eſſe, quam ſint ſpecies rerum materialium, ut Cacheranus defendit. Conveniunt tamen & ille, & hic, in aſſerendo, quod Angeli ſint plures, quam homines quocunque tempore exiſtentes; homines ſcilicet, qui ſunt, qui fuerunt, & qui erunt. Cacheranus eam opinionem ex S. Thoma probat, Fraſſen ex Scoto; apud quos Legentes remittimus, ſi de his volunt inſtructiores, ac certiores, reddi.

Devenimus modo ad ſecundam Diſſertationis partem, ſcilicet de Angelorum diſtinctione. Pro certo hic ſupponimus, quæſtionem hanc ad fidem non pertinere; quod ſic probat Jueninus. Non eſt de fide quæſtio, circa quam nihil Eccleſia definivit unquam, & de qua cum dubio loquuntur Patres; ſic eſt illa, de qua loquimur: ergo ad fidem non pertinet. Ut minorem probet, adducit verba Auguſtini lib. ad Oroſium cont. Priſcill., & Origen. *Et eſſe itaque ſedes, dominationes, principatus, poteſtates, in cæleſtibus apparatibus, firmiſſime credo; & differre inter ſe aliquid, indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas Doctorem, quænam iſta ſint, & quid in ſe differant, neſcio, nec ſane ignorantia periclitari me puto.* Hoc ſuppoſito, Scholaſticorum opiniones de Angelorum diſtinctione afferimus.

Prima ſententia eſt illorum, qui docent, omnes Angelos differre ſpecie inter ſe, eſſeque impoſſibile, dari Angelos inter ſe ſolo numero diſtinctos. Hæc ſententia eſt S. Thomæ 1. p.q.50. ar.4. & in quæſt. de ſpiritualibus creaturis act. 8. Sequuntur eam omnes Thomiſtæ, ex exteris Eſtius, Sylvius, Bubalus, Lugus, & ex noſtris P. Palanco, P. Neri, aliique. Illud impoſſibile explicant; quod nimirum poſſit intelligi vel abſolute, & ſimpliciter, & ſic ſentit Cajetanus, qui alios citat; vel de potentia ordinaria; & ſic opinantur quidam, intelligendum eſſe S. Thomam opuſc. 16.

Secunda ſententia eſt aliorum, qui putant, Angelos differre ſolo numero, non autem ſpecie. Tribuitur hæc opinio S. Bonaventuræ, Alberto, Guillelmo Pariſienſi, aliiſque apud Molinam. Volunt quidam, opinionem hanc accedere errori Origenis, quem ex Platonicis accepit, putantis, non ſolum Angelos eſſe ejuſdem ſpeciei, verum quoque omnes animas eſſe ejuſdem ſpeciei cum Angelis. Hic idem error Tertulliano etiam imputatur a Bubalo q. 50. ar. 4. quæſito 1. diffic. 1. §. 1.

Tertia ſententia eſt plurimorum, qui ſentiunt, Angelos partim ſpecie, partim ſolo numero differre. Citantur pro hac ſententia Molina, Valentia, Arriaga, Averſa, Maſtrius, Fraſſen, Cacheranus, & quanvis loquatur de poſſibili, ejus tamen rationes probant etiam de facto. De Scoto dicunt plures, quod idem ſentit, ſed de poſſibili etiam, alii vero aſſerunt, cum intellexiſſe pariter de facto; quod quoque de S. Bonaventura propugnant.

Dicimus II. Angelos plures inter ſe ſpecie differre, alios vero differre etiam numero; unde non dari ſub qualiber ſpecie angelica unicum individuum.

I. Probatur ex Patribus. Athanaſius; vel quiſquis alius eſt Auctor Quæſtionum ad Antiochum q. 4. inquit. *Una, & eadem eſſentia Angelorum, ſicut etiam una eſt eſſentia hominum.* Intelligenda ſunt hæc verba de Angelis infimi ordinis, qui conſtituunt unam ſpeciem atomam, ſub qua continentur individua, quæ proprie vocantur Angeli; quanvis Angelorum nomen ex communi loquendi uſu toti multitudini Angelorum convenire experiamur. Baſilius lib. 3. cont. Eunomium: *Angeli omnes ut appellationis unius, ſic ejuſdem etiam ſunt naturæ inter ſe.* Anſelmus lib. 2. cur Deus homo c. 21. *Omnes Angeli ſunt unius naturæ.* Quorum verba, vel intelliguntur, ut diximus de verbis antecedentibus; vel ſaltem probant, Angelos differre numero, ſi non differunt ſpecie. Clarius loquitur Damaſcenus lib. 1. inſtit. c. 7. *Eas, quæ ſola individua continent, ſpecies infimas vocari, cujuſmodi ſunt Angelus, homo, equus.*

II. Probatur Rationibus. Non eſt neceſſitas diverſificandi Angelos omnes inter ſe ſpecie: ergo Angeli omnes inter ſe ſpecie non diverſificantur. Conſequentia ſequitur; quia ſicut non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ita nec pariter ſine neceſſitate ſunt diverſificanda; & ratio eſt, quia diverſitas major eſt quædam major multiplicatio, ſi non ad numerum rerum, quæ ſint realiter diſtinctæ, ſaltem ad numerum prædicatorum, quæ iiſdem rebus conveniunt. Ut enim ait Cacheranus, duæ entitates ſpecie diverſæ continent plura prædicata, quam duæ entita-

tes

res ſolo numero diverſæ; ut patet in Petro, & Bucefalo, qui continent plura prædicata, quam Petrus, & Paulus; unde Petrus, & Bucefalus habent prædicata omnia, quæ habent Petrus, & Paulus, & continent inſuper hinnitivitatem, quam Petrus, & Paulus non continent. Sic pariter, ſubdit citatus Auctor, duo Angeli diverſi ſpecie plura prædicata habent, quam duo Angeli ſolo numero diverſi: Unde non eſt admittenda in Angelis hæc major diverſificatio abſque neceſſitate. Probatur modo antecedens. Si quæ eſſet neceſſitas, ab Adverſariis eſſet afferenda; ſed Adverſarii nullam adducunt, quæ faciat ſatis: ergo &c. Minor in objectionibus, quas afferent Adverſarii, & in reſponſionibus, quas dabimus illis, examinabitur.

III. Probatur. Ex Auguſtino in Enchiridio c.28. Ideo Deus reparavit naturam humanam, non Angelicam, quia natura humana periit tota, non ſic autem angelica; atqui non eſſet rationabilis hæc totalitas, & partialitas, niſi ponatur, quod nulla ſpecies angelica quoad omnia individua totaliter periit: ergo ſub qualibet ſpecie angelica dantur plura individua. Minor, quæ eſt Scoti in II. diſt. 3. q. 7. §. qui dicunt, probatur ſic: Si Angeli differrent ſolum ſpecie, tot ſpecies Angelorum periiſſent, quot Angeli perierunt: ergo ſpecies illæ, & quidem plurimæ, totaliter periiſſent; ſed hoc non eſt dicendum ex Auguſtino: ergo dicendum eſt, quod ex qualibet ſpecie plura individua remanſerunt, & aliqua perierunt: ergo jam datur in Angelis non ſolum ſpecifica, ſed etiam numerica diverſitas.

IV. Probatur a Scoto. Non implicat, quod ſpecies infima pluribus communicetur: ergo de facto in Angelis communicatur. Probatur antecedens. Si implicaret, vel implicantia proveniret ex perfectione, vel ex imperfectione ſpeciei infimæ; ſed ex neutra provenit: ergo non implicat. Probatur minor. Non provenit ex perfectione; quia aliter natura divina, quæ eſt perfectiſſima, non eſſet communicabilis. Non ex imperfectione; quia aliter ſpecies infimæ ſubſtantiæ corporeæ, quæ ſunt imperfectiores ſpeciebus infimis naturæ angelicæ, non eſſent communicabiles; quum tamen eas communicari pluribus videamus: ergo ſi nulli ſpeciei infimæ implicat pluribus communicari, neque angelicæ ſpeciei implicabit. Reſponſiones etiam Thomiſtarum ad hanc rationem afferentur in objectionibus.

V. Probatur ab eodem ibidem. Quælibet natura, quæ poteſt intelligi ut univerſalis ſine contradictione, eſt communicabilis; ſed omnis natura creata poteſt intelligi ut univerſalis abſque contradictione: ergo omnis natura creata eſt communicabilis; ſed natura angelica eſt natura creata: ergo eſt communicabilis. Major patet; quia naturæ divinæ repugnat ut ſit communicabilis, & plurificabilis nummero, quia eſt de ſe hæc, adeoque non poteſt ut univerſalis intelligi: ergo quia alia natura non eſt de ſe hæc, poteſt ut univerſalis intelligi, & ideo ei non repugnat, ut ſit communicabilis, & plurificabilis numero. Minor negari non poteſt; quia, ut diximus, quælibet natura creata non eſt de ſe hæc; & hoc patet, quia aliter non poſſet per potentiam Dei abſolutam neque ſpecie multiplicari.

VI. Probatur ab eodem ibidem: Deſtruat Deus per annihilationem Angelum unum; in hoc uno Angelo per Thomiſtas tota ejus ſpecies eſſet annihilata. Reproducat Deus eandem ſpeciem annihilatam; quod quidem poſſe Deum facere, Thomiſtæ non negabunt: Petimus; vel Deus reproduceret Angelum annihilatum, vel alium; Non Angelum annihilatum, quia hic in ſententia Thomiſtarum reproduci non poteſt. Docent enim Thomiſtæ, quod ſi anima deſtrueretur ſimul cum corpore, & poſtea reproduceretur anima, & cum corpore conjungeretur, non reſurgeret idem numero homo: ergo reproduceret Deus alium Angelum, non vero Angelum annihilatum: In hoc caſu hic alius Angelus cum Angelo deſtructo vel eſſet ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei; non diverſæ, quia eſt contra hypotheſim: ergo ejuſdem: ergo poſſibilia ſunt plura individua Angelorum ejuſdem ſpeciei angelicæ: ergo jam ſunt de facto; nihil enim implicat, quominus de facto ſint, quæ de poſſibili eſſe non repugnant.

VII. Ideo Thomiſtæ diſtinctionem numericam in Angelis non agnoſcunt, nec de facto, nec de poſſibili; immo etiam per abſolutam Dei potentiam; quia per ipſos principium individuationis eſt materia, & Angeli ſunt materia expertes; ſed hæc ratio per S.Thomam locum habet ſolummodo in materialibus, non vero in immaterialibus: ergo non obſtante illa Thomiſtarum hypotheſi Angeli numero differunt. Probatur minor. Angelicus Doctor in o; uſc.16.de unitate intellectus contra

Averroiſtas, quem citat Fraſſen, hæc ſcribit: *Sic ergo intellectus, ſi nuturaliter eſſet unus omnium, quia non haberet naturalem cauſam multiplicationis, poſſet tamen ſortiri multiplicitatem ex ſupernaturali cauſa, nec eſſet implicatio contradictionis. Quod non tantum dicimus propter propoſitum, ſed magis ne hac argumentandi forma ad alia extendatur: Sic enim poſſent concludere, quod Deus non poteſt facere, quod mortui reſurgant, & quod cæci ad viſum reparentur.* Nec dicat Gonetus, quod S.Thomas non loquitur de Angelis, ſed tantum de intellectuali natura, quam aſſerit non implicare, ut multiplicetur etiam ut intellectualis, dummodo ad materiam ordinem dicat; Angeli autem nec materiales ſunt, nec ordinem ad materiam dicunt. Etenim Gonetus aperte loquitur contra mentem, & contra verba Angelici; quia S.Doctor docet abſolute; ſi intellectualis ſubſtantia non haberet naturalem cauſſam multiplicationis, poſſet ſortiri multiplicationem per cauſſam ſupernaturalem; & hoc abſque eo, quod dicat ordinem ad materiam, de qua nec verbum facit, ut legentibus innoteſcit; ſic Goneto occurrit Fraſſen.

VIII. Probatur. Angeli differunt ratione hypoſtaſis, non naturæ; ergo differunt numero, & non ſpecie; ſaltem aliqui, quanvis non omnes, ut diximus. Probatur antecedens. Maximus martir in c. 5. libri de cœleſti hierarchia, cujus auctor circumfertur ſub nomine S.Dionyſii Areopagitæ, docet, *ouſiam*, per quam Dionyſius, ſive alius, docuit, Angelos differre, non eſſe ſubſtantiam, ſed hypoſtaſim tantum. Item Cyrillus Alexandrinus lib.2. in Joan. *Angelus ab altero Angelo nulla re differt ſecundum id, quod ſunt Angeli; nempe pro eo, quod cum ſint ejuſdem omnes ſpeciei, in unam naturam colliguntur.* Item Damaſcenus in lib. de duab. volunt. *Angeli, & homines ſuam quique diviſam, & diſtinctam habent hypoſtaſim, etſi ejuſdem naturæ ſint:* ergo jam Angeli differunt ratione hypoſtaſis, & non naturæ; atqui hi ſolum ſunt Angeli infimæ ſpeciei, qui numero differunt, & vocantur Angeli; ergo hi etiam ab Archangelis ſpecie differunt; & per conſequens dicendum eſt, Angelos aliquos differre ſpecie, aliquos numero; nempe Angelos unius ſpeciei differre ſpecie ab Angelis alterius ſpeciei; & Angelos ejuſdem ſpeciei numero tantum inter ſe differre.

IX. Probatur auctoritate, & ratione S. Bonaventuræ, in diſt.3. p.par. diſtinctionis art.2. q. 1. quam ſub iiſdem verbis affert Fraſſen, & nos cum ipſo: *Quidam dixerunt, quod in Angelis eſt diſcretio perſonalis, ſed nunquam pure, imo ſunt tot ſpecies, quot individua, ſimiliter dicunt in luminaribus. Sed licet hoc probabilitatem habeat in corporibus cœleſtibus, non tamen videtur rationabile in ſpiritibus, ut nullus communicet cum alio in natura ſpirituali, & ſpecifica. Sicut enim innoteſcit per Scripturam, multi Angeli ad idem officium ordinantur, & communem videntur habere operationem eandem: Non autem per Scripturam, nec per dicta Sanctorum, nec per officia, innoteſcit tanta diverſitas. Ideo non videtur, niſi præſumptio hoc dicere, maxime cum non appareat in promptu alia ratio cogens. Alia eſt poſitio ſobria, & catholica, quæ in Angelis diſtinctionem ponit quantum ad perſonalitatem tantummodo aut in omnibus, aut in aliquibus.*

X. Probatur facto, quod narrat Fraſſen; anno ſcilicet 1325. a ſacra facultate Pariſienſi, Stephano Epiſcopo agente, hos ſequentes articulos fuiſſe proſcriptos, atque damnatos. *I. Quia Intelligentiæ non habent materiam, Deus non poteſt facere plures ejuſdem ſpeciei. II. Deus non poteſt multiplicare individua ſub una ſpecie ſine materia. III. Formæ non recipiunt diviſionem, niſi ſecundum materiam.* Non per hoc tamen, ne quidem in minimo, derogatum volumus ſententiæ Thomiſtarum, quam abſque fidei diſcrimine quiſque amplecti, ac defendere tuto poteſt. Pro noſtra vero ſubdimus, quod etſi plene, & evidenter non percipiatur, quomodo illi duo Angeli intra eandem ſpeciem diſtinguerentur, non per hoc dicendum eſt, non diſtingui, ſi alias vel rationes, vel conjecturæ, vel auctoritates, vere diſtingui ſuadeant. Plura enim Deus poteſt facere, quam nos cognoſcere; & de pluribus certitudinem circa illorum ſubſtantiam habemus, ſed circa modum evidentiam non habemus.

Arguunt Adverſarii I. Ideo multiplicantur individua aliarum rerum materialium, ut conſerventur ſpecies ipſarum; ſed in rebus incorruptibilibus, quales ſunt Angeli, non eſt hæc neceſſitas: ergo Angeli non multiplicantur numero. Major eſt Ariſtotelis 2. de anima tex.35., qui etiam experientia oſtendit, res incorruptibiles in unico individuo conſervari. II. Angelis tribui debet ordo perfectior; ſed perfectior eſt ordo ſpecificus, quam numericus, quia numericus ordo eſt per accidens,

dens, & minus perfectus: ergo Angelis tribuendus eſt ordo ſpecificus, & non numericus. III. Bonitas Dei magis communicatur, & Sapientia Dei magis explicatur, in majori diverſitate, & varietate ſpecierum in Angelis: ergo hæc major diverſitas, & varietas ſpecierum eſt Angelis tribuenda. IV. Differentia individualis eſt differentia materialis, & materialiter differunt, quæ individualiter differunt: ergo quia Angeli materiales non ſunt, nec poſſunt individualiter differre. V. Auctoritates Patrum intelligendæ ſunt de eſſentia ſumpta incomplete, ſcilicet pro genere tantum; non vero complete, hoc eſt pro genere, & differentia ſimul: ergo non ſunt aptæ ad noſtram ſententiam probandam. VI. Omnis differentia petitur vel a materia, vel a forma; a forma ſpecifica differentia, a materia vero numerica; ſed Angeli materiam non habent: ergo non habent differentiam illam, quæ ſumitur a materia: ergo habent illam, quæ habetur a forma; ſed hæc eſt ſpecifica: ergo, &c. VII. Supponantur duo Angeli ejuſdem ſpeciei, & diverſi tantum numero; petunt Adverſarii, hæc diverſitas unde haberetur? Non a forma, quæ eſt eadem; non a diverſa participatione formæ facta a materia, unde ſumitur differentia individualis, quia non ſupponitur materia: ergo non eſſet caput, a quo in Angelis ſumeretur differentia numerica. VIII. Omnis forma, quæ ſit a materia ſeparata, habet totam perfectionem ſuæ ſpeciei: ergo quia Angelus eſt forma ſeparata a materia, habet totam perfectionem, quæ ſuæ ſpeciei ſit debita: ergo non poſſunt eſſe plures Angeli ſolo numero diſtincti in eadem ſpecie. Antecedens probatur. Non participat ſuam perfectionem a materia, quum ſit forma ſeparata a materia: ergo illam continet in ſeipſa; ſi continet in ſeipſa, nequit dari Angelus ejuſdem ſpeciei, quia aliter tota perfectio ſpeciei non eſſet in uno. IX. Si Angeli differrent numero deberent eſſe infiniti; ſed nequeunt infiniti eſſe: ergo &c. Probatur major. Pluralitas numerica in entibus perfectis, & a materia independentibus, non eſt a quo limitetur: ergo ſi eſt in Angelis, eſt illimitata: ergo infinita. Probatur antecedens. Non limitatur a materia: ergo non eſt a quo limitetur. X. Si principium individuationis fundatur in diſconvenientia in prædicatis non quidditativis, hæc non reperitur in Angelis: ergo Angeli non differunt numero. Probatur antecedens. Diſconvenientia illa ſolum convenit rebus materialibus: ergo non reperitur in Angelis. Probatur antecedens. Prædicata non quidditativa deſumuntur ut plurimum a productionis circumſtantiis, a tempore, a loco, a modo &c. ſed hæc prædicata conveniunt ſolum rebus materialibus: ergo diſconvenientia illa ſolum convenit rebus materialibus. Probatur minor. Res immateriales, utpote Angeli, conveniunt in productione, & in productionis circumſtantiis, in modo exiſtendi in loco, in creationis, & durationis tempore, in modo eſſendi, & operandi: ergo prædicata, quæ ab his deſumuntur, non conveniunt rebus immaterialibus: ergo rebus materialibus tantum competunt.

Reſpondemus ad I. Eſſe unam ex cauſſis multiplicationem individuorum conſervationis ſpeciei, at non eſſe unicam. Ad experientiam rerum incorruptibilium dicitur, quod in aliquorum ſententia aliqua aſtra ſunt incorruptibilia, & tamen ſunt ejuſdem ſpeciei; item aliqui orbes cœleſtes ſunt incorruptibiles, & nihilominus ſolo numero differunt. Ulterius aliqua etiam corruptibilia, vel ſaltem materialia, conſervantur in uno, abſque multiplicatione, ut videmus in ſole. Et hoc quidem, vel quia alia individua non pertinent, nec faciunt ad perfectionem univerſi, vel ſunt neceſſaria ad finem, ad quem Deus illud unum individuum produxit.

Ad II. Perfectio Angelorum conſiderari poteſt dupliciter, vel abſolute, & ſecundum ſe, vel comparative, & in ordine ad totum univerſum. Primo modo tranſeat, quod ordo ſpecificus conveniat magis perfectioni Angelorum; ſecundo modo nequaquam. Ratio eſt, quia bonum univerſi non tantum exigit ordinem majoris perfectionis, ſed etiam varietatis perfectionis; unde exigit modum perfectionis ſubſtantialis, & accidentalis, quanvis perfectio accidentalis minor ſit ſubſtantiali. Sic Angeli ad rationem perfectionis majoris abſolute, & ſecundum ſe, exigunt perfectionem multarum ſpecierum; ad rationem vero perfectionis comparative, & in ordine ad totum univerſum, exigunt perfectionem multorum individuorum.

Ad III. dicimus primo per inſtantiam, quod magis communicatur divina bonitas, & explicatur divina ſapientia, per infinitas naturas, quam per finitas: ergo admittendæ erunt infinitæ naturæ? Nequaquam. Secundo ſubdimus, quod ad majorem com-

communicationem bonitatis Dei, & ad majorem explicationem ſapientiæ Dei, non facit major, vel minor perfectio objectorum; ſed ſufficit, quod Deus operetur quicquid operatur bonitate ſumma, ac ſumma ſapientia. Denique hæc major communicatio, & hæc major explicatio, non ſolum eſt attendenda ſecundum quid, & comparative ad perfectionem cujuslibet Angeli ſecundum ſe, ſed etiam ſimpliciter, & comparative ad bonum vel totius univerſi, vel Reipublicæ Angelorum; ut Cacheranus inquit.

Ad IV. Fit æquivocatio invoce illa *materiali*. Materiale enim vel ſumitur prout ſpirituali opponitur, vel prout ab eſſentiali, & a quidditativo diſtinguitur. In antecedente argumenti accipitur materiale hoc ſecundo modo; in conſequenti vero ſumitur primo modo. Unde facta convenienti diſtinctione terminorum, argumentum nihil concludit. Et re vera differentia individualis dicitur materialis, quatenus differentia individualis non eſt eſſentialis, & quidditativa, ſed eſt accidentalis, & provenit ab aliquo, quod non eſt materia, ſed imitatur materiam; ut eſt ſcilicet genus reſpectu differentiæ &c. Magna autem eſt diſtantia inter hoc materiale, & materiale alterum, quod ſpirituali opponitur.

Ad V. dicitur, quod argumento illo non ad rem, ipſorum pace, Adverſarii loquuntur. Et quidem primo Patres loquuntur de natura prout opponitur hypoſtaſi, ſeu perſonæ: ergo loquuntur proprie de ſpecie, quæ ſola opponitur hypoſtaſi, & individuo. Secundo dicunt Patres, differre Angelos uti differunt homines, & eſſe ejuſdem ſpeciei, ut ſunt homines: ergo de ſpecie, non de genere, & loquuntur de individuis, quæ ſub tali ſpecie continentur. Tertio aſſerunt Patres, Angelos diſtingui penes dignitatem: ergo per accidentalia; per accidentalia autem individua diſtinguuntur: ergo volunt, Angelos numerice diſtingui. Quarto magis proprium eſt, quod quando dicitur, talia eſſe ejuſdem naturæ, intelligantur de natura ſpecifica, quam de generica; ſicut quando dicimus, equus, & homo ſunt ejuſdem naturæ, poſſet juxta Adverſariorum argumentum ſuſtineri propoſitio, quia vere ſunt ejuſdem naturæ genericæ; at in rigore logico non ſuſtinetur, quia non ſunt ejuſdem naturæ ſpecificæ.

Ad VI. Omnis differentia ſpecifica petitur a forma, omnis differentia numerica a materia. Quando dicitur, quod Angeli materiam non habent, intelligendum eſt dictum de materia prout opponitur ſpiritui; non vero de materia prout diſtinguitur ab eſſentia, ut dictum eſt. Unde differentia materialis eſt accidentalis, qualis eſſe debet numerica, & individualis.

Ad VII. Limitatio, ac finitus & inadæquatus modus habendi formam non petitur tantum ex materia, ſed ex Dei voluntate, quæ non communicat ſingulis individuis ejuſdem ſpeciei unum, & adæquatum modum habendi formam. Deſumitur etiam ex propria ecceitate cujuslibet rei particularis, quæ conſiſtit in prædicatis numericis, quæ ipſam in individuo conſtituunt. Quod videmus quoque non ſolum in duobus Angelis, ſed in duabus etiam animabus rationalibus ſeparatis, quando ſupponantur deſtructa corpora, quibus uniebantur. Iſtæ quidem animæ numero diſtinguuntur, quia limitato, & inadæquato modo participant ſpeciem humanam; & tamen hic limitatus, & inadæquatus modus non habetur a corporibus, quæ ſupponuntur deſtructa. Nec dicant Adverſarii, quod remanet ordo, quem dicebant ad corpora; tum quia potuerunt creari ſine ordine ad corpora, ut ait Jueninus; tum etiam quia ordo ad corpus, quando corpus non eſt, non poteſt limitare naturam; nemo enim operatur, quando non eſt.

Ad VIII. dupliciter reſpondet Scotus apud Fraſſen. Primo, quod non ſequitur præciſe, aliquid habere totam perfectionem ſuæ ſpeciei ex hoc, quod careat materia; quia quum natura illa ſit multiplicabilis in infinitum, ſi unum individuum haberet totam perfectionem ſuæ ſpeciei, haberet perfectionem infinitam, ſaltem in extenſione. Secundo diſtinguit propoſitionem, quæ eſt probatio antecedentis: Deberet habere rationem materiæ phyſicæ, negat; materiæ metaphyſicæ, ſcilicet naturæ ſpecificæ, quæ dicit ordinem ad formam metaphyſicam, hoc eſt ad differentiam individualem, quæ ipſam contrahit, & determinat ad eſſe individui, concedit.

Ad IX. pariter reſpondet Scotus dicendo; quod pluralitas numerica poteſt eſſe infinita, ſed non eſt infinita, nec debet neceſſario eſſe infinita. Limitatur autem in ſubſtantiis ſpiritualibus non a materia, cujus ſunt expertes, ſed a voluntate Dei, determinantis tot individua, & non plura. Et hoc pariter debent dicere Adver-

ſarii;

ſarii; ſi enim quæratur ab ipſis; a quo limitetur materia, quæ per ipſos limitat pluralitatem? A Deo, reſpondebunt, determinante materiam; ita & pariter dicimus nos, a Deo limitari numerum individuorum, abſque ſuperfluo recurſu ad materiam.

Ad X. Cacheranus reſpondet, quod quanvis in rebus ſpiritualibus non ſic eluceat diſconvenientia in prædicatis non quidditativis, ut elucet in rebus materialibus; non deſunt tamen aliqua diſconvenientiarum capita, quæ nos inducunt ad cognoſcendum differentiam numericam inter illas. Et ſunt; Raphael poteſt eſſe ſine Gabriele; at ſine Raphaele non poteſt eſſe Raphael; Michael poteſt habere hanc ſpeciem infuſam, quam non habet Gabriel; Gabriel miſſus eſt ad Mariam Virginem, ad quam non eſt miſſus Raphael; Raphael comitatus eſt Tobiam, quem non eſt comitatus Michael. Inſuper duo Angeli poſſunt eſſe in diverſis locis, cuſtodiunt diverſas animas, reſpiciunt diverſos fines, quanvis omnes laudabiles, & bonos; ut dicitur in Scriptura de Angelo, ſeu Principe Perſarum, qui reſiſtebat Angelo Populi Judaici, ne e captivitate exirent Judæi; hic, ne contaminarentur Judæi, ille ut converterentur Perſæ; Daniel. 10. 13.

DISSERTATIO CXXXVII.

De Hierarchiis, Ordinibus, & Nominibus Angelorum; Sectariorum inſaniæ confutantur; Theologorum ſententiæ ampleċtuntur.

HIERARCHIÆ vocabulum e duabus græcis vocibus derivatur, nimirum *hieros*, & *arcos*; quarum prima idem ſignificat ac *ſacrum*, ſecunda vero idem ac *principatus*. Sic communiter Scriptores cum S. Thóma 1. p. q. 108. ar. 1. in c. ſub principatus nomine continetur & princeps, & multitudo, quæ eſt ſub principe. Ex his inferunt Theologi, quod ſub una hierarchia ſunt omnes rationales creaturæ, quæ ſolæ ſacrorum ſunt capaces, & quæ dicunt ordinem ad Deum, tanquam ad unum Principem. In participatione deinde ſacrorum diſtinguuntur duæ multitudines, quarum una eſt terrena, & eccleſiaſtica, altera cœleſtis, & angelica; quæ diverſimode ad Deum ordinantur, & a Deo illuminantur. Prima vocatur hierarchia Eccleſiaſtica, de qua non eſt ſermo in præſenti. Altera dicitur hierarchia angelica, de qua nunc ſermonem inſtituimus. Hierarchia igitur eſt principatus, qui comprehendit multitudinem ordinatam; & quia multitudo ordinata exigit ordinum diverſitatem, inde eſt, quod ſub qualibet hierarchia diverſi ordines continentur. Plures proinde hierarchiæ ponuntur in Angelis, & ſub qualibet hierarchia plures ordines. Hierarchiæ ſunt tres, & ſub qualibet hierarchia tres ordines, qui conſtituunt novem ordines, ſeu choros Angelorum. Ratio hujus diviſionis eſt, quia in qualibet multitudine diſtinguere debemus principium, medium, & finem; unde proveniunt tres hierarchiæ Angelorum, prima ſcilicet, media, & infima. Sub qualibet deinde hierarchia tres ordines, quia, ut videbimus, non plures, quam novem ordines, ſeu chori Angelorum in Scripturis, & Patribus inveniuntur.

Primo ex Sectariis Calvinus in lib. inſtit. c. 14. §. 8. contra Angelorum hierarchias, & ordines, blaterat: *De multitudine Angelorum, & Ordinibus qui definire audent, viderint, quale habeant fundamentum.* Idem hæreſiarcha delirat, dicens Paulum Apoſtolum in epiſtola ad Epheſios, & in epiſtola ad Romanos, loqui quidem de Angelis, ſed non ut certos eorum deſignet ordines, at ut ipſorum præſtantiam deſignet: *quod Deus per ipſorum manum ſuam poteſtatem, virtutem, & dominationem exerceat*. Teſtantur Petavius, Eſtius, Coccius, Praſſen, aliique.

Secundo Theodorus Beza negat, in Epiſtola ad Epheſios Angelos nominari; ait enim: *Simpliciter Apoſtolus ſupra omnem omnium rerum creatarum præſtantiam Chriſtum evehit*. Hinc appellare non erubeſcit *inepte curioſos, qui ex hoc loco, & ſimilibus, occaſionem accipiunt garriendi de Angelorum ordinibus*. Sic in Scholiis ad c. 8. epiſt.

ad

ad Romanos . Pariter teſtantur Petavius, Fraſſen , aliique .

Tertio Eraſmus aſſeruit , Apoſtolum in illis locis non loqui de Angelis tantum , ſed de univerſis in genere ; ,, quaſi dicat , ait Petavius , Chriſtum evectum eſſe ſupra creata omnia quamlibet excelſa , & ſublimia ; qualia ſunt , quæ illis vocabulis exprimuntur ; imperium , auctoritas , poteſtas , dominatus , aut ſi qua ejuſmodi ſunt nomina , quæ hominum uſu , & opinione excellens aliquid continent . ,, Ulterius , ex Coccio habemus , eundem Eraſmum lib. , cui titulus : *Nova methodus in præcipuos Scripturæ locos.*, tit. de Angelis pag. 100. vocare ,, errorem, & Scholaſticorum figmentum , ſine Verbo Dei excogitatum , aſſere hierarchias , & prælaturas Angelorum , quæ in Angelos ſimpliciter , Archangelos , Thronos , Dominationes , virtutes , poteſtates , Cherubim , & Seraphim , dividantur. ,,

Quarto Centuriatores Magdeburgenſes cent. 3. 4. & 5. &c. c. 4. communem Patrum doctrinam de Angelorum ordinibus nugas vocant . Tradit Coccius.

Quinto Hermannus Hamelmannus de Traditionibus par. 3. lib. 1. hæc inſulſe habet. ,, Quemadmodum ex diverſitate nominum poſſunt diverſi Ordines Angelorum colligi ; ita ſubtilius , more Dionyſii , de illis inquirere , & gradus ſtatuere , non modo ſtultæ eſt curioſitatis , ſed temeritatis etiam impiæ , & periculoſæ. ,,

Dicimus I. tres eſſe hierarchias , & novem Angelorum ordines , ſub tribus hierarchiis contentos . Eſt communis Patrum , & Theologorum ſententia.

I. Probatur ex Scripturis . Geneſ. 3.24. *Collocavit Deus ante paradiſum voluptatis Cherubim* . Iſai. 6. 1. *Seraphim ſtabant ſuper illud* . Daniel. 10. 13. *Michael unus de principibus primis.* Ad Epheſ. 1. 20. *Supra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem , & dominationem.* Ad Coloſſ. 1. 16. *Sive throni , ſive dominationes , ſive poteſtates* . Ad Roman. 8. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita , neque Angeli , neque Principatus , neque virtutes &c.* Ad Theſſalonicenſ. 4. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli , & in tuba Dei deſcendet de cælo* . I. Petri 3. 22. *Profectus in cælum , ſubjectis ſibi Angelis , & poteſtatibus , & virtutibus* . Judæ verſ. 9. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore* . Omnes novem Ordines Angelorum , qui ſub tribus hierarchiis continentur , in relatis ſacræ paginæ verbis enumerantur . Nimirum Angeli , Archangeli , Principatus , ſub infima hierarchia ; Poteſtates , Virtutes , Dominationes , ſub hierarchia media; Throni, Cherubim , & Seraphim , ſub ſuprema hierarchia .

II. Probatur ex Patribus . Auctor libri de cœleſti hierarchia , ſub nomine S. Dionyſii Areopagitæ , c. 6. *Omnes ſimul cæleſtes, immortaleſque ſubſtantias in novem ordines divinus ſermo diſtinxit, propriiſque, ac ſignificantibus vocabulis appellavit. Has eximius Præceptor noſter in ternos tertio repetitas diſtinctiones ad ſanctæ Trinitatis diviſit imaginem . Ac primam quidem eſſe , ait , quæ coram Deo verſetur ſemper , idque ex divina dignatione ſuſceperit , ut illi inhæreat jugiter , nulliſque mediis interjectis ſpiritibus inferatur . Nam ſanctiſſimos Thronos , & oculis plurimis , aliſque præditos Ordines , Cherubim ſcilicet , & Seraphim , Hebræorum voce appellatos , juxta Deum , nullis mediis inſertis agminibus , eminenti propinquitate locatos , ait , idque ſanctarum Scripturarum tradere expoſitionem . Hanc igitur ternariam diſtinctionem, ut unam , & per omnia æqualem , primamque re vero hierarchiam , illuſtris Dux noſter , ac Magiſter eſſe , ait , qua non ſit præſtantior altera, primoribuſque Dei ſummi ſplendoribus majori propinquitate conjuncta . Secundam vero aſſerit , quæ Poteſtatibus , Dominationibus, Virtutibuſque conficitur . Tertiam item , quæ in cæleſtibus functionibus extremum teneat locum , ex Angelis , Archangelis , Principatibuſque conſtantem .* Ignatius martir epiſt. ad Trallianos , de cujus genuitate S. Hieronymus non dubitat : *Etenim & ego , non quatenus vinctus ſum , etiam cæleſtia intelligere poſſim , angelicos ordines Archangelorum , militiarumque cæleſtium diſcrimina , Virtutum , Dominationumque differentias , Thronorum , Poteſtatumque diverſitates , Principatuum magnificentias , Cherubim , Seraphimque excellentias , Spiritus ſublimitatem , & Domini regnum , & incomparabilem Dei Patris omnipotentis divinitatem . Hæc cum noverim , non continuo perfectus prorſus ſum , aut diſcipulus , qualis Paulus , qualis Petrus .* Irenæus lib. 2. c. 54. *Poſt deinde , etiamſi per ipſos ea , quæ ſunt ſuper cælos , facta ſunt , dicant nobis , quæ ſit inviſibilium natura , enarrent numerum Angelorum , & ordinem Archangelorum , demonſtrent Thronorum ſacramenta , & doceant diverſitates Dominationum, Principatuum, Poteſtatum, atque Virtutum.* Clemens Alexandrinus ad c. 3. primæ Petri Epi-

ſtolæ ,

ſtolæ: *Subjectis ſibi Angelis, qui ſunt primus Ordo; & ſubditis Poteſtatibus, qui ſunt ſecundi ordinis; ſubditis quoque Virtutibus, qui ad tertium ordinem pertinere declarantur.* Athanaſius ſer. 4. cont. Arianos: *Nam & Angeli, & Archangeli, & Dominationes, Throni, & reliqua Poteſtates, Verbi participes effecti, vident perpetuo faciem Patris Chriſti*. Hilarius ad pſal. 134. *Præterito Thronorum, Dominationum, Principatuum, & Poteſtatum, Cherubim, & Seraphim, Angelorum, & Archangelorum, miraculo, in his omnia Deus, quæ voluit fecit in cælo, & in terra*. Hieronymus lib. 2. adv. Jovinianum c. 15. *Quare in regno cælorum Archangeli ſunt, Angeli, Throni, Dominationes, Poteſtates, Cherubim, & Seraphim, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in præſenti ſeculo, ſed etiam in futuro? Sine cauſa diverſitas nominum eſt, ubi non eſt diverſitas meritorum.* Auguſtinus ad Oroſium contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas c. 11. *Certe, ait Apoſtolus: Sive Sedes, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates. Et eſſe itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates, in cæleſtibus apparatibus, firmiſſime credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo*. Gregorius magnus hom. 34. in Evang. *Novem Angelorum Ordines diximus, quia videlicet eſſe, teſtante ſacro eloquio, ſcimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim.* Bernardus lib. 5. de conſider. c. 4. *Angeli, Archangeli, Virtutes, Dominationes, Poteſtates, Principatus, Throni, Cherubim, & Seraphim.*

III. Probatur Rationibus, ſeu potius congruentiis, & conjecturis. I. Tres ſunt hierarchicæ operationes: ergo tres hierarchiæ Angelorum. Probatur antecedens ex lib. de cœleſt. hierar. c. 3. Sunt nimirum *purgare, & purgari, illuminare, & illuminari, perficere, & perfici*. Prima hierarchia a nulla alia hierarchia, ſed a ſolo Deo purgatur, illuminatur, perficitur; & illa purgat, illuminat, perficit mediam hierarchiam. Media purgata, illuminata, perfecta a prima, purgat, illuminat, perficit infimam. Infima purgata, illuminata, perfecta a media, purgat, illuminat, perficit humanam. Purgatio non fit a culpa, ab errore, ab ignorantia, quæ in Angelis non reperiuntur, ſed a neſcientia, quæ in iiſdem, quum non omnes ſupernaturales veritates intelligant, reperitur. Sic pariter dicendum eſt de illuminatione, & de perfectione. II. Apud Regem magnum, & potentiſſimum primo aſſiſtunt qui ſunt illi chariores, & illius amantiſſimi; ſecundo ſapientiſſimi; tertio Judices, vel magiſtratus; & hi apud Deum in Angelis conſtituunt tres Ordines, nempe Seraphim, Cherubim, Thronos, qui primam hierarchiam componunt. Quarto aſſiſtunt Magnates, & Regni proceres; quinto Præſides Provinciarum; ſexto Duces Legionum; & hi ſunt in Angelis Dominationes, Principatus, & Poteſtates, qui mediam hierarchiam efficiunt. Septimo aſſiſtunt Centuriones, Miniſtri ſcilicet vindictarum, & juſtitiarum exequutores; octavo Legati magni; nono Legati minores; & hi ſunt Virtutes, Archangeli, Angeli; quia infimam hierarchiam formant. III. In qualibet ordinata multitudine tria conveniens eſt diſtinguere, principium, medium, & finem: ergo pariter in multitudine Angelorum congruum eſt tres hierarchias ponere, primam, mediam, & infimam. Eadem ratione convenit quamlibet hierarchiam in tres ordines ſecernere, primum, medium, & infimum. IV. In rebus, quæ noſtrum captum excedunt, illas diviſiones, & ordines illos, ponere debemus, quos in Scripturis, & Patribus invenimus; ſed in Scripturis, & Patribus invenimus tres hierarchias, & novem ordines, ut viſum eſt: ergo hos, & non alios ponere debemus.

Arguunt I. Etſi reperiantur in Scriptura novem nomina, non tamen poteſt inde inferri, quod novem ſint ordines; quia unus ordo poteſt habere non unum, ſed plura nomina, quæ ſint ipſi ſynonima: ergo ex Scripturæ verbis non ſatis colligitur, novem eſſe ordines Angelorum. II. Scriptura non enunciat ſimul ordines hoſce, ſed ſparſim innuit: ergo ſignum eſt, quod illos intendit manifeſtare, at non enumerare; ſi non enumerare: ergo non faciunt numerum, quem nos dicimus. III. Nomen Archangeli non invenitur in Scripturis in plurali, ſed in ſingulari: ergo ſignum eſt, eſſe nomen unius particularis Angeli, non vero unius ordinis Angelorum. IV. Michaël vocatur Archangelus; ſed Michaël eſt primus in ſupremo ordine: ergo non bene dicitur Archangelus, qui ſpectas ad hierarchiam infimam. V. Non omnes Patres conveniunt in enumeratione ordinum Angelorum, alii enim enumerant plures, alii pauciores; & de facto Hieronymus, Ambroſius, Cyrillus, quatuor tantum recenſent. VI. In ſacris Canonibus legimus decimum

cimum ordinem Angelorum, ſcilicet *c. bi duo de conſecrat. diſt.* 1. qui dicitur ordo Angelorum, qui ceciderunt, & quem dicit Magiſter ſententiarum in II. diſt. 9. lit. G. reſtaurandum ex hominibus, qui ſalvi fiant. VII. Si hæc diviſio eſſet inter Angelos, eſſet etiam inter Dæmones; inter Dæmones non eſt: ergo neque inter Angelos. Major probatur; quia dicitur, ex quolibet ordine Angelos cecidiſſe. Minor patet, quia in inferno nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. VIII. Hæc diſtributio ordinum, & hierarchiarum vel fuit facta ab initio creationis Angelorum, vel poſt caſum: Non ab initio, quia nondum erant confirmati in gratia, & erant in via: Non poſt caſum; quia aliter neſciremus quales fuiſſent Angeli, qui ceciderunt, quum nihilominus, ut dictum eſt, afferant, ex quolibet ordine cecidiſſe. IX. Hi ordines vel poſt judicium permanebunt, vel non: Si permanebunt; quos homines purgabunt, illuminabunt, perficient Angeli, ſi homines in mundo non erunt? Si non permanebunt; ergo in ipſis poſt judicium erit confuſio, & nullus ordo. X. Auguſtinus in pſal. 79. non diſtinguit Cherubinos a Virtutibus, & Poteſtatibus; ait enim: *Cherubim ſublimes eſſe cœlorum Poteſtates, atque Virtutes*: ergo per Auguſtinum ordines Angelorum non ſunt novem.

Reſpondemus ad I. quod ubi Scriptura non ſatis ſe explicat, ſupplet traditio. Traditio autem eſt antiquiſſima, quæ in communi Patrum auctoritate fundatur, & in univerſali Eccleſiæ conſenſu elucet, per novem relata vocabula novem Angelorum ordines ſignificari; non vero, quod uni, aut alteri ordini plura ex illis nominibus conveniant; ut clarius, & fuſius apud ipſos Patres invenitur.

Ad II. Enumerat quidem Scriptura novem Angelorum ordines, ſed non enumerat omnes in eodem loco. Non enim Scriptores ſacri intendebant illos ex propoſito enumerare, ſed indicare tantum prout ſibi offerebatur de iis occaſio loquendi. Sat autem eſt, quod omnes in diverſis locis enuntientur ſimul, & enumerentur; ut inde ſufficiens habuerint Patres fundamentum eoſdem expreſſe enumerandi, prout de facto ipſorum plurimi enumerarunt, & explicarunt.

Ad III. Nomen Archangeli aliquando ſumitur pro Nuntio principali, & inſigniori, qui ad opus magnum a Deo deputatur; ſicut pariter Angeli nomen, quod tribuitur etiam in Scriptura Gabrieli, & Raphaeli, quos nemo dubitat ex primariis ordinibus eſſe; unde non mirum, ſi Michaeli etiam, Principi militiæ cœleſtis, Archangeli nomen tribuatur. Parum vero refert, quod Archangelus in ſingulari ſcribatur; quia aliquando mos eſt Scripturæ in ſingulari exprimere, quæ plurali numero intelliguntur.

Ad IV. Michaeli tribuitur Archangeli nomen ratione, quam modo diximus; hoc eſt tribuitur nomen vel officium Archangeli, non vero ordo. Nec enim aſſentimur illis, qui putant apud Eſtium in II. diſt. 10. §. 6. Michaelem eſſe ex ſupremo ordine infimæ hierarchiæ, qui Principatus appellatur. Hi enim ab Eſtio quoque impugnantur, & Michaelis Principatus ſuper omnes Angelos vindicatur.

Ad V. dicitur, Patres, qui paucos ordines ſcribunt, non excludere alios; non enim ex propoſito intendunt enumerare illos, & illorum numerum definire, ſed tantum incidenter de illis loqui. Subdit nihilominus Eſtius, quod ſi illorum Patrum omnia Opera evolvantur, fortaſſis in alio opere invenientur nomina ordinum, quæ in uno deficiunt.

Ad VI. dicunt, quod ordo ille decimus, de quo canonicus textus loquitur, vocatur ordo, non gradu, ſed numero. Unde Gloſa exponit, ſenſum eſſe, quod tot Angeli ceciderunt, qui poſſent facere unum ordinem, ſeu melius, qui poſſent conſtituere numerum unius ordinis. Hic autem numerus, juxta Magiſtrum, reſtauratur per numerum hominum electorum; quatenus omnes Electi æquabuntur numero Angelorum reproborum, & juxta ipſorum meritum inter beatorum Angelorum ordines miſcebuntur.

Ad VII. primo dicitur, quod quum in Dæmonibus nihil ſit ſacrum, dari non poteſt hierarchia, cujus nomine ſacer principatus importatur. Datur tamen aliqualis ordinatio, quæ eſt phyſica, & naturalis, ex inæqualitate naturarum orta. Hæc autem eſt ipſis ad pœnam, non ſolum ſubordinatis, ſed etiam ſuperioribus Angelis; quia ut docet S. Thomas 1. p. q. 109. ar. 2. ad 3. *Quod ſuperioribus inferiores ſubdantur, non eſt ad bonum ſuperiorum, ſed magis ad malum eorum; quia cum mala facere maxime ad miſeriam pertineat, præeſſe in malis eſt eſſe magis miſerum.* Secundo, nullus quidem ordo eſt in inferno, quatenus ibi totum eſt confuſione, & horrore plenum; ſed non per hoc non eſt unius

Dæ-

Dæmonis ab alio diſtinctio, nec omnes Dæmones æqualem habent pœnam; quæ quidem juſtitiæ ordinem, immo & naturæ ordinem complent.

Ad VIII. dicitur, quod diſtributio ordinum fuit facta ab initio creationis Angelorum; quia ſtatim ac Angeli creati fuerunt, habuerunt diverſas naturas, ac diverſa dona tum naturalia, tum gratuita; & per diverſitatem tum naturarum, tum donorum, diverſas quoque conſtituerunt hierarchias, & ordines. Nihil autem obſtabat, quod non erant in gratia confirmati; quia vel fuerunt in gratia creati, & habuerunt etiam gratiarum diverſitatem, quæ pariter diverſitas ad diverſitatem hierarchiarum, & ordinum, concurrebat; ſi vero non fuerunt creati in gratia, juxta diverſitatem ſententiarum, habuerunt diverſas hierarchias, & diverſos ordines inchoate, & incomplete, hoc eſt per dona naturæ, non vero complete, & perfecte, per dona ſcilicet naturæ, & gratiæ.

Ad IX. Remanebunt poſt judicium in Angelis hierarchiæ, & ordines quoad ſubſtantiam, non vero remanebunt quoad aliqua accidentalia. Diverſitas quidem donorum naturæ, & gratiæ etiam poſt judicium perdurabit; & hæc eſt ſubſtantia diverſitatis hierarchiarum, & ordinum. Diverſitas functionum, quas exercent reſpectu Dei, remanebit; & hæc dicit aliqua accidentalia, in quibus duratura eſt. Diverſitas functionum, quas peragunt reſpectu hominum, non remanebit; & hæc importat aliqua accidentalia, in quibus deficiet.

Ad X. Auguſtinus vocavit Cherubim poteſtates, & virtutes, ob ipſorum potentiam, & ſcientiam, non vero quod intellexerit vel illa nomina, vel illos ordines, in unum confundere, & inter ſe non differre. Satis illius mens ex aliis ipſius verbis, a nobis ſuperius allatis, conſtat. Verum quod magis eſt, Auguſtinus in Enchiridio c. 58. ingenue fatetur, de ordinibus Angelorum ſe non multa loqui, quia ſcientiam non habet de illis, de quibus vellet loqui: *Dicant, qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare, quod dicunt: Ego me iſta ignorare profiteor.*

Pro ſecunda Diſſertationis parte, in qua de nominibus Angelorum inquiritur, primo ſtatuendum videtur, an Angeli propria habeant nomina? Et ſecundo, quænam illa ſint? Pro utroque.

Dicimus II. Probabilius eſſe, quod Angelis ſingulis quibuſque Deus propria aſſignaverit nomina; illa autem ſolum a Catholicis recipi, quæ in divinis Scripturis, vel in catholicis Scriptoribus, inveniuntur.

I. Probatur a S. Gregorio Homil. de centum ovibus. Conveniens eſt, Angelos ſua propria habere nomina, ut a Beatis cognoſcantur: ergo vere ſua habent nomina. Antecedens eſt certum; aliter non poſſent clare, & in individuo cognoſci. Conſequentia ſequitur; major enim convenientia in re factibili eſt apud Deum ratio facti. II. Debent quoque Angeli ſua propria habere nomina, ut illis utantur Beati, quando inter ſe de iiſdem Angelis loquuntur: ergo de facto propria nomina habent. Antecedens quoque conſtat; non enim apparet, quo alio medio uti poſſint Beati, dum inter ſe loquentes, nominare habent Angelos. Conſequentia pari modo ſequitur. III. Etiam ad præſens & Angeli, & Animæ beatæ, quando inter alloquendum modo ſuo, & de quo inferius dicetur, nominare habent Angelum, vel Animam, ſi eos nominibus non exprimunt, quonam pacto, vel quo ſigno, diſtinguent? Quodcunque dicatur, ſive ſignum, ſive character, ſive quodquunque aliud, illud ipſum eſt nomen: ergo vere Angeli ſua propria habent nomina. IV. Mali Angeli habent ſua nomina; ergo etiam boni. Probatur Antecedens. Chriſtus Dominus Dæmonem quendam in Evangelio interrogavit, quodnam nomen haberet; ſi Dæmon ille ſuum proprium nomen non habuiſſet, fruſtra illum Chriſtus interrogaſſet: ergo vere mali Angeli ſua habent nomina. Conſequentia pariter prioris argumenti probatur. Non enim eſt ratio, cur mali Angeli ſua habeant nomina, & boni non habeant; nec videtur aſſignabilis diverſitas inter illos. V. Catholici Scriptores ſeptem tantum Angelorum nomina memorant: ergo ſi plura adducuntur, non ſunt Spiritu Sancto dictante inventa. Probatur antecedens a Serario in 12. cap. Tobiæ, & a Salmerone t. 3., qui enumerant hæc ſeptem Angelorum nomina: Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Salathiel, ſive Sealtiel, Jehudiel, & Barachiel.

De his autem nominibus, & appellationes myſticæ adduci ſolent, & ſignificationes propriæ verborum, & rerum. Pro ſignificationibus myſticis enumerant ſeptem lampades Apocalypſis; ſeptem cornua agni etiam Apocalypſis; Septem oculos apud etiam Apocal., & Zachariam; & hoc pacto explicant. Apocal. 4. dicitur: *Septem lampadrs ante thronum Dei*; illuminant

enim homines, ad quos mittuntur, eo fulgore, quo in ſe ipſis maxima claritate refulgent. Ibidem habetur: *Vidi Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram*. Cornua dicuntur propter fortitudinem, qua Eccleſiam tuentur, Dæmones debellant, juſtos protegunt, impiis reſiſtunt; dicuntur autem oculi propter vigilantiam, qua humani generis ſalutem procurant, Eccleſiæ tranquillitatem ſervant, & æterni Dei mandata percipiunt, & exequuntur. Unde Zachar.4. legimus: *Septem iſti oculi ſunt Domini; qui diſcurrunt in univerſam terram.* Apocal.cap.8. etiam legimus: *Et vidi ſeptem Angelos, ſtantes in conſpectu Dei:* Ulterius Tobiæ 12. Raphael de ſe ipſo dixit: *Ego ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum*. Unde Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromat. prope finem appoſite ſcribit: *Septem ſunt, quorum eſt maxima potentia, primogeniti Angelorum Principes, ob ſua munia nomen Dei ſecum præferentes*.

Explicamus modo nomina. *Michael* idem eſt ac *Quis ut Deus. Gabriel, fortitudo Dei; Raphael, medecina Dei; Uriel, lux*, vel *ignis Dei; Jehudiel, confeſſio, vel laus Dei; Salathiel*, vel *Sealtiel, oratio Dei; Barachiel, benedictio Dei*. Ex his Michael, Gabriel, Raphael, in divinis Scripturis inveniuntur; Uriel legitur in lib.4. Eſdræ; ſed hic liber e Canonicorum librorum catalogo expungitur. Salathiel, Jehudiel, Barachiel, a catholicis Scriptoribus adnumerantur; nimirum ab Antonio Duca in hymno de ſeptem Angelis aſſiſtentibus, qui floruit ſub Paulo III.; ut etiam a Serario, Salmerone, aliiſque, quod nuper diximus. Verum, quod ad rem maxime facit; ann. 745. ſub Zacharia Papa coactum fuit Concilium Romanum, a quo damnata fuit oratio cujuſdam Aldeberti, in qua octo Angelorum nomina, eaque incognita, præter Michaelem, invocabantur. *Precor vos, & conjuro vos, & ſupplico me ad vos, Angelus Uriel, Angelus Raguel, Angelus Tabuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Limihel*. Acta autem Concilii narrant: *Qua lecta oratione, dixit Zacharias Papa: Hæc nomina, præter Michaelis, omnia ſunt nomina Dæmonum. Quid aliud agendum, niſi ut omnia, quæ lecta ſunt, igne concrementur; annueruntque omnes Epiſcopi, dicentes: Non pluſquam tria Angelorum nomina agnoſcimus, ideſt Gabriel, Raphael, Michael*. Videatur Cardinalis Baronius ad ann. 745. Hi tres tantum in Scripturis ſunt.

Ex his Michael inter ſanctos Angelos ſupremus, & princeps eſt; quod late, & fortiter probat Eſtius, afferens Rupertum lib. 1. de victoria Verbi Dei c. 18. ſcribentem: *Michaelem eo prælio, quod cum Diabolo commiſit, meruiſſe principatum Angelorum, & hominum*. Similia adhibet Eccleſia, tum in Officio Angelorum; tum in precibus pro illis, qui in agone mortis ſunt poſiti. Eandem ſententiam tenuiſſe Hieronymum, & Thodoretum, idem Eſtius aſſerit; ac demum concludit, hanc eſſe hodie communem, & ut ita dicar, eccleſiaſticam ſententiam.

Arguunt. I. Beda in Collectaneis alia nomina commemurat; nimirum Rumielis;, & Phanielis; ſic enim ſe Angelis commendat: *Gabriel eſto mihi lorica, Michael eſto mihi balteus, Raphel eſto mihi ſcutum, Uriel eſto mihi protector, Rumiel eſto mihi defenſor, Phaniel eſto mihi ſecuritas*. II. In libris Sybillinis lib.2. alia nomina Angelorum leguntur, nempe, Eroniel, Samiel, Azael, Uriel: *Tunc Eromiel, Uriel, Samiel, Azaelque, quæ mala quiſque hominum patraverit, ante ſcientes, e terris animas tenebris caliginis omnes Judicio ſiſtent, ad formidabile patris, magni immortalis ſolium*. III. S. Bernardus ſer. 13. in Pſal. Qui habitat, ſeptem Angelos malos enumerat quoque, videlicet: Leviatham, principem ſuperbiæ; Beerith, principem iræ; Mammon, principem avaritiæ; Beelſebuth, principem invidiæ; Beelphegor, principem gulæ; Aſmodeum, principem luxuriæ; Aſtaroth, principem acediæ, ſeu pigritiæ: ſicut igitur habentur nomina Dæmonum, ita pariter Angelorum nomina probari debent. IV. Daniel. 10. Michael dicitur unus de Principibus primis: ergo non eſt omnium Princeps ſupremus, ac primus.

Reſpondemus ad I. Bedæ dictum non probari, nec ab Eccleſia, quæ nunquam nominibus illis invocatinnes direxit, nec ab aliis Patribus, qui nunquam eadem nomina uſurparunt. Præcipit quoque Apoſtolus, novitates vocum vitandas eſſe; & Concilium Romanum allatum cuicunque contrario exemplo prævalet.

Ad II. Sybillini libri apud Eruditos ſunt ſuppoſititii, & tantum carmina illa admittuntur, quæ apud antiquos Patres, vel Eccleſiaſticos Scriptnres, inveniuntur.

Ad III. Nomina illa Dæmonum, quæ a Bernardo commemorantur ſunt ut plurimum in ſacris libris, non ſic autem ſunt illa An-

gelo-

gelorum bonorum nomina, quæ præter tria, ibidem non leguntur. Vel dici etiam poteſt, quod illa ſeptem nomina indicant ſeptem vitia capitalia, quibus dantur ſeptem Dæmones, ut principes, ab illis ſeptem vitiis deſumptis nominibus, quæ ſeptem Dæmonibus appropriantur.

Ad IV. dicit Eſtius, quod verborum illorum Danielis ſenſus eſt, Michaelem fuiſſe primum, & ſummum inter primos Principes; eo quidem ſenſu, quo dicitur Gen. 1. *Factus eſt dies unus*; ideſt, primus; Luc. 24., & ad Cor. 16. Una Sabbati pro prima Sabbati. Immo apud ipſum Danielem legimus c. 9. *Anno uno regni Darii*; & intelligitur, primo. Unde id eſt Eſtius concludit, hanc eſſe phraſim Scripturæ ſatis familiarem.

DISSERTATIO CXXXVIII.

De Statu beatitudinis, & gratiæ, in quo fuerunt Angeli creati. Quod certum eſt, proponitur; quod probabile eſt, probatur.

Quæſtiones, quas hac in Diſſertatione pertractamus, mere ſunt ſcholaſticæ; in iis proinde nulli nobis offeruntur errores, qui ſint confutandi, nullæ hæreſes, quæ ſint impugnandæ. Scholaſticorum opiniones habemus ſolummodo examinandas, & conſueta methodo ab iiſdem nos expedimus.

Pro prima Diſſertationis parte duplex diſtinguenda eſt beatitudo; naturalis una, quæ dicitur a P. Palanco juxta Ariſtotelem, & S. Thomam, perfectiſſima contemplatio, qua natura intellectualis contemplatur optimum intelligibile, quod eſt Deus; & hanc virtute ſuæ naturæ Angeli aſſequuntur; ſupernaturalis altera, quam, idem ait, in clara Dei viſione conſiſtere. Fraſſen ex Scoto ſic explicat primam; ſcilicet, quod ſit ultima perfectio, quam natura angelica comparare poteſt per vires ſibi ingenitas, cognitione ſcilicet, & amore Dei, ut Auctoris naturæ: Idem ſic alteram deſcribit; nimirum, quod ſit ultima perfectio naturæ angelicæ, excedens omnem ejus naturalem facultatem, & quam comparare non poteſt ſine divino auxilio eam ſupernaturaliter elevante. Citius ſe expedit Jueninus, dicens, quod naturalis beatitudo poſita eſt in ea perfectione, quæ omnem omnino miſeriam excludat; ſupernaturalis addit intuitivam Dei viſionem. Rurſus Fraſſen ſubdiſtinguit beatitudinem ſupernaturalem in illam, quæ eſt in via, & in illam, quæ eſt in patria; illam inchoatam, hanc vero conſummatam appellat; illam aſſerit fieri per fidei cognitionem, qua cognoſcimus Deum obſcure, & in ænigmate, & per ſupernaturalem charitatem; hanc vero conſiſtere in clara Dei viſione, ejuſque perfecta fruitione, quam habent in cœlis Angeli, & Beati. His poſitis

Prima ſententia eſt illorum, qui docent, Angelos habuiſſe perfectam eſſentiæ divinæ viſionem, non permanentem, ſed tranſeuntem, a ſuæ creationis initio: Unde conſequenter aſſerunt, omnes Angelos, ſive bonos, ſive malos, per nonnulla temporis inſtantia habuiſſe jucundam Dei fruitionem, quæ fit per cognitionem, & per amorem. Hæc opinio refertur, & explicatur a Fraſſen, ſed nullum ejus nominat defenſorem. Cacheranus vero aſſerit fuiſſe Ludovici Vives ſup. lib. 11. Auguſtini, de civit. Dei c. 9., exiſtimantis, Angelos bonos & creatos fuiſſe, & ſemper permanſiſſe in Dei viſione; quam etiam, ait, fuiſſe malis Angelis ab initio communicatam tranſeunter, non permanenter. Credit pro ſe habere S. Fulgentium lib. de fide ad Petrum c. 3., & S. Bernardum ſer. 7. in pſal. *Qui habitat*; immo S. Auguſtinum, qui docet c. 9. cit., Angelos nunquam fuiſſe peregrinatos; & in lib. de Geneſ. ad lit. tribuit Angelis omnibus cognitionem matutinam rerum in verbo ab initio, & antecedenter ad veſpertinam; unde videtur conſequenter illis omnibus concedere ab initio cognitionem intuitivam, & beatam. Sed de his infra.

Secunda ſententia eſt omnino oppoſita primæ, quam communiter Theologi amplectuntur, atque defendunt; dicentes, nullos Angelos creatos fuiſſe de facto in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis. Citantur S. Thomas p. p. q. 62. ar. 1. Magiſter ſententiarum in II. diſt. 4., Scotus eadem

diſt., & ſeq. Amicus, Lugus, Averſa, Henrincx, ex noſtris P. Palanco, P. Neri, &c.

Tertia ſententia eſt illorum, in quos diviſi ſunt ſecundæ ſententiæ propugnatores; alii enim ex his dicunt, quod quanvis de facto Angeli non fuerint creati in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis, potuerunt tamen creari; alii vero mordicus ſuſtinent, quod nec creati fuerunt in ſtatu illo, nec creari potuerunt. Inter primos recenſetur Scotus a Fraſſen; inter ſecundos alii.

Quarta ſententia eſt aliorum, in quos etiam dividuntur, qui dicunt, Angelos fuiſſe creatos ab initio in ſtatu beatitudinis naturalis; quidam enim dicunt, quod fuerunt ſic creati ſecundum quid, non vero ſimpliciter; alii vero contendunt, quod fuerunt ſic creati & ſecundum quid, & ſimpliciter. Per ſimpliciter intelligunt, quod ſtatus ille ſemper perduraverit; per ſecundum quid vero, quod non perduraverit ſemper, ſed aliquando amiſſus fuerit. Pro beatitudine naturali ſecundum quid ſtat Cacheranus, qui pro se citat Albertum, Bonaventuram, Richardum, Vaſquez, Amicum, De Quiros &c. Pro beatitudine vero naturali ſimpliciter ſtant Durandus, Cajetanus, Averſa, Gonetus, & ex noſtris P. Palanco.

Dicimus I. Angelos fuiſſe ab initio creatos a Deo in ſtatu beatitudinis naturalis ſimpliciter, caruiſſe vero de facto beatitudine ſupernaturali ſimpliciter, quanvis potuerint in illa creari. Tres habet partes Concluſio.

I. Probatur pro prima. Auguſtinus docet lib. 4. ſup. Geneſ. c. 30. *Tunc nox ad diem pertinet, non dies ad noctem; tum ſublimes, & ſancti Angeli illud, quod eſt creatura in ipſo Creatore noverunt, referunt in ipſius honorem & amorem, in quo æternas rationes, quibus creata eſt, contemplantur ea, quæ concordiſſima contemplatione ſunt unus dies, quem fecit Dominus; cui conjungitur Eccleſia ex hac peregrinatione liberata, ut & nos exultemus, & lætemur in eo;* His verbis continetur, quod Angeli habuerunt cognitionem naturaliter in Verbo, & hæc cognitio præceſſit cognitionem creaturarum in ſe ipſis; ſed in illo inſtanti Angeli erant in ſtatu innocentiæ, & non erant beati: ergo fuit cognitio Angelorum non beatorum: ergo fuit cognitio Angelorum in naturalibus. Minor patet; quia fuit aliqua temporis morula inter creationem Angelorum, & illorum lapſum. Et quidem cognitio hæc diſtincta non potuit haberi ſine ſpecie impreſſa, quam Deus Angelis conceſſit, & qua poſſent Deum diſtincte cognoſcere. Sic argumentatur Scotus apud Fraſſen.

II. Probatur. Angelis in ſuæ creationis inſtanti fuerunt integri, & perfecti, loquendo de integritate naturali, & de naturali perfectione: ergo fuerunt naturaliter beati. Antecedens negari non poteſt; quia opera Dei perfecta ſunt, & numeris omnibus abſoluta, quando a Deo creata ſunt. Conſequentia ſequitur.

III. Probatur. Naturalis beatitudo conſiſtit in perfectione, quæ excludat omnem omnino miſeriam; in hac fuerunt Angeli creati: ergo in naturali beatitudine creati fuerunt. Probatur minor. Miſeria eſt pœna peccati; & nemo ſub Deo juſtiſſimo poteſt eſſe miſer, niſi mereatur: ergo Angeli fuerunt a Deo creati in perfectione excludente omnem omnino miſeriam. Unde Auguſtinus lib. de corrept. & grat. c. 10. dicebat: *Diabolus, & Angeli ejus beati erant, antequam caderent.*

IV. Probatur. Naturalis beatitudo poſita eſt per alios, ut dictum eſt, in cognitione, & dilectione perfecta Dei, ut Auctoris naturæ; ſed hanc habuerunt Angeli ab initio creationis: ergo habuerunt naturalem beatitudinem. Probatur minor. Angeli fuerunt creati cum virtute perfecte intelligendi, & amandi: ergo potuerunt cognoſcere, & amare, objectum intelligibile, & amabile ſuper omnia, quod eſt Deus.

I. Probatur pro ſecunda Concluſionis parte. Si Angeli habuiſſent beatitudinem ſupernaturalem in primo creationis inſtanti, nec boni fuiſſent liberi ad merendum, nec mali ad peccandum; ſed hoc eſt falſum: ergo & illud, ex quo ſequitur. Probatur ſequela majoris. Supernaturalis Dei viſio eſt incompoſſibilis cum peccato; ergo ſi illam habuiſſent Angeli in primo creationis inſtanti, nec illi, qui permanſerunt boni, libere permanſiſſent, adeoque nec fuiſſent liberi ad merendum; nec illi, qui fuerunt mali, potuiſſent eſſe mali peccando; quia ubi non eſt libertas, nec eſt meritum, nec eſt peccatum.

II. Angeli fuerunt a Deo creati, ut per ipſorum merita ſupernaturalem beatitudinem a Deo conſequerentur ut præmium; ſed in primo creationis inſtanti nullum meritum habere potuerunt; vel ſaltem nullum præmium, quod ſupponit meritum antecedens in alio inſtanti: ergo in illo non potuerunt habere ſupernaturalem beatitudinem. Major eſt S. Auguſti-

ni lib. de correpr. & grat. c. 10. *Diaboli & Angeli ejus beati erant, antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuras eſſe neſciebant; erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſumma beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent; ideſt, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non poſſent, & hac de ſe certiſſime noſſent.*

III. Probatur. Angeli in primo creationis Inſtanti merebantur ſupernaturalem beatitudinem, & ad eam tendebant: ergo non habebant. Antecedens eſt S. Proſperi lib. 1. de vit. contemplativ. c. 3. *Voluntatis ſanctorum Angelorum fuit, quod malis ſponte cadentibus, ipſi in ſua dignitate manſerunt; & divino juſtoque judicio actum eſt, ut qua fuit eum Deo ſuo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque neceſſitas. Et ideo quia nec peccaverunt unquam, nec peccare jam poſſunt, illius contemplativa viſæ ſemel facti participes, inexplebiliter Auctorem beatitudinis ſuæ conſpiciunt; ac merito ſuæ ſtabilitatis in æternum felices effecti de ſua menſione ſecuri ſunt.*

IV. Probatur. Mali Angeli in primo inſtanti non fuerunt certi beatitudinis ſuæ; ſed ſi non fuerunt certi de beatitudine ſua non fuerunt beati: ergo vere non fuerunt beati: Major probatur; ſi fuiſſent certi de beatitudine, non cecidiſſent: ergo non fuerunt certi beatitudinis ſuæ: Atqui boni & mali Angeli fuerunt a Deo creati uniformes: ergo ſi mali Angeli non fuerunt beati ſupernaturali beatitudine in primo creationis inſtanti, nec pariter fuerunt boni.

Probatur denique tertia Concluſionis pars. Deus poteſt dare beatitudinem cuicunque creaturæ intellectuali, vel ut præmium, vel ut donum, ſi velit: ergo potuiſſet illam dare Angelis in primo creationis inſtanti. Probatur antecedens. Nulla enim fuiſſet repugnantia nec ex parte Dei, nec ex parte Angelorum; non ex parte Dei, quia potens eſt illam dare, & liber eſt ut donet; non ex parte Angelorum, quia creaturæ intellectuales ſunt, & in gratia, adeoque capaces ſupernaturalis beatitudinis.

Probatur etiam contra Cacheranum, quod Angeli habuerunt in primo inſtanti beatitudinem naturalem ſimpliciter. Ratio ipſius eſt, quia mali Angeli illam amiſerunt; at hoc non obſtat, vel non eſt abſolute verum: ergo &c. Probatur minor; primo quod non obſtet. Beatitudo naturalis amitti non poteſt ab Angelo in puris naturalibus conſtituto; at Angelus elevatus ad ordinem ſupernaturalem poteſt illam amittere per accidens & indirecte, peccando ſcilicet directe contra ſupernaturalia præcepta. Secundo quod ſit falſum. Dæmones nun perſeveraverunt in illa dilectione Dei, ut auctoris naturæ: ergo habuerunt.

Arguunt I. S. Auguſtinus docet lib. 12. Confeſſ. c. 9. Angelos fuiſſe beatos illa beatitudine, quam nos ſperamus; ſed hæc eſt ſupernaturalis beatitudo: ergo &c. Probatur major. Auguſtinus explicans verba illa Geneſ. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terra*; intelligit cœlum intellectuale, hoc eſt angelicam naturam, quam, aſſerit, *eſſe factam participem æternitatis, & inhærentem Deo, ex quo facta eſt, & ex dulcedine feliciſſimæ contemplationis ſupra omnem mutabilitatem & volubilem viciſſitudinem temporum fuiſſe*. II. idem Auguſtinus lib. de eccleſiaſt. dogmat. c. 9. aſſerit, Angelos ſanctos perſeverare in ea beatitudine, in qua creati ſunt; ſed perſeverant in beatitudine ſupernaturali: ergo in ea creati ſunt. III. idem Auguſtinus lib. 11. de civit. c. 9. ſcribit, bonos Angelos nunquam eſſe peregrinatos a Domino: *Magna pars eſt, & ea beatior, quæ nunquam peregrinata*. Peregrinari idem eſt, ac ambulare per fidem; 11. ad Cor. 2. *Dum ſumus in corpore peregrinamur a Domino*: ergo ſemper fuerunt viſione Dei beati. IV. Bernardus ſer. 13. & 17. ſup. Cantic. docet, Diabolum ante ſuum lapſum vidiſſe res in Verbo, adeoque Verbum: *Potuit autem contingere, ſi tamen incredibile non putetur, plenum ſapientia, & perfectum decore, homines præſcire potuiſſe futuras etiam, & profecturas in parem gloriam: Sed ſi præſcivit, in Dei Verbo abſque dubio vidit, & ſuo livore invidit*. V. Ezechiel. 28. Lucifero in perſona Regis Tyriorum dicitur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis paradiſi fuiſti*; ſed paradiſi deliciæ non aliæ poſſunt eſſe, quam Dei viſio, in qua ſupernaturalis beatitudo conſiſtit: ergo &c. VI. Chriſtus Dominus in primo ſuæ conceptionis inſtanti fuit liber ad merendum, & fuit ſupernaturali beatitudine beatus: ergo non eſt incompoſſibilis beatitudinis ſtatus cum merito. VII. Angeli non erant certi in primo inſtanti, ſe nunquam futuros eſſe miſeros: ergo non fuerunt beati ſupernaturali beatitudine.

Ante-

Antecedens patet ; non enim ſciebant Angeli , an eſſent io ſtatu , in quo creati fuerant , perſeveraturi . Conſequentia ſequitur ; quia incertitudo illa ſatis fuerat ad torquendum illos . VIII. Io primo inſtanti non potuerunt Angeli eſſe miſeri miſeria pœnæ: ergo neque potuerunt eſſe beati beatitudine ſupernaturali , etiam ſi Deus ſic ordinaſſet .

Reſpondemus ad I. quod S. Auguſtinus aliquando intelligit per cognitionem matutinam viſionem beatam , aliquando vero cognitionem ſupernaturalem , & fidei , quæ dici etiam poteſt matutina, quanvis obſcura , reſpectu cognitionis naturalis. Dici etiam poteſt , quod Auguſtinus quandoque accipiat cognitionem matutinam pro illa cognitione abſtractiva Dei, quam Angeli habuerunt per ſpeciem initio ſuæ creationis ſibi a Deo impreſſam ; ut dicit Scotus apud Fraſſen .

Ad II. idem Fraſſen explicat Auguſtinum , & intelligit , non de beatitudine ſupernaturali conſummata , quam modo Angeli habent, ſed de illa inchoata, quæ conſiſtit in cognitione,& amore Dei. Ratio ipſius eſt , quia Auguſtinus pari modo loquutus eſt de primo homine in ſtatu innocentiæ ; primus autem homo in ſtatu innocentiæ generalem habuit beatitudinem , quæ conſiſtebat in Dei gratia , ac juſtitia originali cum aliquo felici ſtatu , ac tranquillo .

Ad III. Loquitur Auguſtinus non de peregrinatione viæ ſimpliciter , quæ fit per fidem, ſed de peregrinatione peccati ; de qua loquitur etiam S. Petrus 1. epiſt. c. 4. *Nolite peregrinari in fervore, qui in tentationem vobis fit* . Poteſt etiam dici,quod Angeli non ſunt peregrinati , quia breviſſimo tempore fuerunt in via ; vel quia fuerunt ſemper in cœlo;vel quia per peccatum nunquam relinquerunt Deum; vel tandem quia nunquam miſeriam ſuſtinuerunt ,ſicut peregrinantes homines ſuſtinent .

Ad IV. Bernardus non aſſerendo ,ſed dubitando, loquutus eſt; dicit enim; *ſi incredibile non putetur* ; ulterius, conditionate , non abſolute , aſſerit ; ſubdit nanque ; *ſed ſi praſcivit* .

Ad V. Deliciæ paradiſi non ſignificant claram Dei viſionem , ſed Dei amorem per charitatem , & cognitionem per fidem , & alias gratias, quibus fruebatur Lucifer, antequam peccaret,& quas perdidit,poſtquam peccavit .

Ad VI. dicitur,quod meritum eſt compoſſibile cum ſtatu beatitudinis , quando abeſt peccandi periculum ; non vero quando adeſt . Chriſtus Dominus non habuit periculum, nec libertatem peccandi, quam Angeli habuerunt; cum hac autem eſt incompoſſibilis beatifica viſio .

Ad VII. Angeli certo ſciebant , ſe habuiſſe media , quibus perſeverare poſſent in ſtatu , in quo creati fuerant . Hoc ſatis erat ad beatitudinem eorum naturalem, quanvis certi non eſſent , ſe nunquam miſeros eſſe futuros .

Ad VIII. dicit Scotus, quod Angeli potuerunt eſſe miſeri in primo ſuæ creationis inſtanti miſeria pœnæ , quæ culpam non ſupponat. En ſua verba diſt. 5. q. 5. *Quia non videtur contradictio , quod in primo inſtanti pœna aliqua angelicæ naturæ infuiſſet ; ſubindeque potuit etiam immediate a Deo dari pro primo illo inſtanti , ſicut & beatitudo* . Et quidem repugnantia nulla eſt, nec phyſica, nec moralis : Non phyſica , quia ſi hæc eſſet, eſſet pro omni inſtanti: Non moralis , quia Deus eſt dominus vitæ, & mortis omnium creaturarum; unde poteſt etiam ſine culpa pœnam infligere, & non per hoc eſſet injuſtus .

Pro ſecunda Diſſertationis parte,notandum, quod quæſtio procedit tam de gratia habituali, quam de actuali , & de bonis Angelis , & de malis . Circa eam autem ſequentes opiniones feruntur .

Prima opinio eſt docentium , Angelos non recepiſſe ab initio creationis gratiam habitualem , ſeu non fuiſſe in ipſa creatos. Hujus opinionis dicuntur Magiſter ſententiarum in II. diſt. 3. c. 6. , & diſt. 5. c. 2. , Hugo Victorinus in ſum. tract. 2. c. 2. , Ægidius , Richardus , Marſilius , Altiſiodorenſis, aliique . Ad eam quoque dicitur acceſſiſse Scotum , Henricum , S. Bonaventuram ; quanvis alii velint , hos poſtremos problematice fuiſse loquutos . Ex noſtris hanc opinionem amplectitur P. Neri .

Secunda opinio docet , Angelos in primo creationis inſtanti recepiſse gratia habitualem, & actualem. Ita S. Thomas 1. p. q. 62. ar. 3. , & in II. diſt. 4. q. 1. ar.3., & quodlib.9.q.q. 4. ar.3. Quem ſequuntur Cajetanus, Ferrarienſis, Gonetus,Suarez , Vaſquez , Amicus , cum omnibus Thomiſtis ; & ex noſtris P. Palanco, aliique .

Dicimus II. Angelos ab initio creationis ſuæ , ſeu in primo inſtanti ipſius , recepiſse a Deo gratiam habitualem, & actualem .

I. Pro-

I. Probatur prima pars. Gratiâ habitualis conſiſtit in bona voluntate, & in amore caſto, per quem juſti in terris, & beati in cœlis adhærent Deo; ſed hanc ab initio creationis Angeli a Deo habuerunt: ergo in primo creationis inſtanti receperunt a Deo gratiam habitualem. Probatur minor. Auguſtinus lib. 12. de civit. docet c. 9. *Et iſtam* (bonam voluntatem) *quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, ideſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis & condeas naturam, & largiens gratiam? Unde ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe, credendum eſt.*

II. Probatur. Qui ordinatur ad aliquem finem debet habere medium maxime neceſſarium ad talem finem; ſed Angeli ab initio creationis fuerunt ordinati ad finem ſupernaturalem, & gratia habitualis eſt medium maxime neceſſarium ad talem finem: ergo Angeli ab initio creationis habuerunt gratiam habitualem. Major negari non poteſt; minor probatur pro prima parte. Angeli elevandi erant ad finem ſupernaturalem: ergo ab initio creationis fuerunt ad talem finem ordinati; omnes enim res, quando primo exiſtunt, ordinantur a Deo ad finem illum, ad quem deinde ſunt perducendæ. Minor etiam probatur pro ſecunda parte. Gratia habitualis eſt illa, ſine qua nemo conſequi poteſt finem ſupernaturalem: ergo eſt medium maxime neceſſarium ad illum. Nec dici poteſt, quod ex parte Angelorum erat obex, ſicuti eſt modo ex parte hominum; quia Angeli potius in illo primo iſtanti ſe diſpoſuerunt ad gratiam, quam contra ipſam obicem poſuerint.

III. Probatur a S. Thoma. Gratia habitualis eſt ſemen gloriæ: ergo debet dicere illum ordinem ad beatitudinem, quem dicit ratio ſeminalis ad effectum naturalem; ſed in prima creatione creaturæ fuerunt illi inditæ a Deo rationes ſeminales omnium effectuum naturalium: ergo pariter in creatione prima Angelorum fuit ipſis infuſa gratia habitualis.

IV. Probatur. Nullum eſt aſſignabile impedimentum, quominus Angelis habitualis gratia fuerit a Deo infuſa in primo ſuæ creationis inſtanti: ergo vere tunc fuit illis infuſa. Probatur antecedens. Nulla eſt aſſignabilis ratio, qua debuerit differri talis infuſio Angelis poſt primum creationis inſtans: ergo nullum eſt aſſignabile impedimentum &c. Probatur antecedens. Non fuit in Angelis impotentia ſe diſponendi ad gratiam, ut probabitur in reſponſionibus ad objectiones; Non fuit prioritas, qua natura debet gratiam præcedere; quia hæc prioritas non debet eſſe temporis, ſed ſufficit, ut ſit naturæ.

V. Probatur ex Scripturis, & Patribus. Judas Apoſtolus in epiſt. canonic. num. 6. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed reliquerunt ſuum domicilium.* Ezech. 28. de Lucifero dicitur allegorice: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Eccleſ. 7. *Deus fecit hominem rectum*; quod confirmat Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. de peccato originali c. 1. *Adam per peccatum juſtitiam, & ſanctitatem perdidiſſe, in qua fuerat conſtitutus:* Cur non idem de Angelis debemus dicere? S. Cyprianus lib. de zelo, & livore, in principio: *Dæmonem aliquando fuiſſe Deo acceptum, & charum.* S. Baſilius ep. 141. *Itaque cum ab unitate receſſiſſet, & angelicam dignitatem abjeciſſet, Diabolus ab moribus appellatus eſt: Poſtquam prior ille, ac beatus habitus extinctus eſt, & huic oppoſita vis accenſa.* Hieronymus in illud Oſeæ 3. *Et diligunt vinacia uvarum*, ſcribit: *Quæ vina non habent, & priſtinam gratiam perdiderunt, ſicut Dæmones, qui lapſi de propria dignitate, & antiquam gratiam non poſſidentes, aridi ſunt.* Auguſtinus lib. 12. de civit. c. 9. *Unde ſine bona voluntate, hoc eſt Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt; illi autem cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt, mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, niſi quando a bono ſponte defecit; & mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus a bono; aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perſtiterunt; aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt.*

Secunda vero Concluſionis pars probatur I. Angelis in primo creationis inſtanti erat neceſſaria gratia, qua peccatum vitarent: ergo illam a Deo receperunt. Antecedens probatur; quia aliter ſine culpa cecidiſſent. Sic enim ait Auguſtinus lib. de corrept. & gratia c. 11. *Si autem hoc adjutorium Angelo, vel homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet, non utique ſua culpa cecidiſſent.* II. Voluntas Angeli, utpote corpori non unita, in primo illo inſtanti non poterat non amare; vel ergo amavit Deum, vel creaturam; non creaturam: ergo Deum; atqui Deum ſine gratiæ adjun-

jutorio amare non poterat: ergo in primo creationis inſtanti habuit gratiam actualem. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. c. 11. *Quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet permanere, ſi vellet.... Nanque ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat; ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet.*

Obſtat I. Job. c. 4. *Deus in Angelis ſuis reperit pravitatem*; in Hæbreo legitur: *In Angelis ſuit non poſuit laudem, vel lucem*; ſed laudis, & lucis nomine venit gratia ſanctificans: ergo &c. II. Dæmones nunquam habuerunt charitatem: ergo nunquam habuerunt gratiam ſanctificantem. Antecedens eſt Joannis Papæ in ep. ad Iſaac Syracuſanum: *Dolet ſatis, & erubeſcit, charitatem, quam in cœlo habere nequivit, homines conſtantes ex lutea natura, tenere in terris*. III. Diabolus ab initio formationis ſuæ peccavit, nec pœnituit: ergo gratiam ſanctificantem non habuit. Antecedens habetur Joan. 3. *Qui facit peccatum ex Diabolo eſt, quia ab initio Diabolus peccat*; & Joan. 8. *Vos ex Patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit*. IV. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad liter. c. 1. docet, angelicam naturam fuiſſe ab initio informiter creatam, & fuiſſe dictam cœlum; poſtmodum vero fuiſſe formatam, & fuiſſe appellatam lucem: ergo a primo inſtanti non fuit lux. V. Deus in Angelis voluit oſtendere, quid poſſet gratia ſine libero arbitrio, in primo inſtanti creationis ipſorum: ergo in inſtanti illo non habuerunt gratiam habitualem. Antecedens eſt Auguſtini lib. de correpr. & grat. c. 10. *Credimus, Deum ſic ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſua gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium*. VI. Si Angeli habuiſſent gratiam ſanctificantem ab initio, fuiſſent ad Deum converſi: ergo nunquam ab eo averti potuiſſent. Conſequentia probatur. Et quia Angelorum voluntas difficile mutatur; & quia ſi converſi fuiſſent, conſequuti fuiſſent beatitudinem: ergo non potuiſſent a Deo averti. VII. Conveniens fuiſſet, ut Angeli prius crearentur in ſtatu puræ naturæ, poſtea reciperent gratiam, & deinde reciperentur ad gloriam: ergo a principio non fuerunt creati in gratia. Probatur antecedens: Gratia mediat inter naturam, & gloriam. VIII. Vel Angeli habuerunt æqualem gratiam, vel inæqualem; ſi æqualem; cur ergo aliqui ceciderunt, & aliqui ſteterunt? Si inæqualem; non eſt ratio inæqualitatis hujuſce: ergo non eſt affirmanda. IX. Non fuit in Angelis diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem recipiendam in primo creationis inſtanti: ergo in illo inſtanti illam non receperunt. Probatur antecedens. Nihil in illo inſtanti operati ſunt, quo ad gratiam ſe diſponerent: ergo non fuit in Angelis diſpoſitio &c. X. Si Deus contuliſſet gratiam Angelis pro illo inſtanti, quo ipſos creavit, ſimul contuliſſet naturam, & gratiam; ſed ſimul conferre naturam & gratiam indicaſſet gratiam eſſe naturalem: ergo ne hæc ſuſpicio Angelis ineſſet, debuit Deus pro primo inſtanti conferre naturam, hoc eſt nativitatem, & creationem, & pro altero gratiam.

Reſpondemus ad I. quod verſio hebraica intelligitur de laude, & luce conſummata, & perfecta, quam modo habent Angeli beati, qui propterea Job. c. 38. dicuntur: *Aſtra matutina, Deum laudantia*. Alii dicunt, quod intelligatur de laude, & luce gloriæ, non vero de laude, & luce gratiæ. Alii ſubdunt, quod verbum illud *non poſuit* intelligendum ſit firmiter, & permanenter.

Ad II. Textus canonicus in c. viſis literis, 16. q. 2., vel a quibuſdam legitur *nequit* pro *nequivit*; vel explicatur poſt peccatum, non ante; unde fuit impotentia ſecundum quid, ex ſuppoſitione ſcilicet ſuæ malitiæ; vel denique interpretatur Gloſa, quod intelligendus ſit de perſeverantia finali in charitate, quam Diabolus non habuit; non quia habere non potuit, ſed quia retinere non voluit.

Ad III. Initium illud explicatur moraliter, non mathematice; & ſenſus eſt, quod Diabolus peccavit paulo poſt ſuam creationem. Reus autem homicidii fuit ab initio mundi, non ab initio creationis ſuæ; quia ab initio mundi impulit Cainum ad Abelis homicidium, & per peccatum fecit introire mortem in mundum. Cæterum dicitur, quod Diabolus non ſtetit: ergo fuit, quamvis ſtabilis, & perſeverans in gratia non fuerit.

Ad IV. S. Thomas dicit, angelorum naturam ex Auguſtino fuiſſe informem in ſui productione, in inſtanti quidem naturæ, non vero in inſtanti temporis; quod ex Auguſtino confirmatur lib. 11. de civit.

de

de Angelis ſcribente : *Simul ut facti ſunt , lux facti ſunt* . Alii dicunt, eam appellaſſe informem per reſpectum ad gloriam,non vero per reſpectum ad gratiam; quia Angelus habuit quidem gratiam , quæ conveniens ſit viatori , non vero illam habuit, quæ convenit poſſeſsori .

Ad V. Auguſtinus intelligendus eſt vel de illo inſtanti priori naturæ, in quo Angeli intelliguntur ſine gratia , & ſolum cum libero arbitrio ; vel de majori , & minori gratia , qua fuerunt Angeli a Deo donati. Alii dicunt , intelligendum eſſe de gratia non efficaci, non vero de efficaci ; ut putat Juveninus ; ſed hæc reſponſio nobis non arrider , propter rationem , quam dabimus,quando de gratia efficaci agemus.

Ad VI. dicitur , quod Angeli cum illa gratia adhuc remanſerunt liberi ; & quanvis non moveantur ita facile , ut homines, ab eo , quod ſemel elegerunt , non ſunt tamen prorſus immobiles in electione,quam ſemel ſecerunt , quando ſunt in via . Audiatur Nazianzenus or. 38. *Velim dicere eos immobiles ad malum , atque ad bonum dumtaxat agitationem habentes ; utpote Deum circumſtantes , ac primas a Deo illuſtrationes haurientes ..... Verum ut non omnino immobiles , ſed ægre mobiles exiſtimem, ac dicam, mihi perſuadet ille ab ſplendore Lucifer , qui propter ſuperbiam caligo effectus eſt , & nominatur , ac ſubjectæ illi rubelles poteſtates , quæ per boni fugam vitium effecerunt , & nobis contraxerunt* .

Ad VII. Reſpondetur per inſtantiam , quia ex ratione illa ſequeretur , nec hominem fuiſſe creatum in gratia . Directe dicitur, quod melius ſit creaturæ rationali ſemper fuiſſe in gratia , quam recepiſſe gratiam in inſtanti ſubſequenti , & non in primo ; quia ſtatus puræ naturæ non dicit perfectionem , quam dicit ſtatus gratiæ . Ulterius elucet quoque magis potentia Dei, ejuſque liberalitas, donando gratiam ſimul cum natura , quam donando prius naturam, & deinde gratiam .

Ad VIII. dicimus, Angelos inæqualem gratiam habuiſſe , juxta majorem , aut minorem perfectionem eorum . Hanc , aſſerit Fraſſen , eſſe communem Theologorum opinionem . Profert S. Ambroſium , qui lib. 1. de Spiritu Sancto c. 7. hæc ſcribit: *Si putat, non eſſe ſpiritualem in Angelis ſanctitatem , ſed aliam quandam gratiam ſuæ proprietate naturæ , hi inferiores perfecto Angelos hominibus judicabunt . Cum enim & ipſi fateantur , quod Spiritui Sancto Angelos conferre non audeant , nec poſſint negare , quod hominibus infundatur Spiritus Sanctus , ſanctificatio enim Spiritus donum munuſque divinum eſt ; invenientur utique homines , qui meliorem ſanctificationem habent , Angelis præferendi : Sed cum Angeli hominibus in adjumentum deſcendant, intelligendum eſt, quod creatura quidem ſuperior Angelorum ſit , quæ plus recipit gratiæ ſpiritualis , ejuſdem tamen & erga nos & illos munus , Authoris ſit* . Si ergo ex Ambroſio Angelis uberior gratia confertur quam hominibus, quia ſunt hominibus præſtantioris naturæ; ſequitur , quod quum Angeli ſint alii aliis præſtantiores in natura, iiſdem quoque uberiorem gratiam præ aliis fuiſſe collatam . Idem docent Baſilius lib. de Spir. Sanct. c. 16. , Damaſcenus lib. de fid. othod. c. 3. , Auctor lib. de cœleſt. hierarch. c. 6. & 7.

Ad IX. dicitur, quod Angeli habuerunt diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem,& ſe ad illam diſpoſuerunt in ipſo inſtanti creationis per actum charitatis , & converſionis ad Deum ut ad finem ſupernaturalem ; ut aſſerit Cacheranus ex communi opinione Cajetani, Zumel, Goneti, Suarez, Vaſquez, Valentiæ,aliorumque , contra Sotum , Capreolum, Molinam , Amicum , Arriagam &c. Ratio ipſorum eſt : Angeli potuerunt in primo inſtanti diſponere ſe ad actum charitatis: ergo de facto ſe diſpoſuerunt : ergo de facto receperunt gratiam habitualem ex propria diſpoſitione. Probatur antecedens: In inſtanti illo potuerunt Angeli libere operari: ergo potuerunt diſponere ſe ad actum charitatis. Antecedens probabitur in ſequenti Diſſertatione; conſequentia ſequitur .

Ad X. dicimus , ita fuiſſe Angelis collatam gratiam ſimul cum natura , ut potuerit non conferri , vel pro alio tempore , vel pro nullo tempore , Hoc quidem cognoverunt Angeli , ſaltem per fidem : ergo cognoverunt pariter,auxilium ſibi datum ex mera Dei voluntare proveniſſe, & vires ipſorum naturales excedere . Et ita quidem ex Dei voluntate proveniebat , quod Deus eſſet omnino liber ad eam concedendam,vel negandam; & quemadmodum eam conceſſit , ita potuiſſet non concedere . Hoc totum cognoſcebant Angeli, quod quidem multum conferre poterat ad firmandam conſtantiam, & ad cuſtodiendam humilitatem ipſorum .

Hæc , quæ diximus in præſenti Diſſertatione, tam de beatitudine, quam de gratia Angelorum, non ut dogma fidei diximus,

 ſed

ſed tanquam theologicam probabilem, vel ſi mavis, probabiliorem, communiorem autem certe in præſenti, opinionem, aſseruimus, probavimus, atque defendimus. Ita pariter de hac re eadem ſe explicavit Angelicus Doctor 1. p. q. 62. ar. 3. in c. docens: *Reſpondeo dicendum, quod quamvis ſuper hoc ſint diverſæ opiniones... hoc tamen probabilius videtur tenendum, & magis dictis Sanctorum Patrum conſonum eſt, quod fuerunt creati in gratia gratum faciente.*

DISSERTATIO CXXXIX.

De celebri inter Scholaſticos Controverſia; An Angeli potuerint in primo ſuæ creationis inſtanti peccare.

Controverſiam hanc ideo inter antiquos, ac modernos Scholaſticos celebrem factam eſse, ſcribit P. Palanco, quia reſpicit prima & occultiſſima naturæ angelicæ principia, ex quibus ipſa incipit voluntarie moveri, & a primo inſtanti ſui eſse, ac ſuæ intellectualis vitæ, operari. Et quia hæc principia admodum ſunt abſtruſa, profunda, intima, non facile a nobis percipiuntur; & hinc oritur opinionum diverſitas. Pro ſecernendis tamen certis ab incertis, ſupponere debemus primo, Angelos principio creationis ſuæ fuiſse a Deo creatos liberos. Hoc apertiſſime docet Auguſtinus lib. de corrept. & grat. c. 10. *Saluberrime confitemur, quod rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia valde bona, & mala ex bonis oritura eſſe præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala eſſe non ſinere; ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Et poſt pauca: *Angeli quidam, quorum princeps eſt qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti ſunt; refugientes tamen ejus bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miſerrimi effecti ſunt. Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt.* Unde ſecundum Auguſtinum omnes Angeli, tam boni, quam mali, ab initio conditi ſunt liberi; ex ipſis tamen mali a Deo libere ſe averterunt; boni ſuo libero arbitrio, & actuali gratiæ adjutorio, in veritate, & in obſervantia ſteterunt.

Supponere debemus ſecundo, nullum Angelum in primo creationis inſtanti peccaſse: Conſtat manifeſte ex S. Thoma 1. p. q. 64. ar. 5. in corp. *Reſpondeo dicendum, quod quidam poſuerunt, quod ſtatim Dæmones in primo inſtanti ſuæ creationis mali fuerunt; non quidem per naturam, ſed per peccatum propriæ voluntatis, quia ex quo factus eſt Diabolus, juſtitiam recuſavit. Cui ſententiæ (ut dicit D. Auguſtinus 11. de civit. Dei) quiſquis acquieſcit, non cum illis Hæreticis ſapit, ideſt Manichæis, qui dicunt, quod Diabolus habet naturam mali. Sed quia hæc opinio auctoritati Scripturæ contradicit, (dicitur enim ſub figura Principis Babylonis de Diabolo, Iſai. 14. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris; & Ezechiel. 28. In deliciis paradiſi Dei fuiſti, dicitur de Diabolo ſub perſona Regis Tyri) ideo a Magiſtris hæc opinio tanquam erronea rationabiliter reprobata eſt.* Verum quum nos in præterita Diſſertatione probaverimus, Angelos in primo creationis inſtanti ſanctificantem gratiam habuiſse; & quum peccatum ſimul cum gratia ſtare non poſſit; inde certum redditur, Diabolum, alioſque Angelos malos in primo ſuæ creationis inſtanti non peccaſse. Quæſtio igitur non eſt de facto, ſed de poſſibili; an ſcilicet Angeli, qui in primo creationis inſtanti non peccaverunt, potuerint peccare? His ſuppoſitis

Prima ſententia eſt illorum, qui docent, quod via ordinaria procedendo Angeli potuerunt in primo ſuæ creationis inſtanti peccare. Tribuitur hæc ſententia Scoto, & quam Scotiſtæ omnes amplectuntur. Eam etiam ex antiquis Scholaſticis docuerunt Ochamus, Aureolus, Gabriel, Marſilius, Bachonis; & ex modernis tuentur Vaſquez, Valentia, Averſa, Arriaga, Madernus &c. ex noſtris eam ſuſti-

ſuſtinet P.Neri , aliique plurimi in Manuſcriptis . Unde liquido apparet , quod opinioni huic tres ſcholæ favent , Scotiſtarum ſcilicet , Nominalium , & Bachoniſtarum , ut ait Cacheranus , qui & eam ſequitur .

Secunda opinio eſt illorum , qui aſſerunt , Angelos non potuiſſe nulla Dei potentia in primo ſuæ creationis inſtanti peccare. Eam docet S. Thomas pluribus in locis , & cum ipſo Thomiſtæ omnes ; ex antiquis Scholaſticis docuerunt pariter illam Alenſis , Albertus , Richardus , Argentina , Holchot , Henricus, Hugo de S.Victore , Ægidius , S. Bonaventura , Durandus , Granados ; & ex recentioribus Arrubal, Turrianus, Quiros , aliique; ex noſtris P.Palanco &c.

Tertia ſententia eſt illorum , qui media via incedentes , dicunt , Angelos de potentia Dei ordinaria in primo ſuæ creationis inſtanti peccare non potuiſſe , de potentia vero Dei abſoluta potuiſſe . Refert hanc ſententiam P.Neri, ſed ejuſdem propugnatores non nominat . Cacheranus dicit , Suarium , Amicum , Eſparzam , aliosque, docuiſſe opinionem Thomiſtarum cum aliqua limitatione, quæ quidem limitatio alia , quam hæc , eſſe non poteſt; & de facto hanc docet eſſe , ſubdens eam ſic pariter docuiſſe Malonium , Lezanam , &c.

Quarta opinio videtur eſſe Cacherani , ſub his terminis concepta : Angeli , quantum eſt de ſe, potuerunt , potentia etiam morali &ordinaria , peccare in primo inſtanti creationis , ſumendo tale inſtans rigoroſe , prout correſpondet nunc noſtri temporis , non vero tantum prout correſpondet inſtanti theologico , ſeu inſtanti temporis angelici . Explicat ſuam aſſertionem . Quantum eſt de ſe , intelligit Angelos ſine gratia ſanctificante ; non tamen in pura natura , ſed ſine gratia , at cum ordine ad finem ſupernaturalem , & cognitione illius per fidem . Diſtinguit ulterius inſtans angelicum, quod conſtare poteſt ex pluribus inſtantibus temporis rigoroſis ; quatenus inſtans temporis angelici eſt prima operatio angelica . Igitur admittit pro inſtanti nunc noſtri temporis , quod etſi ſit indiviſibile , recipit tamen prius & poſterius natura , etſi non duratione.

Dicimus , Angelos de quacunque Dei potentia potuiſſe in primo ſuæ creationis inſtanti peccare .

I. Probatur. Angelus in primo ſuæ creationis inſtanti habuit volitivam potentiam perfectam , & non limitatam , nec determinatam neceſſario ad operationem rectam: ergo in illo inſtanti potuit habere operationem non rectam : ergo potuit peccare . Conſequentia ſecunda negari non poteſt; hoc eſt enim peccare, ſcilicet habere operationem non rectam . Conſequentia prima ſequitur ; quia omnis potentia , quæ poteſt habere operationem perfectam , & non limitatur , nec determinatur neceſſario ad operationem rectam , poteſt habere operationem non rectam . Antecedens autem probatur . Voluntas Angeli non habuit majorem determinationem in primo inſtanti , quam in ſecundo ; nec fuit minus libera in primo, quam in ſecundo ; ergo Angelus in primo ſuæ creationis inſtanti habuit volitivam potentiam perfectam , & non limitatam, nec determinatam neceſſario ad operationem rectam . Probatur Antecedens. Angelus nihil reale intrinſecum habuit in ſua volitiva potentia in primo, quod non habeat in ſecundo inſtanti : ergo voluntas Angeli non habuit majorem determinationem in primo inſtanti, quam in ſecundo ; nec fuit minus libera in primo , quam in ſecundo. Argumentum eſt Scoti apud Fraſſen .

II. Probatur . Non minus in primo inſtanti, quam in ſecundo, habuit Angelus uſum liberi arbitrii , & rationis : ergo ſi potuit peccare in ſecundo , potuit etiam in primo. Probatur antecedens . Non minus in primo inſtanti,quam in ſecundo,per Adverſarios , fuit Angelus liber ad merendum : ergo non minus in primo inſtanti, quam in ſecundo , habuit Angelus uſum liberi arbitrii, & rationis . Probatur conſequentia . Nequit quis mereri ſine rationis ,& liberi arbitrii uſu ; tum quia creaturæ rationis expertes, incapaces ſunt merendi; tum etiam , quia ubi ceſſat liberum arbitrium ceſſat meritum , ut patet in damnatis , aliiſque : ergo ſi Angelus tam in primo , quam in ſecundo inſtanti , per Adverſarios , eſt liber ad merendum, tam in uno, quam in alio, habuit uſum liberi arbitrii, & rationis.

III. Probatur. Si non potuiſſent peccare Angeli in primo inſtanti, ideo fuiſſet , quia non habuiſſent libertatem , vel non habuiſſent libertatem ad peccandum ; primum aſſerunt Richardus , Alenſis , Henricus &c. volentes, nullam creaturam poſſe libere operari in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti; ſecundum docent Thomiſtæ , aſſe-

aſſerentes, Angelos in primo inſtanti habuiſſe libertatem ſufficientem ad meritum, non ad peccatum; Sed hoc falſum eſt: ergo falſum eſt quoque, quod non potuerint Angeli in primo ſuæ creationis inſtanti peccare. Probatur primo minor contra negantes libertatem operantibus in primo inſtanti. Operari neceſſario non repugnat Angelis in primo inſtanti: ergo neque repugnat operari libere. Antecedens patet; quia angelicæ operationi non repugnat eſſe in inſtanti, maxime cum ſit ſpiritualis, & indiviſibilis; operationi neceſſariæ non repugnat eſſe in inſtanti primo productionis ſui principii, quia ſemper eſſet ſuo principio poſterior natura, & hæc poſterioritas ſufficit: ergo operari neceſſario non repugnat Angelis in primo inſtanti: Prima conſequentia probatur. Poſterioritas in operatione reſpectu ſui principii requiritur ratione dependentiæ; ſed hæc dependentia non minus ſalvatur per poſterioritatem naturæ, quam per poſterioritatem temporis: ergo ſi per poſterioritatem naturæ ſalvatur dependentia operationis neceſſariæ, non minus ſalvatur dependentia operationis liberæ: ergo ſi operari neceſſario non repugnat Angelis in primo inſtanti, neque repugnat operari libere. Probatur modo eadem minor contra negantes libertatem peccandi in operantibus in primo inſtanti, quanvis concedant libertatem merendi: Angeli in primo inſtanti habent libertatem ad merendum: ergo habent libertatem ad peccandum. Antecedens eſt doctrina Adverſariorum. Conſequentia probatur. Si eſſet differentia inter unam & alteram libertatem, ideo eſſet, quia Chriſtus Dominus habuit libertatem ad merendum, non vero ad peccandum; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Probatur minor. Ideo in Chriſto eſt una, & non alia libertas, quia Chriſtus eſt impeccabilis; ſed Angeli non ſunt impeccabiles: ergo nulla eſt differentia, & nulla ratio.

IV. Probatur. Si Angeli non potuiſſent in primo inſtanti peccare, ideo eſſet, quia non habuiſſent in illo primo inſtanti defectum in cognitione, qui repugnaret intellectui angelico pro primo inſtanti; ſed talis defectus non repugnat: ergo &c. Probatur minor; Defectus negativus in cognitione, conſiſtens in carentia cognitionis non debitæ, quæ ſi adeſſet, eſſet impeditiva peccati, non repugnat intellectui angelico in primo inſtanti: ergo talis defectus in cognitione non repugnat. Probatur antecedens. Cognitio ſpecialiter proveniens a Deo poteſt eſſe negative defectuoſa, & carens perfectione ſibi non debita: ergo talis defectus negativus non repugnat intellectui angelico in primo inſtanti.

V. Probatur. Ideo non potuiſſent Angeli in primo inſtanti peccare, quia peccatum tribueretur Agenti, a quo habuiſſent eſſe, hoc eſt Deo; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur minor. Operatio, quæ non pertinet ad conſtitutionem rei in proprio ſtatu, quanvis incipiat cum eſſe rei, non tribuitur ſpecialiter principio, a quo res habet ſuum eſſe; ſed operatio libera non pertinet ad conſtitutionem rei in proprio ſtatu: ergo falſum eſt, quod tribuatur Agenti &c. Major patet; quia productio dat eſſe, non operari: ergo ratione productionis vel nulla operatio tribuenda eſt Agenti, vel ſaltem non eſt tribuenda operatio illa, quæ non ſpectat ad conſtitutionem rei in proprio ſtatu. Minor probatur. Status & eſſe rei dicunt quid permanens; operatio autem libera non eſt quid permanens, ergo &c.

VI. Probatur. Si repugnaret Angelos potuiſſe peccare in primo inſtanti, ideo eſſet, vel quia productio Angelorum fuit omnino gratioſa, & liberalis; vel quia cognitio Angelorum fuit omnium perfectiſſima; vel quia Deus habuit de illis ſpeciale manutenentiam; ſed hæ rationes nullæ ſunt: ergo &c. Probatur minor quoad primam partem. Quanvis Angelorum productio fuiſſet liberalis & gratioſa, tamen ſemper fuit in ordine naturali; unde in ſolo ordine naturali fuerunt Angeli in primo inſtanti opus gratiæ & miſericordiæ; ſed eum opere gratiæ & miſericordiæ non implicat conjungi in primo inſtanti peccatum: ergo &c. Probatur minor. Opus gratiæ & miſericordiæ in ordine naturali importat quidem aliquid non debitum, ut non importat aliquid indebitum poſitive; impotentia autem peccandi eſt aliquid poſitive indebitum creaturæ intellectuali ſecundum ſe conſideratæ. Probatur eadem minor pro ſecunda parte. Non debetur Angelo in primo inſtanti cognitio omnium perfectiſſima: ergo nulla eſt ex hoc capite Adverſariorum ratio. Probatur antecedens. Poteſt Angelus ad primam cognitionem excitari vel a Deo, vel ab alio Angelo, quia ſupponatur præexiſtens: ergo non habet Angelus in primo inſtanti cognitionem perfectiſſimam; quia ſi hanc non haberet,

An-

Angelus excitans inferret Angelo excitato injuriam; quod non eſt dicendum. Cæterum ad Adverſarios ſpectat probare debitum cognitionis perfectiſſimæ , quod uſque modo non probarunt. Probatur eadem minor pro tertia parte . Leges manutenentiæ eſſent leges providentiæ ordinariæ moralis; ſed contra has Deus non poteſt operari nec etiam de potentia abſoluta: ergo dum Adverſarii dicunt, quod Deus de potentia abſoluta poſſet illam manutenentiam ſuſpendere , non ſatis ſibi conſtant . Ulterius , quia leges providentiæ ordinariæ ſe accommodant creaturarum exigentiæ , & non impediunt cauſſas ſecundas ne agant motus ſuos. Has omnes rationes Cacherano debemus, apud quem latiores inveniet , qui ſic eas deſideret .

Arguunt Adverſarii I. Ad operandum libere prærequiritur indifferentia ; ſed hæc debet præcedere tempore , & non tantum natura , operationem : ergo non ſufficit poſterioritas naturæ in operatione, ſed requiritur etiam temporis . Probatur minor . Si non præcederet tempore , in eodem temporis inſtanti principium operans eſſet determinatum , & indifferens; ſed hoc involvit contradictionem : ergo indifferentia debet præcedere non tantum natura , ſed etiam tempore . II. Intantum operatio neceſſaria poteſt eſſe in primo inſtanti non ſic autem libera , quia operatio neceſſaria eſt operatio prima ; ſed operatio libera non eſt operatio prima: ergo operatio libera non poteſt eſſe in primo inſtanti . Probatur minor . Operatio libera eſt operatio voluntatis ; ſed operatio voluntatis non eſt operatio prima : ergo operatio libera non eſt operatio prima. Probatur minor . Operatio voluntatis ſupponit operationem intellectus , quia nil volitum , quin præcognitum : ergo operatio voluntatis non eſt operatio prima . III. Poteſt ſalvari in Angelis in primo inſtanti libertas abſque eo, quod poſſint in inſtanti illo peccare : ergo etiam ſuppoſita in ipſis libertate , peccare non poſſunt . Probatur Antecedens . Eſt in Angelis in primo inſtanti libertas contradictionis ad omittendum phyſice & naturaliter , non moraliter & culpabiliter; ſed hæc ſufficit : ergo poteſt ſalvari &c. Probatur major . Omiſſio moralis & culpabilis debet eſſe volita : ergo eſt actus voluntatis: ergo non poteſt eſſe in primo inſtanti . Ulterius ; importat actum pravum omiſſio moralis & culpabilis; ſed hic actus eſt poſitivus, & importat libertatem contrarietatis : ergo ut ſit libertas contradictionis , ſufficit ut ſit ad omittendum phyſice & naturaliter , non moraliter , & culpabiliter . IV. Voluntas peccat volendo malum ut bonum ; ſed non poteſt voluntas hoc velle, niſi intellectus ei proponat malum ut bonum ; & intellectus hoc proponendo errat, & operatur actu poſitive defectuoſo : ergo non poteſt voluntas peccare , niſi intellectus erret actu poſitive defectuoſo ; ſed hic actus non eſt in Angelis in primo inſtanti : ergo in eodem inſtanti non poteſt in Angelis eſſe peccatum . V. Actus intellectus in Angelis , non præſupponens actum voluntatis , provenit a Deo ; ſed actus intellectus in primo inſtanti , ad quem conſequeretur peccatum, non præſupponeret actum voluntatis : ergo proveniret a Deo ; atqui adhuc actum intellectus conſequeretur peccatum : ergo ſi hic actus intellectus eſſet a Deo , a Deo etiam eſſet peccatum. VI. Angelus in primo inſtanti habuit gratiam ſanctificantem ; ſed cum gratia ſanctificante non poteſt ſtare peccatum : ergo Angelus in primo inſtanti non potuit peccare . VII. Omnis operatio libera præſupponit operationem neceſſariam; ſed Angelus in primo inſtanti habuit operationem neceſſariam : ergo in primo inſtanti non potuit habere operationem liberam . Probatur major . Electio libera procedit ex præexiſtente neceſſaria intentione finis : ergo omnis operatio libera &c. VIII. In primo inſtanti nullus Angelus peccavit : ergo nullus Angelus peccare poterat . Probatur conſequentia . Ex tot millibus Angelorum , ſi potuiſſent Angeli peccare , imperceptibile eſt , quod nullus ipſorum in primo illo inſtanti peccaverit: ergo ſi nullus peccavit , ſignum eſt quod nullus peccare poterat IX. Operatio , quæ incipit cum primo eſſe rei productæ, eſt connexa neceſſario cum natura ipſius : ergo debet procedere ab agente, ac illius eſſe auctore : ergo actio peccaminoſa ſi fuiſſet in Angelis in primo inſtanti , fuiſſet a Deo , quia fuiſſet cum primo eſſe Angeli producti, & neceſſario connexa cum natura ipſius. X. Nullus poteſt peccare , niſi ſit juſtitiæ debitor ; Angelus in primo inſtanti non fuit juſtitiæ debitor : ergo &c. Probatur minor a S. Anſelmo de caſu Diaboli c. 12. & 14. Angelus in primo inſtanti juſtitiam non accepit : ergo non fuit juſtitiæ debitor. XI. Operatio proce-

dens

Digitized by Google

dens a natura, ſecundum ioclinationem naturæ, tribuitur ipſius naturæ auctori; ſed operatio, quæ incipit cum primo eſſe rei, eſt operatio procedens a natura ſecundum inclioationem naturæ: ergo tribuitur ipſius naturæ auctori: ergo peccatum Angelorum in primo inſtanti Deo tribueretur.. XII. Angelus primum velle non hebet a se, ſed ab alio; ſed nemo peccare poteſt per velle non habitum a se, ſed ab alio: ergo Angelus non poteſt habere primum velle pecaminoſum. Major eſt S. Anſelmi de caſu Diaboli c. 13. *Si primum velle a se habet, aut hoc eſt volens, aut nolens. Si volens: igitur illud non eſt primum velle: Si nolens, idem ſequitur; quia ante illud velle illud: Igitur voluit illud non eſſe: igitur aliud voluit.*

Reſpondemus ad I. dicendo, quod cum indifferentia non eſt incompoſſibilis determinatio, ſicut cum actu primo non eſt incompoſſibilis actus ſecundus. Ratio eſt, quia determinatio libera addit quidem aliquid ſupra indifferentiam, at non deſtruit ipſam indifferentiam, ſicut deſtruit determinatio neceſſaria. Et quanvis videatur, quod indifferentia ſit indeterminatio, adeoque carentia determinationis; hoc tamen eſt verum de indeterminatione negative accepta, non vero de indeterminatione ſumpta poſitive; & ſic poteſt cum una ſtare determinatio libera, & non cum altera. Quod ſi cum indifferentia poteſt ſtare determinatio libera, poteſt etiam utraque eſſe in eodem temporis inſtaoti; & ſufficiens eſt, quod una alteram natura, non tempore, præcedat.

Ad II. Dicitur, quod operatio libera non poteſt eſſe prima primitate naturæ, poteſt autem eſſe prima primitate temporis; adeoque non poteſt eſſe operatio primi inſtantis naturæ, poteſt tamen eſſe operatio primi inſtantis temporis. Inſtans autem creationis eſt inſtans temporis; unde ad hoc ut aliqua operatio ſit ab Angelo in primo inſtanti creationis, ſufficit, ut ſit prima primitate temporis, quaovis non ſit prima primitate naturæ. Verum eſt autem, quod ſubditur, nihil ſcilicet eſſe volitum, quod non ſit præcogoitum, ſi intelligatur vel tempore, vel natura, non autem ſi intelligatur ſemper tempore. Et ſi dicatur, quod cognoſcere & velle ſunt duo actus, adeoque requirunt differentiam temporis; dicimus, hoc eſſe verum in ſubſtantiis intellectualibus, qui mora temporis diſcurrunt, & volunt; non autem in Angelis, qui diſcurſu non indigent, & omnia poſſunt ſimplici & inſtantanea inſpectione percipere.

Ad III. Argumentum non poteſt procedere in ſententia illorum, qui ſuſtinent, omiſſionem etiam culpabilem poſſe eſſe puram, nec debere eſſe volitam actu poſitivo. Quod dicitur, omiſſionem actus voliti per actum poſitivum pertinere ad libertatem contrarietatis, negatur, & eſt ab Adverſariis probandum. Tandem, ſi libertas in Angelo in primo inſtanti eſt ad omitteodum phyſice tantum, & naturaliter, erit etiam ad operandum phyſice tantum, & naturaliter: Unde ſi Angelus in primo inſtanti non poteſt omittere culpabiliter, & demeritorie, neque pro eodem inſtanti poterit operari meritorie, & laudabiliter.

Ad IV. Intellectus proponit malum ut bonum, quod ſimul exiſtat cum tali malo, non vero ut bonum, quod ſit oppoſitum tali malo. Si enim proponatur actus libidinoſus, qui eſt malus malitia honeſtati oppoſita, ut bonus bonitate delectabili vel utili, quæ revera in tali actu cum illa malitia conjungitur, non eſt error, nec actus poſitive defectuoſus: Unde in rigore hoc non eſt proponere malum ut bonum, vel malum ſub ratione boni; ſed eſt proponere in objecto tum rationem mali, tum rationem boni; quanvis illud ſit verum malum, & hoc falſum bonum; unde decipitur voluntaa illud non evitando, & hoc amplectendo, & peccat.

Ad V. Actus intellectua eſt applicatio voluntatis angelicæ ad primo operandum per modum conditionis, quæ requiritur ad primo operandum, non vero per modum determinationis ad primo operandum, potius hoc modo, quam illo. Voluntas enim a ſeipſa determinatur, nona judicio practico, vel intellectus imperio, ut contendunt Thomiſtæ.

Ad VI. Angelus potuit peccare antecedenter ad gratiam, & abſolute, nulla ſcilicet facta ſuppoſitione gratiæ, & in hoc ſenſu a nobis, & ab aliis, defenditur concluſio. Quod idem eſt ac dicere, ut dicere ſolen in aliis Thomiſtæ, non in ſenſu compoſito cum gratia, ſed in ſenſu diviſo; unde dicebat Cacheranus, quod potuerunt peccare Angeli in primo iſtanti; quantum eſt de se; hoc eſt præſciodendo ab infuſione gratiæ, & ab ordinatione ad ſupernaturalem finem,

Ad

Digitized by Google

Ad VII. diſtinguitur major : Omnis operatio libera præſupponit operationem neceſſariam , quæ præexiſtat prioritate naturæ, conceditur; prioritate temporis, negatur . P.Neri diſtinguit ſic : Præexiſtente in aliquo tempore, ſeu in aliquo priori temporis in quo , negat ; a quo , concedit . Diſtinguit pariter ; peccatum ſupponit antecedenter aliam actionem neceſſariam in aliqua prioritate a quo, concedit; in quo , negat .

Ad VIII. Ab eo , quod eſt de facto , ad illud , quod poteſt eſſe , non valet conſequentia ; quando illud , quod poteſt eſſe non repugnat intrinſecis rei . Homo de facto creatus eſt rationalis , non potuit creari irrationalis , quia eſſentia ipſius eſt rationalitas ; idem homo de facto creatus eſt loquens , potuit creari non loquens , quia loquela non eſt ex intrinſecis ipſius.

Ad IX.Si peccatum in primo inſtanti tribueretur Deo , ut illius peccati cauſſæ , quia Deus Angelis tribuiſſet voluntatem in illo inſtanti , ſeu potius produxiſſet , ipſiſque infudiſſet omnia principia , quibus peccare poſſent ; quum hæc omnia Deus pro aliis inſtantibus ſubſequentibus feciſset , ſequeretur , quod etiam peccati pro alio ſequenti inſtanti auctor fuiſſet Deus; quod non eſt dicendum . Ulterius; ſi Angeli non potuerunt in primo inſtanti peccare , quia peccatum fuiſſet Dei: ergo neque potuerunt mereri , quia totum meritum fuit Dei ; quæ quidem eſt reſponſio Scoti .

Ad X. Negamus majorem cum Scoto; & ratio eſt, quia ſi ſemel eſt verum, quod Angelus in primo inſtanti non fuerit juſtitiæ debitor, quia eam non acceperat ; ſequitur pariter,quod Angelus ſemper exiſtens in peccato mortali , nunquam eſſet juſtitiæ debitor ,quia nunquam eam accepiſſet . Quod omnino eſt improbandum; ut ait Fraſſen .

Ad XI. Defectus cauſſæ ſecundæ in agendo nunquam tribuendus eſt primæ , ſed ipſimet cauſſæ ſecundæ ; & hoc non minus, quando recipit primum eſſe , ſed pro omni inſtanti conſequente ; quia pro omni inſtanti conſequente conſervatur illi eſſe a Deo ; conſervatio autem eſt continuata productio . Ulterius cum concurſu Dei creaturæ operantur : ergo quemadmodum ipſarum peccata Deo non tribuuntur, qui cum ipſis concurrit ; ita nec Deo peccatum Angelorum fuiſſet Deo tribuendum , quia Angeli a Deo primum eſſe receperunt .

Ad XII. dicit Scotus , quod ſicut Angelus poteſt habere a ſe velle ſecundum , ita & potuit a ſe habere primum velle;& pro ratione ponit , quod alioquin poneretur proceſſus in infinitum . Hæc ſunt verba Scoti , quæ afferuntur a Fraſſen : *Quæro, a quo primum habet velle ? Aut a ſe , per aliam volitionem , aut ſine alia volitione : Si ſine alia volitione : ergo voluntas poteſt a ſe habere primam volitionem abſque alia : Si per aliam : ergo illam aliam debet habere per aliam , & illam rurſus per alteram , & ſic neceſſario erit proceſſus in infinitum .*

DISSERTATIO CXL.

De Loco Angelorum ; An Angeli ſint in loco ? In quibus reperiantur locis ? Quomodo , & per quid , ſint in loco ? Ubi de Sphæra præſentiæ Angelorum , ſecundum P. Magnanum .

PRiſeis ſane temporibus , quibus nondum ſatis perſpectæ theologicæ res erant , Patres aliquot de Angelorum loco per oppoſita , & quidem extrema , loquuti ſunt. Siquidem affirmantes quidam Angelos eſſes in loco , eos tamen non ſpiritus , ſed ſubtilia corpora , vel ex aere, vel ex igne, conflata, aſſeverabant . Alii vero negantes eſſe corpora , in loco eſſe , omnino ſunt inficiati. Ex primis fuiſse volunt Baſilium lib. de Spiritu Sancto c. 16. ſic loquentem : *Subſtantia eorum eſt aereus , ſi forte , ſpiritus , aut ignis expers materiæ; quemadmodum ſcriptum eſt : Qui facit Angelos ſuos Spiritus, &c. Ideo & in loco ſunt, & ſpectabiles ſiunt ,* atque in iis, qui digni ſunt,

ſunt, apparent in propriorum corporum forma. Quomodo Baſilii verba ſint intelligenda, abſque Baſilii cenſura, ſuo loco diximus. Ex aliis vero fuiſse aſserunt Nyſſenum, qui in lib. I. contra Eunomium hæc ſcribebat: *Nemo adeo puerili eſt ingenio, qui in natura intelligente, & incorporea, differentiam loci reperiri exiſtimet. Loci enim poſitio propria eſt corporum; quod autem natura eſt intelligens, & materia caret, longe ab omni ratione loci eſt, ut omnes confitentur*. Sine etiam cenſura Nyſſeni verba intelligimus, ſi dicamus, illum avertere ab Angelis modum eſsendi in loco circumſcriptive, qui proprius eſt corporum, non vero definitive, qui ſpiritibus convenit; ut ſuo loco fuſius explicabitur.

Poſt horum Patrum varium, & non ſatis congruum, diſcurrendi modum, Scholaſticorum quorundam magis quidem improprium, & non ſatis ſibi conſtantem, opinandi ſenſum ſuperaddimus. Siquidem dixiſse fertur, Angelos, aut ubique, aut nullibi, eſse. Immo & Durandus in I. diſt.37. 2.p. diſtinct.q.1. ſcripſit, ſubſtantiam Angeli eſse præſentem ubique, & modo illo, quo ipſi convenit eſse in loco, non eſse magis in hoc, quam in alio loco. Unde non vult Angelos eſse præſentes in loco nec per ſubſtantiam, nec per operationem, ſed per præſentiam ordinis; per quam Angelus eſt præſens, ut ait, cuilibet corpori, quod movere poteſt. Et quia omnia corpora Angelus movere poteſt, inde ipſum aſserit ubique eſse.

Ex his autem opinionibus, illa, quæ aſserit, Angelos nullo modo eſse in loco, a S. Thoma in I. diſt.37. q.3. ar.1., hæretica dicitur; Sententia vero eidem oppoſita a Vaſquez appellatur ſententia catholica, & a Valentia aſseritur ex fide certiſſima. Opinio vero Durandi ab eodem Valentia temeritatis nota inuritur; a Molina parum tuta in fide vocatur; ab aliis mitius ſcribentibus dicitur, quod cenſuram effugere non poſſit. At ſunt quoque qui Durandum excuſant, aſserentes, quod ipſe aperte dixerit, ſe non aſserendo, ſed inquirendo, diſputare.

Dicimus I. Angelos vere eſſe in loco certo & determinato; non vero nullibi, nec ubique.

I. Probatur ex Scripturis. Apocal. 12. *Locus eorum non eſt amplius inventus in cœlo*. Zachariæ 2. *Ecce Angelus, qui loquebatur, egrediebatur in occurſum ejus, & dixit ad eum, curre, loquere ad puerum iſtum*. Job. 1. Satan dicit: *Circuivi terram, & perambulavi eam*. Tobiæ 5. Raphael Angelus inquit: *Omnia itinera ejus frequenter ambulavi*. Ex his, aliiſque ſimilibus, habetur primo, Angelos non eſſe nullibi, ſunt enim alibi; ut in iiſdem conſpicitur; ſecundo, non eſſe ubique; dicitur enim, quod ſint in determinato loco, & quod de loco ad locum progrediuntur; tertio manifeſtatur, eſſe in loco certo, & deſignato; ut conſideranti innoteſcit.

II. Probatur ex Patribus. Baſilius de Spiritu Sancto c. 6. *Cæterarum porro virtutum ſingulæ certo circumſcriptæ loco eſſe creduntur; Etenim Angelus ille, qui Cornelio adſtitit, non erat eodem tempore apud Philippum; neque qui ex altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore propriam in cœlo ſtationem obibat. At Spiritus ſemel & in Habacuc operatus eſt, & in Daniele apud Babilonem creditur*. Theodoretus q. 3. in Geneſ. *Quæ autem ab initio aliquo cœperunt eſſe, ſunt circumſcripta; quare licet expertam corporum fateamur eſſe naturam Angelorum, circumſcribi tamen aſſerimus illorum ſubſtantiam*. Nyſſenus lib. 1. cont. Eunomium: *Fieri non poteſt, ut quæ creatione producta ſunt, aut fiunt, non omnino in loco, vel in tempore habeant, ut exiſtant. Sola nullius egens, & æterna, ac res omnes complexa natura, neque in loco eſt, nec in tempore*. Gregorius magnus lib 2. moral. *In hoc eſt nunc natura angelica a natura noſtra conditione diſtincta, quod nos & loco circumſcribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur; Angelorum vero Spiritus loco quidem circumſcripti ſunt; ſed tamen eorum ſubſtantiæ longe ſuper nos incomparabiliter dilatantur*. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 3. *Circumſcripti ſunt*, (Angeli) *quoniam cum in cœlo ſunt, non ſunt in terra; cum in terram a Deo mittuntur, non manent in cœlo*.

III. Probatur Rationibus. I. Ideo Angeli eſſent nullibi, quia ſunt ſpirituales; ſed Deus etiam eſt puriſſimus ſpiritus, & tamen non eſt nullibi, quia eſt ubique: ergo ratio illa non concludit. II. Angeli ſunt Deo intime præſentes: ergo ſunt in aliquo determinato loco. Antecedens eſt certum; conſequentia ſequitur; quia intima præſentia debet eſſe in aliquo determinato loco. III. Quando fuerunt Angeli creati, vel ſteterunt ſemper in eo loco, in quo creati fuerunt; vel se moverunt; ſi primum: ergo modo non ſunt in cœlo empyreo, quum ex probatis a nobis extra hoc cœlum creati fuerint: ergo a Deo non mittuntur, contra expreſsa Scripturarum

rarum

rarum teſtimonia: ergo non ſunt in inferno, etiam poſt peccatum & expulſionem; quæ omnia ſunt manifeſta abſurda: Si ſecundum: ergo habent determinatum locum, quum illum mutare poſſint, & mutent. IV. Angeli operantur in loco: ergo ſunt in vero & determinato loco. Conſequentia ſequitur; nulla enim effectrix cauſa operari poteſt, ubi non eſt. Antecedens eſt certum; quia movent corpora in obſeſſis, apparent hominibus, & alia operantur, quæ in Scripturis legimus. V. Angelus, quanvis ſit ſpiritus, eſt tamen limitatus: ergo non eſt ubique. Probatur conſequentia. Deus eſt ubique, non quia ſpiritus eſt, ſed quia eſt illimitatus, & immenſus: ergo ſi Angelus eſt limitatus, quantumvis ſit ſpiritus, non eſt immenſus: ergo non eſt ubique. VI. Inter articulos damnatos a Stephano, Pariſienſi Epiſcopo, in cap. 1. hic tertius ſcribitur: *Angelus, vel Anima ſeparata, nuſquam eſt.* Teſtatur Sylvius 1. p. q. 52. ar. 1., & referunt Jueninus, Fraſsen, aliique paſſim.

Objiciunt I. Didymus lib. 1. de Spirit. Sanct. negat expreſſe, ſpirituales creaturas loco & finibus circumſcribi; & lib. 2. inquit: *Loca & commutationes locorum ab incorporalibus ſeparamus.* II. Baſilius hom. 30. de Paradiſo: *Locum eſſe præcipue corporis, animam vero ex conſequenti, ac velut acceſſionis inſtar, eſſe in loco propter habitudinem ad corpus, cum ex naturæ ſuæ proprietate loco minime circumſcribatur.* Multo magis hoc dicendum eſt de Angelis, qui Spiritus ſunt, & ordinem ad corpora non dicunt. III. Boetius de Hebdomadibus: *Communis animi conceptio, quæ omnibus videtur, eſt, incorporeum non eſſe in loco:* Angelus ergo quum ſit incorporeus, non eſt in loco. IV. Loci nomine intelligunt Philoſophi ultimam ſuperficiem corporis continentis immobilis; implicat autem ut Angelus a corpore contineatur: ergo Angelus non eſt in loco. Probatur minor. Continens eſſe debet actualius contento; ſed nullum corpus eſt actualius Angelo: ergo implicat ut Angelus a corpore contineatur. V. Angeli vel ſunt in loco circumſcriptive, vel definitive; non circumſcriptive, quia eſt proprium corporum eſſe circumſcriptive in loco; non definitive, quia eſt proprium Dei eſſe in loco definitive: ergo nullo modo ſunt in loco. VI. Admiſſo quod Angeli ſint definitive in loco, non poſſunt dici in rigore eſſe in loco: ergo non ſunt in certo & determinato loco. Probatur antecedens. Eſſe definitive in loco eſt eſſe in loco improprie & metaphorice: ergo non poſſunt dici in rigore eſſe in loco. Probatur antecedens. Eſſe definitive in loco non convenit univoce, ſed analoge cum eſſe in loco circumſcriptive: ergo eſt eſſe in loco improprie, & metaphorice.

Reſpondemus ad I. intelligendum eſſe Didymum de loco circumſcriptive, & commenſurative conſiderato, non vero definitive. Certum eſt, quod eſſe circumſcriptive in loco tantum convenit corporibus compoſitis; ſpiritibus vero dicimus convenire eſſe in loco definitive. Audiatur Damaſcenus loco nuper citato; *Cum autem Angeli intelligentiæ ſint, etiam intelligibiliter in locis ſunt, non corporum more circumſcripti. Non enim ut corpora ſecundum naturam figurantur, neque triplici dimenſione conſtant, ſed eo ipſo ſunt in loco, quod intelligibiliter præſentes ſint.*

Ad II. eadem eſt reſponſio; & explicatur, ac confirmatur ab Auguſtino ep. 28. ad Hieronymum: *Porro ſi corpus non eſt, niſi quod per loci ſpatium aliqua longitudine & latitudine, ita ſiſtitur, vel movetur, ut majore ſui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minuſve ſit in parte, quam in toto, non eſt corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffuſione, ſed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota ſimul adeſt; nec minor in minoribus, & in majoribus major, ſed alicubi intenſius, alicubi remiſſius, & in omnibus tota, & in ſingulis tota eſt.*

Ad III. eadem quoque eſt reſponſio; quum enim incorporeum non habeat partes, non poteſt ita eſſe in loco, & totum correſpondeat toti loco, & quævis ejus pars cuilibet parti loci; quod eſt eſſe circumſcriptive in loco. Eſt tamen definitive, ſcilicet ut totum ſit in toto loco, & in qualibet parte loci; ut de anima rationali dicimus reſpectu corporis; & alii etiam dicunt de anima ſenſitiva animalium perfectorum, quam volunt indiviſibilem, & extenſam; & nonnulli quoque aſſerunt de minimis phyſicis, quibus pariter indiviſibilitatem cum extenſione, non quidem formali, ſed virtuali, ut ajunt, tribuunt.

Ad VI. dicitur, quod continens eſt actualius contento, ſi accipiatur per modum cauſſæ, non vero per modum loci, itaut reperiatur locatum totaliter intra locum. Ut autem percipiatur, qualiter Angelus indiviſibilis contineri poſſit inter ali-

quam corporis ſuperficiem, ſufficit, ut intelligamus, Angelum eſſe huic ſuperficiei præſentem. Unde non requiritur, ut ſit illa ultima ſuperficies Angeli, quia Angelus, quum non habeat partes, non poteſt in loco eſſe cum partium extenſione. Eſt autem ita, ut ſit penetrative intra partem illius corporis, cui præſens eſt. Ita ex Scoto reſpondet Fraſſen.

Ad V. Angeli non ſunt in loco circumſcriptive, quod eſt proprium corporum; non ſunt definitive immenſive, uti eſt Deus; ſed ſunt definitive tantum, quod eſt proprium ſpirituum. Sic autem eſſe definitive in loco participat de circumſcriptivo, & de immenſivo, aliquo modo; quatenus ſcilicet dicit, eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte loci, de immenſivo participat, quia Deus, qui eſt immenſive in loco, eſt etiam in toto, & in qualibet parte loci. De circumſcriptivo etiam, quatenus facit, ita rem eſſe præſentem uni loco, ut non ſit alteri loco præſens, quod competit quoque corporibus.

Ad VI. dicimus, quod ſufficit quod Angelus, per hoc quod eſt definitive in loco, ſit quoad ſubſtantiam, & entitatem ſuam vere præſens loco, ad hoc, ut dicatur eſſe in loco. Cæterum parum refert, an modus iſte eſſendi in loco ſit proprius, vel improprius, ſit verus, vel metaphoricus, reſpectu alterius; & quod non univoce, ſed analoge dicatur, nec pariter probat, quod intelligi debeat improprie, & metaphorice; nam, inquit Cajetanus, quod in omnium ſententia plura analoga dicuntur proprie, & rigoroſe de ſuis analogatis.

Pro ſecunda vero Diſſertationis parte, in qua quæritur, in quibus locis reperiantur Angeli, non intendimus loqui de locis, in quibus non permanendo, nec tanquam, ut ſic dicamus, in domicilio, ſed tantum tranſeundo, & per accidens reperiuntur. Si enim de his locis loqui velimus, innumera pene eſſent, quæ aſſignare deberemus; & nec quoque enumerare poſſemus omnia, quum nos omnino lateat Dei voluntas, quæ illos modo huc, modo illuc, mittit. Certum enim primo eſt, cujuſlibet hominis, vel provinciæ, vel regni, vel eccleſiæ, cuſtodem Angelum, apud illum eſſe, cujus eſt cuſtos; adeoque multos Angelos in terris degere; ut inferius videbitur. Certum quoque eſt, in Eccleſiis Catholicorum, & præcipue in illis, in quibus Chriſti corpus adſervatur, plurimos eſſe Angelos, ut illud perpetuo venerentur. Quod aſſeruit Concilium Aquiſgranenſe, ſub Ludovico Pio, c.132. *Nec dubitare licet, ubi corporis, & ſanguinis Domini geruntur myſteria, ſupernorum civium adeſſe conventus.* Et antea S. Joannes Chryſoſtomus lib.6. de Sacerdotio expreſſerat: *Per id tempus* (ſacrificii ſcilicet tempus) *& Angeli Sacerdoti aſſident, & cæleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt.* Certum inſuper eſt, malos Angelos in terris & Obſeſſos poſſidere, & homines tentare, & mala multa in probationem, vel in punitionem hominum, Deo ſic permittente patrare. His tamen in locis non permanentes, & tanquam in proprio loco, Angeli ſunt, ſed tranſeunter a Deo mittuntur, ut propria munera expleant, ſi ſunt boni; & ſi ſunt mali, etiam Deus permittit illis, ut in alieno loco officia illa in hominum aut bonum, aut malum, exequantur.

Dicimus II. Triplicem eſſe Angelorum permanentiæ locum; cœlum ſcilicet, infernum, & aerem.

I. Probatur ex Scripturis. Marci 13. *De die illo, vel hora, nemo ſcit, neque Angeli in cælo.* Luc.2. *Diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum.* Luc.22. *Apparuit illis Angelus de cælo.* Matth.28. *Angelus Domini deſcendit de cælo.* Apocal. 12. *Locus eorum non eſt amplius inventus in cælo.* II. Petri 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos in judicium reſervari.* Judas Apoſtolus in ſua epiſt. canon. n.6. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed reliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Job. 1. Satan Deo reſpondit dicens: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* I. Pet. 5. *Adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Ad Epheſ. 2. *In quibus aliquando ambulaſtis ſecundum Principem aeris hujus.* In eadem epiſtola c.6. dicuntur Dæmones *mundi rectores tenebrarum harum, ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*; & quod hic Apoſtolus intelligat aerea loca, teſtatur Hieronymus ad illa verba: *Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt, quod aer iſte, qui cælum, & terram medius dividens inane appellatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus.*

II. Probatur ex Patribus. Irenæus lib.2.c.6.

Multi

Multi ſunt,& innumerabiles circa Factorem Angeli , quemadmodum omnes confitentur Propheta , dena millia denum millium aſſiſterè ei , & multa millia millium miniſtrare ei . Theophilus Alexandrinus , qui circa initium quarti ſeculi floruit, ep.2.paſchali : *Feſtinemus ad Angelorum metropolim , qua libera eſt , & nulla malitia ſorde maculatur .* Auguſtinus lib. 11. de civit. c.32. *Ut volet quiſque accipiat , dum tamen Angelos ſanctos in ſublimibus cæli ſedibus, non quidem Deo coæternos,ſed tamen de ſua ſempiterna, & vera felicitate ſecuras, & certas eſſe , nemo ambigat* . Irenæus lib. 5. c. 24. *Diabolus , cum ſit unus ex Angelis his , qui ſuper ſpiritum aeris præpoſiti ſunt , quemadmodum Paulus Apoſtolus , in ea , qua eſt ad Epheſios , manifeſtavit , invidens homini , apoſtata a divina factus eſt lege* . Nyſſenus or. 1. *Neque tamen* (Diaboli) *idcirco vel die , vel nocte per aera oberrare unquam ceſſant , flagitiorum auctores , & miniſtri* . Ambroſius ad c.6. ad Epheſ. *Ipſe enim eſt, cujus ſatellites ſunt, quos tenebrarum harum dicit rectores, ſpiritus nequiſſimi , qui degunt in cæleſtibus, in firmamento mundi* . Hieronymus ad c. 25. Iſai. *Hos igitur principes , qui ſuum non ſervaverunt principatum, congregabit Dominus in die judicii , quaſi in una faſce pariter colligatos , & mittet in lacum inferni , &c.* Auguſtinus lib. 8. de civit. c. 22. *In hoc quidem aere habitant* . Et lib.de natura boni cont.Manichæos c.33. *Quamvis jam pœnaliter hunc infernum , hoc eſt inferiorem caliginoſum aerem tanquam carcerem acceperint ; quia tamen aer quandoque & cœlum dicitur , non illud , in quo ſunt ſydera , ſed hoc inferius , cujus caligine nubila conglobantur , & ubi aves volitant , &c.*

III. Probatur Rationibus. I. Ex Angelis aliqui permanſerunt boni,aliqui effecti ſunt mali; ſed boni debebant a Deo præmium habere , mali autem ſupplicium : ergo ex illis aliqui præmio in cœlo perfruuntur , & aliqui ſupplicium in inferno ſuſtinent. II. Potuit Deus alium carcerem præter infernum Angelis malis dare;ſed hic carcer alius non eſt per ſanctos Patres , niſi aer iſte , qui mediat inter cœlum, & terram : ergo vere in aere iſto tanquam in loco permanenti mali Angeli habitant . Probatur minor ex S.Hieronymo ad cap. 6. ad Epheſ. ubi teſtatur , omnium Doctorum opinionem eſſe , quod aer iſte plenus ſit contrariis fortitudinibus . Hoc ipſum affirmant Auguſtinus lib. 3. de Gen. ad lit. c. 10. , idem Hieronymus in c. 2. ad Epheſ. , Baſilius hom. 9. , idem Auguſtinus Enchirid. c. 26. , lib. 1. de civit.c. 19.,lib. 11. c.33.,lib. 14.c.3., lib. 11., de Gen.ad lit. c.26., lib.3.de Trinit.c.7., lib.de natur. boni c.33. III. Sicut in cœlo ſunt boni Angeli , qui ſunt ſanctarum animarum ſocii , ita ſunt in inferno mali Angeli , qui ſunt damnatarum animarum tortores ; at quia etiam præter cœlum ſunt Angeli in terra , qui animas cuſtodiunt : ergo non mirum , ſi pariter in aere ſunt Dæmones, qui animas tentant; non ſunt autem in terra , ut ait Magiſter ſententiarum apud Eſtium , ne homines nimis infeſtent ; quamquam & aliqui ſint etiam in terra, ſed tranſeuntes , non permanentes, ut diximus.

Obſtant I. Ex II. Petri 2.dicitur, omnes malos Angelos in infernum deſcendiſſe : *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* : ergo non ſunt in aere , tanquam in loco proprio , ac firmo . II. Omnes Angeli , tanquam in proprio, ac permanenti loco , ſunt in cœlo : ergo omnes Dæmones , tanquam in proprio, ac permanenti loco, ſunt in inferno. III. Ex Epiſtola Judæ n. 6. habetur , Angelos omnes apoſtatas reſervatos fuiſſe vinculis æternis ſub caligine : ergo nulli in aere remanſerunt. IV. Ex Scripturis, & Patribus pariter habemus, malos in terris verſari ; & experientia etiam docet , tum ex obſeſſione hominum a Dæmonibus , tum ex familiari Dæmonum cum hominibus habitatione, & converſatione, tum denique ex fere continua Dæmonum cum hominibus , & in homines , tentatione , & conflictatione: ergo potius in terra,quam in aere verſantur.

Reſpondemus ad I. cum S.Thoma 1.p.q.64. ar. 4. ita S.Petrum dixiſſe Angelos omnes prævaricantes fuiſſe detruſos in infernum , ut intellexerit de majori eorum parte , non vero rigoroſe de omnibus . Cæterum verbum illud *omnes* in Petri auctoritate non legitur ; unde non eſt convincens ratio , qua vere de omnibus , & non de majori parte, eam intelligamus.

Ad II. Idem S.Thomas cit. loc. apud Eſtium dicit,duplicem eſſe locum a Deo aſſignatum Angelis, & Dæmonibus ; unum, qui reſpondeat meritis illorum , & hic locus pro Angelis eſt cœlum , pro Dæmonibus infernus ; alterum ex divina peculiari ordinatione , facta propter homines; & hic locus pro Angelis eſt terra , pro Dæmonibus eſt aer ; in terra enim degunt Angeli, qui homines cuſtodiunt, regunt,&c.

& in aere ſunt Dæmones , qui homines tentant , perſequuntur, atque divexant.

Ad III. Quanvis Angeli mali in infernum fuerint a Deo detruſi, permittit tamen illis , ut ex illo exeant , & per aerem curſitent , ad homines infeſtandos. Sic permiſit Dæmonum principi, ut in voluptatis paradiſo primos homines ad peccatum induceret ; & poſt illorum peccatum permittit quoque aliis Dæmonibus, ut ex inferno exeant,& in aere permaneant, tanquam in proprio loco,ut homines ad peccandum provocent . Et quanvis diximus,terram non eſſe ob inde Angelorum locum proprium, & permanentem , Dæmonum tamen aer hujuſmodi eſt locus , quia Scripturæ , & Patres , ſic eum indigitare non ſemel videntur .

Ad IV. Verſantur quidem mali Angeli in terris , ſed non tanquam ad vexandum homines proprio , & permanenti loco . Igitur duplex eſt locus permanentiæ malis Angelis ; infernus ad ſupplicium ipſorum , aer ad infeſtandos homines ; unus vero eſt locus tranſitus , ſcilicet terra , in qua homines tentant,obſident,decipiunt, divexant , &c. Angeli vero boni ſolum paradiſum habent permanentiæ locum ; habent etiam terram , in qua homines cuſtodiunt , & regunt , ſed non ut domicilii , at tantum ut hoſpitii locum . Scripturæ enim , & Patres , quæ de Dæmonum habitatione in aere proferunt , de Angelorum in terra non docent .

Pro tertia Diſſertationis parte, in qua quæritur , quomodo Angeli ſint in loco, ſenſus eſt , an ſint circumſcriptive , an vero definitive ? Et pro ea explicanda

Dicimus III. Angelos non eſſe circumſcriptive , ſed definitive , in loco , non vero immenſive .

I. Probatur . Eſſe in loco circumſcriptive importat in locato eſſe partes , quæ reſpondeant partibus loci ; atqui Angeli nullas habent partes : ergo Angeli non ſunt circumſcriptive in loco . Minor patet ex dictis ; quum enim Angeli ſint puri ſpiritus , ſunt omnino ſimplices, indiviſibiles, ac partibus expertes. Major probatur . Eſſe circumſcriptive in loco eſt ita eſſe , ut totum locatum reſpondeat toti loco , & quælibet pars locati reſpondeat cuilibet parti loci; ſed ita reſpondere importat, in locato eſſe partes , ſicut ſunt in loco , quibus partibus locati partes reſpondeant : ergo eſſe in loco circumſcriptive importat , in locato eſſe partes, quæ reſpondeant partibus loci .

II. Probatur . Eſſe in loco definitive eſt ita eſſe in loco , ut locatum reſpondeat toti loco , & cuilibet parti loci ; ſed Angeli hoc modo ſunt in loco : ergo ſunt definitive in loco . Probatur minor . Res , quæ eſt omnino ſimplex , non compoſita , indiviſibilis, ita eſt in loco; ſed Angeli ſunt ſubſtantiæ omnino ſimplices , non compoſitæ , indiviſibiles : ergo Angeli hoc modo ſunt in loco . Minor patet ex ſuperius probatis; quum enim Angeli ſint puri ſpiritus , ſunt ſubſtantiæ omnino ſimplices, non compoſitæ, indiviſibiles .

III. Probatur . Rem eſſe definitive in loco , non vero immenſive,eſt eam comprehendi loco, itaut contineatur certo ſpatio, & non ſit alibi ; ſed Angeli ita ſunt in loco: ergo ſunt in loco definitive , & non immenſive . Probatur minor . Angeli ita ſunt in uno loco , ut non ſint in alio , & ita certo ſpatio continentur, ut non contineantur alio ſpatio : ergo &c. Antecedens patet ; quia in hoc Angeli a Deo diſtinguuntur , quia Deus , quum ſit immenſus , nullo ſpatio, nullo loco comprehenditur .

IV. Probatur ex P.Magnano . Angeli non ſunt formaliter extenſi , ſed tantum virtualiter : ergo non ſunt circumſcriptive in loco , ſed tantum definitive . Antecedens eſt certum ; quia extendi proprie, & formaliter convenit ſolis quantis habentibus partes impenetratas,ſeu extra se invicem poſitas ; res autem ſimplices , nullas habentes partes , extenſionem propriam , & formalem habere non poſsunt, ut patet : At quia ſunt in loco æquivalenti modo dictæ extenſioni , quatenus res indiviſibilis correſpondet loco diviſibili; inde eſt, quod habent extenſionem æquivalentem extenſioni formali, quæ eſt extenſio virtualis . Conſequentia ſequitur ex explicatione modo facta extenſionis formalis , & virtualis ; ſi enim extenſio formalis dicit partes : ergo importat eſse in loco circumſcriptive ; & ſi extenſio virtualis non dicit partes , niſi tantum æquivalenter : ergo importat eſse tantum in loco definitive . Unde P. Magnanus in Philoſophia naturæ c.17.propoſit. 11.ait : „ In loco eſt alio quodam modo, „ qui æquivalet eidem dictæ extenſioni, ex „ quo vocatur extenſio virtualis ; videlicet „ per ſuam ſubſtantiam ut indiviſibiliter ſe „ tota reſpondentem toti extenſioni loci,& „ ſingulis ejus partibus ; quod quidem „ prop.8. dixi , eſse id , quod communiter „ vocatur , eſse definitive in loco . Ratio- „ na-

„ nalis anima eſt in toto corpore, quod in-
„ format ; & Angelus eſt in toto ſpatio ,
„ quod eſt æquale ſphæræ præſentiæ ip-
„ ſius ; ita eſt Deus in toto hoc univerſo. „

Arguunt I. Athanaſius in epiſt. ad Serapionem docet : *Angeli conſiſtunt in certis locis, loco circumſcribuntur*: ergo ſunt circumſcriptive in loco. II. Gregorius magnus lib. 2.moral. c.3. inquit: *Circumſcriptus eſt Angelicus Spiritus* : ergo convenit Angelis eſse circumſcriptive in loco. III. Unus Angelus divinitus eſse poteſt in pluribus locis; quum ergo ſit definitive in loco, & ab uno loco non coarctetur; ſequitur, quod ſit eodem modo in loco, quo Deus eſt; atqui hoc dici non poteſt: ergo non eſt Angelus definitive in loco; vel ſaltem non valet allata differentia inter Angelum, & Deum, quoad locum. IV. Extenſio virtualis eſt inſufficiens ad probandum, eſse Angelos definitive in loco: ergo nulla eſt ratio P. Magnani. Probatur antecedens. Extenſio virtualis tribuitur etiam ab aliquibus Peripateticis animabus animalium perfectorum; & ab aliis Philoſophis adhuc conceditur minimis phyſicis; & tamen iſta non ſunt definitive in loco, quia non ſunt ſpiritus, ſed corpora: ergo extenſio virtualis eſt inſufficiens ad probandum, eſse Angelos definitive in loco.

Reſpondemus ad I.Athanaſium per verbum circumſcribi non intelligere aliud, quam comprehendi; hoc eſt coarctari Angelum in uno loco, non vero extendi ad omnia loca, ſicut extenditur Deus, quia eſt immenſus. Unde per verbum illud voluit diſtinguere Angelum a Deo; quatenus Deus nullis locis circumſcribitur, comprehenditur, coarctatur, ſed omnia excedit; Angelus vero, quia eſt finitus, limitatus, non immenſus, ſuo tantum loco circumſcribitur, comprehenditur, coarctatur, & ad alia loca nun ſe extendit.

Ad II. Gregorius pariter facit differentiam inter Spiritum Deum, & Spiritum angelicum; quatenus Spiritus, qui eſt Deus, non eſt circumſcriptus, quum ſit infinitus, illimitatus, immenſus; Spiritus vero angelicus eſt circumſcriptus, quia eſt finitus, limitatus, non immenſus. Unde quanvis aliquo modo conveniant in ratione ſpiritus, & per hoc etiam conveniant in ratione eſſendi in loco, quæ eſt propria ſpiritus, hoc eſt eſſe definitive; diſconveniunt tamen in ratione immenſitatis; quia, ut diximus, Deus eſt in loco definitive immenſive, Angelus vero definitive, non immenſive.

Ad III. primo dicimus, quod Angelus poteſt eſſe in pluribus locis non naturaliter, ſed ſupernaturaliter; Deus autem quia natura ſua eſt immenſus naturaliter eſt, & non eſſe poteſt, in multis locis. Secundo ſubdimus, quod Deus non eſt in multis locis, in quibus non ſunt, ſed poſſunt eſſe Angeli divinitus, ſed eſt in omnibus locis, & eſt etiam extra omnia loca; in quibus nec eſt, nec poteſt eſſe Angelus, quia non eſt immenſus.

Ad IV. Io ſententia illorum, qui ponunt animas animalium perfectorum indiviſibiles, & extenſas, & in illorum hypotheſi, qui admittunt minima phyſica pariter indiviſibilia, & extenſa; quia tam anima eſt in toto animali, & in qualibet animalis parte, quam minimum phyſicum eſt in toto loco, & in qualibet loci diviſibilis parte, tam anima illa, quam minimum phyſicum, dicuntur eſſe definitive in loco. Nec per hoc dici poſſunt ſpiritus, quia per alia capita a ſpiritibus ſecernuntur, ut apud illarum opinionum propugnatores videre eſt.

Pro quarta demum Diſſertationis parte, in ſua quæritur, per quid Angeli ſint in loco, intelligimus, quod Angeli ita ſunt in aliquo certo, ac determinato loco, ut talem locum reſpiciant vage, & indeterminate; unde ſecundum ſe ſunt indifferentes, ut ſint in hoc, vel alio loco. Hinc opus eſt, ut ab aliquo determinentur, ut ſint potius in uno, quam in alio. Hoc quidem formale determinativum eſt illud, per quod Angeli ſunt in loco. In hoc vero determinativo aſſignando variæ ſunt Scholaſticorum opiniones, quas hic enumeramus.

Prima opinio eſt illorum, qui dicunt, hoc determinativum eſſe ſimplicem entitatem ſuperadditam angelicæ ſubſtantiæ. Modaliſtæ omnes hanc opinionem defendunt; inter ſe tamen dividuntur, quia aliqui ipſorum dicunt, entitatem illam eſſe modum abſolutum, quo ſubſtantia angelica unitur corpori; & hujus ſententiæ eſt Vaſquez, Alarcon, qui citant etiam Henricum. Alii vero afferunt, eſſe modum quendam, cujus effectus formalis eſt reddere Angelum præſentem tali determinato ſpatio loci, vel realis, vel imaginarii; & hanc ſententiam tuentur Molina, Suarez, Lugus, Bubalus, Arriaga, Quiros, Averſa, Herincx &c.

Secunda opinio eſt docentium, Angelos eſſe formaliter in loco per complexum, ſeu ſimultatem propriæ ſubſtantiæ cum loco. Defenditur a Richardo, Maderno, Gabrie-

Digitized by Google

briele, Scoto, S. Bonaventura, aliiſque. Aliqui tamen admittuot ubi ſuperadditum, ſeu ubi intrinſecum diſtinctum; ut ſunt Richardus, & Madernus, P. Neri &c., alii vero nulla facta hujus mentione voluut, Angelos eſſe in loco ratione ſuæ limitationis, ſeu ratione ſubſtantiæ limitatæ; ut ſunt Scotus, Bonaventura, Gabriel &c., alii denique negantes ubi ſuperadditum, aſſerunt, Angelos eſſe in loco præciſe per ptopriam ſubſtantiam; ut ſunt VVadingus, Martinoo, P. Magnanus &c.

Tertia ſententia eſt Thomiſtatum, qui defendunt, Angelos eſſe in loco per operationem. Sed inter ſe dividuntur Thomiſtæ; aliqui enim tuentur operationem immanentem, applicativam tamen Angeli ad tranſeunter operandum; vel clarius intelligunt operationem per applicationem virtutis angelicæ ad operatiooem tranſeuntem in tali loco habendam; & ſunt Medina, Bannez, Cajetanus, Thomas de Argentina &c. Alii defenduot operationem tranſeuntem, quam Angeli actu exercent in loco; & dum de operatione non conſtat, recurrunt ad operationem occultam; & ſunt Ferrarienſis, Ægidius, Salmaticenſes &c. Alii demum intelliguot vel operationem tranſeuotem, vel aliquod, quod ſit inſtar operationis; & ſunt Joannes a S. Thoma, Gonetus &c.

Dicimus IV. Angelos eſſe in loco noo per operationem, quomodocunque a Thomiſtis explicatam, ſed per propriam ſubſtantiam præciſe abſque ubi intrioſeco ſuperaddito.

I. Probatur ex Scripturis, in quibus Angeli dicuntur prius ad loca aliqua acceſſiſſe, quam fuerint in iis aliquid operati. Luc. 2. *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam, & ingreſſus dixit*. Matth. 4. *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*. Matth. 28. *Et accedens revolvit lapidem.* Luc. 43. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum*. Actorum 10. *Is vidit in viſu manifeſte, quaſi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli*. In his quidem locis aperte habetur, Angelum primo ingreſſum, & poſtea dixiſſe; Angelum primo acceſſiſſe, & deinde lapidem revolviſſe; Angelum primo apparuiſſe, & de hinc confortaſſe; Angelum primo introeuntem, & poſtmodum dicentem &c.: ergo jam Angeli prius erant in locis illis, quam ibi aliqua operarentur.

II. Probatur a Scoto in II. diſt. 2. q. 6. n. 1. dicente, contrariam opiniooem a Stephano, Epiſcopo Pariſienſi, fuiſſe proſcriptam, his verbis, quæ apud eum aperte leguntur: *Quidam articulus damnatus ab Epiſcopo Pariſienſi (nempe Stephano) & excommunicatus. Quod ſi dicatur, quod excommunicatio non tranſeat mare, vel diœceſim; ſi tamen fuit articulus condemnatus ſicut articulus hæreticus ubique eſt condemnatus ſicut hæreticus; non auctoritate Diœceſani tantum, ſed etiam auctoritate Papæ, extra de Hæreſ. c. ad abolendam; vel ſaltem ſententia eſt ſuſpecta, quando in aliqua Univerſitate ſolemniter eſt damnata.*

III. Probatur. Angeli ſunt in cœlo empyreo, & nihil in cœlo empyreo operantur: ergo ſuppoſita Adverſariorum opinione, vel nullibi ſunt, vel non ſunt alicubi per ſuam operationem; dici non poteſt, quod ſint nullibi: ergo ſunt alicubi non per ſuam operationem. Antecedens probatur. Angeli cœlum empyreum nec movent, nec tranſmutant; non eſt enim mobile, nec ab Angelo mutabile: ergo nihil in cœlo empyreo operantur: Gratis dicit Gonetus ex Cajetano, Angelos operari io empyreo operationes, quæ nobis noo innoteſcunt; vel producere aliquod lumen, quo cœli empyrei ſplendor perficitur. Etenim illud eſt recurrere ad cauſſas ignotas, per quas argumenta omoia facile ſolvi poſſunt, ſicut ſalvantur omoia phænomena ab Ariſtoteleis per occultas qualitates. Hoc vero lumen vel emanaret ab Angelis, & ab Angelis, qui ſunt puri ſpiritus, emanare non poteſt lumen corporeum; vel produceretur ab Angelis per creationem, & Angeli non creant; vel per generationem, & Angeli non generant, niſi præcedat corruptio; corruptio autem in cœlo incorruptibili præcedere non poteſt.

IV. Probatur. Ad operationem Angelorum prærequiritur exiſtentia in loco: ergo Angeli non exiſtunt in loco per operationem. Conſequentia ſequitur; ſi enim Angeli exiſtunt in loco antequam operentur: ergo non ſunt in loco per operationem. Antecedens probatur. Per Thomiſtas approximatio agentis ad paſſum præſupponit exiſtentiam agentis in loco, in quo circa paſſum operatur: ergo ad operationem Angelorum prærequiritur exiſtentia in loco. Nec dicant Thomiſtæ, diſtingui præſentiam incompletam, & inchoatam, qualis eſt in agente, quod approximatur ad paſſum, a præſentia completa, & conſummata, quæ includit conjunctionem agentis, & productio-

ductionem effectus. Etenim etiam nos diſtinguimus præſentiam localem, & præſentiam effectivam; & hanc utique dicimus conſiſtere in operatione; illam vero probamus præcedere operationem. Ad operationem igitur ſi præcedit præſentia incompleta, & inchoata, hæc eſt præſentia localis, quæ ſufficit nobis ad intentum noſtrum probandum; quanvis poſtea ſubſequatur præſentia effectiva, quæ eſt completa, & conſummata, & quæ in operatione conſiſtit, de qua non loquimur.

V. Probatur. Operari ſequitur ad eſſe: ergo eſt prius eſſe, quam operari: ergo prius eſt eſſe in loco, quam operari in loco; atqui quod eſt poſterius nequit eſſe cauſſa illius, quod eſt prius: ergo operari, quod eſt poſterius, nequit eſſe cauſſa eſſe, quod eſt prius. Nec occurrant Thomiſtæ dicentes cum Cajetano, quod argumentum valet in ſubſtantiis materialibus, in quibus prior eſt ſubſtantia, quam quantitas, & prior eſt quantitas, quam relatio; non autem valet in rebus ſpiritualibus, in quibus prior eſt operatio, quam ſubſtantia. Etenim nomine operationis intelligunt applicationem, ſeu contáctum virtutis angelicæ ad locum. Hoc poſito, quærimus; vel applicatio eſt actus primus Angeli, vel ſecundus: Si primus: ergo eſt ipſa ſubſtantia Angeli; actus enim primus a facultate ſubſtantiali, ſeu a ſubſtantia non diſtinguitur: Si ſecundus: vel eſt actus tranſiens, vel immanens; non immanens, ut Adverſarii fatentur; neque tranſiens, quia hæc commenſuratur loco, & ſi per hanc Angeli eſſent in loco, circumſcriptive, non definitive eſſent in loco.

VI. Probatur. Non ſunt Angeli in loco per modum diſtinctum, aut per ubi intrinſecum diſtinctum; hæc enim omnia impugnata ſupponimus in Philoſophicis; non ſunt per operationem, ut probavimus uſque modo: ergo remanet, ut ſint per propriam ſubſtantiam, ejuſque præſentiam, per quam tali loco, & non alteri, determinatur. Quod idem eſt ac dicere cum P. Magnano Philoſ. nat. c. 9. prop. 10.

,, Itaut Angelus (cujus ſine dubio ſphæra
,, præſentiæ non eſt infinita) revera ſit in lo-
,, co aliquo, ſive alicubi: nimirum intra
,, aliquod extremum immobile primum
,, continentis ſeu ambientis ſaltem, ut dixi,
,, ratione ſpatii imaginarii; quod addo quia
,, etiam ſecluſo omni corpore ambiente
,, ſphæram præſentiæ Angeli, Angelus ta-
,, men intelligitur eſſe in loco, & quidem
,, unus in uno, alius in alio, vel etiam duo
,, in uno quando ſunt ſimul quaſi penetra-
,, tive; & quando ſinguli ſunt in ſingulis di-
,, verſis locis contiguis, vel diſſitis, intelli-
,, guntur diſtare, vel habere diſtantiam;
,, hoc, inquam, ita intelligimus ſecluſo
,, omni corpore; ſicut poſitis corporibus in-
,, telligimus Angelum unum eſſe in cœ-
,, lo; alium in terra, Dæmonem in inferis;
,, imo eundem Angelum nunc in terra cu-
,, ſtodem, mox in cœlo ſocium beatitudi-
,, nis; item intelligimus, Angelum Romæ
,, exiſtentem, & alterum Toloſæ ab invi-
,, cem diſtare toto interjecto ſpatio, quo
,, nihilominus æque diſtarent, ſi totus aer,
,, & reliqua Toloſam inter, ac Romam
,, poſita corpora cæteris illæſis annihila-
,, rentur.,,

Opponunt I. Subſtantia angelica ſine operatione non eſt determinata ad locum: ergo per operationem determinatur. Probatur antecedens. Si eſſet determinata, maxime eſſet per determinationem, aut limitationem in ordine ad locum; ſed hic ordo non eſt eſſentialis, immo eſt accidentalis Angelo: ergo ſine operatione non eſt determinata ſubſtantia angelica ad locum. II. Angelus eſt ſecundum ſe indifferens ad quemlibet locum in particulari: ergo indiget determinativo, ut ſit potius in hoc loco, quam in alio; ſed hoc determinativum non poteſt eſſe niſi operatio Angeli tranſiens: ergo Angelus per hanc conſtituitur formaliter in loco. III. Si Angelus eſſet in loco per ſuam ſubſtantiam, eſſet ſemper in uno loco; hoc autem non poteſt dici: ergo &c. Probatur major: Subſtantia Angeli ſemper eſt eadem: ergo per eam Angelus ſemper eſſet in eodem loco. IV. Subſtantia corporea non poteſt eſſe in loco, niſi per quantitatem: ergo ſubſtantia incorporea non poteſt eſſe in loco, niſi per operationem. Sequitur conſequentia; majorem enim connexionem habet ſubſtantia corporea cum loco corporeo, quam ſubſtantia incorporea; ergo ſi illa eſſe nequit in loco ſine quantitate, pariter hæc non poteſt eſſe ſine operatione. Probatur antecedens. Subſtantia corporea per id eſt in loco, per quod tangit locum; ſed tangit locum per quantitatem: ergo per quantitatem eſt in loco. Probatur major. Homo veſtitus non dicitur veſtitus per veſtem, ſi veſtem habeat, & eam non tangat: ergo pariter homo locatus non dicitur locatum, ſi locum habeat, & eum non tan-

tangat. V. Angelus, & locus A. ſemper ſunt in mundo, & tamen Angelus non eſt ſemper in loeo A: ergo vel determinatur per operationem, vel per ubicationem diſtinctam. VI. Angeli per S. Thomam poſſunt eſſe ſine omni loco; ſed hoc non eſſet poſſibile, ſi non eſſent in loco per operationem; ergo ſunt in loco per operationem.

Reſpondemus ad I. Determinationem, ſeu limitationem in ordine ad locum intelligi vel cauſſaliter, vel fundamentaliter; primo modo dicit cauſſam, per quam Angelus determinatur potius ad hunc locum, quam ad alium; ſecundo modo dicit exiſtentiam ipſius Angeli in hoc loco. Utrunque Angelus poteſt habere ſine ulla ſui operatione; primum quidem per voluntatem Dei, vel per voluntatem ipſius Angeli, qua determinatur ad ſubeundum potius hunc locum, quam alium; ſecundum vero per præſentiam ipſius Angeli in hoc loco. Non eſt igitur neceſſaria operatio Angeli ad determinandum ipſum in loco.

Ad II. negatur minor ſubſumpta. Quia, ut diximus, determinativum vel eſt cauſſale, vel fundamentale; primum habetur a virtute motiva Angeli, qua ſe libere transfert ad hunc locum, & a virtute extrinſeca Dei, per quam in eo loco vel fuit productus, vel eſt detentus, vel ad eum eſt translatus; ſecundum habetur a præſentia ipſius Angeli, quæ determinat ipſius ſubſtantiam modo dicto de cauſſali determinativo.

Ad III. Subſtantia Angeli eſt ſemper eadem ſecundum ſuam entitatem, variatur tamen per reſpectum ad locum, cui applicatur; & quia hæc applicatio fit a Dei, & ab Angeli voluntate, ut diximus; hinc eſt, quod nulla ipſius operatio requiritur ad determinandum eum potius ad hunc locum, quam ad alium.

Ad IV. Contactus realis, & phyſicus requiritur quidem, ut corpora ſint formaliter in loco, non tamen requiritur contactus virtutis, ut ſpiritus ſit formaliter præſens loco. Primum ideo requiritur, quia corpora ſunt in loco diviſibiliter, & per commenſurationem, & ideo partes ipſorum debent correſpondere partibus locorum; non poteſt vero haberi hæc correſpondentia, & commenſuratio ſine contactu reali, & phyſico. Angeli autem, quum ſint definitive in loco, & modo indiviſibili, non requirunt aliud, ut ſint in loco, quam ſuæ ſubſtantiæ realem præſentiam, quæ ſine ullo phyſico contactu haberi poteſt.

Ad V. dicitur, quod quando Angeli præſentia non eſt in loco A. Angelus non eſt in loco A., unde poteſt eſſe Angelus, & non eſse præſens loco A., & in tali caſu quanvis eſset Angelus, quanvis eſset locus A., Angelus tamen non eſset in loco A. Præſentia autem habetur potius in uno loco, quam in alio, per ea, quæ diximus in reſponſione ad I. & ad II.

Ad VI. Si per locum extrinſecum intelligitur immenſitas Dei, vel ſpatium, ut intelligunt moderniores Philoſophi, hypotheſis eſt impoſſibilis; ſi vero intelligitur quod Philoſophi de Peripato intelligunt, nec etiam inter illos unanimiter admittitur hypotheſis: unde ex illa nihil, quod ſit certum, vel probabile, concludi poteſt.

Denique pro Diſsertationis coronide addimus, P. Magnanum primo docere, Angeli præſentiam non eſse infinitam; ſecundo, quanvis Angeli ſint omnino penetrabiles, quia ſunt ſpiritus, penetrari tamen, & non penetrari ad libitum; tertio ſphæram præſentiæ Angeli & reſtringi poſse in puncto, & dilatari poſse ad libitum quoque; quæ quidem omnia optime cohærent cum ſententia, quam ipſe tenet, Angelos ſcilicet eſse in loco per ſolam ſui præſentiam, & non per operationem.

Primum docet Magnanus in Philoſ. nat. c. 9. prop. 10. num. 2. ubi ait: *Ita Angelus v.g. (cujus ſine dubio ſphæra præſentiæ infinita non eſt) re vera ſit in loco aliquo, ſive alicubi &c.* Et hoc quidem negari non poteſt; quia quum Angelus non ſit infinitus, ſuæ præſentiæ ſphæra infinita eſse non poteſt. Et quanvis ſphæra præſentiæ ipſius dilatari poſſit, non poteſt dilatari in infinitum; quia aliter eſset Angelus immenſus, ut ſulummodo eſt Deus.

Secundum docet in Appendice 2. de minimis phyſicis p. 2. ubi aſserit primo ſecundum Ariſtotelem ab Intelligentiis moveri corpora cœleſtia; ſi autem neceſsario Intelligentiæ penetrarentur cum corporibus cœleſtibus, non poſsent ea movere. Secundo ex Scripturis habemus Dan. 14. Habacuc Prophetam ab Angelo Domini apprehenſum, & capitis capillo portatum, & in Babylonem poſitum ſuper lacum; habemus quoque Matth. 28., Angelum Domini deſcendiſse de cœlo, & accedentem revolviſse lapidem. Si autem Angelus neceſsario penetrari debuiſset, utique cum lapide, & cum Habacuc capillo fuiſ-

ſet

ſet penetratus; adeoque nec illum potuiſſes revolvere, nec hunc apprehendere, & deportare. En Magnani verba: „ Dici non incongrue poteſt, Angelum, qui „ lapidem ab oſtio monumenti Domini re„ volvit, & ſic de aliis, ad hoc opus id ſo„ lum egiſse, quod eſt virtualibus ſuis, „ quas habet naturaliter, dimenſionibus „ tribuere vim, & efficaciam dimenſionum „ formalium; ideſt, ita lapidem ſubtilitate „ ſuæ ſubſtantiæ impetiiſse quaſi mole; aut „ ita penetraſse, ſi penetravit, ut nihilo„ minus erga eum exhibuerit ſe tanquam ſi „ eſset cum eo impenetrabilis, de quo vide „ &c.„ Hæc eadem docet in Philoſophia entis c. 6. num. 15., in Philoſophia naturæ c. 7. prop. 4. c. 19. prop. 6. Et in cit. Append. num. 73. concludit: *Verum in eo differunt, quod Spiritui ſit impenetrabilitas tantum ad nutum, ac voluntaria, & eatenus per accidens; corpori vero ſit per ſe naturalis, ac neceſſaria.*

Tertium demum Magnanus docet in cit. Append. n. 73. his verbis: *Et ſimiliter formales dimenſiones ad locum occupandum tantum, vel tantum corpori conveniant actualiter neceſſario, ſecluſa Dei operatione in contrarium miraculoſa: Et dimenſiones virtuales quoad loci extenſi, vel non extenſi occupationẽ actualem, ac multo magis quoad prædictam impenetrationem, ſint ſpiritui liberæ, atque ad placitum.*

Hæc autem æque poſſunt rationibus ſuaderi, ut ab ipſomet P. Magnano probantur. Et quidem nemini dubium eſſe debet, poſſe Angelum exiſtere in puncto loci, quando ſciat, Angelum eſſe indiviſibilem, quia eſt Spiritus. Si enim punctum loci eſt indiviſibile, quid repugnans invenietur, ut indiviſibile in indiviſibili exiſtat?

Quod vero ſphæra præſentiæ Angeli poſſit eſſe major, & minor, quum ille pariter ſit Spiritus, nec mirum nobis eſſe debet, ſi videamus, rationalem animam, quæ etiam eſt ſpiritus, modo occupare minorem præſentiam corporis minoris parvuli, & infantis, modo majorem corporis hominis, & ſtaturæ ſublimis, quod informat. Hoc idem Angelo non eſt denegandum, ut nimirum poſſit modo minorem, modo majorem locum occupare ſua præſentia. Quod vero hoc poſſit facere ad libitum, non eſt denegandum ſubſtantiæ ſpirituali intelligenti, quæ hanc virtutem a Deo habuit, ut ſit loco ex libera ſui determinatione. Unde Angelus ſphæra ſuæ præſentiæ & poteſt ſolum punctum occupare, & poteſt ſolam hanc aulam, & poteſt totam hanc domum, occupare; immo totam provinciam, totum regnum; finite quidem, quia, ut diximus, ſphæra ipſa finita eſt. Et congruum hoc etiam eſt; quia, quum dentur, ut videbimus, Cuſtodes Angeli non ſolum hominum, & ſingulorum hominum, verum quoque ſingularum urbium, provinciarum, regnorum; quique Angelus, qui cuſtos eſt regni unius, provinciæ, urbis, occupare debet ſua præſentia totum regnum, totam provinciam, totam urbem; ut modo hoc ſuum munus per ſe ipſum præſentem exerceat. Si autem contrarium dicatur, vel cogitur quiſquis dicat admittere actionem in diſtans, quæ nec Angelo conceditur; vel tenetur dicere, quod Angelus Cuſtos Petri etiam in cœlo permanens poteſt Petrum cuſtodire, regere, & gubernare, ſi Angelus regni Cuſtos in uno regni angulo reſidens poteſt totum regnum cuſtodire, regere, & gubernare. Nequit autem dici, quod ſinguli homines apud ſe non habeant ſuum Cuſtodem Angelum; quemadmodum ergo habent homines ſinguli, habent pariter ſingula regna, ſingulæ provinciæ, & civitates. Sed de his fuſius agetur, quando de Angelorum cuſtodia differemus. Cæterum de majoritate, & minoritate ſphæræ præſentiæ Angelorum, & quod ipſa poſſit in indiviſibili loci puncto reſtringi, Cacheranus, P. Neri, aliique etiam, P. Magnano ſubſcribunt.

DISSERTATIO CXLI.

De motu Angelorum; An ſcilicet ſit, qualis, & quotuplex? Et an poſſint Angeli de uno extremo ad aliud moveri, abſque eo quod medium pertranſeant?

PRimo contra Angelorum motum habemus Durandum, qui aſſerens, Angelos eſſe ubique, conſequenter aſſerere debuit, Angelos non moveri; motus enim importat tranſitum de loco ad locum. Et quanvis nos in præcedenti Diſſertatione ad Durandi defenſionem dixerimus, illud non aſſerendo, ſed dubitando, dixiſſe; quomodocunque tamen protulerit, ſemper ſtat conſequentia, & connexio hypotheſis. Durandus igitur in I. diſt.37. p.2. illius quæſt.1. n.26. Angelum dicebat eſſe in omni loco, in quo operari poteſt, ſive ſimul, ſive ſucceſſive; & quia in omni loco operari poteſt, in omni loco eſt; & quia in omni loco eſt, ad nullum locum movetur. Unde q. 2. infert, Angelum non poſſe localiter moveri proprie, itaut de loco ad locum transferatur, quia non eſt in loco nec circumſcriptive, nec definitive, ſed ſimul eſt in omni loco, in quo eſſe poteſt; poteſt tamen ſucceſſive apparere in diverſis locis per varios effectus, quos in illis producit.

Secundo habemus Hervæum, qui, quum aſſerat, Angelos vere non eſſe in loco, conſequenter etiam Angelis motum convincitur denegare. Et ita de eo ſentit Cacheranus; qui ulterius aſſerit, Durandum,& Hervæum communiter redargui, tanquam temere,& periculoſe loquentes.

Tertio habemus Cajetanum, qui docet, motum localem proprie loquendo ſubſtantiis ſpiritualibus non convenire. Attamen plerique volunt, Cajetanum comparative, & non abſolute, loquutum fuiſſe; comparative ſcilicet ad motum rerum corporalium, qui fit per ſucceſſivam commenſurationem partium mobilis ad partes ſpatii. Hoc autem etiam docuit S.Thomas, dicens, eſſe in loco, & moveri ſecundum locum, convenire Angelo æquivoce reſpectu corporum. Cum hoc autem ſtat, & Angelus vere eſſe in loco, & ſtat pariter, Angelos moveri ſecundum locum.

Inter Scholaſticos igitur prima opinio eſt Thomiſtarum docentium, motum localem proprie non convenire ſubſtantiis ſpiritualibus; ſed quemadmodum dicitur abuſive, & æquivoce, ſubſtantias ſpirituales eſſe in loco, ita & pariter dicitur, quod moveantur. Unde quando dicuntur moveri, non eſt ſenſus, quod ſint ſubjectum motus; ſicut quando dicuntur locari, non intelligitur, quod ſint ſubjectum *ubi*; ſolummodo igitur intelliguntur, quod virtualiter tangant diverſa loca in genere cauſſæ efficientis, & ſic ſint in loco per operationem, ut dictum eſt, & ſic pariter de loco ad locum moveantur.

Secunda opinio eſt Scotiſtarum, qui cum Scoto in II. diſt. 2. q.9. & ſeqq. aſſerunt, ſicut Angelum vere, & proprie conſtitui in loco per ſuam ſubſtantiam, ita pariter vere, & proprie per ſuam ſubſtantiam de loco ad locum moveri. Ita Fraſſen, qui pro omnibus ſuæ ſcholæ Theologis teſtatur; ex noſtris eſt P. Magnanus, P.Neri, &c.

Dicimus I. Angelos vere, & proprie moveri localiter, motu ſcilicet proprie dicto. Cacheranus dicit, eſſe veritatem de fide, aut fidei proximam.

I. Probatur ex Scripturis. Job. 1. *Circuivi terram, & perambulavi eam*. Daniel. 14. *Angelus tulit Habacbuc e Judæa in Babylonem, & poſuit ſuper lacum leonum*. Et c.3. *Angelus Domini deſcendit in fornacem, ubi tres pueri erant*. Iſai.13. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer?* Joann.1. *Videbitis Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis*. Et c.5. *Angelus Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam*. Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam Virginem*. Apocalyp. 12. *Non eſt inventus amplius locus eorum in cælo*. Ex quibus liquido conſtat, Angelos mutare locum; atqui mutare locum importat verum, & realem motum localem: ergo, &c.

II. Probatur ex Patribus. Auctor libri de cœleſti hierarchia ſub nomine S.Dionyſii

Areo-

Areopagitæ c. ult. *Angeli alati pinguntur ob eorum velocitatem motus localis*. Ambroſius lib. 1. de Spir. San. c. 10. *Ubique præſto ſunt propter motus celeritatem*. Et poſt pauca: *Spiritus Sanctus non movetur, quia eſt infinitus, & ubique exiſtit; at alii Spiritus moventur de loco in locum, quia ſunt finiti, & creati*. Auguſtinus lib. 1. retract. c. 24. *Quia Filius Dei non deſcendit, neque venit, ubi antea non erat: Angelus autem revera ſecundum ſubſtantiam deſeruit cælum, & cœpit eſſe, ubi antea non erat*. Chryſoſtomus hom. 3. in ep. ad Heb. *In multa loca propter nos mittuntur, & ad noſtram miniſtrant ſalutem ... circa nos curſitant, hoc eſt eorum miniſterium, propter nos in omnes mitti partes*. Nazianzenus or. 34. *Quod omnia loca peragrant, omnibus ubique impigre adſunt; tum ob miniſterii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem*. Tertullianus in apologet. c. 22. *Omnis ſpiritus ales eſt; hoc eſt Angeli, & Dæmones: Igitur momento ubique ſunt; totus orbis illis locus unus eſt*.

III. Probatur Rationibus. I. Angeli nec ſunt ubique, nec ſunt ſemper in eodem loco: ergo habent verum, & proprium motum localem. Antecedens conſtat ex probatis in præcedenti Diſſertatione; conſequentia ſequitur; ſi enim non ſunt ſemper in eodem loco: ergo mutant locum; non poſſunt autem mutare locum, niſi per motum localem: ergo, &c. II. Angeli habent motum illum localem, quem habet anima ſeparata; ſed anima ſeparata habet verum motum localem: ergo & Angeli. Major eſt certa; quia omnes ſunt æque ſpirituales ſubſtantiæ. Minor probatur ex Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. cap. *firmiter*, ubi dicitur, quod anima Chriſti in mortis triduo ad inferos deſcendit: *Deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcendit in utroque*. III. Subſtantiis creatis eo modo convenit moveri, quo convenit eſſe in loco; ſed Angelis vere, & proprie convenit eſſe in loco: ergo vere, & proprie convenit moveri. IV. Qui ſunt in loco per ſuam ſubſtantiam, per ſuam ſubſtantiam pariter moventur; ſed Angeli ex probatis ſunt in loco per ſuam ſubſtantiam: ergo per ſuam ſubſtantiam moventur. V. Qui deſerit unum locum, & alium acquirit, vere, & proprie movetur; ſed Angelus dum de cœlo ad terram deſcendit vere deſerit cœlum, & terram pertingit: ergo vere, & proprie movetur. Minor conſtat, quia ex SS. Patribus non poſſunt eſſe Angeli naturæ viribus in cœlo, & in terra: VI. Angeli, intellectu, & voluntate pollentes, poſſunt cognoſcere, & appetere novum locum; ſed ſi acquirere non poſſent, fruſtra cognoſcerent, & appeterent: ergo ſi cognoſcunt, & appetunt, etiam acquirunt: ergo vere, & proprie de loco in locum moventur.

Objiciunt I. Mobile movetur, ut per motum acquirat aliquam perfectionem; ſed Angelus nullam poteſt acquirere perfectionem per motum: ergo non movetur. Major eſt definitio motus ex Ariſtotele 3. Phyſic. tex. 6. Minor probatur. Perfectio, quam acquireret Angelus per motum, eſſet locus; ſed locus non eſt perfectio Angeli: ergo, &c. II. Angelus eſt indiviſibilis, quia eſt ſimplex, & ſpiritus; ſed indiviſibile nequit moveri: ergo Angelus nequit moveri. Minor eſt pariter doctrina Ariſtotelis 4. Phyſic., major non negatur, & conſequentia ſequitur. III. Auguſtinus lib. 8. de Gen. ad lit. c. 20. docet, quod corpus movetur per tempus, & locum; ſpiritus vero non per locum, ſed tantum per tempus: ergo ex Auguſtino Angeli locali motu non moventur. IV. Bernardus ſer. 5. in Cantic. aſſerit: *Non eſt diſcurrere, nec de loco in locum tranſire, niſi corporum, quod Angelos facere tam indubitata, quam nota probat authoritas*: ergo non ſunt Angeli capaces motus per ſe. V. Motus localis importat correſpondentiam variis partibus ſpatii; ſed hæc correſpondentia non poteſt habere locum in Angelis, qui quantitate carent: ergo, &c. VI. Quodcumque mobile, quod movetur, partim eſt in termino, a quo, & partim in termino, ad quem; ſed Angelus non poteſt eſſe in his duobus terminis ſimul: ergo non movetur. Major eſt doctrina Ariſtotelis 6. Phyſic. Minor probatur. Mobile eſt in illis duobus terminis per partes; ſed Angelus non habet partes: ergo non eſt, nec poteſt eſſe.

Reſpondemus ad I. Perfectio, quam acquirit Angelus per motum, eſt perfectio potentiæ locomotivæ Angeli, non vero naturæ Angeli; ſicut intellectio eſt perfectio potentiæ intellectivæ Angeli, non vero Angeli naturæ; unde nulla eſt repugnantia, quod Angelus eam perfectionem per motum acquirat, quæ non perficiat naturam ipſius, ſed ipſius potentiam locomotivam; quemadmodum nulla eſt repugnantia, quod Angelus habeat intellectionem ut perfectionem non naturæ ejus, ſed ejus potentiæ intellectivæ.

Ad II. Explicant Peripatetici, Ariſtotelem loqui de indiviſibili quantitativo, uti eſt punctum, quod non movetur motu proprie dicto, per quem acquirat locum circumſcriptivum; non vero loqui de indiviſibili ſubſtantiali, uti eſt Angelus. Attamen melius dicimus, intelligi de indiviſibili, quod nullas habeat dimenſiones nec formales, nec virtuales, non vero de illo, qui dimenſiones virtuales habet, quamvis formales non habeat. Diſtinctio patet ex dictis in præced. Differt.

Ad III. Auguſtinus intelligitur de motu circumſcriptivo, qui convenit corporibus, non vero definitivo, qui competit Angelis. Sic eũ explicat Hugo a S. Victore c.16,

Ad IV. Bernardus non loquitur de Angelis ſpectatis, & intellectis ſecundum ſe, ſed prout exercent miniſteria, quæ nos reſpiciunt. Dicit enim: *Quonam ergo modo implent miniſterium ſuum abſque corpore, præſertim apud viventes in corpore?* Poſt quæ addit: *Denique non eſt diſcurrere, nec de loco in locum tranſire, &c.*

Ad V. dicitur, quod major eſt vera in rebus corporeis, quæ ſunt circumſcriptive in loco, non vero in ſpiritibus, qui ſunt in loco definitive; his enim ſufficit correſpondentia virtualis, & non requiritur formalis, qualis eſt in corporibus.

Ad VI. Ariſtotelis Diſcipuli dicunt, ipſum fuiſſe loquutum de mobili corporeo, quod habet partes, non vero de mobili ſpirituali, quod partibus eſt expers. At melius dicitur, ad propoſitionem illam verificandam ſufficere partes ſive formales, ſive virtuales, non vero requiri ſemper formales. Unde quum res indiviſibilis poſſit correſpondere partibus loci formalibus per ſuas virtuales partes, nulla eſt repugnantia, quod Angelus indiviſibilis ſit in loco diviſibili.

Secundæ Diſſertationis partis ſenſus eſt, An Angeli moveantur motu per accidens, vel motu per ſe? Et in hoc diſcrepant Scholaſtici, prout ſcilicet explicant motum per accidens. Quidam volunt, illud moveri per accidens, quod movetur ad motum alterius, cum quo habet connexionem. Et hoc pacto moveri dicunt animam ad motum corporis, partem integrantem ad motum totius, contentum ad motum continentis, uti aqua ad motum lagenæ, navicularius ad motum navis, &c. Hæc autem omnia ſupponunt naturalem unionem, & conjunctionem, cum corporibus, in quibus exiſtunt; quam quidem unionem, & conjunctionem, habere non poſſunt Angeli cum quocunque mobili: unde inferunt, Angelos motu per accidens moveri non poſſe. Quod Angeli habere non poſſint unionem hanc, & conjunctionem, cum quocunque mobili, ex eo probant, quia Angeli nec ſunt per modum formæ ſubſtantialis, ut anima in corpore; nec per modum formæ accidentalis in ipſorum hypotheſi, ut color in ſubjecto; nec per modum contenti in continente, ut homo in navi, aqua in vaſculo, &c. nec per modum partis integrantis in toto. Plura etiam congerunt abſurda, quæ ſequerentur, ſi Angelus poſſet motu per accidens moveri, quæ apud Fraſſen videri poterunt. Cacheranus tamen ultra motum per accidens, qui eſt ratione alterius efficienter, ut motus nautæ in navi; & ultra motum per accidens formaliter, ut motus animæ in corpore; alium aſſignat motum per accidens, quem dicit eſſe, quando unum movetur ad comitandum aliud, motu tamen proprio, & ab intrinſeco proveniente. Et hunc motum dicit Angelis convenire, præſertim, ut ait, in corporibus aſſumptis; quia dum Angelus cauſſat motum in corpore aſſumpto, ſimul etiam cauſſat motum in ſe ipſo ad comitandum corpus; & eadem ratione debet in ſe ipſo cauſſare motum, ſi corpus aſſumptum ſupponatur moveri ab aliquo alio motore,

Quod vero Angelus moveatur per ſe, explicant per hoc, quod Angelus ſit re vera per ſe ſubjectum motus. Et hoc pariter probant, quia Angelus eo modo movetur, quo modo eſt in loco; ſed ex probatis in præced. Diſſer. per ſuam ſubſtantiam eſt in loco: ergo per ſuam ſubſtantiam pariter movetur: ergo eſt re vera per ſe ſubjectum motus. Inſuper, quia Angelus per ſuam ſubſtantiam eſt ſubjectum motus in facto eſſe: ergo etiam per ſuam ſubſtantiam eſt ſubjectum motus in fieri: ergo eſt ſubjectũ motus localis per ſe.

Præter hæc autem etiam firmandum eſt, quod Angelus ſit cauſſa, non ſolum ſubjectum, motus ſui; hoc eſt, quod Angelus moveat ſe ipſum localiter; ut plena notitia qualitatis motus Angelorum habeatur. Et quidem cum communi Theologorum affirmamus, Angelos poſſe ſe ipſos movere, atque de facto etiam movere. Hoc autem Scripturæ docent aperte. Job. 1. *Circuivi terram, & perambulavi eam*. I. Petri 5. *Circuit quærens, quem devoret*. Matth. 12. *Cum immundus Spiritus exie-*

exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit: Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi, & veniens invenit eam, &c. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Rationea etiam probant. I. quia aliter motus Dæmonum ad nocendum nobis, ad tentandum, ad inducendum nos ad peccatum, ſi non eſſent ab ipſis, eſsent a Deo; quod non eſt dicendum. II. quia ſi Angelus habet potentiam paſſivam ad motum, debet etiam habere potentiam activam ad eundem; aliter eſset deterioris conditionis, quam homo, qui utranque habet. III. quia Angeli fruuntur omni gradu vitæ, qui non ſit ipſis repugnans; ſed movere ſe eſt gradus vitæ, & Angelis non repugnat: ergo, &c. Quæ contra hæc opponuntur, levia ſunt, & apud alios ſoluta facile invenire quiſque poterit. Unde ad tertiam Diſsertationis partem accedimus.

Tertia Diſſertationis pars quotuplicitatem motus Angelorum reſpicit. Et quidem quadruplex aſſignatur motus; continuus ſcilicet, diſcretus, ſucceſſivus, & inſtantaneus. Per continuum deſerit mobile per partes terminum, a quo, & per partes acquirit terminum, ad quem. Per diſcretum deſerit totum terminum, a quo, & immediate acquirit terminum, ad quem. Succeſſivus motus idem eſt ac continuus, cum hac tamen differentia, quod continuus acquirit totum terminum adæquatum, ad quem; ſucceſſivus vero ſiſtit in medio; unde omnis motus continuus eſt ſucceſſivus, non vero omnis motus ſucceſſivus eſt continuus. Inſtantaneus tandem eſt motus ille, quo eodem momento deſeritur terminus, a quo, & acquiritur terminus, ad quem. Aliter alii explicant hos motus; ſed diverſitas vel eſt in ſolis verbis, vel in ulterioribus ambagibus, quibus potius rem involvunt, quam explicent.

Angelis convenit primo motus continuus, & ſucceſſivus. Et probatur; quia poteſt Angelus tranſire ab uno ad alium locum, tranſeundo per omnia loca inter media, itaut nullum non pertranſeat, & in nullo quieſcat; ſed hoc eſt moveri motu continuo, & ſucceſſivo: ergo &c. Probatur major. Poteſt corpus illud efficere: ergo poteſt & Angelus. Probatur conſequentia. Si Angelus non poſſet, ideo eſſet, quia eſt indiviſibilis; ſed hoc non officit: ergo &c. Probatur minor. Ad continuitatem, & ſucceſſionem motus ſufficit, quod ſpatium ſit diviſibile: ergo quanvis Angelus ſit indiviſibilis, non repugnat ipſi moveri continue, & ſucceſſive: ergo non officit indiviſibilitas Angeli motui ipſius continuo, & ſucceſſivo.

Secundo de motu diſcreto dicunt Thomiſtæ, ipſum convenire Angelis, negant vero Scotiſtæ. Hi moventur; quia nequeunt dari duo inſtantia immediata indiviſibilia, in quibus deſeratur unum, & acquiratur aliud; quod requiritur, ut diximus, ad motum diſcretum, in quo per ultimum ſuum eſſe mobile deſerit totum terminum a quo, & immediate poſt, ſine ulla ſucceſſione, acquirit totum terminum ad quem. Thomiſtæ vero dicunt, quod quanvis in tempore noſtro non poſsint ſibi immediate ſuccedere duo inſtantia, poſſunt tamen in tempore diſcreto, & angelico; quo quidem tempore menſurantur operationes liberæ Angelorum, adeoque ipſorum motus diſcretus. Hoc autem tempus angelicum dicunt eſſe numerum durationum indiviſibilium, ſive inſtantium. Ulterius dicunt Scotiſtæ, motum localem neceſſario importare medium tranſitum inter duos terminos; ſed inter duos illos terminos non eſſet hic tranſitus medius, quatenus illa duo indiviſibilia deberent eſſe immediata: ergo &c. Verum Thomiſtæ reſpondent, pro medio haberi ſucceſſionem, & habitudinem unius termini ad alium. Quæ quidem apud eoſdem videri poterunt ab iis, qui exactiorem exoptant cognitionem; nos enim ſuperfluum ducimus in his amplius immorari, & ad ulteriora progredimus.

Tertio de motu inſtantaneo diſſentiunt pariter Scholaſtici, quorum aliqui ipſum Angelis concedunt, & ſunt Scotiſtæ; alii vero negant, & ſunt Thomiſtæ quamplures. Nos omnino negamus; quia cum P. Magnano intelligimus, motum inſtantaneum omnimodam importare contradictionem. Hæc autem eſt P. Magnani ratio, quæ æque locum in ſubſtantiis materialibus, ac in ſpiritualibus, habet. Sunt ejus verba in Philoſ. nat. c. 10. prop. 4. „Motus localis inſtantaneus eſt impoſſibilis.
„ Naturaliter hujuſmodi motus eſt evidenter impoſſibilis, quia mobile idem non poteſt naturaliter ſimul eſſe in pluribus locis; at ſi eſſet motus inſtantaneus mobile idem foret eodem inſtanti in terminis a quo, & ad quem, ac in toto medio; videlicet in loco majori ſe, vel in pluribus æqualibus; ut eſt evidens: ergo &c.

Præ-

„ Præterea vero motus inſtantaneus eſt abſolute impoſſibilis, quia implicat contradiſtionem; nam eſſe ſimul io terminis a quo, & ad quem, ac in toto medio (quod, ut dixi, ſequitur neceſſario ex motu inſtantaneo) non dicit relinquere locum in termioo a quo, & acquirere locum in termino ad quem; ſed dicit oppoſitum, videlicet retinere utrumque; at moveri dicit relinquere locum uoum, & acquirere alium: ergo moveri velocitate inſtantanea eſſet moveri, & non eſſet moveri, in quo eſt contradictio. „

Pro quarta demum Diſſertationis parte, An ſcilicet Angeli moveri poſſint de uno extremo ad aliud, abſque eo quod per medium tranſeant; illi, qui dicunt, Angelos eſſe in loco per operationem, affirmant; alii vero, qui aſſerunt, Angelos eſſe in loco per ſubſtantiam, negant. Hinc Jueninus affirmativam ſuam concluſionem ſic probat: „ Motus Angeli poſitus eſt in illius operatione ad extra: porro Angelus poteſt operari in uno ſpatii extremo, quaovis nec in alio extremo, nec in medio, operetur; ac proinde ab uno extremo moveri poteſt in aliud, impertranſito medio. „ Alii alias adhibent diſtinctiones in firmanda ſua concluſione, alias præferunt limitationes, alias denique in medium afferunt explicationes; quæ quidem, ut fateamur verum, rem potius obnubilant, quam illuſtrent. Unde

Dicimus II. Angelos non poſſe moveri de extremo ad extremum, ſioe traoſitu per medium.

I. Probatur a P.Magnano. Cuicumque mobili non alia eſt facultas mutandi locum a natura, quam potentia motiva; ſed hæc non poteſt non movere per medium: ergo quodcunque mobile non poteſt moveri de extremo ad extremum ſine tranſitu per medium. Major patet a poſteriori; quia ſi aufertur, vel ſi impeditur, motiva facultas, hoc ipſo tollitur, vel impeditur omnis facultas mutandi locum; hoc autem non eveniret, ſi facultas mutandi locum ab alia facultate, quam a motiva, proveniret. Probatur minor. Quum ſit motiva potentia, non poteſt exerceri, niſi motu; ſed motus neceſſario eſt in medio: ergo potentia motiva non poteſt non movete per medium.

II. Probatur ab eodem. Motus non eſt niſi in medio: ergo ſine tranſitu per medium non eſt motus: ergo Angeli &c. Probatur antecedens, & ſic etiam minor ultimi præcedentis argumenti. Motus non eſt in termioo a quo, nec in termino ad quem: ergo eſt in progreſſu, aut latione ab illo in iſtum: ergo eſt in medio. Antecedens conſtat; quia in termino a quo, & in termino ad quem, eſt quies, & non eſt motus; quieſcit ſcilicet mobile, & ſi quieſcit, non movetur, quia quies eſt oppoſitum motus. De conſequentia probaoda ſic diſcurrit P. Magnanus: „ Hic autem progreſſus, vel hæc latio coostituit mobile, primo in loco proxime communicante cum eo, qui deſeritur; ac deinde in alio etiam communicante, licet minus; ac ita deinceps, donec tranſcurſis omnibus hujuſmodi communicantibus perveniatur ad noo communicantia; quibus pariter ſucceſſive occupatis, ac derelictis, attingatur terminus ad quem; & hic etiam licet attingatur, non tamen ſtatim poſſidebitur totus; ſed prius omnia, ac ſingula, quæ cum eo communicant loca, percurrenda ſunt. Cum ergo mutans locum, ſi noo tranſit per medium, nuſquam ſit in medio, ut eſt evidens; erit ſolummodo in terminis a quo, & ad quem, prius in illo, & mox in iſto; & quia in his, ut dixi, non poteſt eſſe motus, mutans locum non movebitur. „

Obſtaot. I. P.Magnanus in cit. loc. ſcil. in Phil.nat. c.10. prop.2. non loquitur de Aogelis, ſed de rebus corporeis: ergo male nos extendimus ejus verba, & ejus mentem, ad res incorporeas, & ſpirituales, quales ſunt Angeli. Probatur antecedens ex ejus verbis; dicit enim: *Quod ſcilicet rei materiali; non enim hic ago de ſpiritibus*: ergo non loquitur de Angelis, ſed de rebus corporeis. II. Sancti Patres doceot, Angelos eſſe velociſſimos ad motum quemlibet, & ideo pingi cum alis; ſed non eſſent, ſi tranſire deberent per quodlibet medium: ergo &c. III. Angelus non dependet a ſpatio: ergo poteſt tranſire ab extremo ad extremum ſine medio. Probatur antecedens. Angelus, qui eſt indiviſibilis, non commeoſuratur ſpatio, quod eſt diviſibile: ergo non dependet a ſpatio. IV. Corpus Chriſti movetur de cœlo in altare abſque eo, quod tranſeat per medium: ergo a fortiori Angelus, qui eſt ſpiritus.

Reſpondemus ad primum, verum eſſe, quod P.Magnanus in loco illo loquatur de ſubſtantia corporea; attamen fatetur, illud ipſum de ſubſtaotia ſpirituali poſſe etiam dici. Loco enim citato inquit: *Non enim hic ago de ſpiritibus; quamvis non putem*,

eſſe

eſſe meliorem eorum hoc in parte ſortem. Quid clarius, ut profundiſſimi Doctoris mentem aſſequamur? Ratio etiam ſuadet; ſcilicet, quod æque corporeis, ac ſpiritualibus ſubſtantiis repugnet progredi de loco in locum ſine medio. Sola enim differentia eſt inter corpus, & ſpiritum, quod corpus eſt circumſcriptive in loco, ſpiritus vero definitive. Conveniunt autem in hoc, quod uterque ſit finitus, & limitatus; adeoque debet eſſe in certo, ac limitato loco, vere, & proprie per ſuam præſentiam. Ratione autem hujuſmodi limitationis repugnat tranſitus de extremo ad extremum ſine medio; ergo æque repugnat ſubſtantiæ corporeæ, ac incorporeæ. Quam quidem rationem maxime urget Maſtrius apud P. Neri.

Ad II. quidam explicant Patres de operationibus Angelorum; Angelus enim eſt totus in toto corpore, & totus in qualibet parte corporis; unde operans in manu illico operatur in pede. Alii vero intelligunt Patres de maxima quidem velocitate motus, quæ non ſit contraria rationi ipſius motus, ſed ſit cum ea compoſſibilis; illa autem velocitas ſine tranſitu non eſt compoſſibilis.

Ad III. diſtinguitur antecedens; Angelus non dependet a ſpatio, ſcilicet in commenſuratione totius cum toto, & partium cum partibus, ſicuti dependet corpus, concedimus; non dependet a ſpatio, hoc eſt a ſpatio motivo per ſucceſſionem in vero motu locali, negamus antecedens, & conſequentiam. Alii alio modo diſtinguunt; non dependet a ſpatio in mutationibus ſimpliciter acceptis, concedunt; in vero motu locali, negant. Verus enim motus localis fit per acquiſitionem partium poſt partes interjectas, & non ſolum per acquiſitionem partium poſt partes exiſtentes in terminis. Hæc autem acquiſitio, abſque eo, quod mobile tranſeat per medium, non poteſt dari.

Ad IV. negatur antecedens. Falſum enim eſt, quod corpus Chriſti moveatur de cœlo, ut deſcendat in terram ſuper altare per conſecrationis verba; replicatur quidem idem corpus ſupernaturaliter, itaut ſit in pluribus locis; quæ replicatio convenit quoque Angelis, immo & hominibus, divina virtute, non naturali. At replicatio non importat localem motum; quia per localem motum deſeritur unus locus, & acquiritur alius; per replicationem vero retinetur prior locus, & occupatur alter; unde non mirum, ſi replicatio non ſubjacet legibus motus, quibus ſubeſt localis motus.

DISSERTATIO CXLII.

De objecto cognitionis Angelorum; quænam cognoſcant Angeli, & quomodo cognoſcant? Ubi de futuris liberis, & fortuitis, de ſecretis cordium, & de Myſteriis Gratiæ, an ab Angelis cognoſcantur, & quomodo?

PRIMUM cognitionis Angelorum objectum eſt Deus ipſe, quem per naturæ vires cognoſcunt; & hoc a nemine negatur. Et quia Deus poteſt cognitione abſtractiva, ex creatis ſcilicet effectibus, cognoſci; & cognitione intuitiva immediate in ſeipſo; in hoc pariter conveniunt omnes, quod Angeli per naturæ vires cognoſcant quidem Deum abſtractive, intuitive autem non cognoſcant. Primum ex his duobus patet cuique; quia ſi homines per cognitionem creaturarum poſſunt in cognitionem Creatoris devenire; quanto magis Angeli? Alterum quoque probatum ſupponimus, ubi oſtendimus, Deum a nullo creato intellectu naturaliter eſſe viſibilem, ſeu poſſe intuitiva cognitione videri. Et quanvis in his conveniant Scholaſtici, diſcrepant tamen in aliis, quæ ſibi examinanda proponunt. Et quidem primo diſputant, an Angeli habeant cognitionem, quæ ſit media inter abſtractivam, & intuitivam, quæ quidem eſſet abſtractiva, ſed immediata? Et admiſſo quod habeant, an illam habeant per ſpeciem infuſam divinæ eſſentiæ propriam, & repræſentativam ipſius abſtractive; an vero habeant cognitionem naturalem immediatam Dei per propriam eſſen-

eſſentiam, tanquam per ſpeciem Dei? Et dato, quod non habeant, an habeant cognitionem naturalem Dei mediatam, ſaltem remote & radicaliter; quæ ſcilicet ſupponat cognitionem præteritam aut propriæ ſubſtantiæ, aut alterius creaturæ? Hæc quidem omnia illis remittimus diſcutienda, quibus in iis eſt ſolatium, & pro iiſdem eſt tempus. Nobis ſolum ſufficiat indicaſſe, ut qui vult, apud alios aſſequatur.

Alterum objectum cognitionis Angeli eſt ipſemet Angelus; cognoſcit enim ſeipſum; tum quia Ipſe proportionem habet cum ſua propria vi intellectiva; tum etiam quia eſt ſibi ipſi intime præſens; atqui duo hæc ſola requiruntur, ut aliquid ab aliquo cognoſcatur: ergo vere Angelus cognoſcit ſeipſum. Major probatur. Angeli ſubſtantia, & Angeli vis intellectiva, proportionem habent, ſunt enim ejuſdem ordinis; unde habetur primum; habetur quoque ſecundum, quia Angelus vi illius potentiæ intellectivæ eſt ſibi intime præſens. Ulterius neque habet Angelus animæ impedimentum, dum hæc eſt corpori unita, a quo dependet; unde non poteſt ſeipſam perfecte cognoſcere. Angelus enim ſolutus a corpore, eſt a corpore independens, & nullum ab eo patitur impedimentum.

Tertium angelicæ cognitionis objectum alios Angelos complectitur, qui a quoquunque Angelo cognoſcuntur. Primo ex Scripturis habemus Angelos inter ſe colloquentes: ergo qui ad invicem cognoſcuntur. Conſequentia ſequitur; prius enim cognoſcimus illos, quibuſcum loquimur. Antecedens habetur Iſai.6. *Clamabant alter ad alterum*. Zachariæ 2. *Curre, loquere ad puerum iſtum*. Apoc. 5. *Et dixit quatuor Angelis .... Nolite nocere terræ, & mari*. Secundo omnes Angeli in cœlo unam conſtituunt ſocietatem: ergo ſe ipſo mutuo cognoſcunt. Quis enim dicet, quod ſocius non cognoſcat collegam ſuum, civis concivem, ſervus conſervum; quum præcipue omnes in eadem domo, in eadem aula, in ejuſdem Domini obſequium, intime verſentur?

Quartum continet res omnes materiales, non ſolum in univerſali, verum quoque in particulari. Ratio eſt, quia ſi ſumantur ſecundum rationes communes, cognoſcuntur ab Angelis res materiales; continentur enim in ipſis tanquam in ſuperioribus; ſi vero accipiantur ſecundum rationes particulares, cognoſcuntur pariter ab Angelis, qui ſunt adminiſtratorii ſpiritus ipſarum; dicitur enim ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus*. Et re vera non poſſent Angeli cuſtodes eſſe ſingulorum hominum, urbium, provinciarum, regnorum; niſi hæc omnia in particulari cognoſcerent.

Quintum continet futura neceſſaria, & quidem hæc ab Angelis certo cognoſcuntur. Et ratio eſt, quia Angeli certo cognoſcunt illa omnia, quæ habent cum ſuis cauſſis neceſſariam connexionem; ſed futura neceſſaria habent cum ſuis cauſſis neceſſariam connexionem: ergo certo ab Angelis cognoſcuntur. Probatur major. Angeli comprehendunt cauſſas neceſſarias: ergo certo cognoſcunt illa, quæ cum ſuis cauſſis habent neceſſariam connexionem. Probatur antecedens. Angeli propter ſuæ naturæ perfectionem cognoſcunt omnia, ad quæ poteſt ſe extendere virtus naturalium cauſſarum: ergo comprehendunt cauſſas neceſſarias; adeoque &c.

Sextum, quod continetur intra objectum cognitionis Angelorum, ſunt futura contingentia, quæ ut plurimum accidunt; at hæc non certo, ſed per conjecturam ab Angelis cognoſcuntur. Si enim hæc ipſa cognoſcuntur ab hominibus, multo magis cognoſcuntur ab Angelis. Quod autem non cognoſcantur certo, inde eſt, quia non habent infallibilem cum ſuis cauſſis connexionem. Certum tamen eſt, quod ſi probabili modo illa cognoſcunt homines, Angeli cognoſcunt probabiliori, & veroſimiliori. Hæc, quæ enarravimus Angelorum cognitionis objecta, apud omnes in confeſſo ſunt; modo ad ea devenimus, quæ vel negantur, vel controvertuntur.

Dicimus I. Futura libera, & fortuita ab Angelis certo non cognoſcuntur per naturæ vires, ſed tantum conjecturaliter, & probabiliter.

I. Probatur ex Scripturis. Iſai.41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos*. Et cap. 46. *Ego ſum Deus, & non eſt ultra Deus, nec eſt ſimilis mei, annuntians ab exordio noviſſimum, & ab initio, quæ nondum facta ſunt, dicens*. Daniel. 2. *Eſt Deus in cœlo revelans myſteria*. II. Petri c. 1. *Non humana voluntate allata eſt prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*: ergo proprium Dei tantum eſt futura libera, & fortuita certo cognoſcere per proprias vires.

II. Pro-

II. Probatur ex Patribus: Tertullianus in Apologet. c.20. *Idoneum, ut arbitror, teſtimonium divinitatis, veritas divinationis.* Origenes lib.6.cont.Celſum circa initium: *Divini ſermonis characterem eſſe prædictionem futurorum.* Hilarius lib.9. de Trinit. circa finem: *Proprium Deo quid aliud, quam cognitio futurorum?* Chryſoſtomus hom. 18. in Joan. *Prædictio futurorum immortalis Dei dumtaxat opus eſt.* Cyrill. lib. 4. in Joan. *Nulli alii, quam uni, ac ſoli naturali Deo futura noſſe convenit.* Hieronymus in c. 2. Daniel. *Confitentur Magi, confitentur Arioli, & omnis ſcientia ſecularis literatura, præſcientiam futurorum non eſſe hominum, ſed Dei.* Damaſcenus lib.2. de fide c.3. *Futura quidem tametſi nec Dei Angeli, nec Dæmones norint, utrique tamen prædicunt, ſed diſpari modo. Angeli enim futuros eventus non aliter prædicunt, quam Deo ipſis quæ futura ſunt detegente, quo fit, ut ea omnia eveniant, quæ ab ipſis prædicuntur. Dæmones autem ipſi quoque prædicunt, interdum videlicet, quia ea, quæ procul geruntur, cernunt interdum ſola conjectura ducti; ex quo etiam efficitur, ut plerumque mentiantur.*

III. Probatur Rationibus. I. Futura libera, & fortuita non habent neceſſariam, & determinatam conneſſionem cum ſuis cauſſis: ergo ab Angelis non cognoſcuntur certo, & evidenter. II. Quanvis creata voluntas determinata ſit, poteſt nihilominus ex ſe ipſa mutari, poteſt etiam ab extrinſeco, a Deo præſertim impediri, itaut ſuum effectum non ſortiatur: ergo quanvis Angelus poſſit cognoſcere creatæ voluntatis determinationem, non per hoc poteſt cognoſcere certo, & evidenter effectus liberi illius determinationis futuritionem. III. In naturalibus non ſunt Dæmones deterioris conditionis, quam Angeli boni; ſed Demones non cognoſcunt certo futura libera, & fortuita: ergo neque Angeli boni. Probatur minor. Qui falluntur in prædictione illorum, non cognoſcunt certo; ſed Dæmones falluntur, ut experimento conſtat: ergo &c. IV. Quæ Deus ſibi ſoli reſervavit nulla creatura poteſt naturaliter, & certo ſcire; ſed ex productis Scripturarum, & Patrum teſtimoniis cognitionem futurorum liberorum, & fortuitorum ſibi ſoli Deus reſervavit: ergo nulli creaturæ, nec etiam angelicæ, convenire poteſt.

Arguunt I. Tum Angeli boni, tum mali, multa futura libera, & fortuita prædicunt: ergo illa certo cognoſcunt. II. Dæmones etſi aliquando prædicendo illa mentiantur, non eſt quod illa ignorent, & fallantur, ſed potius ut decipiant homines, qui ſibi credunt: ergo non bene infertur ex fallacia prædictionum ignorantia futurorum. III. Anima humana libera ab operatione ſenſuum multa prædicit, quæ eveniunt; quod præcipue accidit in ſomniis: ergo multo magis Angelus, qui nullum a ſenſibus patitur impedimentum. IV. Sybillæ multa prædixerunt, Caiphas pariter prophetavit, prophetavit etiam Balaam; non quidem per revelationem Dei; quia illæ erant Gentiles, iſti vero mali homines, Deo nullatenus accepti: ergo ex revelatione Demonum: ergo Dæmones certo futura libera, & fortuita cognoſcunt.

Reſpondemus ad I. Angelos bonos ex Dei revelatione prædicere, & quæ prædicunt, omnino verificari; Angelos malos non certo, ſed conjecturaliter cognoſcere, & ſic quoque prædicere; & obinde ut plurimum falſa eſſe, quæ prædicunt. Quod ſi aliquando ſunt vera; hoc evenire, vel in pœnam curioſorum hominum; vel ex cognitione, quam habent Dæmones revelationum a Deo factarum ſanctis hominibus; vel denique quia ipſimet Dæmones facturi ſunt, quæ prædicunt. Primum docet Auguſtinus lib. 2. de doctr. chriſt.c.23., alterum Tertullianus in Apologet. c. 22., tertium pariter Auguſtinus lib.2.de Geneſ.ad liter.c.17.

Ad II. dicitur, verum eſſe, aliquando Dæmones ex induſtria mentiri; at nemo debet credere, mentiri illos voluiſſe in futurorum prædictione, qua ſibi divinitatem adſcribere, ac probare nitebantur. Quod ſi de facto mentiri voluiſſent, non dediſſent obſcura reſpóſa, quibus in quoquunque eventu ſe eximere a mendacio poſſent. Et hoc eſt ſignum ignorantiæ ipſorũ.

Ad III. Somnia ex quinque generum varietate diverſa aſſignantur; nimirum ex corporis diſpoſitione, ex mentis ſollicitudine, ex Diaboli illuſione, & boni Angeli revelatione, & ex Dei viſione. Prima duo, docet S. Bonaventura diſt. 7. q. 3., eſſe præſagia futurorum, quatenus illa ſunt ſigna infirmitatis, alia ſunt ſigna affectuum, vel paſſionum. At cætera non ſunt ſigna de ſe, ſed poſſunt ab extrinſeco eſſe talia: unde humanæ cognitionis non ſunt effectus.

Ad IV. Dæmones a Deo aliquando accipere, quæ vult Deus, ut hominibus, impiis quidem, & ſceleſtis, revelent. Hoc do-

cet Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad liter. c. 17. Dignatur enim Deus aliquando Dæmones alloqui, ut ſuæ juſtitiæ miniſtros, vel per ſe ipſum, vel per bonos Angelos; quod patet ex Job. 1. & 2., & ita eis aliqua manifeſtat, quæ ſunt occulta hominibus, ut exequantur.

Dicimus II. Angelos non cognoſcere naturæ viribus certo, & infallibiliter ſecreta cordium.

I. Probatur ex Scripturis. III. Reg. 8. *Tu ſolus noſtri cor omnium filiorum hominum.* II. Paralipom. 6. *Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum.* Pſal. 7. *Scrutans corda, & renes Deus.* Jerem. 17. *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* Ad Hebr. 4. *Diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Si igitur ſolus Deus ſcrutator eſt cordium, non poſſunt Angeli naturæ viribus certo, & infallibiliter ſecreta cordium cognoſcere.

II. Probatur ex Patribus. Origenes hom. 7. in Geneſ. *Verbi cauſa, propoſitum habeo martirium, non ex hoc dicere ad me Angelus poterit, quia nunc cognovi, quod tu times Deum. Deo enim ſoli cognitum eſt propoſitum mentis. Si vero acceſſero ad agones, protulero bonam confeſſionem, quæ inferuntur, conſtanter cuncta ſuſcepero; tunc poteſt dicere Angelus veluti confirmans me, & corroborans: nunc cognovi, quod tu times Deum.* Hilarius in pſal. 139. *Cogitationes cordis noſſe non noſtrum eſt, ſed ejus, de quo dictum eſt: Scrutans corda, & renes Deus; ejus quoque, qui dixit: Sciens cogitationes eorum, quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Ille occultas omnes malignorum cordium ſenſus penetrabili, atque pervio aditu obeuntæ naturæ virtutis ſuæ contuetur.* Hieronymus in c. 9. Matth. *Dominus videns cogitationes eorum, ſe Deum oſtendit, qui poſſit cordis occulta cognoſcere.* Ambroſius in c. 5. Lucæ: *Dominus ſalvos volens facere peccatores, & occultorum cognitione Deum ſe eſſe demonſtrat.* Cyrillus 2. in Joan. *Hæc quoque dignitas, uti & cætera, quæ ſunt in Chriſto, Deo competit; nec ineſt ulli rei creatæ. Soli enim vero Deo ipſam tribuit Pſalmiſta, dicens: Qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Chryſologus ſer. 5. *Cape ejus divinitatis inſignia, audi eum pectoris tui penetraſſe ſecretum: aſpice eum ad cogitationum tuarum latebras perveniſſe. Intellige eum cordis tui tacita undare conſilia.* Et ſer. 94. *Dum Phariſæi cordis patefecit arcanum, ſe ipſum fuiſſe totius Prophetiæ demonſtrat auctorem.*

III. Probatur Rationibus. I. Si Angeli cognoſcerent ſecreta cordium, æque cognoſcerent Angelorum, & hominum: ergo Angeli cogniti non poſſent ſua ſervare ſecreta; hoc dicendum non eſt: ergo nec illud. II. Nos homines habemus jus ad ſervandam propriam famam, tam erga alios homines, quam erga Angelos; ſed ſi Angeli ſecreta cordium cognoſceſent, hos jus vanum nobis eſſet: ergo ſecreta cordium non cognoſcunt. III. Nos omnes habemus perfectum dominium noſtrorum actuum; non haberemus, ſi illos occultos Angeli cognoſcerent; quia intuitive cognoſcerent; cognoſcere autem intuitive eſt poſſidere, dum de rebus ſpiritualibus agitur: ergo &c. IV. Nobilitas humanæ mentis talis eſt, ut ſoli Deo pateat, ut ait S. Thomas: ergo Angelis naturaliter non patet, ipſamet humana mente nolente.

Obſtant I. Ex S. Gregorio lib. 18. moral. c. 27. *In beatitudine reſurgentium perſpicabilis alteri ſicut ipſe ſibi; & cum uniuſquiſque intellectus attenditur, ſimul conſcientia penetratur.* Hinc infert: *Civitatem Beatorum allegorice vocari vitrum mundum.* Et poſt pauca: *Nunc autem corda noſtra quandiu in hac vita ſumus, quia ab altero in alterum videri non poſſunt, ſed intra lutea vaſcula concluduntur.* II. ex Beda lib. 2. in Job. c. 7. *Non enim quidquam affectuum ſuorum ad invicem latere ſpiritus poteſt; ſimplices enim creaturæ nullum habentes quaſi obſtaculum corpulentum, perſpicuæ ſibi ſunt.* III. Auguſtinus teſtatur lib. 1. cont. Academicos c. 6., quendam Magum, Albericum nomine, cogitationes internas hominum prodidiſſe, & ſecreta cordium manifeſtaſſe; quod etiam de aliis Magis, & Energumenis confirmat Martinus Delrio lib. 4. diſquiſ. magic. c. 2. q. 2. Sed niſi a Dæmonibus ſcire non poterant: ergo &c. IV. Angeli, ſive boni, ſive mali, comprehendunt eſſentiam animæ rationalis: ergo cognoſcunt omnes modificationes ipſius; ſed inter modificationes ipſius ſunt ſecreta cordium: ergo hæc quoque cognoſcunt.

Reſpondemus ad I. Verborum S. Gregorii ſenſum eſſe, quod animæ ſeparatæ, atque etiam Angeli, non impediantur, ſicut homines, a corporum mole, quo minus alter alterius mentem aſſequatur; non autem affirmat, an infallibiliter, & certo, an vero per conjecturas, id ipſum cognoſcant.

Ad II. eadem eſt reſponſio; ut ex ipſiſmet

Be-

Bedæ verbis innoteſcit. Verum ſubdimus quoque ad majorem rei explicationem; quod Spiritus, ſi ſint boni, aliquando id percipiunt per revelationem; ſi vero ſint mali, per conjecturas attingere pertentant. Unde ait Damaſcenus lib. 2. de fid. orthod. c. 3. de futuris contingentibus, quæ poſſunt non inepte ſecretis cordium applicari.

Ad III. Auguſtinus de conjecturali, non de infallibili cognitione intelligendus eſt. Idem enim ipſe lib. de divinat. Dæmonum ſcripſit: *Angelos hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quadam exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcere*. Verum hoc ipſum deinde lib. 2. Retract. c. 30. explicavit: *Rem dixi occultiſſimam audaciore aſſeveratione, quam debui; nam pervenire iſta ad notitiam Dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum eſt: Sed utrum ſigna quædam dentur ex corpore cogitantium, illis ſenſibilia, nos autem latentia; an alia vi, & ea ſpirituali, iſta cognoſcant; aut difficillime poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inveniri*.

Ad IV. dicitur, quod ſatis eſt ad comprehenſionem animæ, quæ in Angelo ſupponitur, ſi Angelus cognoſcat quæ neceſſario, & naturaliter ex ſubſtantia animæ ſequuntur, non vero quæ libere; liberæ autem ſunt cordium cogitationes; ac proinde non cognoſcuntur ab Angelo, etiamſi animam comprehendat.

Dicimus III. Angelos naturæ viribus non cognoſcere myſteria gratiæ; quæ non ſunt penes modum tantum, ſed etiam quoad ſubſtantiam, ſeu in entitate, ſupernaturalia.

I. Probatur ex Scripturis. I. ad Corinth. 2. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi Spiritus Dei*. Senſus autem hujuſmodi verborum eſt; neminem poſſe cognoſcere, quæ pendent ex ſola, & libera Dei voluntate, niſi Deus ipſe tribuat. Subdit proinde Apoſtolus; ſpiritum mundi, hoc eſt ſpiritum creatum, ut interpretatur Theodoretus, non poſſe intelligere myſteria fidei, niſi Deus revelet; quod quoque de Angelis verificatur. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus; ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis*. Nimirum, quæ credimus, Spiritu Dei revelante credimus, non vero ſpiritu mundi aſſequente intelligimus. Ad Epheſ. 3. aſſerit Apoſtolus, *ſibi datam hanc eſſe gratiam, ut illuminaret, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſeculo in Deo, qui omnia creavit, ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*. Ignorabant ergo Principatus, & Poteſtates, quæ Paulus ſciebat; quia quæ ipſi revelaverat Deus, illis non nota fecerat.

II. Probatur ex Patribus. Ambroſius in comment. ad I. ad Corinth. 2. *Senſum Dei nemo novit, niſi qui de Deo eſt ſpiritus Dei. Inferiora enim non poſſunt ſuperiorum ſcire conſilium; neque creatura Creatoris ſui dignoſcere voluntatem*. Nyſſenus hom. 8. in Cant. *Etenim hactenus ſimplicem, & uniusmodi poteſtatem Dei, & efficientiam intelligebant Angeli, qui uno, & ſimplici Dei voluntate, ac ſolo verbo omnem illam conditarum rerum varietatem extitiſſe viderant. Varium autem illud, & multiplex genus ſapientiæ, quod ex contrariis rebus invicem nexis, aptiſque conſtat, per Eccleſiam manifeſte cognoverant: Quemadmodum Verbum caro factum eſt, utpote quod vita cum morte miſcetur; quomodo livore ſuo vulnera noſtra perſanat; quomodo crucis infirmitate vires hoſtis evertit; quemadmodum id, quod aſpectabile non eſt, in carne manifeſtatur, ut qui captivos redimit idem ille, qui emptor eſt, & pretium; tum quemadmodum mortem ſic obiit, ut a vita non recederet*. Anſelmus ad Epiſt. Pauli: *Per Eccleſiam profeciſſe in cognitione hujus ſapientiæ etiam angelicos ſpiritus aſſerit; quia dum eam Chriſtus vel per ſe, vel per Apoſtolos, inſtitueret, plurima ſecreta didicerunt Angeli, quæ ignorabant*.

III. Probatur Rationibus. I. Nulla eſt proportio inter potentiam intellectivam angelicam, & myſteria gratiæ: ergo nequeunt hæc ab Angelis naturæ viribus cognoſci. Probatur antecedens. Myſteria gratiæ ſunt in ordine altiori, & ſuperiori ad angelicam naturam; ergo nulla eſt proportio &c. Probatur antecedens. Sunt in ordine ſupernaturali; angelica vero natura, & potentia intellectiva, ſunt in ordine naturali: ergo &c. II. Myſteria gratiæ pendent a Dei voluntate: ergo ab illis cognoſcuntur, a quibus vult Deus, ut cognoſcantur; ſed hoc non eſt naturæ viribus cognoſci: ergo naturæ viribus ab Angelis non cognoſcuntur. III. Si Angeli cognoſcerent myſteria gratiæ, vel ea cognoſcerent per eorum ſpecies, quas ab ipſis exciperent, vel per eorum ſpecies, quas Deus ipſis infunderet: Non primum, quia improportionatæ eſſent Angelis eo-

rum ſpecies : Neque ſecundum, quia ſi Deus ipſis ſpecies infunderet, non naturæ viribus cognoſcerent. IV. Myſteria gratiæ ſunt quidem credibilia, non autem ſcibilia : ergo ab Angelis ſciri naturaliter non poſſunt, quanvis poſſint ſupernaturaliter credi; ſed quæ creduntur ſupernaturaliter revelationem ſupponunt : ergo myſteria gratiæ ab Angelis per revelationem cognoſcuntur : ergo non viribus naturæ.

Objiciunt I. Dæmones cognoverunt Chriſtum eſſe Filium Dei : ergo cognoverunt Incarnationis myſterium; non cognoverunt per revelationem, neque per ſpeciem divinitus inditam : ergo naturæ viribus. II. Myſteria gratiæ ſunt ſupernaturalia quoad entitatem, non vero quoad cognoſcibilitatem : ergo poſſunt ab Angelo cognoſci. Probatur antecedens. Sunt ſupernaturalia quia nequeunt naturaliter fieri : ergo ſunt ſupernaturalia quoad entitatem, non vero quoad cognoſcibilitatem. III. Myſteria gratiæ licet ſint entia ſupernaturalia, ſunt tamen entia creata; ſed entia creata non ſunt ſupra activitatem intellectus angelici : ergo, &c. IV. S.Thomas 1.p. q.64. ar.1.ad 4. docet, Angelos a principio cognoviſſe myſterium regni Dei; ait enim : *Myſterium regni Dei, quod eſt impletum per Chriſtum, omnes quidem Angeli a principio aliquo modo cognoverunt*; ſed non cognoverunt per revelationem, nec per viſionem; quia aliter Dæmones non cognoviſſent; & nihilominus S.Doctor aſſerit, quod omnes Angeli cognoverunt : ergo naturæ viribus cognoverunt.

Reſpondemus ad I. Dæmones ſuſpicatos fuiſſe, Chriſtum eſſe filium Dei, videntes mirabilia, quæ faciebat; adeoque adulatorie illum filium Dei appellaſſe; ut ſcilicet aſſequerentur, an vere filius Dei eſſet. Hoc pacto ſacri Interpretes verba illa exponunt; unde fit, quod Dæmones vere non cognoverunt, Chriſtum eſſe filium Dei. Auguſtinus de civit. Dei c.21. hæc ad rem ſcribit de Dæmonibus : *Tantum eis innotuit, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit; ſed ſic innotuit, non ſicut Angelis ſanctis, qui ejus ſecundum id, quod Dei Verbum eſt, participata æternitate perfruuntur; ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit, nimirum per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſſima ſigna præſentiæ, quæ Angelicis ſenſibus etiam malignorum ſpirituum potius, quam infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua. Denique quando ea paululum ſupprimenda judicavit, & aliquando altius latuit, dubitavit de illo Dæmonum Princeps, eumque tentavit, an Chriſtus eſſet.* Audiatur etiam S.Leo magnus ſer.de paſſion. de Chriſto Domino ſcribens : *Qui ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis abſolveret, & ſævienti Diabolo potentiam ſuæ majeſtatis occuluit, & humilitatem noſtræ infirmitatis objecit. Si enim crudelis, & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſſe potuiſſet, Judæorum animos manſuetudine potius temperare, quam injuſtis odiis ſtuduiſſet accendere; ne omnium captivorum amitteret ſervitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem.*

Ad II. dicimus, quod ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam non dicitur tale præciſe per habitudinem ad cauſſam; quia ſi hoc eſſet, nullum haberetur diſcrimen inter ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & ens ſupernaturale quoad modum. Ens enim ſupernaturale quoad ſubſtantiam requirit cauſſam ſupernaturalem ratione propriæ entitatis, & ſemper, non vero ratione alicujus circumſtantiæ, & aliquando : unde eſt ipſi eſſentialis, & intrinſeca ad cauſſam ſupernaturalem habitudo; & per conſequens importat in ſui entitate ſupernaturalitatem pro omni reſpectu, & ratione; & proinde pariter pro cognoſcibilitate.

Ad III. Verum eſt, quod entia creata non ſunt ſupra activitatem intellectus angelici ſub ea ratione, ſub qua ſunt termini, & objecta intellectivæ facultatis finita, & limitata; quia ſub hac ratione proportionem habent cum intellectu angelico finito, & limitato; at ſub ratione, ſub qua ſunt ſupernaturalia, excedunt virtutem, & activitatem naturalis cujuslibet intellectus; unde cum illo proportionem non habent.

Ad IV. intelligendus eſt Doctor Angelicus de imperfecta revelatione, quæ fuit aliquo modo facta Angelis a principio. Et hanc imperfectam revelationem factam fuiſſe omnibus Angelis a principio, docet S.Doctor, & nos cum ipſo ſentimus. Perfectam vero revelationem Sanctis Angelis tantum fuiſſe factam docet 1.p. q.57. ar.5. verbis hiſce : *Ad primum ergo dicendum, quod de myſterio Incarnationis dupliciter contingit loqui. Uno modo in generali, & ſic omnibus revelatum eſt a principio ſuæ beatitudinis. Alio modo poſſumus loqui de myſterio Incarnationis quantum ad ſpe-*

ſpeciales conditiones, & ſic non omnes Angeli a principio de omnibus ſunt edocti; imo quidam, etiam ſuperiores Angeli, poſtmodum didicerunt.

DISSERTATIO CXLIII.

De Medio, quo Angeli propria objecta cognoſcunt; & de Dotibus cognitionis ipſorum.

Quæſtio eſt inter Scholaſticos, in quo Angeli propria objecta cognoſcant? Et quidem eſt celebris præcipue inter Thomiſtas, & Scotiſtas; verum & inter alios quoque, qui iiſdem in aliquo accedunt, in alio vero ab ipſis recedunt. Id, in quo cognoſcunt Angeli objecta ſua, eſt medium cognitionis ipſorum; & hoc dicitur conſiſtere, vel in ipſa ſubſtantia angelica, vel in ſpeciebus, quæ fuerint a Deo Angelis infuſæ, vel fuerint illis congenitæ. Scotus cum Suis ponit in ſpeciebus; S. Thomas cum Suis non ſic; alii vel huic, vel illi, ſubſcribunt, varie quidem, prout varia ſunt objecta, quæ ab Angelis cognoſcuntur. Juxta varietatem pariter objectorum nos etiam noſtrum ſenſum aperiemus.

Dicimus I. Angelos ſe ipſos citra ullam ſpeciem intelligere. Probatur I. Non eſt opus ſpecie, quando objectum eſt intelligibile, & eſt intime conjunctum intelligenti; ſed Angelus eſt objectum intelligibile, & eſt intime conjunctum ſibi ipſi: ergo non eget ſpecie, ut ſeipſum cognoſcat. Major probatur. Species ponitur ut vicaria objecti: ergo ſupponit objectum abſens, & diſtans: ergo quando objectum eſt præſens, non eſt opus ſpecie; ſed quando eſt intime conjunctum intelligenti, eſt ſibi intime præſens: ergo, &c. Minor probatione non indiget. II. Anima rationalis dum eſt ſoluta corpore, ſeipſam citra ullam ſpeciem intelligit: ergo pariter Angelus: Conſequentia ſequitur, immo a fortiori ſequitur. Antecedens probatur. Ideo anima corpori unita non intelligit ſeipſam intuitive, quia corporis impedimentum non facit illam ſibi intime præſentem: ergo quando in ejus ſeparatione ceſſat impedimentum corporis, eſt ſibi intime præſens: ergo dum eſt ſoluta corpore, ſeipſam citra ullam ſpeciem intelligit. III. Species, in qua Angelus cognoſceret ſeipſum, vel eſſet diſtincta ab Angelo, vel indiſtincta: Si indiſtincta: ergo Angelus cognoſceret ſeipſum in ſeipſo: Si diſtincta: ergo Angelus non cognoſceret ſeipſum intuitive. Probatur hæc ultima conſequentia. Specica ponitur, ut conjungat objectum cum potentia; ſed ſpecies diſtincta ſejungeret objectum a potentia in Angelo, quia poneret diſtinctionem inter Angelum cognoſcentem, & Angelum cognitum, qui eſt omnino idem: ergo faceret, ut Angelus non cognoſceret ſeipſum intuitive, ſed abſtractive.

Dicimus II. Angelos cognoſcere Deum in ſeipſo immediate. I. probatur. Angeli Deum intuentur: ergo Deum in ſeipſo immediate cognoſcunt. Antecedens eſt certum; conſequentia probatur. Si cognoſcerent in ſpeciebus a Deo diſtinctis, cognoſcerent non in ſeipſo, ſed in alio: ergo Deum non intuerentur, ſi Deum in ſeipſo non cognoſcerent immediate. II. Si pro ſpecie intelligitur Dei manifeſtatio, quæ ſit a Deo indiſtincta, adeoque etiam ſpecies a Deo ſit indiſtinta, concedimus ſane Angelos cognoſcere Deum per ſpeciem, at non in ſpecie; atqui hoc eſt cognoſcere Deum in ſeipſo: ergo &c. III. Poteſt etiam intelligi, quod Angelus in ſeipſo cognoſcat Deum, adeoque ſpecie non egeat ad Deum cognoſcendum. Et hoc pariter probatur, quia Angelus, quum ſit Dei effectus, & quidem nobilior, cognoſcendo ſeipſum, hoc ipſo cognoſcit ſuam cauſſam; & quo ipſe nobilior eſt, eo perfectius ſuam cauſſam cognoſcit; ſed hoc fieri poteſt abſque ulla ſpecie: ergo in nullo caſu Angelua indiget ſpecie diſtincta, ut Deum cognoſcat.

Dicimus III. Angelos cognoſcere in ſeipſis multa alia, ſine ſpecierum adjutorio. I. probatur. Angelus intuetur ſeipſum: ergo in ſeipſo videt ea omnia, cum quibus connexionem, aut relationem, habet; ſed hæc multa ſunt: ergo multa alia in ſeipſis Angeli cognoſcunt. Probatur pri-

ma

ma conſequentia. Quo perſpicacior eſt cognitio, eo eſt intimior; ſed perſpicacior eſt in Angelis cognitio, quum ſit intuitio, quæ eſt perſpicacior: ergo eſt intimior; ſed non poteſt eſſe intimior, quin cognoſcat connexiones, & relationes, quas habet res cognita cum aliis rebus: ergo ſi Angelus intuetur ſeipſum, in ſeipſo videt ea omnia, cum quibus connexionem habet, aut relationem. II. Ex Sanctis Patribus habemus, Angelos non per creaturas, ſed ſuæ naturæ vicinitate ad Deum, & ad Dei contemplationem, & in divina luce omnia intueri; ſed hoc non importat cognoſcere per ſpecies, immo ſpecies omnino excludit; ergo &c. Major probatur ex Bernardo ſer. 5. in Cant. *Porro autem ſupercœleſtis Spiritus abſque adjutorio corporis, & abſque intuitu eorum, quæ per corpus ſentiuntur, ſola profecto ſuæ vicinitate, ac vivacitate naturæ ſufficit apprehendere ſumma, & intima penetrare. An non hoc Apoſtolus intellexit, qui cum diceret: Indiviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, adjecit protinus, a creatura mundi; nimirum, quoniam a creatura cœli non ita?* Et ex Auguſtino lib. 11. de civit. Dei c. 11. *Simul ut facti ſunt, non ita tantum creati, ut quoquo modo viverent, ſed etiam illuminati, ut ſapienter, beateque viverent.* III. Lumen divinum in Angelo præſtat illud omne, quod communiter dicitur præſtari per ſpecies infuſas; ſed eſt conformius menti Sanctorum Patrum dicere, cognitionem rerum univerſalium, & intelligibilium, Angelos habere non ab objectis, ſed a Deo, vel a ſeipſis, lumine illo perfuſis: ergo illud omne, quod per ſpecies infuſas explicatur, congruentius per lumen hoc exponitur. Totum hoc manifeſtatur ab Auguſtino pluribus in locis, & præcipue lib. 11. de civit. Dei c. 10. *Ut non inconvenienter dicatur ſic illuminari animam incorpoream luce incorporea ſimplicis Sapientiæ Dei, ſicut illuminatur aeris corpus luce corporea; & ſicut aer tenebreſcit iſta luce deſertus, ita tenebreſcere animam ſapientiæ luce privatam.* Et lib. 2. de lib. arb. c. 12. *Quapropter nullo modo negaveris immutabilem veritatem, hæc omnia, quæ incommutabiliter vera ſunt, continentem, omnibus incommutabilia vera cernentibus tanquam miris modis ſecretum, & publicum lumen, præſto eſſe, ac ſe præbere communiter.* Et ſer. 8. de verb. Dom. *Dic quia tu tibi lumen non es, ut multum oculus es. Quid prodeſt patens, & ſanus oculus, ſi lumen deſit? Ergo dic a te tibi lumen non eſſe, & clama quod ſcriptum eſt: Tu illuminabis lucernam meam Domine.*

Dicimus IV. Angelos cognoſcere res particulares per ſpecies, quæ non ſint realiter ab objectis diſtinctæ. Concluſio explicatur, & probatur a P. Magnano Philoſ. Nat. cap. 33. de Anima ſeparata, n. 10. ubi ſic diſcurrit de anima, & conſequenter de Angelo: „ Non exiſtimo, ſpecies
„ proprias objectorum illi infundi a Deo
„ ſolo, quaſi objectorum vice, agente;
„ tum quia anima ſine infuſis poteſt co-
„ gnoſcere veritates omnes, quas ex una
„ jam cognita colligere poteſt, ut dixi n. 7.,
„ tum etiam quia ſingularia prout occurre-
„ rint, ac de novo præſentia illi fuerint,
„ poteſt immediate cognoſcere accipiendo
„ ab eis ipſis ſpecies proprias; prout oc-
„ currerint, inquam, quia id jam concipio
„ ad eum modum, quo ſenſibilium ſpecies
„ proprie accipiuntur ab eis dum occur-
„ runt, vel de novo exiſtunt præſentiali-
„ ter: Nec enim hactenus perſuadere mi-
„ hi potui deeſſe objectis intelligibilibus
„ id, quod convenit ſenſibilibus; nimirum
„ poſſe ſpecies ſibi proprias in intellectum
„ imprimere, quanvis nos non probe con-
„ cipiamus modum, quo imprimunt; ſiqui-
„ dem non eſſet bonum argumentum, quo
„ cæcus negaret, aut omnino eſſe lucem,
„ aut eam eſſe ſpeciem &c. eo quod non
„ poteſt ipſe concipere lucem, aut modum,
„ quo ea viſioni ſervit: Nam hoc argumen-
„ tum eſt, ut patet, negativum, adeoque
„ nihil probat; aliunde vero poſitivum ar-
„ gumentum, quo id ſufficienter probetur,
„ hactenus non vidi: Imo ego pro mea
„ ſententia poſitivum habeo argumentum,
„ quod ſcilicet phantaſma corporeum ani-
„ mam materialem determinet, ut nemo
„ negat, ad intelligendum; adeoque ani-
„ ma hoc ipſo ſpeciem ab objecto materiali
„ accipiat ad intelligendum immateriali-
„ ter, quando unita eſt; & conſequenter,
„ ut inde colligere licet, ſimiliter accipere
„ poteſt, & multo facilius, ac nobilius,
„ quando eſt ſeparata „. Et numer. 11.
„ Profiteor ſane, me non omnino ſcire
„ modum, quo intelligibilia proprias ſui
„ ſpecies imprimunt intellectui; nec puto
„ eum a mortali poſſe ſciri per rationem
„ naturalem; cum nullam hactenus ejus rei
„ propriam ſpeciem habere potuerimus,
„ nec ſit ſpes eam in poſterum habendi,
„ ſtantibus rebus ut ſunt: tamen, ut dixi
„ numero præcedenti, non dubito quin
„ intelligibilia omnia, tum immaterialia,

„ tum

,, tum corporea (quæ, etiam ipſa, ſunt ſuo
,, modo intelligibilia, ideſt intelligi, ſeu ab
,, intellectu cognoſci poſſunt, ſecundum
,, quod ſunt, & ut talia ſunt) ſpecies ſui
,, proprias communicare poſſint, & de fa-
,, cto communicent intellectui. Et quia
,, in objectis materialibus reſpectu ſenſuum
,, corporeorum, ſpecies cuique objecto
,, propria non eſt aliud, quam actio ejus
,, ipſi connaturalis, qua ſe facit ſentiri a
,, ſenſu, ex dictis c. 28. n. 10.; ideo cum
,, proportione, videri poteſt non multum
,, alienum a vero, ſi dicatur, objecta intel-
,, ligibilia agere etiam ſuo modo in intel-
,, lectum; & ita eidem communicare pro-
,, prias experimentales ſpecies ſui ipſorum:
,, Unde habes, ut dicebam num. 10., non
,, eſſe neceſſe, ut a Deo infundantur ſpe-
,, cies; imo neque id eſſe conveniens, quia
,, ita infundere ſpecies eſſet, Deum agere
,, loco, & vice objectorum, quod licet poſſit
,, Deus, quatenus nihil ipſi eſt impoſſibile;
,, tamen nec videtur conveniens, ut paſſim
,, ita fiat, nec apparet in hoc ulla neceſſi-
,, tas,,. Et n. 12.,, Et quanvis objecta corpo-
,, rea, hoc ipſo, quod corporea ſunt, nullā, ut
,, alias dixi, actionem habeant, præter im-
,, pulſum, motumque localem; & hinc non
,, videantur ullatenus exercere poſſe imme-
,, diate in intellectum, nempe in ſubſtan-
,, tiam immaterialem, ſeu non impenetra-
,, bilem; recte tamen conjicere licet, hanc
,, ipſam pellendi, ac movendi actionem
,, objecti corporei talem eſſe, ut aliquo
,, (licet nobis ignoto) modo afficiat intel-
,, lectum; & ita ſe faciat ab eo intelligi.
,, Neque hoc ita eſt a communi conceptu
,, alienum, ut deſint qui putent, Cacodæ-
,, mones affligi quibuſdam fumigationibus,
,, etiam extra ipſas ſacras exorciſmi cære-
,, monias; & hoc forte modo bene explica-
,, retur per cauſam phyſicam igni mixtam,
,, aut aliter indiiam infernali (Deo ſpecia-
,, liter id agente, & ita ignem illum, ut di-
,, citur, elevante, ſicut cum proportione
,, græcaoicus ignis eſt ignis elevatus ad ar-
,, dendum in aquis) tormentum phyſicum
,, Cacodæmonum. Sed quidquid ſit de
,, hoc; ego non video repugnantiam quo-
,, minus poſſit res corporea intellectum
,, actione quadam ſua immediate excitare
,, ad ſui cognitionem, & ut eſt vox etiam
,, communiter uſitata, movere motu ſcili-
,, cet intentionali, ut alias explicatum eſt;
,, & aliunde video non levem in hoc pro-
,, babilitatem, quam dixi: Unde in præſens
,, mihi perſuadeo, prorſus rem ita eſſe, ut
,, ſcilicet quivis intellectus creatus ab obje-
,, ctis ſuis quibuslibet ſpecies ipſorum pro-
,, prias accipiat modo cuique proprio; &
,, ſic ea non per accidens intelligat, ſed per
,, ſe. Vide Philoſ. ſacram c. 2. prop. 4. a
,, num. 80. ,, Et num. 13. ,, Præter autem
,, aſſignatam illam, quam a num. 10. dixi
,, probabilitatem; addo & modum, quo id
,, poſſit non inconvenienter concipi. Cer-
,, tum eſt, actionem, qua unum corpus
,, agit in aliud, duo præſtare, ſeu duos
,, quaſi formales effectus habere in paſſo;
,, primus eſt, movere ipſum paſſum e ſuo
,, loco, vel etiam in ſuo loco; alter eſt,
,, ipſum paſſum delectare, vel affligere.
,, Primum habet propter impenetrabilita-
,, tem duorum ex dictis cap. 19. prop. 6. Se-
,, cundum habet ratione naturalis conve-
,, nientiæ, vel diſconvenientiæ, qua fit
,, formaliter, ut ſit grata, vel injucunda
,, paſſio. Cum itaque hoc modo actio cor-
,, porea ſit aliquid amplius quam motio lo-
,, calis; quidni poſſit in paſſo pure immate-
,, riali præſtare id, cujus illud eſt per ſe
,, capax, nimirum delectare, vel afflige-
,, re, aut alio modo indifferenti afficere;
,, quanvis in eodem non poſſit id, cujus il-
,, lud ob ſuæ ſubſtantiæ omnino penetrabi-
,, lis tenuitatem, eſt incapax, nimirum per
,, loci ejus totalis aut partialis invaſionem
,, ipſum inde excludere? ,, *Et num. 14.*
,, Equidem cognoſcere rem immediate non
,, per accidens, ſed per ſe, ut dicitur, eſt
,, eam cognoſcere per propriam ſpeciem;
,, quare cum actio connaturalis cujuslibet
,, rei ſenſibilis ſit propria ejus ſpecies, qua
,, ſcilicet facit ſe ut talem ſentiri ex dictis
,, cap. 28. num. 10., conſequens eſt a pari,
,, ut quodlibet cognoſcibile tunc immedia-
,, te per ſe cognoſcatur, quando cognoſci-
,, tur per ſibi propriam & connaturalem
,, actionem, qua ſcilicet facit ſe cognoſci
,, ut tale eſt. Et confirmatur, quia cujus-
,, libet rei natura eſt eſſe principium ſui
,, proprii motus ſive operationis: igitur
,, qui probe cognoſcet operationem, ea-
,, dem opera, ac per eam quaſi per identi-
,, tatem objecti cognoſcet ipſam naturam
,, ſicuti eſt; præſertim quia ex prop. 6. cap. 6.
,, conſtat, actio prout ſe tenet ex parte ſui
,, principii, non diſtinguitur ab eo, niſi
,, noſtro imperfecto & inadæquato conci-
,, piendi modo; ſive, ut ibi dixi, meta-
,, phyſice ,,.

Ex his P. Magnani verbis eruuntur rationes ad Concluſionem probandam, & pariter reſponſiones ad argumenta, quæ opponuntur. I. Igitur probatur. Objecta intelligibilia per proprias actiones agunt in

po-

Digitized by Google

potentias intellectivas, ut intelligantur; ſed actiones iſtæ non ſunt ab objectis diſtinctæ, & ſunt ſpecies ipſorum, ut ſupponimus alibi probatum: ergo objecta intelligibilia per proprias ſpecies indiſtinctas ab Angelo concipiuntur. II. Objecta materialia poſſunt etiam per proprias actiones percipi a potentia intellectiva: ergo pariter per ſpecies indiſtinctas. Probatur antecedens. Si quæ eſſet repugnantia, eſſet quia materiale non poſſit agere in ſpirituale; ſed hoc non obſtat: ergo &c. Probatur minor. Phantaſmata ſunt materialia, & tamen agunt in intellectum, quando anima eſt corpori unita, ut materialia ab intellectu percipiantur: Similiter fumigationes materiales agunt in Cacodæmones, qui ſunt puri Spiritus, extra exorciſmos: ergo extra elevationem aliquando materiale agit in ſpirituale: ergo non eſt univerſaliter verum principium illud. III. Si implicat hoc fieri per motum phyſicum, non implicat fieri per motum intentionalem; atqui hic motus intentionalis non repugnat rei materiali: ergo non repugnat, ut per proprias actiones, quæ ſint ſpecies indiſtinctæ, materialia ab intellectu angelico percipiantur. Probatur minor. Motus intentionalis eſt motus analogicus cum motu phyſico, qui poteſt quidem convenire rei materiali, quanvis a nobis concipi, & explicari non poſſit; ut patet in exemplis allatis phantaſmatum, & fumigationum: ergo motus intentionalis non repugnat rei materiali. IV. Objectum materiale poteſt delectare, vel affligere potentiam ſpiritualem; ſed hoc non poteſt facere niſi per motum, & hic motus non poteſt eſſe phyſicus: ergo datur motus iſte, ſeu actio rei materialis in ſpirituale, qui quanvis non ſit phyſicus, eſt tamen intentionalis, ad inſtar ſcilicet motus phyſici. Antecedens ſupponitur certum a P.Magnano, & a nobis, ut ab ipſo, alibi probatum; conſequentia ſequitur; ſi enim materiale poteſt agere in potentiam ſpiritualem, prout volitiva eſt, poteſt etiam agere in eandem prout eſt intellectiva; & quemadmodum pro una non requiritur motus phyſicus, ſed ſufficit intentionalis, ita & pro alia.

Arguunt I. Quanvis ſpecies indiſtinctæ, explicatæ per actiones objectivas, faciant intelligi ab Angelis objecta præſentia, non poſſunt facere, ut pariter intelligant objecta abſentia, ſive præterita ſint, ſive futura: ergo ad hoc ut intelligant iſta, requiruntur ſpecies diſtinctæ, quæ ſint vel Angelis congenitæ, vel a Deo infuſæ. II. Dum unus Angelus cognoſcit alium Angelum, vel cognoſcit per ſpeciem, vel in ſe ipſo; non per ſpeciem; quia ſi eſt Angelus ſuperior, non eſt commenſuratus inferiori, adeoque non poteſt ipſi propriam exhibere ſpeciem; ſi vero eſt Angelus inferior, quia non eſt æque immaterialis cum ſuperiori, nec quoque propriam exhibebit ſpeciem: ergo cognoſcitur per ſpeciem vel congenitam, vel infuſam; quia in ſe ipſo cognoſci non poteſt. III. Modus agendi rei materialis eſt ſenſibilis: ergo non habet proportionem cum potentia, quæ non dependet a ſenſu, quemadmodum eſt intellectus Angelicus. IV. Ex P.Magnano cit.loc. n.17. modus intelligendi animæ ſeparatæ non eſt univoce idem cum modo intelligendi Angelorum: ergo non valet argumentum ab anima ſeparata ad Angelum; ſed nos uſque modo loquuti fuimus de modo intelligendi Angelorum per comparationem ad modum agendi animæ ſeparatæ: ergo non bene loquuti fuimus.

Reſpondemus ad I. quod ſi objecta illa, quæ non ſunt præſentia, fuerunt aliquando cognita ab Angelis, & tunc cognoſcunt illa per ſpecies expreſſas, quæ non ſunt diſtinctæ realiter ab ipſis; vel non fuerunt alias cognita, & tunc cognoſcuntur per lumen, inditum a Deo ipſis; ut in tertia concluſione diximus.

Ad II. Unus Angelus cognoſcit alterum per ſpeciem alterius, ab hoc altero indiſtinctam; hoc eſt per actionem objectivam ipſius, per quam agit in potentiam cognoſcitivam Angeli intelligentis. Et in hoc nil aliud neceſſe eſt, quam quod Angelus, qui cognoſcitur, ſit intelligibilis, & Angelus, qui cognoſcit, ſit intellectivus; ut dictum eſt.

Ad III. Utique modus agendi rei materialis eſt ſenſibilis, ſed quia habet aliquam analogiam cum modo agendi rei immaterialis in ordine ad intellectivam potentiam; ideo per hanc analogiam modus ille habet rationem aliquam, ut res illa materialis ab intellectiva potentia intelligatur. Quinam proprie ſit hic modus, nemo hactenus explicavit; ſicut nec explicari poteſt, quomodo phantaſma agat in intellectum, & nihilominus agit; quomodo fumigationes torqueant Cacodæmones, & tamen torquent; unde ſicut non negantur iſti modi, quanvis non explicentur, ita nec negari debet hic alius, li-

ter explicari non poſſit:

Ad IV. Magnanus explicet Magnanum; cujus hæc ſunt verba citato loco. „ Modum Intelligendi animæ ſeparatæ non „ exiſtimo eſſe prorſus univoce eundem „ cum Angelorum intelligendi modo,quan„ vis uterque pariter ſit immaterialis,& in„ tellectualis; imo nec exiſtimo, Angelos „ novem Ordinum habere omnes univoce „ eundem intelligendi modum; ſed puto „ eos ſaltem in ſingulis choris habere ſuum „ ſibi proprium ab aliis diverſum. Ratio, „ quæ me movet, eſt, quia & hi Angeli,& „ anima, habent ſuum ſibi proprium ſpeci„ ficum eſſendi modum, alii ab aliis di„ verſum; at modo eſſendi proportionatur „ modus operandi: ergo ſecundum ſpeci„ ficam diverſitatem modi eſſendi erit di„ verſitas ſpecifica modi operandi. Et con„ firmatur minor, quia natura eſt princi„ pium operationis; adeoque talis natura „ (talis, inquam, ſecundum modum talem „ eſſendi) erit principium talis operatio„ nis, ſeu talis modi operandi: ergo licet „ generice ſit idem modus cognoſcendi, „ ſive intelligendi immaterialiter, commu„ nis animæ ſeparatæ,Angeliſque omnibus; „ tamen non eſt idem ſpecifice,&c. „ Conveniunt igitur Anima ſeparata, & Angeli, in eo, quod utrique immaterialiter intelligant; & hoc nobis ſufficit, ut ſalvemus comparationem a nobis factam inter animam ſeparatam,& Angelos: Et quanvis diſconveniant in modo agendi, ſeu in modo intelligendi ſpecifico; hoc nihil obſtat comparationi a nobis factæ, in qua non de hoc, vel tali modo intelligendi, ſed de modo intelligendi generice loquuti fuimus.

Devenientes modo ad enumerandas dotes cognitionis Angelorum,ſic progredimur. Prima eſt,ut cognitio Angelorum ſit ſemper in actu reſpectu objectorum, quæ vident in Verbo; non ſit vero ſemper in actu objectorum, quæ vident extra Verbum. Ratio primi dicti eſt, quia quum ceſſare non poſſint a viſione Verbi, nec pariter ceſſare poſſunt a viſione objectorum, quæ in Verbo vident. Et ſicut quia ceſſare non poſſunt a viſione Verbi, cognitio Verbi eſt ſemper in actu; ita etiam, quia non poſſunt ceſſare a viſione objectorum, quæ vident in Verbo, cognitio reſpectu horum objectorum eſt ſimiliter ſemper in actu. Ratio ſecundi dicti eſt: quia ceſſare poſſunt a cognitione horum objectorum; & in hoc diſtinguitur cognitio Angelorum a cognitione Dei, quia Deus quæ videt ſemper videt, unde ſemper in actu fertur ad quodcumque objectum; non ſic vero Angeli, qui non ſemper cognoſcunt eadem objecta, & ideo non ſemper in actu fertur ad illa; & per conſequens cognitio ipſorum reſpectu ad hæc objecta non eſt ſemper in actu.

Secunda dos cognitionis Angelorum eſt, ut attingat plura ſimul, at non omnia; ſcilicet videat ſimul omnia individua Leonis e.g., at non ſimul etiam omnia individua bovis; & ratio eſt, quia omnia individua leonis continentur in idea leonis, non vero in eadem idea continentur individua bovis. Unde videns Angelus in Verbo ſimul ideam leonis, videt omnia individua leonis, & non videt individua bovis; videns deinde pariter in Verbo ſimul ideam bovis, videt quidem omnia individua bovis, at non videt ſimul in ea omnia individua leonis.

Tertia dos eſt, ut non ſit cognitio Angelorum diſcurſiva pro objectis, quæ naturaliter cognoſcunt; ſit vero diſcurſiva pro objectis, quæ naturaliter non cognoſcunt. Hoc pacto conciliantur ſententia Scoti, qui vult, Angelos diſcurrere, & S. Thomæ, qui docet, non diſcurrere. Ratio prioris eſt; quia cognitio Angelorum in iis, quæ naturaliter cognoſcunt, eſt comprehenſiva: ergo non eſt diſcurſiva; diſcurſus enim procedit de noto ad ignotum; comprehenſio vero ita cognoſcit uno actu, ut nihil lateat cognoſcentem. Ratio poſterioris eſt; quia Angeli cognoſcunt ſecreta cordium, & futura libera, per conjecturas, ut diximus: ergo per illationes.

Quarta dos eſt, quod cognitio Angelorum non poteſt eſſe falſa, nec reſpectu eorum, quæ naturaliter cognoſcunt, nec reſpectu eorum, quæ cognoſcunt ſupernaturaliter; non ſic autem cognitio malorum Angelorum. Ratio eſt pro primo, quia Angeli quæ naturaliter cognoſcunt, comprehenſive cognoſcunt: ergo ipſorum cognitio non poteſt eſſe falſa. Ratio pro ſecundo, quia quæ cognoſcunt ſupernaturaliter, cognoſcunt per revelationem divinam; ſed revelationi divinæ non poteſt ſubeſſe falſum: ergo &c. Ratio pro tertio, quia cognitio malorum Angelorum eſt inordinata, adeoque judicant de naturalibus abſque reſpectu ad ſupernaturalia;& ideo eſt falſa. Sic enim judicabant Chriſtum non eſſe Deum, & ſimilia.

Quinta dos eſt, ut ſit matutina, & veſpertina.

na. Matutina cognitio Angelorum eſt quando vident objecta in Verbo; veſpertina eſt quando vident objecta in ſeipſis. Mane, & veſpere faciunt unum diem; mane tamen dies eſt clarior, quam veſpere: Sic eadem cognitio Angelorum reſpectu unius objecti, eſt clarior, quando eſt matutina, hoc eſt vident Angeli objectum illud in Verbo; minus clara eſt, quando eſt veſpertina, ſcilicet vident idem objectum in ſeipſo. Hoc docet Auguſtinus in lib. 4. de Geneſ. ad literam cap. 24., & communiter a Theologis omnibus admittitur. Hoc autem, ut patet, dici non poteſt de malis Angelis, qui Dei viſione privantur.

Obſtant I. Auctor libri de divinis nominibus, qui dicitur S. Dionyſius Areopagita c. 7. de Angelis hæc docet: *Simplices, & beatas intelligentias non indiviſibilibus aut diviſibilibus, ſive ſenſibus, ſive verbis & rationibus divinam colligere ſcientiam*. De Anima vero ſic loquitur: *Per divinam item ſapientiam, & animæ ratiocinandi vim habent diſcurſione, & longo habitu ad rerum veritatem adnitentes, atque in eo ſingularibus illis Spiritibus inferiores*: ergo per ipſum Animæ ſunt diſcurſivæ, non ſic vero Angeli. II. ex S. Bernardo ſer. 5. in Cantic. habetur, quod Angeli non cognoſcunt ſpiritualia ex corporalibus, ſicuti cognoſcimus nos; *ſed ſola ſua virtute ac vivacitate naturæ ſumma, & infima penetrant*: ergo non diſcurrunt. III. Angelicus intellectus diſtinguitur ab intellectu humano per hoc, quod ille ſimplici intuitu veritatem aſſequitur, hic vero per diſcurſum; unde ille nominatur intelligentia, hic vero rationalis dicitur.

Reſpondemus ad I. verba illa intelligi de ſcientia divinorum, quam Angeli utique per diſcurſum non habent, ſed per ſimplicem intuitum, in quo conſiſtit viſio Dei intuitiva. Poſteriora vero verba innuunt majorem facilitatem, perſpicuitatem, ac felicitatem, quam Angeli habent in cognitione objectorum, illa, quam habent animæ in eorundem perceptione.

Ad II. dicitur S. Bernardum in eodem loco explicare ſeipſum. Docet enim: *Eo ille cœleſtium habitator ingenita ſubtilitate, ac ſublimitate ſua, omni velocitate facilitateque pertingit*. Quibus verbis intendit, laborem, quem nos patimur in cognitione objectorum, obſcuritatem, tarditatem, demiſſionem quoque, cœleſtes illos habitatores non ſubire; quia velocitate, ſubtilitate, ac ſublimitate, & facilitate diſcurrunt.

Ad III. negatur Aſſumptum, non enim per hoc Angeli ab animabus rationalibus diſtinguuntur, ſed per aliud, quod non eſt modo adſignare. Cæterum aliqui Angeli etiam inter ſe diſtinguuntur ſpecie, & tamen in Adverſariorum ſententia omnes non ſunt diſcurſivi: ergo pariter Angeli, & homines diſtinguuntur, etſi omnes ſint diſcurſivi. Ulterius, Homines circa objecta omnia diſcurrunt, quia comprehenſionem non habent; Angeli vero, quia de objectis, quæ naturaliter cognoſcunt, comprehenſionem habent, de iiſdem non diſcurrunt. Denique nominantur Angeli Intelligentiæ, quia plura ſunt, quæ cognoſcunt per ſimplicem intelligentiam, quam per diſcurſum; animæ vero dicuntur rationales, quia fere omnia per diſcurſum aſſequuntur.

DISSERTATIO CXLIV.

De Voluntate Angelorum, & de præcipuo ejus actu, qui eſt Amor; an ſit in Angelis, & qualis, & ad quæ objecta ſe extendat?

ESSE voluntatem in Angelis Scripturæ docent, Patres prædicant, Rationes demonſtrant. In I. Petri c. 1. legimus: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*; deſiderium eſt voluntatis actus. In II. Petri c. 2. *Deus Angelis peccatoribus non pepercit*; peccatum nequit eſſe, niſi ſit voluntarium. Origenes lib. 4. contra Celſum ſcribit: *Novimus Angelos tanto præſtantiores eſſe hominibus, ut homines perfectionem adepti æquentur Angelis*. Et quidem hæc eſt perfectio moralis, quæ non accipitur, ſed

acqui-

acquiritur; perfectio autem moralis, quæ conſiſtit in virtutum exercitio, ſine voluntate eſſe non poteſt. Baſilius de Spir. Sanct. c. 16. *Throni, & Dominationes, Principatus, & Poteſtates, quomodo beatam illam vixiſſent vitam, niſi ſemper viderent vultum Patris, qui in cælis eſt.* Adæquata autem beatitudo nequit ſine voluntate dari. Hieronymus lib. 2. adv. Jovinian. c. 15. agnoſcit in Angelis, & merita, & meritorum diverſitatem, quæ nequeunt ſine voluntate eſſe; *Quare in regno cælorum Archangeli ſunt, Angeli, Throni, Dominationes, Poteſtates, Cherubim, & Seraphim, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in præſenti ſeculo, ſed etiam in futuro? Sine cauſa diverſitas nominum eſt, ubi non eſt diverſitas meritorum.* Fulgentius de fide ad Petrum c. 3. *Sed hoc ipſum, quod ab ea ſtatu beatitudinis, in quo ſunt, mutari in deterius nullatenus poſſunt, non eis naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt, gratia divinæ largitate collatum: Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum conſortio Diabolus, & ejus Angeli cecidiſſent.* Rationes vero ſunt, & quia ſi Angelus voluntatem non haberet, non eſſet capax beatitudinis, non fuiſſet capax peccandi, non eſſet anima rationali præſtantior, intellectivam potentiam otioſam, & inertem haberet; & alia hujus generis, quæ ex dictis a nobis concedi nullatenus in Angelis poſſunt, & tamen legitimæ illationis vi optime ſequerentur.

Actus autem voluntatis varii enumerantur in Angelis, at quidam in eis admittuntur proprie, quidam vero improprie, & metaphorice. Auctor libri de divinis nominibus c. 4. tribuit Dæmonibus iram a ratione averſam, vel furorem irrationabilem, & cupiditatem amentem; ſed a S. Thoma 1. p. q. 59. ar. 4. ad 1. explicatur, quod intelligendus ſit metaphorice, ſicuti intelliguntur Scripturæ, & Patres, quando Deo iram, cupiditatem, & furorem tribuunt; propter ſcilicet ſimilitudinem effectus. Et re vera, quum voluntas in Angelis ſit diverſa, & perfectior voluntate hominis, nec habeat ſenſum neque internum, neque externum; ſequitur, quod ſit voluntas pure ſpiritualis, abſque ſcilicet ſenſitivi appetitus conſortio; & per conſequens abſque parte iraſcibili, & concupiſcibili; ut poſt Angelicum Doctorem docet Cacheranus trac. 3. de Angelis c. 4.

Amor vero, qui nemine negante eſt præcipuus voluntatis effectus, rationalis quidem, non vero ſenſitivus, videndum hic eſt, an detur in Angelis? Et qualis ſit hic amor? Et ad quæ ſe extendat objecta?

Dicimus I. Dari in Angelis amorem.

I. Probatur ex Scripturis. Lucæ 15. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper una peccatore pænitentiam agente.* I. Petri 1. 12. *Spiritu Sancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Primis verbis indicatur amor complacentiæ in Angelis, qui habetur per objectum præſens; ſecundis vero amor deſiderii, qui habetur per objectum abſens; non quod vere objectum beatificum ſit abſens, ſed quod Angeli ita eo fruuntur, ut nunquam ſatientur: unde mirabiliter eodem tempore fruuntur, & deſiderant. Matth. 18. 10. *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Videre autem in hoc loco, per Auguſtinum, mox afferendum, idem eſt, ac perfrui.

II. Probatur ex Patribus. Auguſtinus lib. 4. de Geneſ. ad literam c. 24. *Cum ſancti Angeli, quibus poſt reſurrectionem coæquabimur, ſi viam, quæ nobis Chriſtus factus eſt, uſque in finem tenuerimus, ſemper videant faciem Dei, Verboque ejus unigenito Filio, ſicut Patri æqualis eſt, perfruantur &c.* Proſper lib. 1. de vita contemplativa c. 3. *Voluntatis ſanctorum Angelorum fuit, quod malis ſponte cadentibus, ipſi in ſua dignitate manſerunt; & divino juſtoque judicio actum eſt, ut quæ fuit cum Deo ſuo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque neceſſitas. Et ideo quia nec peccaverunt unquam, nec peccare jam poſſunt, illius contemplativæ vitæ ſemel facti participes, inexplebiliter auctorem beatitudinis ſuæ conſpiciunt, ac merito ſuæ ſtabilitatis in æternum felices effecti, de ſua permanſione ſecuri ſunt. Qui ſummum ſolidumque gaudium, quo inſatiabiliter perfruuntur, de divina contemplatione percipiunt, ac Deo ſuo infatigabiliter & amanter inſerviunt, ita perfecte beati, ut nec cupiant beatiores fieri ultra, nec valeant.* Fulgentius de fide ad Petrum c. 3. *Ii, qui depravati non ſunt, licet illius dono, a quo, cum non eſſent facti ſunt, indefeſſa, & in quantum creaturæ angelicæ gratis datum eſt, perfecta dilectione, contemplatione, atque exultatione, multitudinem dulcedinis Domini inceſſabiliter ſentiant &c.*

III. Probatur Rationibus. I. Ex probatis eſt in Angelis intellectus, quo cogno-

ſcunt bonum; eſt voluntas, qua feruntur in bonum: ergo eſt amor, complacentiæ quidem, ſi ſit præſens, & deſiderii, ſi ſit abſens. II. Bonum, quo perfectius cognoſcitur ab intellectu, eo intenſius amatur a voluntate; ſed in Angelis eſt perfectior cognitio, quam in hominibus: ergo eſt intenſior amor, quam in hominibus. III. Angeli boni vident Deum intuitive; ſed videre Deum intuitive importat beatitudinem formalem in vidente; & beatitudo formalis ſaltem adæquate dicit etiam fruitionem in volontate: ergo Angeli boni ex quo Deum intuitive vident, Deo etiam perfruuntur: ergo in Deum amore fruitivo feruntur. IV. Pœna eſt cognoſcere objectum amabile, & illud non amare; ſed Angeli boni non merentur hanc pœnam: ergo ſi objectum amabile cognoſcunt, illud etiam amant.

Dicimus II. Amorem Angelorum non eſſe naturaliter immutabilem.

I. Probatur ex Patribus. Auguſtinus lib. 22. de civit. Dei c. 1. *Caſum Angelorum voluntarium juſtiſſima pœna ſempiternæ infelicitatis obſtrinxit; atque in eo ſummo permanentibus cæteris, ut de ſua ſine fine permanſione certi eſſent, tanquam præmium ipſius permanſionis dedit.* Fulgentius de fide ad Petrum c. 23. *Hoc ipſum quod ab illo ſtatu beatitudinis, in quo ſunt, mutari deterius nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum; ſed poſtquam creati ſunt, gratia divina largitate collatum.* Iſidorus lib. 1. de ſummo bono c. 12. *Gratia dicimus, non natura, eſſe immutabiles Angelos; Nam ſi natura immutabiles eſſent, Diabolus non utique cecidiſſet.* Eucherius lib. 1. in Geneſ. *Qui quidem dum ſunt mutabiles natura, facit tamen eos immutabiles atque incorruptos gratia ſempiterna.*

II. Probatur Rationibus. I. Angeli mali antequam caderent, amabant Deum, poſtquam ceciderunt, amplius non amaverunt: ergo ex amantibus Deum facti ſunt non amantes: ergo mutatus fuit ipſorum amor. II. Dæmones antequam ſuſpicionem haberent de Chriſto, an eſſet filius Dei, volebant ejus mortem; poſtquam vero dubitare cœperunt de illo, ejus mortem potius impediebant: ergo mutata fuit eorum voluntas. III. Si amor Dei in Angelis bonis eſſet naturaliter immutabilis, adſeribi deberet ipſorum naturæ, & non gratiæ: ſed gratiæ adſcribendus eſt, & non naturæ Angelorum: ergo non eſt naturaliter immutabilis. Major eſt certa, quia ipſorum natura ſemper eſt eadem, adeoque ſemper idem debuiſſet eſſe amor. Minor eſt doctrina Patrum, quam paulo ante attulimus.

Dicimus III. Amorem Angelorum habere pro objecto Deum, ſeipſos, & creaturas, quæ mente ſunt præditæ; at non eodem amore hæc objecta proſequi. Quatuor habet partes Concluſio.

I. Pars probatur. I. Deus, quia eſt ſummum bonum, eſt primum amabile; & voluntas Angelorum, quia non habet impedimenta ſenſuum, & habet intellectum majori lumine præditum, quam ſit intellectus hominum, majori pondere fertur in ſummum bonum, & primum amabile, quam hominum voluntas: ergo amor Angelorum habet pro objecto Deum. II. Amare objectum aliquod eſt velle ei bonum; ſed Angeli, quia voluntate ſunt præditi, volunt Deo bonum: ergo Deum amant. Probatur minor. Volunt Deo ſummum honorem, & ſummam gloriam: ergo volunt Deo bonum.

II. Pars probatur. I. Angeli volunt bonum ſibi: ergo ſeipſos amant. Probatur antecedens. Volunt ſibi pacem, quam non aſſequuntur, niſi per finis ultimi aſſequutionem; volunt inſuper conſervationem ſui, ut Deum in æternum laudent, & honorent; volunt beatificam viſionem, per quam Deo indeficienter conſequuntur: ergo volunt bonum ſibi. II. Ex quo amant Deum, amant pariter Angeli ſeipſos, ut opera Dei, ut inſtrumenta Deum laudanſia, ut miniſtros exequutores ordinationum Dei: ergo vere ipſorum amor pro objecto ſeipſos habet.

III. Pars probatur. I. Omnes creaturæ, quæ mente ſunt præditæ, ordinantur ad Deum, & capaces ſunt poſſeſſionis Dei, ut finis ultimi, propter quem creatæ ſunt: ergo ab Angelis amantur. Probatur conſequentia. Amant Angeli hæc in ſeipſis, ut probatum eſt: ergo amant pariter in aliis creaturis menta præditis. II. Si per ordinem ad Deum Angeli amant ſeipſos, ut opera Dei, inſtrumenta Dei, miniſtros Dei; amant etiam, proportione data; creaturas mente præditas, quæ ſunt quoque opera Dei, inſtrumenta Dei &c.

IV. Pars probatur. I. Angeli recte, & ordinate amant: ergo magis, & minus diligunt, quæ magis, & minus diligenda ſunt; ſed magis diligendus eſt Deus, quam quælibet creatura mente prædita: ergo magis diligunt Deum Angeli, quam quamlibet creaturam, quæ mente ſit prædita.

II. An-

II. Angeli Deũ diligunt propter ſe ipſum, creaturas vero in ordine ad Deum: ſed diverſus eſt amor, quo aliquod objectum propter ſe ipſum diligitur, & amor, quo diligitur objectum in ordine ad alium: ergo non eodem amore Angeli objecta ſua proſequuntur. III. Amor, quo Angelus diligit Deum, ut auctorem naturæ, ſuper omnia, non eſt amor naturalis; naturalis vero eſt amor, quo diligit ſe ipſum, vel alias creaturas mente præditas: ergo non eſt idem amor. Probatur antecedens. Amor Dei ſuper omnia, etiam ut auctoris naturæ, ex Auguſtino, eſt amor caſtus; ſed ex eodem Auguſtino amor caſtus eſt charitas: ergo &c.

Arguunt I. Tunc eſſet mutabilis amor Angelorum, quando in ipſis remaneret poſt electionem factam indifferentia judicii circa objectum electum; ſed non remaner indifferentia judicii: ergo eſt immutabilis amor ipſorum. Probatur minor. Quia perfectus eſt intellectus Angelorum, ideo unico inſtanti videt rationes omnes, quæ ipſum movent vel ad amandum, vel ad non amandum; ſed hoc dicit non remanere poſt electionem indifferentiam judicii: ergo &c. II. S. Thomas 1.p. q.64. ar.2. manifeſte noſtræ Concluſioni opponitur; docet enim: *Differt apprehenſio Angeli ab apprehenſione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, ſicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum eſt intellectus: Homo vero per rationem apprehendit mobiliter, diſcurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppoſitorum. Unde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quaſi potens etiam ab eo diſcedere, & contrario adhærere: Voluntas autem Angeli adhæret fixe, & immobiliter; & ideo ſi conſideretur ante adhæſionem, poteſt libere adhærere & huic, & oppoſito, in his ſcilicet, quæ non naturaliter vult.* III. S. Damaſcenus lib.2. c. 5. docet: *Minime capax pœnitentiæ, quoniam corporis eſt expers. Nam homo propter corporis imbecillitatem pœnitentiam eſt conſecutus*: ergo vere Angeli ſunt immutabiles, quia corporis ſunt expertes. IV. Poſita noſtra ſententia verificaretur error Origenis, qui, referente S. Thoma 1.p. q.64. ar.2., aſſeruit, voluntatem Dæmonum ob libertatem arbitrii non ita eſſe obſtinatam in malo, quin converti poſſit per pœnitentiam, & beatitudine frui; & contra, bonos Angelos poſſe flecti in malum, & ita damnari; ſed hic error ab eodem Angelico, & ab omnibus Theologis communiter expungitur: ergo &c.

Reſpondemus ad I. cum Juenino, quod quanvis Angelus ſuo intellectu perfecto detegat omnes rationes, propter quas objectum debeat vel amari, vel odio haberi; & licet rationes illæ remaneant in intellectu etiam poſt factam electionem; attamen ubi Angelus elegit objectum aliquod propter hanc, vel illam rationem, adhuc in apprehenſione habet rationes alias, propter quas idem objectum poteſt poſt electionem deſerere; & hoc quidem ſi objectum illud ſit ex numero objectorum, quæ non ſunt ultimus finis, aut cum eo neceſſariam connexionem non habeant. Cum hujuſcemodi enim objectis, propter impeccabilitatem, quam habent, ratione viſionis beatificæ, adhærere ſemper debent, & diſcedere ab iiſdem ſine peccato non poſſent. Cæterum impeccabilitas illa extrinſeca eſt Angelis, quum proveniat a beatifica viſione, quæ pariter eſt illis extrinſecus proveniens.

Ad II. dicimus, Angelicum Doctorem loqui de objecto, quod vel eſt ultimus finis, vel cum eo neceſſariam connexionem habet; & hoc quidem objectum Angelus apprehendit immobiliter; non vero loqui de aliis objectis, quæ rationem ultimi finis non habent, nec cum eo importane neceſſariam connexionem. Et ad hoc dicendum de S. Thomæ mente ex eo movemur, quia idem docet, Angelos ſanctos conſequutos fuiſſe beatitudinis præmium per primum ſuæ voluntatis actum; malos vero etiam per primum ſuæ voluntatis actum æternam damnationem recepiſſe. Unde quando loquitur S. Doctor, Angelos bonos, & malos, apprehendere immobiliter objectum, & illi immobiliter adhærere, intelligendus eſt de objecto, per quod boni Angeli effecti ſunt beati, illud amando, & de peccato, per quod Angeli mali facti ſunt reprobi, & in æternum infelices, illud proſequendo.

Ad III. Du-Hamel occurrit dicendo, illa Damaſceni verba non eo pertinere, ut Angeli a propoſito dimoveri non poſſint, ſed ut oſtendat deſtitutos divina gratia, quia corpore carentes, gravius quam homines peccaverunt. Cæterum Angelos eſſe corporis expertes facit, ut ferantur velocius in id, quod elegerint, quia corporis pondere non retardantur; non vero importat, quod conſilium mutare non poſſint. Et pro hac ſua reſponſione ro-

boranda

boranda eundem affert Damaſcenum dicentem: *Difficulter in malum mobiles, ſed non immobiles; nunc vero & immobiles, non natura, ſed gratia, & adhæſione ad id, quod ſolum bonum eſt.* Quid clarius?

Ad IV. Quum Origenis error fuerit circa objectum, quod eſt ultimus finis, vel cum eo neceſſariam connexionem habens, nihil habet cum noſtra ſententia commune. Utique nos admittimus cum Theologis omnibus, immo cum omnibus Catholicis, nec bonos Angelos poſſe mutari a Dei amore, nec malos ab amore peccati, ſed illos in ſuæ dilectionis præmium, hos vero in ſuæ averſionis pœnam; unde plane Origeni adverſamur, cjuſque errori contradicimus; ut nuper cum Damaſceno dicebatur. At ſententia noſtra intelligenda eſt de objectis, quæ nec ſunt ultimus finis, nec cum eo neceſſariam connexionem habent; circa quæ volumus, nec bonos, nec malos Angelos ita immobiliter ferri, ut mutari omnino non poſſint. Diſſertationem denique concludimus verbis Gregorii Papæ lib.5.Moral. c.28., & lib.25. c.4. *Natura Angelica, etſi contemplationi Authoris inhærendo in ſtatu ſuo immobiliter permaneat, eo ipſo tamen quo creatura eſt, in ſemetipſa viciſſitudinem mutabilitatis habet.* Eadem habent Fauſtinus cont.Arianos ſcribens t. 4. biblior. PP. p.670., Nyſſenus, Maximus, aliique Patres apud Petavium lib. 1. de Angelis c.11.

DISSERTATIO CXLV.

De Loquutione Angelorum; qui ſint contra ipſam Hæreticorum errores, & quæ Scholaſticorum circa eandem explicationes? Veritas contra primos defenditur, & probabilior ſententia inter ſecundos eligitur.

ANGELORUM loquutionem Petavius lib.1. de Angelis c. 12. n.1. deſcribit, dicens, quod ſit *intelligentis naturæ cogitatio ad notitiam alterius certo indicio perducta.* Univerſim vero loquutio eſt *interna cogitatio per aliquod ſignum alteri manifeſtata.* Unde hæc intercedit differentia inter loquutionem Angelorum, & hominum; quod hæc per ſignum fit, ſignum quidem materiale, & corporeum, quale eſt motus linguæ &c.; illa vero fit per certum indicium, quod poteſt eſſe, immo debet eſſe, ſpirituale., quale eſt directio voluntatis Angeli, qua vult aliis ſuas cogitationes, vel ſuas affectiones, manifeſtare; vel quid aliud ſpirituale, ſecundum varios Theologorum explicandi modos, ut mox dicemus. Interim audiatur S.Gregorius Papa lib.2.Moral.c.5. *Aliter Deus loquitur ad Angelos, aliter Angeli ad Deum; aliter Deus ad Sanctorum animas, aliter Sanctorum animæ ad Deum; aliter Deus ad Diabolum, aliter Diabolus ad Deum. Nam quia ſpiritali naturæ ex corporea appoſitione nihil obſtat, loquitur Deus ad Angelos ſanctos eo ipſo, quo eorum cordibus occulta ſua inviſibilia oſtendit; ut quidquid agere debeant, in ipſa contemplatione veritatis legant; ut velut quædam præcepta vocis ſint ipſa gaudia contemplationis. Quaſi enim accedentibus dicitur, quod videntibus inſpiratur.... Deus ergo Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima videnda manifeſtatur. Angeli autem loquuntur Domino cum per hoc, quod ſuper ſemetipſos reſpiciunt, in motum admirationis ſurgunt.* Et cap. 6. *Animarum verba ipſa ſunt deſideria; nam ſi deſiderium ſermo non eſſet, Propheta non diceret: Deſiderium cordis eorum audivit auris tua.* Modo quicquid male feriati homines effinxerunt circa vel contra Angelorum loquutionem afferre nobis incubit; ut deinde propoſito ordine procedentes, quicquid Scholaſtici Theologi excogitare conati ſunt, expendemus.

Primo ſe objicit nobis Theodorus Mopſueſtenus, qui ſenſibilem loquutionem quandam non ſolum Angelis, verum etiam Deo viſus eſt adſcribere. Tribuitur hic error Theodoro a Philopono lib.1.de opificio mundi c.22. De Deo quidem dicebat, quod quando primo creavit res, non uſus

eſt

eſt voce, quia nullum audientem habebat, unde illas ſola voluntate creavit; quando vero Angelos audientes habuit, in creatione aliarum rerum uſus eſt voce. Hæc ſunt Theodori verba apud Philoponum cit. loc. *In principio creavit Deus cœlum, & terram, quoniam ſola voluntate illos condidit, ſine ulla voce, eo quod nullus exiſteret, quem ex ejus voce diſcere aliquid oporteret. In cæteris præceſſiſſe vocem aliquam judicat. Cum enim jam eſſent illa, quæ creatorem ſuum, cujus non eſt aſpectabilis ſubſtantia, diſcere deberent, tunc vox ſecundum Dei placitum antecedebat; vocem opus ſuum ſequebatur. Diſciplina porro hæc erat ſubſtantiis ratione præditis, & ſub aſpectum minime cadentibus, ab eo propoſita, qui creaturam ſuopte condebat imperio.* Unde Philoponus contra Theodorum deridendo dicebat, & quod per ipſum Deus externa aliqua voce, quæ vellet, Angelis indicaret; & quod Angeli aures, ac ſenſus haberent, quibus illam perciperent. Cæterum nec Theodorus aſſerebat, Angelos eſſe corporeos, ſed potius ſpirituales, ac inviſibiles; quo poſito, nullo modo poterant nec aures, nec linguam habere; ut appoſite ſcribit Damaſcenus lib. 2. c. 3. *Non lingua, aut auditu egent illi Spiritus, ſed ſine prolatitio ſermone ſuas invicem notiones, & conſilia communicant.*

Secundo advenit Theodoretus, de quo ſcribit cit. loc. n. 3. Petavius: Hæc Thedorus, cui quidem more ſuo Theodoretus aſſentitur quæſt. 9. in Geneſ. Attamen idem Petavius n. 2. aliter ſentientem affert Theodoretum in c. 13. ep. 1. ad Cor. ad illa verba Apoſtoli: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum &c.* Ubi hæc habet: *Angelorum linguas dicit, non quæ ſenſu, ſed quæ intelligentia, percipiuntur; per quas & univerſorum Deum laudant, & inter ſe diſſerunt. Eos enim laudantes audierunt Eſaias, & Ezechiel. Quin etiam Daniel eos inter ſe loquentes audiit, & Zacharias, & Michææ.*

Tertio Didymus Alexandrinus lib. 2. de Spiritu Sancto, pertractans de loquutione divinarum Perſonarum, tum inter ſe, tum ad creaturas, tribuere videtur quandam generalem formam loquutionis rebus, quæ corporis ſunt expertes, ut valeant aliorum mentibus voluntatem ſuam quomodolibet aperire. Et quanquam hoc Deus faciat quadam præcipua, & excellenti ratione, ut ait Petavius citatus; quomodo autem hoc ipſom poſſint facere Angeli, vel animæ ſeparatæ, quæ corporis ſunt expertes, inintelligibile omnino videtur.

Quarto Theodurus Beza, Scurra Calvinianus, exponens locum illum Apoſtoli I. ad Cor. c. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*; impudenter æque ac inſolenter vocat eos *ineptos plane, qui hoc loco diſputant de Angelorum linguis*. Scilicet inepti ſunt, Beza Judice, Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, aliique Patres; quorum primus hæc ſcribit: *Linguam Angelorum hic appellat, non corpus Angelis attribuens, ſed ejuſmodi eſt quod ait: Quanvis ita loquar, ut Angeli inter ſe colloquuntur.* Cæteri mox afferentur.

Ad Scholaſticorum explicationes devenientes, Primo aſſerimus illam Thomiſtarum docentium, Angelos inter ſe loqui per conceptus internos ordinatos, & manifeſtatos mediis actibus voluntatis, quos volunt ſe habere per modum conditionis. Traditur a S. Thoma p. p. q. 107. ar. 1., & de verit. q. 9. ar. 4. quem ſequuntur Cajetanus, Sylvius, Capreolus, Joannes a S. Thoma, Gonetus, Lugus, Valentia, Eparza, Tannerus &c.

Secunda explicatio eſt Scoti in II. diſt. 9. q. 2. §. ad quæſtionem iſtam, & §. ad ulteriorem, ubi docet, Angelum unum loqui ad alium per hoc, quod in ipſo cauſſet, aut conceptum, aut ſpeciem, aut utrumque illius objecti, de quo loquitur. Hanc opinionem ſequuntur omnes Scotiſtæ, & præcipue Fraſſen, quanvis hic loquatur ſolum de conceptu, & non de ſpecie.

Tertia explicatio eſt Ochami, & Gabrielis, qui volunt ad loquutionem angelicam concurrere ſimul & intellectionem elicitam ab Angelo loquente, illius objecti, de quo loqui intendit, & conceptum expreſſivum illius intellectionis productum in Angelo audiente. Unde differt hæc opinio ab illa Scoti, quod in illa Scoti potentia intellectiva Angeli audientis mere paſſive ſe habet, in hac vero operatur producendo conceptum illum, qui exprimat verbum mentis, ſeu intellectionem, exiſtentem in loquente, & rem, quæ per talem intellectionem exprimitur.

Quarta explicatio eſt Richardi, qui ponit radium quendam ſpiritualem, & connaturalem Angelis, per quem Angelus loquens educit ſpeciem proprii conceptus, eoque medio alteri manifeſtat; audiens autem ex ſpecie illi oblata haurit aliam ſpeciem, eamque imprimendo proprio intel-

Digitized by Google

intellectui, auditionem elicit, quæ eſt notitia conceptus exiſtentis in loquente.

Quinta explicatio tribuitur etiam Scoto, & ex recentioribus Suarez, Becano, Maſtrio &c. putantibus, angelicam loquutionem fieri per ſpeciem productam de novo, non autem in radio ſpirituali receptam, ſed impreſſam immediate intellectui Angeli audientis. Hæc vero ſpecies aliqui volunt ut producatur a ſpecie objecti loquutionis exiſtente in Angelo loquente; ut Scotus; alii vero dicunt produci per conceptum, ſeu loquutionem Angeli, qui libere, & voluntarie applicet conceptum illum ad imprimendam ſui ſpeciem intellectui unius potius Angeli, quam alterius; & ita ſunt recenſiti alii hujuſce explicationis propugnatores.

Sexta explicatio eſt Durandi, qui voluit loquutionem angelicam fieri per ſigna materialia; quæ ſint vel ſoni ſenſibiles formati in aere ad modum vocum, vel tactus in corporibus aſſumptis facti.

Septima eſt explicatio Ægydii Romani, Thomæ de Argentina, Gregorii Ariminenſis, Marſilii &c. qui tuentur, quod Angeli in ſeipſis forment ſigna ſpiritualia, quæ ſint naturaliter ſignificativa illarum rerum, de quibus loqui volunt, & quæ inſtrumentaliter ducant in hujuſmodi rerum notitiam illum, ad quem diriguntur.

Octava eſt altera Molinæ, De Quiros, Albertini &c. qui defendunt, quod Angeli loquantur per ſigna ſpiritualia ſignificantia ad placitum. De Quiros explicat hæc ſigna per motus locales varios; Albertinus per qualitates ſpirituales; Molina intelligit, quod ſint externa, quæ potius in Angelo audiente, quam in loquente, recipiantur.

Hos omnes explicandi modos refert Cacheranus, qui & pariter confutat, primum tantummodo eligens, ac defendens, cunque hoc pacto explicans, & diſtinguens. De facto datur in Angelis triplex loquendi modus; primus fit per conceptus ordinatos mediis actibus voluntatis; ſecundus fit per ſigna ſenſibilia, quando Angeli in corporibus aſſumptis loquuntur cum hominibus; tertius fit per ſigna ſpiritualia, quæ ſignificent ad placitum. His præmiſſis.

Dicimus I. Angelos inter ſe, & cum hominibus, loqui.

I. Probatur ex Scripturis. Iſaiæ 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum.* Daniel. 8. *Et clamavit, & ait: Gabriel, fac intelligere iſtam viſionem.* Zachar. 1. *Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego oſtendam tibi, quid ſint hæc. Et reſpondit vir, qui ſtabat inter myrteta, & dixit: Iſti ſunt, quos miſit Dominus, ut perambulent terram. Et reſponderunt Angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta &c.* Et cap. 2. *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur; & Angelus alius egrediebatur in occurſum ejus: Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum iſtum.* I. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Judas in Epiſt. cathol. num. 9. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemia &c.*

II. Probatur ex Patribus. Nyſſenus lib. 12. cont. Eunom. *In experta materia, & intelligibili natura mentis actio ſermo eſt, nequaquam materiali utens organorum miniſterio. Etenim in humana natura nihil opus haberemus verborum, ac nominum uſu, ſi nudos animi motus mutuo demonſtrare poſſemus.* Theophylactus in c. 13. primæ epiſt. ad Cor. *Angelis porro lingua eſt intellectiva, vis nimirum illa, qua ſibi mutuo divinarum rerum intellectum, ac divinas cogitationes impertiunt.* Oecumenius in eundem locum: *Ex ejus voce, quod nobis cognitum eſt, mutuum inter ſe ſermonem Angelorum exprimi. Habent enim illi ſignificationem aliquam, qua ultro, citroque colloquuntur: Quemadmodum alio in loco dicit: Omne ipſi genuflectendum cæleſtium, & terrenorum.* Gregorius Papa lib. 2. moral. c. 5. *Cum linguas Angelorum audimus, dignum eſt ut mens noſtra qualitatem corporea locutionis excedens ad ſublimes, atque incognitos modos locutionis intimæ ſuſpendatur.*

III. Probatur Rationibus. I. Angeli loquuntur ſibi ipſis: ergo loquuntur aliis. Antecedens eſt certum; nos enim etiam nobis ipſis loquimur, quando reflexe cognoſcimus, hoc eſt quando conceptus noſtros directos nobis ipſis cognoſcendos proponimus. Conſequentia ſequitur; quia ſicut nobis manifeſtamus conceptus noſtros, ita pariter aliis pandere poſſumus; & eodem modo Angeli manifeſtando aliis conceptus ſuos. II. Angeli habent inter ſe perfectam ſocietatem: ergo habent inter ſe loquutionem. Antecedens non negatur a quoquam, qui rationis ſit compos; conſequentia bene infertur; non enim eſſe poteſt perfecta ſocietas ſine communicatione, nec communicatio ſine loquutione. III. Si Angeli inter ſe non loquerentur, vel ideo eſſet, quod quiſque videret

in cor-

Digitized by Google

in corde alterius quæ ſibi ab altero poſ-
ſent communicari ; vel quod nemo ex il-
lis facultatem haberet alteri communican-
di, quæ in corde haberet ; utrumque eſt
repugnans dignitati Angelorum: ergo &c.
Probatur minor . Si eſſet primum : ergo
Angeli non eſſent liberi ad occultandos,
vel pandendos, conceptus ſuos,quam qui-
dem libertatem habent homines : Si eſſet
ſecundum : ergo Angeli , ſi nollent, non
haberent amorem cum aliis Angelis ; ſi
non poſſent , non haberent poteſtatem,
quam habent aliæ rationales creaturæ.
IV. Non poſſent Angeli canere , & lau-
dare Deum, ſi non loquerentur; non poſ-
ſent concentum facere &c.

Pro explicatione vero modi loquendi Ange-
lorum , hæc ſubdimus deprompta ex P.
Magnano in Philoſ. natur. c. 33. de ani-
ma rationali ſeparata n. 25. Sicut res cor-
porea agit in ſenſum , & per actionem
hanc ſuam a ſenſu percipitur ; ita ſubſtan-
tia ſpiritualis agit in mentem , & per
actionem hanc ſuam a mente cognoſci-
tur. Ulterius; ſicut res corporea agit in
potentiam viſivam, & ab hac percipitur,
ita diverſo modo agit in potentiam au-
ditivam , & ab hac ſuo modo pariter ſen-
titur . Ad inſtar quoque rei ſenſibilis ſub-
ſtantia ſpiritualis , & agit modo proprio
in aliam ſpiritualem ſubſtantiam , ut ab
ipſa videatur , & agit alio modo propor-
tionato, ut ab ipſa audiatur. Unde ſi hoc
ultimo modo non vult agere, actus ſuos,
ſeu conceptus, occultat; ſi vult agere , &
agit, manifeſtat; primo modo ſilet, ſecun-
do modo loquitur . En Magnani verba
loquentis de anima ſeparata, quæ poſſunt
quoque Angelis applicari. ,, Ex prædictis
,, autem mihi videtur , non aliam eſſe cau-
,, ſam hujus ſecreti , ſive cauſam , quæ oc-
,, cultet hujuſmodi tum intellectus tum vo-
,, luntatis actus , eoſque reddat , ut ſic di-
,, cam, inviſibiles ; niſi eam (cum propor-
,, tione) quæ divinam, ut dictum eſt, red-
,, dit inviſibilem ſubſtantiam , pariterque
,, decreta, & cogitationes &c. Videlicet fa-
,, cultatem ad placitum agendi in intelle-
,, ctum alienum, & imprimendi ei ſpeciem
,, ſuæ cogitationis , & affectus . Sed quia
,, nullas ego habeo proprias ſpecies, quibus
,, hoc totum ſecreti cordis negotium intel-
,, ligam , quomodo nempe in corde tenea-
,, tur non propalatum, & quomodo propa-
,, letur ad placitum ; id concipio noſtro
,, modo humano, accomodando nimirum
,, ſpecies motus phyſici ad motum inten-
,, tionalem , ejuſque proprietates , prout
,, poſſum concipiendas ; jam enim cap. 31.
,, nu. 4. & 6. dixi, actus mentis , in quibus
,, conſiſtunt ſecreta illa cordis, tum cogno-
,, ſcitivos , tum affectivos, eſſe motus quoſ-
,, dam intentionales . ,,

Deinde, meliori quo poteſt modo , exemplo
loquutionis , quæ fit per os noſtrum , &
per labia noſtra , conatur explicare mo-
dum , quo animæ rationales , & Angeli
inter ſe loquantur. Quod quidem ut fide-
lius , ita & exactius præſtemus , ſuis quo-
que verbis exponimus. ,, Itaque ſicut mo-
,, tibus labiorum , & linguæ exprimo ex-
,, terius interiorem affectus , aut cogitatio-
,, nis motum ; ita tamen , ut ſi voluero ,
,, nullus hominum intelligat , vel audiat ,
,, quid motus ille ſignificet , ſeu quid ego
,, velim illo motu; aut ſolus is audiat, quem
,, ego voluero participem eſſe arcani mei :
,, nimirum quatenus vel moveo tacitus la-
,, bia formando quidem voces , ſed cohi-
,, bendo intra me ſonos exiles , quos nemo
,, poſſit audire ; vel ad aurem amici os ap-
,, plico , ut ſolus audiat ; & quanvis tunc
,, alii quoque videant me ita applicantem
,, os , & obſervent labiorum motum ; ac ſi
,, vis etiam videant me loqui ; tamen ami-
,, cus eſt ſolus particeps mei ſecreti . Ita
,, cum quadam proportione exiſtimo peragi
,, negotium occultandi , promendique ar-
,, cani apud immateriales ſubſtantias , ani-
,, mas videlicet rationales , & Angelos ; ut
,, in primis , ſicut ego libertatem exerceo
,, edens motu labiorum ſubmiſſam aut ela-
,, tam vocem , & eatenus ſpeciem ejus mo-
,, tus emittens libere, vel retinens , agens
,, videlicet eo ipſo motu in auditum prout
,, voluero ; ita (& multo perfectius) pu-
,, tem , intelligentias ſeparatas modum ha-
,, bere , quo libere motuum ſuorum ſpecies
,, exerant , vel cohibeant : ac deinde , ut
,, quemadmodum in aurem libere loquor
,, cui voluero, videntibus quidem ſed mini-
,, me audientibus cæteris ; ita putem ſepa-
,, ratas mentes habere modum , quo uni al-
,, tera colloquatur , cæteris inſpectantibus,
,, ideſt colloquentes videntibus , & collo-
,, qui bene obſervantibus ; ſed tamen ne-
,, ſcientibus ſeu non percipientibus quid
,, loquantur . ,,

Poſtmodum examinans aliorum explicandi
modos circa Angelorum colloquutionem,
hæc ſuperaddit P.Magnanus cit.loc.n.29.
,, Alii vero omnes modi collocutionis An-
,, gelorum , vel animarum , afferri ſoliti ,
,, ſaltem mihi noti , multas habent vel re-
,, pugnantias , vel abſurditates , quas bene
,, detegit Martinon tom.1. diſp.39. ſect.7.

,, tamen rejiciendus ipſe, primo in hoc,
,, quod exiſtimat, conceptum unius Ange-
,, li (item animæ) occultum eſſe tantum-
,, modo ob impedimentum quoddam mora-
,, le, nimirum quod Deus ob angelicæ rei-
,, publicæ bonum, impediat ne conceptus
,, unius Angeli determinet intellectum al-
,, terius ad ſui cognitionem, alias de facto
,, & ex natura rei determinaturus: ſecun-
,, do in hoc, quod exiſtimat, Angelum lo-
,, qui alteri a ſe diſtanti, per actionem de-
,, terminativam, quæ in intellectum au-
,, dientis exerceatur in diſtans nihil confe-
,, rente medio; rejiciendus, inquam, quoad
,, primum, quia jam ex dictis num.25. ha-
,, bemus cauſam phyſicam ſecreti tum reti-
,, nendi tum propalandi: ergo in hoc fru-
,, ſtra recurritur ad cauſam moralem: quoad
,, ſecundum vero; quia actio immediata,
,, & ſimul in diſtans, eſt, ut dixi num. præ-
,, cedenti, impoſſibilis; adeoque non poteſt
,, eo modo Angelus hic exiſtens alloqui
,, alium hinc longe diſſitum; quod tamen
,, in mea ſententia perfacile eſt abſque
,, actione ulla in diſtans. ,,

Dicimus II. cum Thomiſtis, Angelos loqui per conceptua inter nos ordinatos, & manifeſtatos mediis actibus voluntatis; & cum P. Magnano, manifeſtationem, & ordinationem conceptuum fieri per liberam actionem Angelorum loquentium in intellectum Angelorum audientium, modo explicato.

I. Probatur prima Concluſionis pars. Homines inter ſe loquentes loquutione ſua manifeſtant inter ſe libere conceptus ſuos inter nos: ergo Angeli dum inter ſe manifeſtant conceptus ſuos internos per actua voluntatis, pariter inter ſe loquuntur: ergo non aliud ad ipſorum loquutionem requiritur. Antecedens negari non poteſt, & conſequentiæ optime inferuntur. II. Per conceptus manifeſtantur res, ut conceptibus ſubſtant, per loquutiones noſtras, quas ut libere faciamus, voluntatis actus concurrit; ſed hoc totum verificatur in explicatione propoſita loquutionis Angelorum: ergo &c.

II. Pars Concluſionis probatur I. Et quidem quanvis firma remaneat explicatio Thomiſtarum, adhuc tamen explicandum remanet, quomodo fiat illa manifeſtatio conceptuum in Angelis loquentibus per actus voluntatis Angelis audientibus; ſed hoc totum præſtat explicatio P. Magnani: ergo ad rem noſtram facit & explicatio Thomiſtarum, & illa P. Magnani. Major eſt manifeſta, quia aliter ſemper quæri poſſet, quomodo unus Angelus alteri conceptum ſuum ordinet, & manifeſtet. Minor ex ipſomet dicendi modo P. Magnani innoteſcit. II. Analogia, quam exhibet P. Magnanus inter loquelam noſtram, & loquelam Angelorum, proportione ſervata, non ſolum probat illud, quod intendimus, verum etiam illud ipſum exponit, explanat; & ſuo modo exemplificat: ergo illa non tantum explicationem Thomiſtarum firmat, ſed etiam eandem illuſtrat, & intelligibilem reddit: ergo vere eſt admittenda; præcipue ſi nullam habeat implicantiam, quod in argumentorum ſolutione præſtabimus.

Arguunt I. S. Maximus in Scholiis ad c. 2. libri de Eccleſiaſtica Hierarchia, qui S. Dionyſii Areopagitæ nomine circumfertur, putat, Angelos *in ſe invicem euntes, & recedentes, explicatius, quam ulla ſermone, ſuas mutuo cogitationes inſpicere, ac velut inter ſe colloqui, ſilentio ſermonem conferentes*: ergo ſubſtantiæ Angelorum ſeſe mutuo pervadunt, ut ſic alloquantur; hoc autem non eſt veriſimile: ergo non alloquuntur inter ſe invicem. II. Ex aliis Patribus manifeſtatio tantum conceptus exprimitur in loquutione Angelorum: ergo non requiritur actus voluntatis. Probatur antecedens. S. Fulgentius in lib. cont. Sermonem Faſtidioſi c. 15. *Quid eſt cogitatio, niſi interna loquutio?* III. In quaquunque loquutione diverſa eſt voluntas loquendi ab ipſa loquutione; ſed in explicatione Thomiſtarum voluntas eſſet eadem ac loquutio: ergo explicatio ipſa non ſubſiſtit. Probatur minor. Voluntas loquendi eſt voluntas manifeſtandi conceptum; ſed per Thomiſtas voluntas manifeſtandi conceptum eſt loquutio: ergo pariter per eoſdem voluntas loquendi erit loquutio. IV. Modus loquendi ſenſibilis fit per aeris undilationem, adeoque per medium, quod eſt aer ipſe; ſed hoc medium aſſignari non poteſt in explicatione P. Magnani: ergo ejus explicatio claudicat. V. Communiter docent Theologi, localem diſtantiam non impedire, quin Angeli, qui ſunt in terris, loquantur cum Angelis, qui ſunt in Cœlis; ut apud Eſtium, Jueninum, &c. ſed hoc in explicatione P. Magnani nequit habere locum: ergo &c. VI. Adhuc in præfata explicatione remanet inexplicatum, quid ſit illud agere Angeli loquentis in intellectum Angeli audientis: ergo non eſt illa talis explicatio, quæ intellectum omnino faciat in ſua perplexitate quietum,

fir-

firmum, ac ſibi placentem.

Reſpondemus ad I. S. Maximum non negare loquutionem Angelorum, ſed loqui de modo, quo fiat. An autem in eo explicando verum tetigeris, an non; nullam in eo arguit vel erroris, vel falſitatis, ſuſpicionem.

Ad II. occurrit Petavius dicendo n. 8., quod
„ veteres illi Patres, qui in mentis cogita-
„ tione conſtituere videntur locutionem
„ Angelorum, non ſic intelligendi ſunt,
„ ut aut ſola cogitatione circumſcribant,
„ excluſa voluntatis actione, quæ eam ad
„ alterum dirigat; aut omnem cujuslibet
„ cogitationem ab cæteris videri ſentiant.
„ Sed hoc unum docere voluiſſe, nullis ex-
„ trinſecus ſignis, itidem ut nos, ea repræ-
„ ſentare invicem Angelos, quæ quidem
„ nota eſſe velint; verum illas ipſas in ſeſe
„ notiones intueri. „ Unde excludebant actus ſenſuum, non vero actus voluntatis, quando loquutionem Angelorum per ſolos mentis conceptus explicabant.

Ad III. dicimus, verum eſſe, quod voluntas ſit diverſa ab actione, quando actio pertinet ad aliam potentiam, quam ad voluntatem. Quando vero actio eſt ejuſdem voluntatis, eadem eſt voluntas amandi, & actio amoris: unde non mirum, ſi in voluntate loquendi Angelorum ipſa voluntas eſt loquutio, quia loquutio etiam voluntatis eſt actus in Angelis.

Ad IV. reſpondet P. Magnanus num. 28. verbis hiſce: „ Niſi ergo dicas, mentem
„ communicare menti ſuum verbum me-
„ diante aere, vel alio quopiam ſubjecto
„ corporeo (nam immateriale vice aeris
„ fungens, haud ſcio an ſis admiſſurus) quod
„ forte ſufficere eis poſſet; ſicut nobis non
„ aer ſolus, ſed alia etiam ſufficiunt, quibus
„ ſigna damus noſtrorum conceptuum: niſi,
„ inquam, id dicas, dicendum exiſtimo,
„ mentem (quæ utpote immaterialis, nullis
„ adſtringitur certis dimenſionibus, & nihi-
„ lominus habet limitatam ſuæ præſentiæ
„ ſphæram) poſſe ex hoc loco e. g., in quo
„ ſupponatur eſſe, accedere velociſſime ad
„ aliam longe, immo longiſſime, diſſitam,
„ & ſic ei loqui, ſeu communicare imme-
„ diate ſuum arcanum; eo fere modo, quo
„ quis amici tenens in occulto manum, aut
„ feriens pedem preſſu quodam aut alio ge-
„ nere motus variato, ut opus fuerit, clan-
„ culum communicare ſignum, ſeu ſpeciem
„ ſui conceptus, vel affectus. Et cum dico
„ accedere, non eſt neceſſe, ut hinc migret,
„ ſed ſolum ut eo ſe extendat; hoc eſt ſphæ-
„ ram ſuæ præſentiæ, v. g. æqualem iſti
„ aulæ, diſponat in arctum & in longum;
„ ita ut longitudo major cum latitudine mi-
„ nori compenſet, non autem ſuperet hanc
„ veluti cubicam aulæ amplitudinem; ut fa-
„ cile intelligent, qui norunt auri v. g. pe-
„ dale bacillum poſſe duci longiſſime in fi-
„ la tenuia: in his autem, ut patet, nulla
„ eſt repugnantia, & inſuper magna eſt cum
„ aliis hactenus dictis conſonantia „. Nullum igitur requiritur medium, ut unius Angeli loquutio ad alium perveniat, ſed immediate fit Angelorum inter ſe colloquutio.

Ad V. Falſum eſt, quod aſſumitur in argumento; etenim, ut Petavius docet num. 10. „ neque ſatis illud convenit, an ex
„ omni intervallo mutuo ſibi loqui, ſeque
„ audire poſſint Angeli; an potius intra
„ certum ac definitum ſpatium id fiat; quo-
„ rum prius ar. 4. S. Thomas aſſeverat; ideo
„ quod intellectus actio nullius loci vel
„ temporis nexibus tenetur; tum quod alte-
„ rius Angeli ſubſtantiam quolibet in loco
„ intueri poteſt Angelus. At ex adverſo pu-
„ gnant alii, qui hoc ex ſacris literis affe-
„ runt, Angelos, uti cum diſtantibus aliis
„ loquerentur, ad eos advolaſſe. Ut apud
„ Prophetam Zachariam c. 2. Et ecce An-
„ gelus, qui loquebatur in me, egredieba-
„ tur; & Angelus alius egrediebatur in oc-
„ curſum ejus. Et dixit ad eum: Curre,
„ loquere ad puerum iſtum „. Igitur non eſt communis Theologorum ſententia, quod Angeli loquantur in diſtans; immo contraria opinio magis conformis Scripturæ dicitur.

Ad VI. Illud agere diximus eſſe movere; in ſenſibilibus quidem movere phyſice, in immaterialibus movere per motus intentionales, qui alibi a P. Magnano, & a nobis, explicati ſupponuntur. Nec pariter alii ſatis uſque modo explicarunt quid ſit phyſice quod illi dicunt manifeſtare, ordinare &c. Multa enim ſunt in ſubſtantiis ſpiritualibus, quæ per analogiam ad res materiales explicamus; quia nec conceptus, nec nomina habemus, quæ ad illa explicanda ſint apta, & re vera proportionata. Unde ingenue faſſus eſt Magnanus, ſe illa proponere, quæ ſecundum mentis noſtræ obtuſitatem in ſpiritualibus ſubſtantiis cognoſcendis, & in iiſdem explicandis ſecundum linguæ noſtræ imperitiam, viſa ſunt ipſi probabiliora, non vera.

DISSERTATIO CXLVI.

De Illuminatione Angelorum ; qui ſint inter illos illuminantes, & qui illuminati? & quomodo illorum illuminatio fiat.

DUrandus, qui omnem loquutionem pure ſpiritualem inter Angelos negavit, ne ab argumento illuminationis, quæ etiam eſt loquutio, premeretur, negavit pariter Angelos ab se illuminari. Docuit proinde in 2. diſt. 11. q. 3. omnes Angelos cauſſaliter, & proprie illuminari a ſolo Deo; & objiciendo ſibi Patres, qui de illuminatione Angelorum loquuntur, eos interpretatur de mediatione, ut ait, conſequentiæ, & ordinis, non vero de mediatione cauſſalitatis. Unde poſtmodum concludit, Angelos inferiores illuminari a Deo mediis ſuperioribus; non quod iſti illuminationem in ipſis cauſſent, ſed quod iſtos prius, quam ipſos, per se ipſum Deus illuminet. Omnes tamen Theologi ſunt contra Durandum, immo omnes etiam Patres; itaut ejus interpretationem Cacheranus audacem dicat, & Amicus ejus ſententiam temerariam appellet. Communi igitur ſententiæ adhærentes

Dicimus I. Angelos illuminari non omnes immediate a Deo, ſed alios ut plurimum ab aliis.

I. Probatur ex Patribus. Auctor libri de cœleſti hierarchia ſub nomine S. Dionyſii c. 7. de Seraphinis hæc ſcribit: *Quod inferiora agmina ad ſui ſimilitudinem potentiſſime ſubvehunt, lucida illuminanteque proprietate totius obſcuritatis expultrice.* Et de Cherubinis: *Quod indultam ſibi ſapientiam in ſequentia & inferiora transfundunt.* Athanaſius lib. de com. eſſen. *Cherubim, & Seraphim ſine ullo mediatore, ac interprete a Deo condiſcunt, & ab his erudiuntur inferiores ordines, atque ita deinceps cæteri pro ſuo gradu.* Sophronius in Encomio de Angelis, Seraphinos alloquens inquit: *Splendorem, quantum fas eſt, abſque ullo medio excipitis, exceptumque cæteris mentibus & intelligentiis communem facitis.* Damaſcenus lib. 2. c. 3. *Illud quidem perſpicuum eſt, eos, qui præſtantiores ſublimioreſque ſunt, ſplendorem & cognitionem inferioribus impertiri.* Bernardus lib. 5. de conſid. c. 4. *Ex ipſo Sapientiæ fonte ore Altiſſimi haurientes, & refluentes fluenta ſcientiæ univerſis civibus ſuis.*

II. Probatur Rationibus. I. Dantur Angeli ſuperiores, & inferiores: ergo dantur Angeli illuminantes, & illuminati: ergo datur illuminatio Angelorum, per quam Angelii alii ab aliis illuminantur. Probatur prima conſequentia. Angeli, qui ſunt ſuperiores, ſunt proximiores Deo, & qui ſunt inferiores, non ſunt ita proximi; ſed qui ſunt proximiores uberius, & clarius vident quæ Dei ſunt, quam videant qui non ſunt ita proximi, utpote minoris activitatis, & virtutis: ergo &c. II. Inter Angelos eſt arcta amicitia; ſed amicitia parit inter amicos mutuam communicationem: ergo Angeli ſuperiores communicant inferioribus quæ vident. Minor patet ex illo Joan. 15. 15. *Vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* III. Etiam in ſublunaribus inferiora corpora a ſuperioribus illuminantur: ergo pariter in cœleſtibus Angeli. Antecedens probatur. Superioea corpora lucida illuminant inferiora. Unde Auctor libri de cœleſti hierarchia c. 4. *Statuit ſummus ille, ac superſubſtantialis omnium ordo per ſingulas diſtributiones primos, & medios, extremoſque eſſe ordines, atque virtutes; ut ſcilicet inferiorum Spirituum excellentiores quique præceptores, ac duces ſint.* IV. Deus in materialibus rebus non omnia per se ipſum producit: ergo in cœleſtibus non omnes per ſeipſum illuminat. Antecedens patet; quia, virtutem producendi tribuit creaturis. Conſequentia ſequitur. Proinde citatus Auctor c. 3. laudati libri: *Indultum ſibi ſacratiſſimum jubar affatim hauſerint, hoc ipſo poſtmodum abſque invidia ſequentibus fundunt.*

Arguunt I. Angeli illuminantes non habent aliam cognitionem de objectis, quorum dicitur illuminationem facere, quam illam, quam habent in Verbo; ſed cognitionem, quam habent in Verbo, non poſſunt aliis Angelis communicare: ergo non poſſunt illos illuminare. Probatur minor. Cognitio, quam Angeli habent in Verbo, eſt viſio beatifica; ſed viſio beatifica,

quam

quam habet unus beatus, non poteſt in alio producere; ergo &c. Illuminatio eſt beatitudo accidentalis; ſed a Deo ſolo habetur beatitudo tam eſſentialis, quam accidentalis: ergo a ſolo Deo habetur illuminatio: ergo non habetur ab Angelis. III. Non poteſt dari illuminatio, niſi illuminans proponat objectum, & confortet intellectum illuminati; ſed proponere objectum, & confortare intellectum, eſt ſolius Dei: ergo ſolius Dei eſt illuminare. Probatur minor. Objectum eſt ſupernaturale, confortatio intellectus eſt actus ſupremæ virtutis; ſed ſolius Dei eſt proponere objectum ſupernaturale, & exercere actum ſupremæ virtutis: ergo ſolius Dei eſt proponere objectum, & confortare intellectum. IV. Illuminatio in illuminato ſupponit tenebras; ſed nullus beatus dici poteſt, quod ſit in tenebris: ergo nec dici poteſt, quod poſſit eſſe illuminatus. V. Illuminans habet majorem lucem, quam qui dicuntur illuminati; ſed qui habet majorem lucem obſcurat potius alios, quam illuminet: ergo non datur hæc illuminatio in Angelis. Probatur minor paritate ſolis, qui per hoc, quod habet majorem lucem, obſcurat aſtra, quæ habent minorem. VI. Apoc. 24. dicitur, quod cœleſtis Jeruſalem *non eget ſole, neque luna, quia claritas Dei illuminavit eam*: ergo ſolus Deus eſt illuminans.

Reſpondemus ad I. negando, quod omnis viſio in Verbo communicari non poſſit; & negando pariter, quod omnis viſio in Verbo ſit beatificativa. Datur viſio in Verbo, qua videtur Verbum, ſeu eſſentia divina, & videntur pariter objecta aliqua ſecundaria, quæ in ipſa divina eſſentia relucent. Datur inſuper viſio in Verbo, qua poteſt videri cognitio Verbi, prout hæc dicebat ordinem ad objectum aliquod particulare extrinſecum; v. g. ad Antichriſti futuritionem. Prima viſio eſt beatificativa, & non communicatur; altera non eſt beatificativa, & communicatur.

Ad II. dicimus, quod beatificare eſſentialiter, tam effective, elevando ſcilicet, confortando &c. quam objective, ſpectat ad ſolum Deum; beatificare vero accidentaliter primario ſpectat ad Deum, ſecundario vero, manifeſtando ſcilicet veritatem aliquam, quæ intellectui beatifico conferre poteſt perfectionem, ad ſolum Deum non pertinet; unde poteſt hoc ipſum ab Angelo cum altero Angelo exerceri.

Ad III. negatur, quod objectum ſit ſupernaturale, & quod confortatio intellectus ad videndum hoc, aut illud particulare objectum ſit actus ſolius Dei. Intellectus enim jam ſupponitur a Deo elevatus, & confortatus ad viſionem ſui intuitivam; unde poſtmodum ut cognoſcat objectum aliquod particulare ſibi ab Angelo ſuperiori propoſito, non eget majori, & ulteriori elevatione, ac confortatione; ſicque poteſt ab Angelo illuminante modo ſuo confortari, determinari, &c. accidentaliter nimirum, quia eſſentialiter ſupponitur a Deo confortatus.

Ad IV. Si tenebrarum nomine intelligatur carentia illius viſionis, in qua eſt beatitudo, falſa eſt propoſitio; ſi vero intelligatur carentia cognitionis alicujus alterius objecti, conceditur; & nihil officiunt intellectui angelico tenebræ iſtæ. Vel poteſt etiam dici, quod magis, & minus illuminatus non dicit tenebras, quæ excludunt omne lumen; ſicut magis, & minus purus non dicit impurum, quod negat omne purum. Unde non per hoc quod Angelus illuminatus habeat minus lumen, dicendus eſt in tenebris eſſe.

Ad V. negatur minor, ejuſque probatio ex paritate ſolis deducta. Nec enim ſolis lumen extinguit, vel obſcurat lucem ſtellarum, quæ etiam in meridie in profundo puteo aliquando videntur. Auget potius lumen illuminati major lux illuminantis, quam minuat; unde cum illo lucis adjumento majori claritate videt.

Ad VI. Scripturæ verba intelliguntur de viſione beatifica, per quam videtur divina eſſentia, & perſonæ, & attributa, &c. & hæc conferri non poteſt, niſi a Deo. Illuminatio vero, quæ eſt circa veritates quaſdam ſupernaturales, quas Deus poteſt revelare uni beato, & non alteri, non eſt ſoli Deo affixa, ſed poteſt etiam Angelis convenire.

Dicimus II. Angelos illuminare alios Angelos idem eſſe ac docere illos; unde illuminationem eſſe loquutionem, ſed doctrinalem, ac magiſtralem. Eſt communis inter Thomiſtas, atque Scotiſtas, contra quoſdam paucos.

I. Probatur. Illuminare eſt loqui; ſed non eſt loqui quomodocunque: ergo eſt loqui cum aliqua ſuperioritatis prærogativa; ſed hæc non poteſt eſſe, niſi doctrina: ergo illuminare eſt docere, ac proinde illuminatio eſt loquutio doctrinalis, ac magiſtralis. Major eſt communis doctrina Scholaſticorum contra ſolos Capreolum,

lum, & Hervæum, aliter opinantes; & a S. Thoma 1.p. q.106. ar.1. in c. docetur, quod lumen, ſecundum quod ſpectat ad intellectum, eſt quædam veritatis manifeſtatio; juxta illud ad Epheſ.5. *Omne quod manifeſtatur, lumen eſt*. Minor ſubſumpta probatur. Eſt prærogativa illuminationis, ſed prærogativa illuminationis eſt prærogativa doctrinæ: ergo prærogativa illa non poteſt eſſe, niſi in doctrina. Probatur minor. Prærogativa illuminationis reſpicit intellectum; ſed intellectus non illuminatur, niſi per doctrinam: ergo prærogativa illuminationis eſt prærogativa doctrinæ.

II. Probatur. Loquutio cum doctrina illa eſt, per quam manifeſtantur veritates, quæ illuſtrant intellectum audientis illuminati; ſed hæc eſt illuminatio Angelorum: ergo illuminatio Angelorum eſt loquutio doctrinalis, ac magiſtralis. Probatur minor. Angeli, qui ſunt ſuperiores habent perfectiorem naturam, habent majorem gratiam, & gloriam; & per huc etiam habent majores, & clariores cognitiones veritatum ſupernaturalium, & naturalium; ſed cognitiones haſce docent Angelos inferiores, quando ipſos illuminant: ergo illa loquutio jam dicta eſt illuminatio Angelorum. Probatur minor. Non docent quæ inferiores Angeli ſciunt; non docent quæ ſcire in inferioribus Angelis non eſt perfectio: ergo illa docent, quæ ipſi ſuperiores Angeli a Deo ſciunt per hoc quod habent perfectiorem naturam, majorem gratiam, & gloriam, & majores, ac clariores cognitiones veritatum ſupernaturalium, ac naturalium.

III. Illuminatio eſt loquutio illuminans vel illuſtrans illum, cui loquimur; ſed hæc fieri non poteſt ſine perfectione intellectus: ergo non poteſt eſſe ſine doctrina. Conſequentia ſequitur; quia ſola doctrina perficit intellectum: ergo ſi ſit illuminatio cum perfectione intellectus, fieri non poteſt ſine doctrina. Minor probatur. Angelus non habens ſenſum habet ſolum intellectum, & voluntatem; voluntas non illuminatur ab altero Angelo, ſed a proprio intellectu: ergo ſolus intellectus illuminatur: perfectio intellectus conſiſtit in majori, & clariori cognitione; major, & clarior cognitio eſt effectus doctrinæ: ergo loquutio illuminans, ſeu illuſtrans illum, cui loquimur, non poteſt fieri ſine perfectione intellectus, adeoque non poteſt eſſe ſine doctrina.

Obſtant I. S. Thomas docet 1.p. q.106. ar.1. in c., quod virtus intellectiva Angeli inferioris confortatur ex illuminatione ſuperioris, *ut minus calidum creſcit in calore ex præſentia magis calidi*; ſed magis calidum influit in minus, & participat ei calorem ſuum, & calorem illius intendit: ergo pariter Angelus illuminans reſpectu Angeli illuminati. II. Deus illuminat nos, & tamen quando nos illuminat, nobiſcum non loquitur: ergo illuminatio non eſt loquutio. Probatur antecedens. Inſpirationes divinæ in nobis ſunt cognitiones, quas Deus excitat in nobis, & quæ dicuntur illuſtrationes, ſeu illuminationes; per has tamen Deus nobis non loquitur, quia nullum ſuum conceptum nobis manifeſtat: ergo Deus quanvis nos illuminet, nobis tamen non loquitur. III. Imperceptibile eſt magiſterium hoc, quod fiat unico actu; itaut Angelus inferior per illum ſolum actum cognoſcat objecta, quæ prius non novit, & cognoſcat etiam objecta, quæ non ſint ab ipſo naturaliter cognoſcibilia: ergo illuminatio Angelorum non eſt loquutio doctrinalis, & magiſtralis. IV. Angeli ſuperiores manifeſtant inferioribus per illuminationem quæ ipſi pariter per illuminationem a Deo habuerunt; ſed illuminatio facta a Deo Angelis ſuperioribus non fuit loquutio, nec fuit doctrinalis, ac magiſtralis: ergo nec ita erit illuminatio facta Angelis inferioribus ab Angelis ſuperioribus. Probatur minor. Quæ a Deo habent Angeli non a Deo audiunt, ſed in Deo vident; ſed viſio non eſt loquutio, multo minus eſt doctrinalis, ac magiſtralis: ergo illuminatio facta a Deo Angelis ſuperioribus non fuit loquutio, nec fuit doctrinalis, ac magiſtralis.

Reſpondemus ad I. S. Thomam cit. loc. ar. 1. ad 2. docere, unum Angelum non illuminare alium per hoc, quod tradat ei lumen vel naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ. Hoc ipſum pariter docet q. 9. de verit. ar.1. ad 2. Ne igitur dicamus S. Doctorem eſſe contrarium ſibi, dicimus, paritatem ab ipſo allatam debere cum reſtrictione intelligi. Reſtrictio autem hæc eſt, quod Angelus illuminans per objecti exteriorem propoſitionem, ſeu per loquutionem, quomodocumque explicatam, præſtet in illuminato totum id, quod magis calidum præſtat in minus calido per efficientiam phyſicam; & hoc quidem modo ſuo, analogico quidem, non univoco; ut per ſe patet.

Ad II. dicimus, utique Deum illuminare omnem hominem venientem in hunc mun-

mundum, ſeu omnes rationales creaturas, lumine tum naturæ, tum gratiæ; ut dicitur Joan. 1. At non accipitur eo loci illuminatio, ut intelligitur illa Angelorum, quæ eſt ſocialis loquutio, per quam revelationes fiunt docendo, & diſcendo accipiuntur.

Ad III. Non videtur hoc imperceptibile cuicumque noverit Angelorum ſive in operando, ſive in cognoſcendo agilitatem. Unico quidem actu, vel pluribus etiam actibus, quod non implicat, percipit Angelus illuminatus objecta revelata; ſcilicet aliquod futurum, aliquod ſecretum, aliquod diſtans &c., & non ſolum illa percipit ut ab Angelo illuminante ſibi revelata, ſed etiam ut revelata Angelo revelanti a Deo; unde poſſit omnem abjicere dubitationem, & certitudinem de illis habere. Quæ quidem certitudo neceſſaria eſt, ut loquutio Angeli revelantis ſit doctrinalis, ac magiſtralis; quia aliter Angelus revelatus poſſet habere formidinem, ſi non haberet certitudinem; & formido redderet ipſum potius obtenebratum, quam illuminatum.

Ad IV. Eſto ponatur differentia, quæ objicitur, inter illuminationem, quam Angeli habent a Deo, & illuminationem, quam habent ab Angelis, nihil proinde ſequitur contrarium aſſertioni noſtræ. Non enim eſt de eſſentia illuminationis, ut fiat uno modo, & non altero; unde ſi altero modo fiat, non poſſit in rigore dici illuminatio. Admittimus ergo illuminationem, quam Angeli immediate a Deo habent, quocunque modo explicetur; & admittimus illuminationem, quam Angeli inferiores habent ab Angelis ſuperioribus; & dicimus has eſſe loquutiones, doctrinales quidem, ac magiſtrales, quia ſunt de veritatibus antea non cognitis, & poſt revelationem cum certitudine cognitis. Si velint Adverſarii ratione ejuſdem effectus ſic etiam nominare illuminationes a Deo factas, vocent ut lubet, nos ipſis non contradicimus; ſi nolint ita eaſdem appellare ratione diverſi modi, quo agit Deus, non appellent ſane, nec ipſis quoque obſtamus. Sufficit nobis, quod ſuperiores Angeli, quando inferiores illuminant, ipſos loquantur, & doctrinaliter loquantur.

Quæritur; An Angelus inferior poſſit aliquando illuminare ſuperiorem?

Affirmative reſpondet Scotus apud Fraſſen, de potentia tamen abſoluta, non ordinaria. Et ratio ipſius eſt, quod Deus ſit abſolutus dominus ſuorum donorum; ergo poteſt ea libere donare cuicumque voluerit. Attamen ſi illuminare eſt loqui cum doctrina, & magiſterio, durum videtur, Deum permittere, ut Angelus inferior ſit Angeli ſuperioris magiſter, & Doctor. Utique Deus abſolutus eſt dominus ſuorum donorum; attamen ſemper ea cum ordine, & nunquam inordinate diſponit, & elargitur. Verum quia in quæſtionibus hiſce de poſſibili, quæ parum juvant, immorandum non ducimus; ideo de hac plura dicere ſuperſedemus, & ad ulteriora tranſimus.

DISSERTATIO CXLVII.

De Miſſione Angelorum; an a Deo mittantur Angeli? qui Angeli mittantur? quibus, & ad quæ, mittantur?

ANGELORUM nomen a miſſione derivatum eſſe, in ſuperioribus adnotavimus; Angeli enim dicuntur, quia miſſi, hoc eſt nuncii, legati, &c., ut docet S. Gregorius Papa hom. 34. in Evangelia; & Apoſtolus docuerat antea in ep. ad Hebræos c. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi?* Et quia ut plurimum ad cuſtodiam hominum mittuntur; ideo plerique cum miſſione Angelorum cuſtodiam quoque Angelorum connectunt. Nos vero cognoſcentes non omnem miſſionem eſſe ad cuſtodiam, quanvis omnis cuſtodia ſit ex miſſione; & pariter conſiderantes, cuſtodiam eſſe effectum miſſionis, non vero miſſionem ipſam: ideo de miſſione hac in Diſſertatione inſtituimus agere, in ſequenti vero de cuſtodia acturi.

Quod primo in hac Diſſertatione pertractandum venit, eſt; an a Deo mittantur Angeli? Quod quidem intelligendum volumus

lumus de ſola miſſione; quia in ſequentibus videbitur a quo mittantur, an a Deo immediate, an vero mediate a Deo, & ab aliis Angelis immediate? Si enim omnes Angeli mittuntur, quod in ſecunda conclusione decidetur, a Deo immediate mittuntur; ſi vero non omnes, illi qui mittuntur, Theologi, qui hoc aſſerunt, volunt, ut mittantur ab Angelis immediate, qui non mittuntur.

Dicimus I. Angelos a Deo mitti.

I. Probatur ex Scripturis. Exodi 33. *Mittam præcurſorem tuum Angelum*. Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te in via*. Tobiæ 12. Raphael inquit: *Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui me miſit*. Lucæ 2. *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo*. Actorum 12. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis*. Unde Praſſen inquit, hanc Concluſionem eſſe de fide.

II. Probatur ex Patribus. Gregorius hom. 32. in Evangelia: *Hi, qui minima nuntiant, Angeli: qui vero ſumma annuntiant, Archangeli vocantur*. Athanaſius orat. 2. contra Arianos: *Et Angeli quidem ſurſum deorſumque commeantes, Miniſtros ſe præbent*. Nazianzenus orat. 34. circa finem: *Illos divinæ voluntatis adminiſtros loca omnia peragrare, omnibus ubique adeſſe promptos, tum miniſterii alacritate, tum naturæ agilitate*. Nyſſenus lib. 1. cont. Eunomium: *Miniſtras porro eſſe virtutes iſtas facientes voluntatem Dei, per eam, quæ facta eſt, peccatorum purgationem, ſecundum voluntatem ejus, qui miſit, per unum Seraphinorum tacite ſignificavit*.

III. Probatur Rationibus. I. Convenit bonitati divinæ Angelos mittere: ergo vere a Deo mittuntur. Conſequentia ſequitur; antecedens probatur. Convenit bonitati divinæ noſtram ſalutem procurare per miniſtros ſuos: ergo convenit bonitati divinæ Angelos mittere. Antecedens non negatur; conſequentia bene infertur; etenim ad hoc præcipue mittit Deus Angelos ſuos, ut noſtram ſalutem obtineat. II. Convenit angelicæ charitati, ut mittantur: ergo vere mittuntur. Probatur antecedens. Quo ardentior eſt Angelorum charitas, eo ipſorum operatio eſt promptior ad exequendum quæcunque ſunt ad Dei gloriam, & hominum ſalutem: ergo convenit angelicæ charitati, ut mittantur. III. Convenit charitati hominum, ut mittantur Angeli: ergo vere Angeli mittuntur. Probatur antecedens. Quo tenuior eſt charitas, eo majori indiget auxilio, ut excitetur, nutriatur, & foveatur; ſed tenuis eſt hominum charitas, validum Angelorum auxilium: ergo convenit charitati hominum, ut mittantur Angeli.

Objiciunt I. Si Angeli mitterentur, mitterentur, ut ſua miniſteria hominibus exhiberent; ſed hoc inconveniens eſt Angelis: ergo non mittuntur. Probatur minor. Inconveniens eſt Angelis, ut ſint miniſtri hominum: ergo inconveniens eſt, ut ſua miniſteria hominibus exhibeant. II. Si Angeli mitterentur, impedirentur a ſua beatitudine; ſed hoc dici non poteſt: ergo nec etiam dici poteſt, quod mittantur. Probatur antecedens. Per miniſterium enim interrumperetur eorum contemplatio: ergo impediretur eorum beatitudo. III. Deus eſt ubique præſens, & omnia poteſt facere per ſe ipſum: ergo fruſtra adhiberet miniſterium Angelorum; nihil autem facit fruſtra: ergo Angelos non mittit. IV. Poſt miſſionem ſecundæ, & tertiæ Trinitatis Perſonæ ſuperflua eſt Angelorum miſſio: ergo admitti non debet. V. Si Deus mitteret Angelos bonos ad homines, mitteret etiam malos; ſed hoc alterum non eſt dicendum: ergo neque primum. VI. Si Angeli mitterentur, non omnes a Deo mitterentur; ſed hoc dici non debet: ergo nec illud, ex quo ſequitur. Probatur major. Quia Angeli inferiores quum a ſuperioribus illuminentur, a ſuperioribus etiam deberent mitti. Minor etiam patet; quia ſequeretur, Angelos ſuperiores exercere erga inferiores imperium, quod erga omnes Angelos exercet Deus; quod quidem non eſt dicendum.

Reſpondemus ad I. negando majorem. Ratio eſt, quia nunquam dicuntur Angeli miniſtri hominum, ſed Dei; & hoc quidem tam apud Scripturas, quam apud Patres. Apocal. 19. & 22. Angelus non dixit, ſe eſſe Joannis ſervum, ſed conſervum; ſervum ſcilicet Dei, ut erat Joannes. Daniel. 10. non dicitur ſervus, ſed princeps regni Perſarum &c. Matth. 4. *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*; hoc eſt Chriſto; ex quo S. Leo magnus ſer. 2. de quadrageſ. infert, Chriſtum eſſe Deum, quia Angeli ſoli Deo ſerviunt. Bernardus ſer. 11. in pſal. *Qui habitat, &c.* vocat quidem Angelos hominum miniſtros, ſed intelligendus eſt de miniſterio laboris, & operis, non vero ſubjectionis. Quemadmodum eſt Paſtor ovium, qui non dicitur ovium ſervus, quanvis pro

ovi-

ovibus laboret. Et ſic intelligi ſimiliter debet Thomas a Kempis lib. 3. de imit. Chriſti c. 11. Sic pariter Chriſtus dixit Matth. 20. *Non veni miniſtrare, ſed miniſtrari.* Et ſummus Pontifex ſe vocat ſervum ſervorum Dei. Apoſtolus etiam ad Heb. 1. ſcripſit: *Nonne omnes ſunt adminiſtrotorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos*; hoc eſt propter homines. Ad quæ dicit Eſtius: *Nec Apoſtolus eos in miniſterium hominum miſſos eſſe dicit, ſed in miniſterium miſſos propter homines, qui hæreditatem capient ſalutis.* Unde in locum illum Chryſoſtomus ſcripſit: *Angelorum munus eſt miniſtrare Deo propter noſtram ſalutem.*

Ad II. negatur pariter major, ejuſque probatio. Non ſolum enim non impediuntur Angeli per ſua miniſteria, quominus videant Deum, & viſione illa beatificentur; ſed nec quoque retardantur quominus videant ita perfecte, ac ſi nullo miniſterio fungerentur. De Cuſtodibus Angelis dixit Chriſtus Dominus Matth. 18. *Angeli eorum ſemper in cœlis vident faciem Patris*: ergo pariter dum aliis miniſteriis funguntur. Inſuper; Deus eſt ubique præſens, & non tantum in cœlo: ergo ubique etiam Angeli poſſunt illum videre, & illo frui; & hinc eſt, quod etiam dum ſunt in terra, dicuntur eſſe in cœlo; ut ex præfatis verbis. Nec a miniſteriis ſuis diſtrahuntur; quia, ut ait S. Gregorius, *ſic ad exteriora procedunt, ut ab intimis nunquam recedant.*

Ad III. quod quamvis Deus ubique ſit præſens, nos tamen vel ſenſuum, vel paſſionum, vel peccatorum, onere preſſi, abſentem judicamus. Proinde Angeli mittuntur, ut nobis ſuam voluntatem manifeſtent. Plura etiam per ſe ipſos poſſunt facere Principes, plura Duces exercituum; ſed eadem per miniſtros operantur; & ut in operando ſervetur rectus ordo, & ut in operationibus habeatur decens operandi ratio.

Ad IV. Non mittuntur Angeli ad nos, quaſi miſſio Filii, & Spiritus Sancti ſufficiens ad noſtram ſalutem procurandam non fuerit; ſed ad noſtram negligentiam excitandam, ut illorum miſſioni cooperemur. Viſitat aliquando Rex vel urbes, vel agmina, per ſe ipſum; & deinde iterum viſitat per miniſtros; quorum eſt munus, ut a ſubditis, & miniſtris, Regis præcepta exequutioni mandentur, & promiſſæ largitiones adimpleantur.

Ad V. conceditur major, & negatur minor. Ratio eſt, quia ex Scripturis, & ex Patribus colligitur, aliquando a Deo mitti Angelos malos. Legitur 3. Reg. c. ult. *Egreſſus eſt autem Spiritus coram Domino, & ait: Ego decipiam illum; cui ait Dominus: in quo? Et ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Et Dominus reſpondit illi: *Decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita.* Et S. Gregorius lib. 2. moral. docet: *Sicut de bonis Angelis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur; ita iſti occulta ejus juſtitiæ neſciendo ſervientes, miniſterium exequi reprobationis conantur. Non enim miniſtrant Deo ſoli qui adjuvent boni, ſed etiam mali, qui probat non ſolum qui redeuntes a culpa ſublevent, ſed etiam qui redire volentes gravent.* Verum non mittit Deus Angelos malos, ut perdat homines, ſed ut tentet, ut exerceat, aliquando etiam, noſtris ſic exigentibus culpis, ut perdat. Et quanvis intentio Dei mittentis ſit bona, intentio Diaboli miſſi ſit mala; tamen ſemper Deus utitur operatione Diaboli ad bonum.

Ad VI. nullum eſſe inconveniens, ſi dicatur, aliquando Angelos inferiores a ſuperioribus ad homines mitti: Siquidem in Scripturis legitur, & in Patribus. Zachariæ 1. *Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur; & alius Angelus egrediebatur in occurſum ejus, dixit ad eum: loquere ad puerum iſtum dicens: abſque muro habitabitur Jeruſalem.* Ad quæ verba S. Gregorius Papa in moralibus ſcribit: *In conſpectu Conditoris angelica miniſteria ordinata ſunt, ut pro communi felicitate beatitudinis opificem ſuum videntes, gaudeant: cum pro diſpoſitione dignitatis alii aliis ſubminiſtrent. Ad Prophetam Angelus Angelum mittit, & quæ ſecum de Deo communiter conſpicit, edocet, & eligit; quia eum per ſuperiorem ſcientiam virtute cognitionis, & præſtantiorem gratiam culmine poteſtatis.* Verum hoc propius reſpicit ſecundam Diſſertationis partem, quam ſubdimus.

Pro altera Diſſertationis parte non una eſt ſententia Theologorum. Sunt nonnulli, qui negant, mitti omnes promiſcue, & præcipue illos, qui ſupremæ ſunt Hierarchiæ; non tamen determinant, quinam mittantur, & quinam remaneant. Alii volunt, ſolos tres Ordines ultimæ Hierarchiæ mitti; tres ordines primæ Hierarchiæ nunquam mitti; tres vero ordines mediæ Hierarchiæ accipere mandata ab illis primæ, & illis ultimæ communicare; & opinionem hanc, ait Petavius, a Lombardo referri.

ri. S. Thomas 1. p. q. 112. ar. 4., & in Com. ad ep. ad Heb. c. 1. lect. 6. docet, quinque ſolos poſtremos Ordines mitti; quatuor vero ſuperiores Ordines, hoc eſt tres primæ Hierarchiæ, & Dominationes, nec a Deo diſcedere unquam, nec inferiora tractare. Alii demum volunt, omnium Ordinum Angelos mitti; ad miniſteria grandiora ſupremos, inferiores vero mitti ad alia minora.

Dicimus II. Non tantum Angelos ex ultimis Ordinibus, ſed ex omnibus, etiam primis, mitti & ad hominum regimen, & ad eorundem ſalutem. Ex recentioribus defenditur a Petavio, ab Eſtio, a Du-Hamel, a Juenino, a Fraſſen, qui citat Scotum &c.

I. Probatur ex Scripturis. Iſai. 6.6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Seraphim autem ſunt de ſupremo Ordine Hierarchiæ primæ. Ad Hebr. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Quæ quidem verba de omnibus Angelis intelligi debent, etiam primorum ordinum Hierarchiæ ſupremæ; tum quia nullam faciunt inter Angelos diſtinctionem; tum præcipue, quia ex illis verbis intendit Apoſtolus probare divinitatem Chriſti, ex eo ſcilicet, quod omnes Angeli ſunt miniſtri ejus; ſed hoc non minus verificatur de Angelis ultimæ, quam de illis primæ Hierarchiæ: ergo &c. Quam rationem, & explicationem diſerte expendit Petavius; explicans pariter alia Apoſtoli, quæ ſequuntur, verba: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.* Et alia: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis?*

II. Probatur ex Patribus. Athanaſius or. 3. cont. Arian. *Multi ſunt Archangeli, multi Throni, & Poteſtates, & Dominationes, millies millia, & decies millies centena millia Miniſtrorum aſſiſtunt, & apparent, qui ſe promptos offerunt, ut mittantur.* Chryſoſtomus hom. 8. in Geneſ. *Non eſt Angelis tributum, ut ſint conſilii participes; ſed ut aſſiſtant, & miniſterio fungantur. Quod ut diſcas, audi magniloquentiſſimum Eſaiam de ſuperioribus Angelorum virtutibus loquentem: Vidi Cherubim ſtantia a dextris Dei, & Seraphim, & tegebant facies ſuas;* ſed unus ex his miſſus fuit ad Iſaiam, ut eum purgaret: ergo etiam ex ſuprema Hierarchia Angeli mittuntur. Euſebius Cæſarienſis lib. 7. præpar. evangel. *Divinas Virtutes nutu Patris toti mundo præſidentes, & adminiſtros Spiritus ad miniſterium miſſos, propter eos, qui hæreditatem capiunt regni: ac ſacros Angelos Dei, & Archangelos, & intelligentem omnem naturam, bonorum miniſtram, lucidam, & omnium bonorum, quæ a Deo communicantur hominibus, adminiſtram, regem univerſorum quodam ſatellitio ſtipare.* Hieronymus ep. 142. ad Damaſum: *Quidam Græcorum in Scripturis apprime eruditus, Seraphim virtutes quaſdam in cœlis eſſe expoſuit, quæ ante tribunal Dei aſſiſtentes laudent eum, & in diverſa miniſteria mittantur, maximeque ad eos, qui purgatione indigent, & ob priſtina peccata, aliqua ex parte ſupplicii purgari merentur.* Bernardus ſer. de S. Benedicto: *Cherubim, ait Propheta, ſtabant, & non ſedebant: Quid laboraſti, ut jam ſedeas? Omnes adminiſtratorii ſunt Spiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis; & tu ſedebis?*

III. Probatur Rationibus. I. Illi Angeli mittuntur, qui ſunt Filio Dei inferiores; ſed omnes Angelorum ordines ſunt Filio Dei inferiores: ergo ex omnibus Angelorum ordinibus mittuntur. Major eſt doctrina Apoſtoli, & Patrum conſenſu, atque traditione firmata; ut dictum eſt; minor negari non poteſt; conſequentia ſequitur. II. Angeli, qui mittuntur, explicantur in Scripturis per verbum *omnes*; ſed verbum *omnes* in Scripturis, dum loquuntur de Angelis, ſignificat omnes ordines: ergo ex omnibus ordinibus mittuntur. Major conſtat ex illo Apoſtoli: *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus miſſi &c.* Minor ex illo ejuſdem: *Adorent eum omnes Angeli Dei*; conſequentia ſequitur. III. Michael, & Gabriel, fuerunt, & ſunt de primis Angelis, ſed miſſi fuerunt: ergo Angeli etiam ſupremi mittuntur. De Michaele alibi loquuti fuimus; de Gabriele probatur; nam ipſi innotuit myſterium Incarnationis, quod inferioribus Angelis non innoteſcebat. IV. Eccleſia majori veneratione proſequitur Michaelem, quam cæteros Angelos: ergo cæteris Angelis dignior eſt Michael. Unde de Michaele dixit Baſilius hom. 1. de Angelis: *Michael Dux ſupernorum Spirituum, qui dignitate, & honoribus prælatus eſt omnibus Spiritibus.* Et Pantaleo Diaconus hom. de S. Michaele apud Surium vocavit eum *Seraphinorum primum*. Et S. Laurentius Juſtinianus ſer. de S. Michaele: *In ſpirituali primo conflictu cæteris Spiritibus ſanctis prælatus eſt Michael, ſicut Lucifer malis.* Michael

autem

autem in Scripturis dicitur miſſus; ut Daniel. 18. *Michael unus ex Principibus primis venit in adjutorium meum*: ergo &c.

Opponunt I. S. Thomas in 2. diſt. 1. docet, Michaelem eſſe unum ex Principatibus; & ideo in loco illo Danielis dici: *Michael unus ex Principibus*: ergo non eſt ex ordine ſupremo II. S. Gregorius magnus ad verba illa Daniel. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*; lib. 17. Moral. c. 9. ſcribit: *Aliud eſt aſſiſtere, aliud miniſtrare. Aſſiſtunt enim illæ protul dubio poteſtates, quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt: Miniſtrant vero hi, qui ad explenda officia Nuntiorum veniunt. Sed tamen ipſi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et quia plures ſunt, qui miniſtrant, quam qui principaliter aſſiſtunt, aſſiſtentium numerus quaſi definitus, miniſtrantium vero infinitus oſtenditur*. III. Verba ab Heb. I. probant ſolum, quod lex vetus data fuerit per miniſterium Angelorum; ſed hoc non eſt neceſſe, ut factum fuerit per ſupremos Angelos: ergo ex verbis illis non eruitur, ſupremos Angelos etiam mitti. IV. Ex Auctore libri de cœleſti Hierarchiæ c. 13. habemus, Angelum purgantem Iſaiæ labia nõ fuiſſe ex ordine Seraphinorum, ſed habuiſſe nomen Seraphim, ex illa actione, quam operabatur, fuiſſe tamen ex ordinibus inferioribus. V. Ex communi Theologorum conſenſu Angeli dividuntur in aſſiſtentes, & miniſtrantes: ergo ſunt aſſiſtentes Angeli, qui non miniſtrant; aliter nulla eſſet diviſio.

Reſpondemus ad I. S. Doctorem eſſe contrariæ ſententiæ propugnatorem, & ideo de Michaele illa docuit; ipſi tamen opponimus Baſilium, Pantaleonem, Laurentium Juſtinianum, qui aliter de Michaele ſcripſerunt, & quorum verba nuper recitavimus.

Ad II. pariter S. Gregorium magnum favere contrariæ ſententiæ; & ipſi pariter opponimus Athanaſium, Nazianzenum, Nyſſenum, Chryſoſtomum, Hieronymum, aliosque. Cæterum in Scripturis Angeli, qui dicuntur aſſiſtentes, dicuntur etiam miſſi. Uti eſt Raphael, qui Tobiæ 12. aſſerit, ſe eſſe unum ex ſeptem, qui adſtant ante Deum; & ad Tobiam fuit miſſus. Gabriel Lucæ 1. de ſe dicit: *adſto ante Deum*; & ad Zachariam fuit miſſus &c.

Ad III. negatur, Apoſtolum loqui de lege veteri; loquitur enim de Chriſto, ut diximus; & hoc teſtantur Patres multi, quos recenſuimus, & quorum verba retulimus.

Ad IV. Interpretatio illa vocis Seraphim non bene convenit cum aliis Prophetæ verbis. Dicit enim Iſaias: *Seraphim ſtabant ſuper illud &c.* Non ergo fuit unus Seraphim, ſed plures; & incredibile eſt, quod omnes habuerint idem nomen, præcipue quum omnes non eandem actionem exercerent.

Ad V. dicitur, quod diſtinctio cadit ſupra exercitium Angelorum, non vero ſupra Angelos. Et ſenſus eſt, quod Angeli vel aſſiſtunt, vel miniſtrant; unde idem Angelus poteſt modo aſſiſtere, & modo miniſtrare; ut de Gabriele, & de Raphaele diximus.

Pro tertia Diſſertationis parte, in qua quæritur, ad quos mittantur Angeli, & ad quæ officia obeunda? Loquimur hic de præcipuis officiis, & de ordinariis, non vero de extraordinariis, quæ poſſunt quidem plura eſſe, & varia; unde

Dicimus III. Angelos mitti ad homines, vel ad animæ purgationem, vel ad intellectus illuminationem, vel ad affectus inflammationem. Docet S. Bonaventura diſt. 10. ar. 2. q. 1. & 2. apud Fraſſen.

Probatur, & explicatur Concluſio ab eodem Seraphico Doctore, in Compendio theologicæ veritatis lib. 2. c. 18., ſi hoc Opus ipſius genuinus eſt fœtus, de quo Eruditi diſſentiunt. Tres actus communiter a Patribus, & præcipue ab Auctore libri de cœleſti Hierarchia, tribuuntur Angelis; nimirum purgare, illuminare, & perficere. Purgant removendo impedimenta ad illuminationem, quam in nobis facere intendunt; illuminant revelando veritates, quas intellectus vel minime, vel difficulter aſſequebatur; perficiunt inflammando voluntatem ad effectus divinorum.

Obſtant I. Angeli quidam movent orbes cœleſtes, nec ab illorum motu poſſunt unquam recedere; aliter cœli quieſcerent; ſed ex hoc primo ſequitur, quod non omnes Angeli mittuntur; & ſequitur ſecundo, quod admiſſo, quod mittantur, non mittuntur ad homines dirigendos, ſed ad cœlos movendos; quod utrumque eſt contra a nobis firmatas Concluſiones. II. Ex Scripturis habemus, plerumque fuiſſe Angelos a Deo miſſos ad homines juvandos circa temporalia, & corporea: ergo non ſemper mittuntur ad animæ purgationem, ad intellectus illuminationem, ad voluntatis inflammationem.

Reſpondemus ad I. Admiſſo, quod Angeli moveant orbes cœleſtes, dicitur, quod illi, qui movent, miſſi ſunt ad movendum eos. Et hoc quidem propter homines; cœlum enim Deus, & aſtra, & ſuperiora alia corpora, ſi quæ ſunt, creavit in miniſterium hominum. Cæterum motio orbium cœleſtium ab Angelis eſt doctrina Ariſtotelis, non Scripturarum; unde nemo cogit nos, ut eam recipiamus; præcipue quum Ariſtoteles multos docuerit errores circa intelligentias, quas affixas voluit orbibus cœleſtibus, ut eos moverent. Audiatur Eſtius: *Doctrina ponens intelligentias orbibus cœleſtibus perpetuo aſſidentes, non tam in Scripturis fondata eſt, quam in Ariſtotelica Philoſophia, quam doctrinæ Scripturarum cedere neceſſe eſt.*

Ad II. Etiam beneficia, quæ Deus confert hominum corporibus, animabus illorum proſunt. Per corpora enim aliquando animas medetur, intellectus illuminat, voluntates inflammat. Raphael quidem Tobiæ, & Saræ, corpora a Dæmone liberavit, domos ditavit, cæcitatem ab unius Patre avertit, & mortem ab alterius Viro eliminavit. Omnia videntur fuiſſe temporalia, & corporalia beneficia; at per hæc eos movit ad benedicendum, atque laudandum Deum, qui per ipſum mirabilia operatus fuerat ad ejus gloriam, & ad illorum corporalem, ſpiritualemque ſalutem. Unde dicebat illis Tob. 12. 18. *Ipſum benedicite, & cantate illi.* Et n. 20. *Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus.* Et n. 22. *Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum; & exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.*

DISSERTATIO CXLVIII.

De Cuſtodia Angelorum; & de erroribus Hæreticorum, ac opinionibus Scholaſticorum, contra, & circa illam. Quibus detur; ad quæ ſe extendat; & an cuique detur etiam Angelus malus?

PRimo erravit Origines contra Angelorum Cuſtodiam, aſſerens ex Antipatro, Boſtrorum Epiſcopo, lib. cont. impium Originem, apud Joannem Damaſcenum in Eclogis lit. A., illam fuiſſe Angelis a Deo datam in pœnam, & in ſupplicium, quod ab ipſius dilectione ceciderint. Credidit enim, beatas mentes, a Deo creatas, & cum Deo, cujus fruitione lætabantur, arctiſſime conjunctas, ab hoc felicitatis ſtatu decidiſſe, & redactas in gradum infimum, fuiſſe factas Angelos, & Archangelos; & in pœnam implicatas demum fuiſſe in mundanarum rerum procuratione; ut explicat Petavius lib. 2. de Angelis c. 7. n. 15.

Secundo erravit idem Origines credens, Angelos, qui ſunt Cuſtodes, præcipue parvulorum, certos de ſua ſalute non eſſe; immo cuſtodiam noſtram exercentes, ſalutem propriam mereri. Hæc ſunt verba ipſius hom. 35. in Luc., & hom. 23. in eund. *Quam ob cauſam Angeli pro bonis ſoliciti ſunt, ſcientes, quod ſi nos bene gubernaverint, & ad ſalutem uſque perduxerint, habeant etiam ipſi fiduciam videndi faciem Patris. Quomodo enim ſi per curam eorum & induſtriam ſolus hominibus comparatur, faciem Patris ſemper attendunt: ſic ſi per negligentiam eorum homo corruerit, etiam ſui periculi rem eſſe non neſciunt. Et ſicut bonus Epiſcopus, & optimus Eccleſiæ diſpenſator, ſcit, ſui meriti eſſe, atque virtutis, ſi oves gregis ſibi crediti fuerint cuſtoditæ; ita intellige & de Angelis. Ignominia Angelo eſt, ſi homo juſtus creditus fuerit, & peccaverit: et e contrario gloria eſt Angelo, ſi creditus ſibi ſaltem minimus in Eccleſia fuerit. Videbunt enim non aliquando, ſed ſemper faciem Patris, qui eſt in cœlis, cum alii ſemper non videant. Secundum meritum enim eorum, quorum Angeli ſunt, aut ſemper, aut nunquam, vel parum, vel plus, faciem Dei Angeli contemplabuntur.* Eadem habet hom. 20. in Num.

Tertio erravit Auctor Quæſtionum ad Orthodoxos, quæ falſo Juſtino Martiri & Phi-

Philoſopho tribuuntur, q. 30. dicens, Cuſtodes Angelos ſingulorum hominum aſſiſtere uſque ad reſurrectionem animabus illorum hominum, qui mortui ſunt, & quorum cuſtodes erant. Refert etiam Petavius cit. loc. n. 14.

Quarto erravit Calvinus ad cap. 32. Geneſ. v. 1. ſcribens: *Maligne Dei gratiam extenuant, qui tantum ab uno Angelo quenque noſtrum defendi putant. Nec dubium eſt, quin Diabolus hoc aſtu fiduciam noſtram aliqua ex parte minuere conatus ſit.* Et lib. 1. Inſtit. c. 14. §. 7. *An ſingulis hominibus ſinguli Angeli attributi ſint ad eorum defenſionem, pro certo aſſerere non auſim. Hoc quidem pro certo habendum, non tantum uni Angelo unumquenque hominem eſſe curæ, ſed omnes uno conſenſu vigilare pro ſalute humana.* Et ad cap. 15. Actor. §. 15. ad verba illa: *Angelus ejus &c.* aſſerit: *Angelum ejus nominant, qui divinitus ejus appoſitus ſit cuſtos, & ſalutis miniſter. Quod vulgo hinc eliciunt, ſingulis hominibus attribui ſingulos Angelos, qui eorum curam gerunt, nimis infirmum eſt. Nam Scriptura teſtatur, magno populo interdum unum dari Angelum: Ergo figmentum, quod paſſim invaluit, de binis cujuſque geniis, profanum eſt.* Et ad pſal. 90. *Falſum illud eſt commentum, ſuum cuique ſingularem Angelum eſſe.*

Quinto errarunt Magdeburgenſes Centuriatores cent. 3. 4. 5. 6. &c. c. 4. negando *ſingulos Angelos ſingulis hominibus deputatos eſſe.* Unde cum Calvino putant, omnes Angelos curam omnium hominum gerere, & hoc non ſemper, ſed quando Deo id placuerit; ut ex allatis Calvini verbis innoteſcit.

Sexto fuerunt Hæretici quidam ſecundo ſeculo currente, Apulejani dicti a quodam Apulejo, natione Afro, & Medauri nato, & de Platonica Secta Philoſopho, qui dicebant, *Dæmones eſſe medios inter Deum, & homines, qui hinc ferant petitiones noſtras, & inde referant deorſum ſuppetias;* quod refert Petrus Annatus in apparatu ad poſitivam theologiam lib. 7. ar. 3. Unde videbantur aſſerere, non ſolum Angelos bonos, verum quoque malos, in hominum cuſtodiam deputatos eſſe; quanvis etiam in hoc errarent, quod crederent, utroſque Mediatores eſſe.

Inter Scholaſticos Theologos fuit Petrus Lombardus, cognomento dictus Magiſter ſententiarum, qui, Eſtio teſte, manifeſte deſcendit in ſententiam, quæ aſſerit, non ſingulos ſingulis, ſed unum eundemque Angelum multis hominibus a Deo adſignari; eo ductus argumento, quia homines electi tot ſunt, quot ſunt boni Angeli; homines autem electi & reprobi plures ſunt: ergo non eſſent cuſtodes Angeli numero pares hominibus. Communis autem Theologorum omnium ſententia contrarium docet, ſingulos ſcilicet homines ſuum habere Angelum cuſtodem, unicuique illorum a Deo deputatum.

Dicimus I. de fide eſſe, ſanctos Angelos deputari a Deo ad cuſtodiam hominum.

I. Probatur ex Scripturis. Pſal. 90. 11. *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Et n. 12. *In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Judith 13. 20. *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Matth. 18. 10. *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Actorum 12. 7. *Ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequerere me. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verum eſt quod fiebat per Angelum: exiſtimabat autem ſe viſum videre. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum; & continuo diſceſſit Angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reverſus dixit: Nunc ſcio vere quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis. Pulſante Petro oſtium januæ, proceſſit puella ad videndum, nomine Rhode. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, ſed intro currens, nuntiavit ſtare Petrum ante januam. Illi autem dicebant: Angelus ejus eſt.*

II. Probatur ex Patribus. Baſilius hom. in pſal. 33. *Omni in Chriſtum credenti Angelus aſſiſtit.* Et hom. in pſal. 48. *Cuilibet fidelium eſt Angelus aſſiſtens, & adjunctus, qui in cœlo eſt videre dignus.* Hilarius in pſal. 129. *Meminimus eſſe plures ſpirituales virtute, quibus Angelorum eſt nomen, Eccleſiis præſidentes. Sunt enim ſecundum Joannem Aſianis Eccleſiis Angeli.* Ambroſius lib. de Viduis: *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt.* Hieronimus in cap. 66. Iſaiæ: *Quod unuſquiſque*

na-

noſtrum habeat Angelos, multa Scriptura docent. Et ep 27. ad Euſtochium c.1. *Teſtor Jeſum, & Sanctos ejus, ipſumque proprium Angelum, qui cuſtos fuit, & comes admirabilis fœmina, me nihil in gratiam dicere.* Iſidorus Hiſpalenſis de ſum. bon. ſeu lib. 1. ſent. c. 12. *Singulæ gentes præpoſitos Angelos habere creduntur.* Beda in lib. qq. quæſt. 9. *Boni Angeli ad miniſterium ſalutis humanæ deputati ſunt, ut curas adminiſtrent mundi, & regant omnia juſſa Dei.* Petrus Damianus ſer. de exalt. S. Crucis: *Angelos ad noſtri cuſtodiam deputatos quotidie multipliciter offendimus, & offenſam negligentia cumulamus.*

III. Probatur ex veteribus Judæis. Auctor libri *Michael* hæc dicit: *Principio ponimus coram te ſententiam Rabbinorum, qui dicunt, non eſt herba infra, quæ non habeat ſatum ſupra. Et ſi ita res ſe habet in plantis corporeis, quanto magis animalibus viventibus, & ſpiritualibus, comparatione ad corporea, eſt aliquis, qui ea curet ſupra, ut infundat ſuper ea virtutem ſuam: Qui vero curat animalia viventia vocatur Dominus, aut Angelus.* Rab. Salomon. Ad illa verba Danielis 10. *Vidi ego Daniel &c.* ſcribit: *Angelus uniuſcujuſque hominis ſupra ſeipſum &c.*

IV. Probatur ex Gentilibus Philoſophis. De Platone teſtatur Euſebius Cæſarienſis lib. 13. de prepar. evangel. c. 7. *Angelum unicuique ad cuſtodiam divinitus datum a Scriptura Nos didicimus, & Plato ſcribere non dubitavit hoc modo: Quoniam, inquit, omnes animæ ſorte vivendi modum elegere, ordine ad ſortem ſuam progrediuntur motæ a Dæmone, quem ſingulæ ſortitæ ſunt, qui ad cuſtodiendam hanc vitam, & ad perficienda, quæ elegerunt, una cum eis mittitur. Hoc ipſum credo Socratem etiam ſignificaſſe, cum Dæmone quodam ſæpius gubernari ſe dixerit.* Menander apud eundem Euſebium lib. 12. habet: *Unicuique genius viro adſtat ſtatim nato, Myſtagogus vitæ bonus.* Epitectus apud Arrianum Att. Diſſ. lib. 1. c. 14. *Tutorem unicuique Deus aſſignavit ſingulorum genium, & huic ipſum cuſtodiendum tradidit; & quidem hujuſmodi qui neque dormiat, neque falli poſſit.* Seneca epiſt. 110. *Unicuique noſtrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ovidius ait, de plebe Deos. Ita tamen hoc ſeponas volo, ut memineris majores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe. Singulis enim & Genium, & Junonem dederunt.*

V. Probatur Rationibus. I. Ratione divinæ potentiæ; quia enim Deus eſt ſumme potens non ſolum creando Angelos providit gloriæ ſuæ, ſed etiam neceſſitati creaturæ ſuæ: unde creavit Angelos, ut ſibi aſſiſterent, & miniſtrarent; & creavit quoque ut homines cuſtodirent, & adjuvarent. II. Ratione divinæ ſapientiæ; quia conſonum eſt huic deducere poſtrema ad ſumma per media; quum ergo Angeli, tum propter immortalitatem naturæ, tum propter conſummationem gratiæ, ſint quid medium inter Deum, & hominem; conveniebat, ut homines, qui ſunt poſtremi, cuſtodiendo, & adjuvando, ad Deum, qui ſummus eſt, perducerent. III. Ratione divinæ miſericordiæ; quæ quum nunquam a juſtitia recedat, conveniens fuit, ut ſi homo lapſus per Dæmones ad malum incitaretur, per Angelum quoque excitaretur ad bonum. IV. Deus habet in mundo Dæmones, qui ſunt adverveſarii ſui, & inimici noſtri: ergo debebat mittere in mundum Angelos, qui Dæmones debellarent; unde nec ſibi bellum, nec nobis damnum parare auſi fuiſſent. V. Hoc officium indecens non eſt Angelis, immo ipſorum charitati, pietati, ac zelo, apprime conſonum; hominibus vero eſt valde utile, & honorificum; cur ergo negandum? VI. Homines non ſunt ſufficientes rectores hominibus, nec congruentes: ergo debebant eis præfici a Deo Angeli. Probatur antecedens. Homines deficiunt in multis, vel propter malitiam, vel propter ignorantiam; in quibus Angeli, qui ſunt boni, & ſapientes, non deficiunt: ergo Homines non ſunt ſufficientes rectores hominibus, nec congruentes.

Opponunt I. Si Angelus eſt cuſtos hominis, homo nec habet libertatem, nec meritum; hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur major. Angelus, quando homo eſt determinatus ad peccandum, vel opponitur ei, vel non? Si non: ad nihil ergo inſervit: Si ſic: ergo lædit ipſius libertatem, & impedit meritum. II. Homo per liberum arbitrium & gratiam, vel poteſt ad malum compelli, vel non poteſt? Si non poteſt: ergo ad nihil inſervit Angelus cuſtos; ſi poteſt: ergo Angelus cuſtos violentiam ei infert, non confert adjumentum. III. Si homo vinceret abſque ſubſidio Angelorum, ejus meritum eſſet majus, & ejus gloria excelſior: ergo cuſtodia Angelorum deſervit potius ad diminutionem meriti, & gloriæ Angelorum. IV. Quod Angeli ſint cuſto-

des

des hominum vel a natura, vel a gratia habent? Si a natura: ergo etiam Dæmones, qui naturalia non amiſerunt, poſſunt eſſe cuſtodes noſtri. Si a gratia: ergo etiam animæ perfectiores poſſunt curam gerere animarum, quæ minus ſint perfectæ. V. Angelus, qui eſt cuſtos, eſt miniſter hominis: ergo eſt minor homine; hoc dici non poteſt: ergo &c. Minor habetur Luc. 22. *Major eſt qui recumbit, quam qui miniſtrat.* VI. Solus Deus dicitur in Scripturis hominum cuſtos: ergo ſuperflui ſunt Cuſtodes Angeli. Antecedens probatur ex illo Job. 7. *Quid faciam tibi o Cuſtos hominum?* Ex illo pſal. 120. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael . . . . . Dominus cuſtodit te ab omni malo cuſtodiat animam tuam Dominus: Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* VII. Solus Deus nos a captivitate liberavit: ergo ſolus Deus nos a captivitate cuſtodit. Antecedens negari non poteſt; conſequentia ſequitur, quia ejuſdem eſt potentiæ præſervare in libertate, ac a captivitate redimere & liberare. VIII. Cuſtodes Angeli dicuntur mediatores inter Deum, & homines; ſed unus eſt mediator noſter ex Scripturis, ſolus ſcilicet Dominus noſter Jeſus Chriſtus: ergo aliis mediatoribus non eſt nobis opus.

Reſpondemus ad I. Angelum ſe opponere homini determinato ad peccandum, ſed ſuadendo, exhortando, alliciendo; non autem vim faciendo voluntati ejus; unde illæſa remanet libertas ejus, & meritum auctum, ſi non peccat; deperditum vero, ſi peccat. Et en ad quid inſerviunt Angeli, qui cuſtodes hominum ſunt.

Ad II. Homo ab extrinſeco non poteſt compelli ad malum, & quando ad malum determinatur, a ſe ipſo per ſuum liberum arbitrium determinatur. Efficit vero Angelus cuſtos, ne Diabolus, qui extrinſecus operatur, objecta allicientia proponat, occaſiones peccandi paret, & ſocios peccatorum adhibeat. Juvat inſuper, ne voluntas, & a Diabolo per internos motus inclinata ad malum, & a paſſionibus tracta, ad malum plene conſentiat; non quidem vim faciendo, ſed illuminando, inflammando, removendo &c.

Ad III. Non pugnat homo cum altero homine, ſed cum ſpiritibus tenebrarum, cum principibus, & poteſtatibus; ipſe autem eſt natura pulveris figmentum, eſt peccato infirmus, & conſuetudine debilis; unde indiget auxilio Angelorum ut vincat. Propterea Petrus Damiani ſcribebat Alexandro II. Rom. Pont. in ſua quadam epiſtola: *Neque enim verſutia tam callidi & exercitati hoſtis poſſet fragilitas humana reſiſtere, niſi eum a tentationibus Electorum virtus angelica propulſaret.*

Ad IV. Habent Angeli ut ſint cuſtodes hominum, a natura, quia natura ſunt hominibus fortiores, & potentiores; habent a gratia, quia ſunt hominibus præſtantiores, & firmiores; habent præcipue a divina ordinatione; Deus enim mandavit Angelis ſuis, ut nos cuſtodiant. Quis autem decretorum Dei intendit eſſe ſcrutator, ut aſſequi omnino velit, cur Deus hoc fecerit, vel non fecerit; ad quid ordinaverit, ad quid vero non ordinaverit?

Ad V. Negavimus ſupra, Angelos eſſe miniſtros hominum, etſi ſint hominum cuſtodes. Verum ſi velint, quod ſint miniſtri, non ſunt certe tales miniſterio ſubjectionis, ſed miniſterio præſidentiæ. Cuſtodes Angeli utique homines gubernant, regunt, docent, dirigunt, hortantur ad bonum, ut magiſtri, duces, pædagogi; non vero ſerviunt, obediunt, miniſtrant, ut famuli, vel mancipia.

Ad VI. S. Bonaventura reſpondet dicendo apud Fraſſeo, quod perfectio divinæ cuſtodiæ non excludit utilitatem angelicæ. Et exemplum affert; quia ſicut Deus dando creaturis virtutem operandi, a ſe ipſo virtutem hanc non aufert, ſed cum illis etiam producit, & cooperatur: Ita dando Angelis cuſtodiam hominum, cuſtodiam hanc a ſe ipſo non removet, ſed cum Angelis etiam ipſe homines cuſtodit.

Ad VII. Plus eſt redimere, quam cuſtodire, quia redimere eſt mortuum vivificare, cuſtodire eſt in vita conſervare. Ille eſt actus ſolius Dei, cujus eſt proprium vitam primo conferre; hic vero eſt etiam actus creaturæ, quæ præſtantioris ſit naturæ, & virtutis etiam potentioris; quales ſunt Angeli. Unde ſi Angeli non potuerunt hominem a Dæmonum captivitate eruere, poſſunt quidem hominem ſic cuſtodire, ne denuo in Dæmonum incidat ſervitutem.

Ad VIII. Solus Chriſtus eſt mediator immediatus, per naturam, & primarius; Angeli vero dicuntur mediatores, ut pariter dicuntur Sancti apud Deum, mediati, per gratiam & divinam ordinationem, & ſecundarii, aut minus principales. Hoc autem non officit dignitati Chriſti; ſicut non

non officit filio Regis miniſtros habere , qui deſerviant ei in adminiſtratione regiminis , quod ſibi a Patre eſt demandatum .

Dicimus II. Singulos cuſtodes Angelos a Deo deputari ſingulis hominibus, ſive parvulis, ſive adultis, ſive fidelibus, ſive infidelibus, ſive prædeſtinatis, ſive reprobis, ſive juſtis, ſive peccatoribus . Eſt communis non ſolum inter Theologos , verum quoque inter Catholicos ; non eſt tamen de fide ; quia nec Eccleſia hoc aperte definivit , nec unquam in Scripturis manifeſte legitur , nec de eo eſt unanimis Patrum ſententia . Attamen quum ex Scriptura colligatur, quum Patres majori ex parte eam doceant , quum Theologi in ipſa conveniant , temeraria eſſet propoſitio , quæ eidem adverſaretur . Unde aſſerit Eſtius : „ Valde probabile eſt , unumquenque hominem , præſertim fidelem & electum , habere deputatum ſibi peculiarem Angelum bonum, velut cuſtodem , ducem, ac directorem, inter tot pericula tam animi, quam corporis , quibus hæc vita plena eſt: Etenim id eſt Scripturis admodum conſentaneum , & ſententiis Patrum celebratum „ . In editione neapolitana anni 1720. apud Parrinos, in notis ſic legimus verbum illud, *valde probabile* , explicatum . „ Valde probabilem appellat ; quod non ita accipiendum eſſe cenſeo , uti a modernis moralibus Theologis, qui vulgo Probabiliſtæ audiunt, communiter explicatur ; itaut in utramlibet partem diſceptari poſſit : ſed eo ſenſu , quo Auguſtinus , & non ſemel S. Thomas , hoc nomen *Probabile* acceperunt ; nimirum ut rem probatam , & de qua prudenter dubitari non poſſit , ſignificet . Certe Dionyſius Petavius t. 3. theol. dog. lib. 2. de Angelis c. 4. *chriſtianum dogma* ; & num. 7. *Chriſtianorum Theologorum decretum* , eam ſententiam dicere non dubitavit „ . Eſt contra Calvinum, Magdeburgenſes , nuperum Heterodoxum & librorum plurimorum eruditione notiſſimum , Joannem Clericum, aliosque ejuſdem furfuris homines ; eſt etiam contra Magiſtrum ſententiarum, ut diximus .

I. Probatur ex Scripturis . Matth. 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris &c.* Non dixit Angelus eorum , ſed Angeli eorum: ergo ſinguli pueri illi ſingulos habebant cuſtodes Angelos. Actor. 12. Petro pulſante dicunt fideles: *Angelus ejus eſt*: ergo compertum illis erat, Petrum habere cuſtodem Angelum , qui Angelus ejus erat ; & ſic pariter credebant de cæteris hominibus. Judith 13. etiam dicitur: *Angelus ejus* . Et Geneſ. 48. Jacob loquitur dicens: *Angelus , qui eruit me de cunctis malis* : ergo erat Angelus ejus; hoc eſt peculiaris illius cuſtos a Deo deputatus.

II. Probatur ex Patribus . Hieronymus ſup. Matth. 18. ad verba illa : *Angeli eorum* : ſubdit : *Magna dignitas Animarum , ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum deputatum.* Et ad verba Eccl. 5. *Ne dicas coram Angelo : Non eſt providentia*; exponit: *Non enim in vento dicta tranſeunt , ſed a præſenti Angelo, qui unicuique adhæret comes , ſtatim perferuntur ad Dominum* . Baſilius lib. 3. cont. Eunomium: *Quod autem unicuique fidelium adſit Angelus , tanquam pædagogus aliquis , & paſtor vitam gubernans , nemo contradicat , qui Domini verborum meminerit dicentis : Ne contemnatis unum ex his puſillis; quoniam Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei , qui in cælis eſt* . Idem in Pſal. 48. *Cuilibet fidelium eſt Angelus aſſiſtens* . Chryſoſtomus in c. 18. Matth. *Hoc manifeſtum eſt , quia omnes Sancti Angelos habeant* . Origenes hom. 11. in Num. Ex illo Actorum 12. *Angelus ejus eſt* ; habet : *Ergo intelligitur eſſe & alius Pauli Angelus, ſicut eſt Petri ; & alius alterius Apoſtoli, & ſingulorum per ordinem* . Euſebius lib. 13. præpar. evang. *Angelum unicuique ad cuſtodiam divinitus datum* .

III. Probatur Rationibus . I. Si quilibet homo ſuum non haberet Angelum cuſtodem , vel ideo eſſet , quia unus cuſtos daretur pro omnibus hominibus, vel quia daretur pro duobus, aut tribus , aut quatuor &c. ; ſed neutrum dici poteſt : ergo &c. Probatur minor. Non poſſet dari duobus , aut tribus ; quia non poſſet eſſe comes , uti eſt Angelus cuſtos, duorum , vel trium ; ſi enim illi in diverſas ſe conferrent plagas , non poſſet Angelus ſeipſum multiplicare , ut eum iiſdem pergeret . Neque poſſet eſſe unus Cuſtos pro omnibus hominibus ; quia hic ſatis eſſet ad gubernandam ſpeciem , non vero ſingula individua ; quæ quidem ſingula, utpote animata , & rationalia, peculiari gubernatione , & cuſtodia indigent: ergo ſingulis dantur hominibus. II. Ratio Magiſtri Sententiarum eſt , quia plures ſunt homines , quam Angeli ; & proinde Angeli non ſufficerent ; ſed hoc eſt falſum; quia , ut ait Fraſſen, veriſimile eſt, quod in infima Hierarchia plures ſint Angeli , quam homines actu , & de facto exiſtentes;

tes;

Digitized by Google

tes; non eſt proinde neceſſitas, ut dicamus, unum Angelum plures homines cuſtodire. III. Hoc magis convenit magnificentiæ ac liberalitati Dei, quod plures Angelos mittat in cuſtodiam hominum, & in cujuslibet hominis tutelam Angelum ſuum peculiarem ac deſignatum. Deus enim in aula ſua non habet hanc Miniſtrorum penuriam, ut non poſſit ſingulis hominibus ſingulos adſignare cuſtodes. IV. hæc eſt differentia inter ſpeciem humanam, & ſpecies aliarum rerum, quæ intellectivæ non ſunt; quod pro unaquaque ſpecie unus ſatis eſt Angelus; pro humana ſpecie vero pro unoquoque individuo unus debet Angelus eſſe. Aliter facere, eſſet contra dignitatem humanæ naturæ ſupra cæteras materiales creaturas.

Probatur modo de Parvulis, & Adultis. I. Ex Hieronymo cit. loc. *Supra hoc unaquaque anima ab ortu nativitatis ſibi deputatum habet Angelum.* Ergo habet ab infantia, deinde habet in pueritia, poſtea in adoleſcentia; & ſic deinceps. II. Sive ut explicat & intelligit S. Thomas, quod loquatur Hieronymus de nativitate extra uterum, non intra uterum; ſive ut ſentiunt alii de nativitate intra uterum, & non extra; ſemper quidem, ſive extra uterum, ſive intra, infantes & parvuli Angelorum cuſtodia indigent. Et quidem intra uterum docet S. Anſelmus in Elucidario: *Unaquaque anima dum in corpus mittitur Angelo committitur.* Ulterius, poſtquam anima corpori unitur, ad ejus cuſtodiam, Angelo indiget. Et indiget ad multa, tum ut cuſtodiat corpus a contrariæ poteſtatis vexatione, tum ut anima tunc creata tunc etiam diſponatur ad bonum, tum ne moriatur, & baptiſmi beneficio privetur: Ergo etiam pro tempore illo Angelum habet. Quod ſi recurratur ad Angelum Matris, & dicatur, quod hic idem cuſtodiat puerum in utero ejuſdem exiſtentem, dicitur, quod Angelus matris cuſtodit illum quantum pertinet ad bonum matris; quantum vero ſpectat ad bonum pueri conſonum eſt, ut illum cuſtodiat Angelus, qui ipſius ſit cuſtos.

Probatur inſuper de Reprobis I. quia Reprobis datur auxilium ſufficiens ad ſalutem: ergo datur Angelus cuſtos. Probatur conſequentia. Cuſtodia Angelorum eſt auxilium ſufficiens ad ſalutem: ergo ſi datur unum, datur aliud. Probatur antecedens. Deus permittit Reprobos tentari a Dæmone: ergo debet illum defendere per Angelum, ad hoc ut det ei ſufficiens hoc auxilium ad reſiſtendum Diabolo II. quia etſi Angelus non perducat Reprobum ad vitam æternam, revocat nihilominus illum a plurimis peccatis, quæ committeret, ſi Angelus ei non aſſiſteret. III. quia ſi Deus permittit, quod Prædeſtinati habeant Dæmonem tentantem, permittit quoque, quod Reprobi habeant Angelum auxiliantem.

Probatur ſimiliter de Infidelibus, & Peccatoribus quibuſcunque. I. Quia de quocunque homine viatore, etſi infideli, etſi peccatore, poſſumus ſperare ſalutem uſque ad vitæ ſuæ finem: ergo ad hanc procurandam Angeli cuſtodia indiget. II. Quia ſi datur fidelibus, & juſtis, Dæmon tentans illos; ita etiam datur infidelibus, & peccatoribus, Angelus adjuvans eoſdem. III. Quia poteſt infidelis, vel peccator, evadere pejor per majora & & atrociora peccata: ergo ad impediendum illa datur Angelus cuſtos. IV. Quia SS. Patres Hieronymus, Bernardus, aliique, docentes, unumquemque hominem ſuum habere cuſtodem Angelum, non diſtinguunt inter fidelem, & infidelem, prædeſtinatum ac reprobum, juſtum & peccatorem.

Arguunt I. Pueruli nec poſſunt peccare, nec poſſunt mereri: ergo cuſtodiam Angelorum non habent. II. Verba illa pſal. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te*, dicta ſunt tantummodo juſtis: ergo peccatores non habent cuſtodes. III. Ex Chryſoſt. hom. 3. ſup. Coloſſ. t. fideles tantum homines, habent Angelorum cuſtodiam: ergo infideles non habent. Sunt Chryſoſtomi verba: *Olim congruentes numero Gentium erant Angeli, nunc autem congruentes numero fidelium.* IV. Ex Didymo apud Damaſcenum lib. 4. Parallel. c. 7. *Probi ac ſancti viri lucidos Angelos cuſtodes habent; mali autem tenebroſos.* V. Ex S. Baſilio in Com. in Iſai. ad verba illa: *Et auferam ſepem ejus &c.* ſcribente: *Fieri etiam poteſt Angelum ut cum unuſquiſque noſtrum habeat ſanctum, qui caſtra metatur in circuitu timentium Dominum, in peccatis deprehenſus, huic plagæ, quam minatur, fiat obnoxius, & muro privetur, hoc eſt ſanctarum virtutum tutela.* Et in Pſal. 3. *Cuique credenti in Dominum Angelus aſſiſtit, niſi forte nos ipſum improbis factis effugemus: nam ut apes fumus in fugam agit, & columbas malus odor abigit; ita vitæ noſtræ cuſtodem Angelum lacrimoſum, fœtidum peccatum*

tatum repellit; ergo ex Baſilio ſoli fideles,& ſoli juſti cuſtodes Angelos habent. VI. Unus homo multis regendis hominibus ſufficit: ergo unus Angelus multis hominibus cuſtodiendis ſat eſt. VII.Ex noſtra Concluſione ſequeretur, quod ſi ſinguli homines ſingulos habuerunt cuſtodes; ergo etiam Chriſtus ſuum habuit cuſtodem; hoc autem non eſt dicendum: ergo neque illud. VIII.Pariter ex noſtra aſſertione inferretur, quod etiam Antichriſtus ſuum habebit cuſtodem Angelum; ſed hoc dici non poteſt: ergo neque primum.

Reſpondemus ad I. quod quanvis pueruli pro tempore illo nec peccare, nec mereri poſſunt, quia rationis uſum non habent, poterunt tamen temporibus ſubſequentibus, quibus uſum habebunt. Unde cuſtodes Angeli illis proſunt, ſic eos illuminando, diſponendo, aptando, ut peccare vel nolint, vel rarius velint, in ætate illa, in qua valebunt peccare.

Ad II. quod per verba illa intelligitur quidem ſpeciale mandatum, datum a Deo Angelis, ut cuſtodiant homines juſtos; ſed non per hoc excluditur mandatum, iiſdem impoſitum, ut cuſtodiant peccatores, vel reprobos. Et quidem ſpeciale mandatum eſt pro juſtis, ut cuſtodiant eos in omnibus viis eorum; quia hoc mandatum de injuſtis verificari non poteſt, quum non omnes viæ eorum ita ſint rectæ, ut in iis poſſint illos Angeli eorum cuſtodire, protegere, & adjuvare.

Ad III. Chryſoſtomum intelligit Eſtius de peculiari & efficaci cuſtodia, qua homines ad æternam vitam dirigantur. Cæterum nunquam Chryſoſtomus aperte aſſeruit, infideles Angelorum cuſtodia carere. Et aliquando etiam dixit; fideles habere cuſtodes Angelos excellentiores: ergo non negat, quod infideles non habeant, ſed tantum inferri poteſt ex ipſo, quod cuſtodes habeant Angelos minus excellentes.

Ad IV. Intelligendus eſt Didymus de illis Angelis, quorum nutibus aſſentiunt viri boni, & viri perverſi. Lucidi quidem ſunt Angeli illi, quibus adhærent juſti, quia ſunt Angeli lucis; tenebroſi vero ſunt illi, quibus obediunt perverſi, quia ſunt Angeli tenebrarum.

Ad V. Baſilius in utroque loco loquitur de cuſtodiæ exercitio reſpectu hominum impiorum, quod ab iiſdem pravis eorum operationibus impeditur: Non autem loquitur de cuſtodia, quæ vere de illis a Deo demandata eſt Angelis. Hoc vero; quod dicit, Angelos elongari, abeſſe &c. intelligitur, quod locum non habeant in perverſis hominibus bonorum Angelorum hortamenta, & admonitiones; & proinde peccatores recedendo ab eis voluntate, faciunt, ut dicatur, Angelos ab ipſiſmet recedere, & abeſſe. Cæterum aliquando etiam Angeli a juſtis abeſſe dicuntur; ſed qua ratione, explicatur ab Ambroſio ad verba pſal.35. *Qui juxta me erant, de longe ſteterunt*, dicente: *Ne abhorreat myſticus pietatis affectus, ut pro Angelis dixerit, qui prætendunt timentibus Dominum, ut eripiam eos de tentationibus, quas ferre non poſſunt: quomodo ergo longe ſtant, qui in adjumentum ſunt attributi? Sed non illi ſe ſeparant, ſed qui urgetur tentationibus putat eos longe abeſſe, quos propius adeſſe deſiderat, & arbitratur diſſimulare, cum illi juvandi tempus nutu ſui Superioris expectent, qui athletam ſuum, quo glorioſius vinceret, diutius certare præcepit*.

Ad VI. reſpondet S. Thomas; deputari unum Angelum ad cuſtodiam unius hominis, quatenus hic eſt talis ſingularis homo, non vero prout eſt alicujus communitatis membrum, vel alicujus collegii pars. Nec mirum; quia etiam aliquando unus homo deputatur ad cuſtodiam unius hominis; & unus homo ad gubernium civitatis, vel provinciæ, vel regni. Addunt, quod Angelorum potentia eſt finita, & proinde major ubi eſt unita, & non diſperſa; & hinc colligitur dignitas animarum, quum ad quamlibet illarum totam unius Angeli virtutem Deus deputaverit.

Ad VII. Re vera Chriſtus Dominus cuſtodem Angelum non habuit, quia nunquam fuit homo viator, nos autem de hominibus viatoribus loquimur. Unde docet S.Bonaventura diſt. 11. q. 3. *Chriſtus non indigebat Angeli cuſtodia, nec ipſa eum decebat. Non egebat, quia adverſarius ejus nec poterat opprimere per violentiam corpus Divinitati unitum; nec poterat ſeducere per aſtutias intellectum a Verbo plenarie illuſtratum; nec poterat allicere per blanditias affectum plenitudine gratiæ confirmatum... Nec etiam ei competebat. Cuſtodia enim in cuſtodiente reſpectu cuſtoditi dicit præſidentiam quandam; & quia Angeli Chriſto Domino ſuberant, non præerant; ideo nec aliquod officium præſidentiæ ipſis Angelis reſpectu Chriſti committi debebat; & propterea nullus Angelus debuit deputari ad cuſtodiendum Chri-*

Chriſtum, ſed Angelorum multitudo debuit deputari ad ejus miniſterium.

Ad VIII. Antichriſtum habiturum quoque ſuum Angelum cuſtodem, docent S.Thomas, S.Bonaventura, & Alenſis, apud Fraſſen. Quod colligunt ex eo, quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri; unde nullum excipit, omnes comprehendit, etiam peſſimos, & conſequenter ipſum quoque Antichriſtum. Præterea, cuſtodia Angelorum eſt auxilium generale commune, quod nulli hominum denegatur; quanvis aliquibus quædam ſpecialia auxilia denegentur: igitur nec Antichriſto denegari debet.

Dicimus III. Angelos deputari ad cuſtodiam hominum propter ſex; quæ ſunt; increpare pro delictis, a peccatorum vinculis abſolvere, Dæmones coercere, obſtacula ad virtutem removere, orationes hominum offerre Deo, & mærentes conſolari. Enumerantur a S.Bonaventura, & referuntur, explicantur, ac probantur a Fraſſen.

Objiciunt I. Admittuntur cuſtodes Angeli pro aliis rebus præter homines; ſed cum aliis rebus non poſſunt hos effectus exercere: ergo vel verum non eſt, quod alias res cuſtodiant; vel falſum eſt, quod effectus illos exerceant. II. Dantur quoque cuſtodes regnorum, provinciarum, urbium, eccleſiarum, collegiorum &c. munus autem horum non intelligitur quale ſit, quum ſatis intelligatur præfata munia exerceri ab unoquoque ſingulorum hominum cuſtode. III. Beatiſſima Virgo vel habuit cuſtodem, vel non habuit? Si habuit; non potuit cū illa prædicta munera exercere; ſi non habuit; non ergo eſt verum, quod quilibet homo ſuum Angelum cuſtodem habeat. IV. Adam in ſtatu innocentiæ vel habuit pariter cuſtodem, vel non habuit? Si primum; non verificatur tertia concluſio: Si ſecundum; non verificatur ſecunda.

Reſpondemus ad I. Utique admittuntur cuſtodes Angeli pro aliis rebus. Docet enim Auguſtinus lib. 83. qq. quæſt. 79. *Unaquaque res viſibilis habet angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam*. Docet quoque Origenes c. 8. in Jeremiam: *Omnibus rebus Angeli præſident, tam terræ, & aquæ, quam aeri, & igni; ideſt principalibus elementis; & in hoc ordine pervenire ad omnia animantia, ad omne germen, ad ipſa quoque aſtra cæli.* Effectus autem illos non eſt neceſſe ut producant in omnibus rebus, ſed ſat eſt, ut producant in hominibus, propter quos res illæ conditæ a Deo fuerunt. Servant vero res illas propter homines, quibus etiam conſulunt in rerum illarum conſervatione.

Ad II. dicitur, quod effectus illos producunt in hominibus illis, quorum gubernio regna, provinciæ, urbes, & cætera ſubſunt. Angelus enim cuſtos perſonæ providet de iis, quæ ſpectant ad perſonam; Angelus vero cuſtos Eccleſiæ, providet de illis, quæ ad eccleſiam pertinent. Quod autem regna, provincias, eccleſias, &c. Angeli vere cuſtodiant, docet Origenes hom. 35. in Lucam: *Principibus, ideſt Angelis, ab exordio terra diviſa eſt*. Docet Theodoretus in c. 10. Danielis, ex Matth. 18. concludens: *Archangelis vero illud munus impoſitum, ut Gentium ſint præfecti*. Docet Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromat. *Per Gentes, & Civitates diviſæ ſunt Angelorum præfecturæ*.

Ad III. Beata Virgo, quia intrinſece non erat impeccabilis, ſed tantum extrinſece, ideo habuit quoque cuſtodem Angelum. S.Bernardus ep. 77. vult, fuiſſe Gabrielem Archangelum; qui, ut ait S.Ambroſius, *ipſam conſolabatur in anguſtiis, & divina ipſi mandata & arcana intimabat*.

Ad IV. De primis parentibus idem eſt judicium apud S.Bonaventuram, Alenſem, &c. Ratio eſt, quia in ſtatu innocentiæ habuerunt malum Angelum, qui eos tentavit; ergo etiam habuerunt bonum, qui eos adjuvit.

Dicimus IV. non habere hominem quemlibet Angelum malum, ſicut habet Angelum bonum. Eſt communis inter Theologos, quanvis unus aut alter contrarium afferat.

I. Probatur. Opinio, quæ noſtræ opponitur concluſioni, nullum habet fundamentum, nec in Scripturis, nec in Patribus: ergo non eſt admittenda. Antecedens patet; quia nulla teſtimonia afferuntur a tuentibus eam; & ſi qui Patres nominantur, eorum verba in reſponſionibus ad argumenta explicabimus. Sequitur conſequentia; in rebus enim, ut dicitur, de facto, & quæ a Dei voluntate pendent, nihil ex nobis poſſumus affirmare, niſi Scripturæ doceant, aut Patres.

II. Opinio hæc nititur Gentilium errori, quo credebant, quemlibet hominem habere duos genios, unum bonum, & alterum malum; cui etiam congruit Mahometanorum ſuperſtitio, qua credunt, ſingulis hominibus binos Angelos aſſiſtere,

unum a dextris, alium a ſiniſtris, quorum ille ſcribit benefacta, hic vero malefacta hominis illius; ut legitur in libro, cui titulus: *Doctrina Mahometi*; & refert Eſtius. Unde ex his idem Eſtius concludit, opinionem hanc de malo Angelo cuique homini adhærente, ſpectare magis ad fabulas falſarum religionum, quam in doctrina chiſtiana ſolidum habere fundamentum.

III. Scimus ex hiſtoriis ſacris plures Dæmones tentaſſe unum hominem; & ſcimus etiam aliquando Dæmones quibuſdam perverſis hominibus, qui culpas ſuas Dæmonibus imputabant, objeciſſe, ex ſemetipſis tantummodo periiſſe: ergo ſi vera ſunt exempla iſta; nec unus homo habet unum Dæmonem, ſed aliquando plures; nec ſinguli homines ſingulos Dæmones habent, quandoquidem homines interdum ita ſint peſſimæ voluntatis, ut abſque Dæmonis tentatione peccent, & ſine Dæmonis labore damnentur.

Obſtant I. Origenes hom. 12. & 13. ſuper Lucã opinionem noſtræ contrariam docuit: ergo habet fundamentum in Patribus. II. Caſſianus collat.8. c.17., & collat. 13. c.12. eandem ſequutus eſt doctrinam: ergo non eſt ſingularis. III. Magiſter Sententiarum eandem amplexus eſt ſententiam, & pro se citat S Gregorium Papam: ergo opinio defenſores habet Scholaſticos, & Patres.

Reſpondemus ad I. In humiliis illis, in quibus hanc tradit opinionem, multa alia tradere abſurda; unde non mirum ſi inter tot abſurda hoc etiam commentum inveniatur. De cætero Origenes illud a Platonicis didicit, & Chriſtianos docere conatus eſt; ſed in caſſum, quia cæteri Patres ei non adhæſerunt.

Ad II. In hoc errore, ſicut & in aliis, Caſſianum reprehendit S. Proſper lib. cont. Collatorem, hoc eſt cont. Caſſianum c. 27. Petavius aliter intelligit Caſſiani errorem, & Proſperi reprehenſionem, t. 3. theol. dogm. lib. 2. de Angelis c. 6. n. 9. Utitur Caſſianus, utitur & Origenes, aucturitate libri Paſtoris; ſed ex Hieronymo in prol. galeat. hic liber apocryphus eſt, & eum Gelaſius Pontifex inter apocrypha rejecit; ut legitur in c. ſancta romana Eccleſia diſt. 15.

Ad III. Verba illa, quæ dicit Magiſter eſſe Gregorii, apud Gregorium non inveniuntur; leguntur tamen in libro ſententiarum Hugonis a S. Victore; unde deceptus eſt Magiſter, credens habere pro se Gregorium, quum habuerit Hugonem, qui multum Gregorio eſt inferior.

DISSERTATIO CIL.

De Merito Angelorum: An meruerint; quid vero, & per quid meruerint?

ANgelos ab initio creatos non fuiſſe a Deo in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis, in Diſſertat. CXXXVIII. probavimus; hinc ſequitur illos ex proprio merito eam obtinuiſſe. Quod adeo certum & extra controverſiam eſt inter Theologos, ut contrariam opinionem Valentia temerariam dicat, & erroneam; Molina vero periculoſam in fide aſſerere non dubitet. Unde Vaſquez diſp.229. c. 1. n. 1. credat, vel neminem eam hactenus docere auſum fuiſſe, vel ſolum habuiſſe innominatos Auctores, quos Magiſter ſententiarum in II. diſt.5. c.ult. inſinuare tantum videtur. Pro certo igitur habentes Theologi de ſchola, fuiſſe in Angelis meritum, quærunt; an meritum fuerit duratione ac tempore præcedens; an ſubſequens; an duratione concomitans, & natura præcedens, beatitudinem? In qua quidem controverſia opiniones, quæ inter se diſcrepant, ſic noſtra conſueta methodo enumeramus.

Prima opinio eſt Magiſtri ſententiarum cit. loc. volentis, Angelos habuiſſe beatitudinem ex meritis ſubſequentibus; quam ſequitur Altiſiodorenſis, & probabilem cenſent Albertus, S. Bonaventura, & Major. Attamen Molina opinionem hanc judicat non ſatis tutam; & Eſtius aſſerit, eam talem eſſe, ut Scholaſtici omnes ſelectis erroribus annumerent.

Secunda opinio docet, Angelos meruiſſe beatitudinem per gratiam, qua confirmati ſunt; hoc ſcilicet pacto, ut fuerit ſimul præmium cum merito; itaut meritum nec præceſſerit, ſed ſubſequutum

fue-

Digitized by Google

fuerit. Hanc etiam opinionem, aſſerit Eſtius, placuiſſe S. Bonaventuræ, & Marſilio; immo etiam S. Thomæ in II. diſt. 5. & quodlibet. 9. ar. 8. Quanvis deinde S. Doctor ab hac opinione receſſerit, eamque refutavit in Summa 1. p. q. 62. ar. 4. in corp.

Tertia opinio eſt directe contraria primæ, & docet, Angelos non habuiſſe beatitudinem ex meritis ſubſequentibus. Et in ea conveniunt Doctor Angelicus, & Doctor ſubtilis; prior 1. p. q. 62. ar. 4., alter in 11. diſt. 5. q. 1. §. ideo tenetur. Et præter utriuſque ſcholæ aſſeclas eam quoque amplectuntur Amicus, Vaſquez, Eſtius &c. Immo aſſerunt Vaſquez, Molina, & Arriaga, quod neque etiam ſecundum diverſam providentiam Dei potuerunt Angeli habere beatitudinem ex meritis ſubſequentibus; quanvis potuerint ex talibus meritis habere aliquod beatitudinis augmentum.

Dividuntur ulterius Scholaſtici, qui conveniunt, quod ex meritis ſubſequentibus Angeli beatitudinem non habuerint, in hoc, quod diſputant, an merita præceſſerint tempore etiam, an vero ſolummodo natura? Et in hoc etiam hæc ſunt diverſorum opiniones.

Prima eſt illorum, qui docent, Angelos bonos non habuiſſe beatitudinem ex meritis præcedentibus tantum natura, ſed plene & conſummate meruerunt eam, tempore & duratione prius, quam receperint. Defenditur ab Eſtio, Joanne a S. Thoma, Gonero, Vaſquez, Amico, Lugo, Cacherano, &c.

Secunda vero defendit præceſſionem meritorum natura tantum, & non tempore. Tribuitur S. Bonaventuræ, Ægidio, Richardo, Alberto, Cajetano, &c. Non conveniunt tamen hi omnes in explicandi modo; ideoque inter ſe acrius digladiantur. His prænotatis

Dicimus I. Angelos meruiſſe.

I. Probatur ex Scripturis. Ad Hebr. 1. *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrà, dixit: Adorent omnes Angeli ejus.* Hæc autem adoratio in Angelis fuit meritum, quia erant in via, & propterea credebant, quod adorabant: Unde habuerunt etiam meritum fidei, ſpei, charitatis, & virtutis religionis, quam in adoratione exercuerunt. Apocalyp. 21. *Menſura hominis, quæ eſt Angeli*; quæ verba, ut ait Fraſſen, quidam interpretantur, quod eadem ratione Deus ſe habeat erga homines, ac ſe habuit erga Angelos in danda illis gloriam; & quia hominibus dabit poſt merita præcedentia, ita etiam dedit Angelis.

II. Probatur ex Patribus. Auguſtinus lib. 4. de Geneſ. ad lit. c. 24. *Angelos beatitudinem conſequutos, quia omnia ſua ad Dei gloriam retulerunt.* Et lib. de correption. & gratia c. 11., de primo homine loquens: *Noluit permanere; profecto ejus culpa eſt; cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet. Sicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis mercedem recipere meruerunt; tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit ſemper, ſe in illa eſſe manſuros.* Et lib. de dono perſeverantiæ c. 7. *Diabolo cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt.*

III. Probatur Rationibus: I. Beatitudo eſt finis creaturæ rationalis; at non eſt finis conſequendus per operationem, quam dicunt factivam: ergo eſt conſequendus per operationem, quam dicunt meritoriam. Explicatur argumentum. Diſtinguit Scotus duplicem operationem, quæ ducat in finem; alteram vocat factivam finis, & eſt quando finis non excedit virtutem operantis propter finem; aliam nominat meritoriam finis, & eſt quando finis excedit virtutem operantis propter finem; & aſſerit, quod tunc finis expectatur ex dono alterius. Negari igitur non poteſt, quod beatitudo ſit finis creaturæ rationalis; negari inſuper non poteſt, quod beatitudo excedat omnem naturam creatam; ſequitur ergo, quod quum eam non poſſit Angelus conſequi per operationem effectivam, per meritoriam conſequatur. II. Eadem capacitas conſequendi beatitudinem eſt in homine, & in Angelo: ergo ſicut homo conſequutus eſt eam per propria merita, ita etiam per propria merita conſequutus eſt Angelus. Conſequentia probatur. Angeli ſunt aptiores ad merendum, quam homines: ergo a fortiori Angeli per merita conſequuti ſunt. Inſuper; Homines ſunt infirmi, & imbecilles, & tamen illis non datur gloria ſine merito: ergo a fortiori nec dabitur Angelis. III. Angeli acceperunt beatitudinem a Deo, ſed non acceperunt ab initio creationis: ergo acceperunt poſt tempus viæ; atqui in via meruerunt: ergo beatitudinem meruerunt. Probatur minor ſubſumpta. Via

eſt

eſt locus & tempus pugnæ, & laboris; terminus deinde eſt ſtatus victoriæ & quietis: ergo in via meruerunt, & meruerunt beatitudinem, quam in termino obtinuerunt.

Dicimus II. Angelos meruiſſe & obtinuiſſe, non per merita ſubſequentia, nec concomitantia, ſed præcedentia, non ſolum natura, verum quoque duratione.

I. Probatur. Homo conſequitur beatitudinem per merita præcedentia: ergo pariter Angelus. Probatur conſequentia. Conveniunt homines, & Angeli, in multis, quæ beatitudinem reſpiciunt, tam in conſequutione, quam in conſervatione, ipſius: ergo convenient etiam in hoc. II. Intantum Adverſarii dicunt, quod per merita ſubſequentia conſequuti ſint Angeli beatitudinem, quia aſſerunt, merita Angelorum eſſe obſequia, quæ hominibus præſtant in cuſtodia, quam de illis habent; ſed hoc eſt commentum Hæreticorum: ergo &c. Probatur minor. In antecedenti Diſſertatione diximus, hunc fuiſſe errorem Origenis; contra quem omnes Theologi clamant; tum quia nunquam conſuevit Deus dare præmia antecedenter ad merita; tum etiam, quia cuſtodia Angelorum non eſt cauſſa meritoria beatitudinis Angelorum, ſed illius eſt effectus; quum procedat ex illorum charitate, quæ in illo ſtatu perfecta eſt in illis; quod mox in 4. concl. videbimus. III. Neque poteſt dici per merita concomitantia; quia vel eſſet idem actus meriti, & præmii, vel eſſent duo actus diſtincti: Non idem actus, & probatur ſic a S. Thoma: Hic actus ut ſit meritorius debet eſſe gratia informatus, & gratia quidem imperfecta, quæ eſt principium merendi; ut vero ſit præmii, debet eſſe cum gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi; atqui nequeunt ſtare in uno eodemque actu gratia imperfecta, & perfecta: ergo &c. Nec diſtincti actus; quia ſi non poſſunt eſſe ſimul in eodem gratia perfecta & imperfecta, & ideo non poſſunt eſſe ſimul meritum & præmium; hæc repugnantia non minus habet locum reſpectu unius actus, quam duorum actuum, dummodo ſint in eodem ſubjecto: ergo æque implicant merita illa concomitantia reſpectu unius actus, quam reſpectu duorum.

Dicimus III. Angelos meruiſſe augmentum gratiæ ſanctificantis, & beatitudinem ſupernaturalem.

I. Probatur. Sicut modo viator eſt homo, ita & tunc viator fuit Angelus; ſed homo, qui eſt viator per actus ordinis ſupernaturalis meretur augmentum gratiæ ſanctificantis, & beatitudinem ſupernaturalem: ergo pariter meruit Angelus, qui erat viator. II. Angeli in ſtatu viæ meruerunt, quod conſequuti ſunt in termino; atqui in termino conſequuti ſunt beatitudinem ſupernaturalem: ergo eam etiam in ſtatu viæ meruerunt. III. Tam augmentum gratiæ ſanctificantis cadit ſub meritum, quam ipſa ſupernaturalis beatitudo: ergo utrunque Angeli meruerunt. Probatur conſequentia. Angeli erant in ſtatu merendi, quia erant in via; augmentum gratiæ ſanctificantis, & beatitudo ſupernaturalis, cadebant ſub meritum: ergo utrunque merebant.

Dicimus IV. Angelos non meruiſſe per obſequia, quæ Deo circa homines exhibituri erant; ſed per ſuos ſupernaturales actus tunc temporis elicitos.

I. Probatur. Si Angeli meruiſſent per obſequia, quæ Deo circa homines exhibituri erant, a termino perveniſſent ad viam; ſed hoc eſt implicans, & abſurdum: ergo & illud. Minor patet; quia via eſt medium, per quod pervenitur ad terminum. Sequela probatur. Obſequia illa nondum erant, & tamen erant loco viæ; beatitudo jam ab Angelis ſupponebatur acquiſita, & tamen erat terminus: ergo a termino perveniſſent ad viam. II. Obſequia illa, ut dictum eſt, procedunt ex charitate perfecta: ergo procedunt ex beatitudine: ergo non cauſſant beatitudinem. Prima conſequentia patet; quia charitas perfecta eſt principium fruitionis, ut diximus: ergo beatitudinis. Secunda conſequentia ſequitur. III. Sancti homines vita functi etiam exercent hujuſmodi actus charitatis orationibus præcipue ſuis circa homines; & tamen non per illos beatitudinem conſequuntur: ergo pariter Angeli. Probatur conſequentia. Ideo Sancti homines per illos actus beatitudinem non conſequuntur, quia actus illi non poſſunt habere rationem meriti reſpectu præmii eſſentialis, qualis eſt beatitudo ſupernaturalis; ſed hoc non minus verificatur reſpectu hominum, quam reſpectu Angelorum: ergo &c.

Arguunt contra præfatas omnes Concluſiones. I. Angeli habuerunt majus meritum, quam habent homines; ſed majus meritum non potuerunt acquirere per breviſſimum inſtans: ergo meritum ipſorum

ſorum

ſorum non fuit præcedens, ſed ſubſequens ipſorum beatitudinem. II. Obſequia hæc, quæ exhibent Angeli Deo circa homines, eſt meritum in ipſis; at nullum meritum apud Deum eſt ſine præmio: ergo obſequia illa habuerunt præmium; non ſubſequens: ergo præcedens. III. Nulla difficultas fuit in Angelis in proſequendo bonum: ergo nullum meritum fuit in ipſis. Sequitur conſequentia; non enim poteſt eſſe meritum ſine labore merentis in ſuperanda difficultate, quæ ipſi opponitur, quando operatur. Antecedens etiam patet; quia natura angelica non erat ut eſt natura humana, infirma, debilis, & ſaucia per peccatum; & quæ proinde magnam experitur difficultatem in bono, quod operatur, vel proſequitur. IV. Si Angeli tunc meruerunt, maxime meruerunt per actus fidei erga myſteria revelata; ſed hæc myſteria non fuerunt illis tunc revelata: ergo per actus fidei non meruerunt. Probatur minor ex Apoſtolo ad Epheſ. 3., & 1. ad Timoth. 3. docente, myſterium Incarnationis fuiſſe abſconditum a ſeculis in Deo, & per Eccleſiam, & Evangelium innotuiſſe Principatibus, & Poteſtatibus in cœlo. V. Angeli non cognoſcebant Chriſtum, quando in cœlus aſcendebat: ergo non habebant fidem de myſterio Incarnationis ejus. Probatur antecedens. Pſal. 23. dicebant Angeli: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et Iſaiæ 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de bosra?* VI. Cognitio, quam habebant Angeli, erat evidens: ergo non erat per fidem; hæc enim non eſt evidens. VII. Nullum eſt aſſignabile tempus, quo potuerint Angeli mereri: ergo vere Angeli non meruerunt. VIII. Merendi tempus eſt in via; ſed Angeli nunquam fuerunt in via: ergo non meruerunt.

Reſpondemus ad I. diſtinguendo minorem; non potuerunt Angeli acquirere meritum extenſive majus per breviſſimum inſtans, conceditur; intenſive majus, negatur. Præmio non tantum reſpondet meritum majus extenſive, hoc eſt per plura opera, & longo temporis intervallo acquiſitum; ſed etiam meritum intenſive majus, ſcilicet perfectius, & præſtantius, vel ratione principii, vel ratione objecti, vel ratione perfectionis actus; quale fuit meritum Angelorum. Hoc autem potuit etiam per breviſſimum inſtans acquiri.

Ad II. aliqui dicunt, quod per obſequia illa non merentur Angeli beatitudinem eſſentialem, ſed tantummodo beatitudinem accidentalem; alii vero ſentiunt, quod neque accidentalem beatitudinem mereantur, quia non ſunt in ſtatu merendi, quum non ſint in via, ſed in termino. Sicut ergo per aſſiſtentiam, quam Deo faciunt in cœlo, nihil merentur, ita per miniſteria, quæ exercent in terra; adimplent tantummodo quique officia illis a Deo impoſita; & in adimpletione illorum gaudent, & lætantur; quod ſi hæc dicatur beatitudo accidentalis, hanc habent quidem ex Dei diſpoſitione, ſed non merentur.

Ad III. diſtinguit Scotus antecedens: Nulla difficultas fuit in Angelis in proſequendo bonum, quia non habebant ſenſibilem inclinationem ad oppoſitum, conceditur; quia non habebant proportionem ad objectum, ad quod tendere debebant, negatur. Explicatur diſtinctio. Difficultas ad bonum duplex eſt, una quæ provenit ex inclinatione voluntatis ad oppoſitum, altera, quæ oritur ex excellentia operis excedentis naturam operantis. Prima difficultas non fuit in Angelis, fuit autem ſecunda.

Ad IV. plerique reſpondent, ex Apoſtolo etiam ad Heb. 1. haberi, quod Angeli agnoverunt Incarnationis myſterium ab ejus initio, & Chriſtum in ipſo ejus conceptionis, vel nativitatis puncto, adorarunt. Alia autem Apoſtoli verba intelligenda ſunt de cognitione intuitiva ejuſdem myſterii, quam tunc Angeli non habuerunt, quum cognoverint eam tantum per fidem.

Ad V. dicimus cum Auctore libri de cœleſti Hierarchia c. 4. *Divinum etiam humanitatis Jeſu myſterium Angelis primum patefactum eſſe video; deinde per eos ad nos cognitionis beneficium pervenit*. Et cum S. Auguſtino lib. 7. de civit. Dei c. 32. *Ab exordio generis humani Incarnationis myſterium fuiſſe Angelorum miniſterio prænuntiatum, & præfiguratum.* Interrogationes autem illæ vel Davidis, vel Iſaiæ, ſunt qui dicunt, quod ſint interrogationes Prophetarum, non Angelorum; vel ſi Angelorum, non ſunt Angelorum ignorantium, ſed admirantium.

Ad VI. diſtinguitur antecedens: Cognitio, quam habebant Angeli, erat evidens, ex parte atteſtantis & revelantis, conceditur; quatenus Angeli evidenter cognoſcebant, revelationem ſeu manifeſtationem myſteriorum a Deo fieri: Ex parte

rei revelatæ, negatur. Non repugnat autem fidei evidentia ex parte atteſtantis; quatenus nos quoque evidentiam habemus de eo, qui nobis aſſerit eſſe Americam, & tamen Americam eſſe credimus, & non evidenter ſcimus.

Ad VII. ut reſpondeamus, explicare oportet durationem viæ Angelorum. Diſtinguunt in hac explicanda Theologi inſtantia noſtri temporis, & inſtantia angelica; illa enim indiviſibilia ponunt, hæc vero diviſibilia, & pluribus temporis inſtantibus æquivalentia. S. Thomas duo tantum inſtantia Angelis concedit; unum, quo creati ſunt in gratia, & meruerunt; alterum, quo boni acceperunt eſſentiale præmium æternæ beatitudinis, & mali ſupplicium æternum. Magiſter ſententiarum diſtinguit tria inſtantia; unum, quo Angeli creati fuerunt beati in puris naturalibus; ſecundum, quo juſti meruerunt, & mali peccarunt; tertium, quo omnes fuerunt in termino, boni in beatitudinis, mali autem in tormentorum termino. Scotus inſuper tria inſtantia ponit, non quidem indiviſibilia, ut dicebatur, ſicut inſtantia noſtri temporis; in quorum primo vult Angelos fuiſſe creatos, & accepiſſe naturam, & gratiam ſantificantem, & Creatori per amorem caſtum adhæſiſſe; etiam in inſtanti illo meruiſſe ratione amoris illius, ſed in merito non omnes ſtetiſſe. In ſecundo vero inſtanti addit, fuiſſe factam diſcretionem inter bonos, & malos, perſeverantibus bonis in merito, malis autem in perduellionem, & culpam ruentibus. In tertio denique inſtanti ſubdit, conſummatam eſſe diſcretionem illam, quia boni fuerunt beatificati, mali vero damnati. Quæcumque eligatur ex his opinionibus, ſemper habetur ſufficiens temporis morula, in qua Angeli meruerunt. Et hoc ſat eſt ad reſponſionem propoſito argumento dandam.

Ad VIII. Nemo Theologorum dixit, Angelos nunquam fuiſſe in via; ſolummodo inter ipſos dubitatur, quandiu Angelorum via duraverit. Et re vera, ut ait Fraſſen, res eſt incerta; quia aliqui volunt, Angelorum viam fuiſſe primam diem creationis mundi; alii ſentiunt fuiſſe ſecundam diem; alii etiam putant fuiſſe omnes ſex dies creationis; quia Deus poſt illas ſex vidit omnia, quæ fecerat, & erant valde bona: ergo non adhuc inter illa erant Angeli mali, quia aliter non fuiſſent cuncta valde bona. Verum recentiores Theologi conveniunt omnes, Angelorum viam breviorem valde fuiſſe illa, quam induxerunt in citatis tribus opinionibus veteres Scholaſtici; & hoc probant, tum ex multitudine auxiliorum, quæ fuerunt Angelis data; tum ex perfectione angelicæ naturæ in cognoſcendo, & in aſſentiendo, vel diſſentiendo; tum denique ex præſtantia præmii illis propoſiti; quæ omnia breve tempus in Angelorum via requirebant. Utut autem de hoc ſit, certum nobis eſt, quod ex omnium Theologorum, tum veterum, tum recentium conſenſu, Angeli habuerunt viam; quod pariter nobis ſufficit, ut ſufficientem propoſito argumento demus reſponſionem.

DISSERTATIO CL.

De Adoratione, & Invocatione Angelorum. Hæreſes, earunque Auctores, enumerantur, ac profligantur. Catholica veritas explicatur, ac defenditur.

PRIMO enumeramus Hæreticos illos, qui ſecundo ineunte ſeculo, ſub Severo Imperatore, & Victore I. Romano Pontifice, floruerunt, & Angelici dicti ſunt. Originem nominis plerique repetunt, quia etſi idololatriam abominarentur, & unum Deum dicerent ſolum & unice eſſe colendum; Angelos nihilominus etiam cum Deo ipſo adorabant. Alii putant, illos ſic dictos, quia ipſorum aliqui, mundum ab Angelis factum fuiſſe, crediderunt. Sunt etiam qui volunt, ita appellatos fuiſſe, quod ſe ipſos in Angelorum ordine ſcriberent, & angelicam vi-

tam

ram degere, gloriarentur. Denique non pauci ab Angelina nomioatos credunt, qui locus eſt ultra Meſoporamiam ſitus, & in quo primum orti ſunt. Re vera Epiphaoius hæreſ. 60. fatetur, ſe hujus nominis cauſſam ignorare. S. Auguſtinus lib. de hæreſ. c. 39. hanc hæreſim memorat, eamque aſſerit non diu, ſed brevi, & ad modicum ſteriſſe. Aonatus denique in apparatu c. 2. lib. 7. ſcribit, hos hæreticos fuiſſe Philoſophos illos, ſive Platonicos, ſive alios, qui docendo, mundum ab Aogelis conditum, Coloſſeoſibus, qui Chriſto nomen de recenti dederanr, ſuperſtitioſam Angelorum religionem ſuadere cooabaorur. Unde illis imponebaor, *colendos ac venerandos eſſe Angelos, ut mediatores inter Deum, & homines, & non Chriſtum Dei Filium*. Subdit quoque, cootra hos ſcripſiſſe Apoſtolum in ſua ep. ad Coloſs. c. 2. n. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam*; & o. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum*. Explicans ſcilicer verba hæc:
,, Seu in errore, & ſuperſtitiooe de inde-
,, bite colendis Angelis. Hoc eſt, *videte, ne*
,, *quis volens*, ideſt hæreticus, ſeu propria
,, voluorate & electione ambulans, *ſeducat*
,, *vos*, in hac falſa Angelorum religione
,, ſponte excogitata, & ſiia in humili &
,, ſuperſtitioſo geſtu ſe proſternendi, &
,, adorandi Angelos, ut mediatores, loco
,, Chriſti Filii Dei unigeniti, & mediato-
,, ris unici, juxta illud ejuſdem Pauli 1.
,, ad Tim. c. 2. v. 5. diceoris: *Unus enim*
,, *Deus, unus & mediator Dei & hominum,*
,, *homo Chriſtus Jeſus*. ,,

Secundo enumerandi ſunr Hæretici quidam a Laodicæna Synodo II. can. 37. damnati, qui ſuſcitaores Angelicorum errorem, Angelos adorabant in Chriſti Domini contemptum. Hi vero non a Philoſophis, ſed a Judæis dicebatur, quod ortum accepiſſet; quia Judæi Angelos adorabant, quod per eos legem accepiſſent. Dicebant inſuper, Angelos eſſe mediatores inter Deum, & homines, cum Jeſu Chriſti excluſiooe. Refert Theodoretus ad c. 3. ep. ad Coloſs.

Tertio poſſunt etiam enumerari Origenes, Euſebius, aliique apud Peravium, qui propter præſidentiam, quam Angeli habent regnorum, eos quaſi Numina illarum regionum reputabaor; & in hoc convenire videbantur cum Gentilibus, quatenus in illorum Diis videbantur Angelos agnoſcere. Sicque aliquo modo noo colebaot illos ut miniſtros, ut vere ſunt colendi, ſed ut Principes regnorum illorum, & ut Gentiles dicebant, fortaſſis veluti Dii ſecundarii.

Quarto loco enumerandus eſt Calvinus, qui lib. 1. inſtit. c. 14. §. 12. dixit ex adverſo: *Valeat Platonica illa Philoſophia de quærendo per Angelos ad Deum aditu, & ipſis in hunc finem colendis, quo Deum faciliorem nobis reddant, quam ſuperſtitioſi curioſique homines conati ſunt in religionem noſtram ab initio invehere, & in hanc uſque diem perſeverant*. Et ad cap. 24. Geneſ. verſ. 33. *Angeli non ideo nobis conſtituti benedictionum Dei miniſtri, ut a nobis invocentur, vel Dei cultum in ſe transferant*. Et ad cap. 2. Epiſt. ad Coloſs. *Omnem cultum Angelorum a Paulo prohibitum eſſe*.

Quinto VVolffangus Muſculus in locis communibus de oratione, hæc habet: *Eſto orent pro nobis Sancti, ex eo ne ſequitur, eſſe illos invocandos, dicendumque ad eos;* Sancte Gabriel, Saocte Michael &c. Ora pro nobis? *Poſſunt ne omnium neceſſitatum noſtrarum eſſe gnari?* Et in commeotariis in pſal. 33., & in c. 18. Matth. oegat aperte, & ex profeſſo, ſanctos Angelos coleodos, & invocandos eſſe.

Sexto adoumerantur a Coccio lib. 4. de Angelis ar. 4. Eraſmus Sarcerius, in methodo in præcipuos Scripturæ locos c. de Angelis. Bartholomæus VVeſtemerus ad pſal. 33. Oecolampadius ad c. 6. Iſaiæ. Bullingerus ad c. 19. Apocal. Rodolphus Gualtherus hom. 9. in Lucam. Auguſtious Marloratus ad cap. 19. Apocal.

Catholica autem veritas eſt, Angelos adoraodos ac invocandos eſſe, non quidem ut adoratur, & invocatur Deus, ſed ut adorantur, & iovocantur Saocti, cum Deo regnantes.

I. Probatur ex Scripturis. Geneſ. 19. 1. *Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidiſſet eos, ſurrexit, & ivit obviam eis; adoravitque pronus in terram, & ait: Obſecro, Domini, declinate in domum pueri veſtri*. Num. 22. 31. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio; adoravitque eum pronus in terram*. Joſue 5. 13. *Cum eſſet Joſue in agro Urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem glaudium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Do-*

mini, & nunc venio. Cesidit Joſue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas ſanctus eſt. Fesitque Joſue ut ſibi fuerat imperatum. Zachariæ 1. 12. *Reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum uſque quo tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es; iſte jam ſeptuogeſimus annus eſt? Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba sonſolatoria.* Tobiæ 12. 12. *Dixit Angelus ad Tobiam: Quando orabas cum lacrimis, ergo obtuli orationem tuam Domino.* Job. 5. *Vota ergo, ſi eſt qui reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum converte.* Ubi nomine Sanctorum Angelos intelligit Auguſtinus. Et c. 33. *Si fuerit Angelus loquens pro eo unus de millibus, miſerebitur ei, & dicet: Libera eum, ut non deſcendat in corruptionem.*

II. Probatur ex Conciliis. Nicænum II. Concilium generale VII. Act. 3. & 6. *Cum Dei timore omnia agamus, poſtulantes interceſſionem intemeratæ Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ, item Angelorum, omniumque Sanctorum.* Conſonat Eccleſiæ praxis, quæ in Canone Miſſæ poſt conſecrationem quotidie Angelos, vel Deum per Angelos, rogat: *Supplices te rogamus, Omnipotens Deus, jube, hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ &c.*

III. Probatur ex Patribus. Chryſoſtomus de incomprehenſibili Dei natura hom. 3. cont. Anomæos: *Rogant pro genere humano, quaſi dicant: Pro his, Domine, rogamus, quos tu adeo dilexiſti, ut pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares; pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem; pro his oramus, pro quibus corpus tuum immolaſti.* Anaſtius Synaites lib. 1. Hexameron, *Supernæ Poteſtates valde & vehementer defendunt, diligunt, ac protegunt, humanum genus, & pro eo orant, & intercedunt: quoniam per nos dignati ſunt videre, quod per ſe non potuerunt.* Hilarius in pſal. 129. *Sunt ſecundum Raphaelem ad Tobiam loquentem Angeli aſſiſtentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes . . . Interceſſione horum non natura Dei eget, ſed infirmitas noſtra. Miſſi enim ſunt propter eos, qui hæreditabunt ſalutem. Deo ex his, quæ agimus, nihil ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogandum ac promerendum ſpiritualis interceſſionis miniſterio indigente.* Hieronymus ad c. 10. Danielis, ad verba illa: *Nemo eſt adjutor meus in his omnibus, niſi Michael Princeps veſter, inquit: Ego ſum Angelus ille, qui offero Deo orationes tuas, & nullus eſt alius, qui adjutor meus ſit, rogandi pro vobis Deum, niſi Michael Archangelus, cui creditus eſt Populus Judæorum.* Auguſtinus ep. 120. ad verba: *annuntiabitur Domino generatio ventura:* ſcribit: *Non ſic accipiendum eſt, tanquam neſcienti aliquid annuntietur, ut ſciat, ſed ſicut annuntiant Angeli non ſolum nobis beneficia Dei, verum etiam illi preces noſtras.* Bernardus ſer. 12. in pſal. 90. *Adſunt igitur, & adſunt tibi, non modo tecum, ſed etiam pro te adſunt, ut protegant; adſunt, ut proſint. Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi? . . . Simus ergo devoti, ſimus grati tantis Cuſtodibus, redamemus eos, honoremus eos, quantum poſſumus, quantum debemus.*

IV. Probatur Rationibus I. Angeli boni jam ſunt in gratia confirmati, & Dei beatifica viſione fruuntur: ergo merito a fidelibus adorantur: Non quidem adoratione, quæ Deo debetur, & Latria dicitur: ergo adoratione, quæ datur Sanctis, & Dulia vocatur. Prima conſequentia ſequitur ex ratione, qua Sancti adorantur in Eccleſia, quando eos Eccleſia declarat, cum Deo in cœlo regnare, in quo in gratia ſunt confirmati, & beatifica Dei viſione fruuntur. II. Angelus ſaltem Cuſtos offert Deo orationes noſtras: ergo orat pro nobis: ergo recte a nobis invocatur. Antecedens eſt certum; quia hoc eſt unum ex præcipuis cuſtodiæ muneribus; conſequentia ſequitur; quia non eſt credibile, ut non oret pro nobis, quando orationes noſtras Deo offert, & cum illis ſuas etiam non adjungat orationes. III. Angeli in Verbo vident indigentias noſtras, ſicut Sancti etiam vident: ergo non deeſt illis ſcientia eorum, pro quibus orare habent; amant etiam impenſe homines, præcipue qui juſte vivunt; acceſſum inſuper ad Deum habent, ut poſſint pro nobis fiducialiter intercedere. Quæ tria ſi concurrant ſemel in Angelis, cognitio, amor, & facilitas acceſſus ad Regem; non eſt cur dubitemus, an Angeli pro nobis orent in cœlo ad Deum. Quod ſi orant; recte invocantur; quod ſi invocantur, rite etiam adorantur. IV. Angelus Cuſtos, qui nobis præſto eſt, videns tentationes, quibus urgemur, & percipiens clamores, quos dirigimus ad eum, ut pro nobis ad Deum inter-

Digitized by Google

intercedat; nemo credat, ut pro nobis Deum non oret; & eo magis, quod hoc etiam ſpectat ad ſibi impoſitum cuſtodiæ officium: Unde S. Bernardus ſer. 12. in pſal. *Qui habitat*, nos exhortatur: *Quoties ergo graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem Angelum tuum, Doctorem tuum, Adjutorem tuum in opportunitatibus, & tribulationibus; inclama eum, & dic: Domine, ſalva nos; perimus*.

Arguunt I. Apoſtolus ad Coloſs. 2. prohibet dari Angelis ſacrum & religioſum quemcunque cultum: ergo Angeli non ſunt adorandi. Probatur antecedens per verba Apoſtoli: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*. II. Laodicæna Synodus can. 37. prohibet etiam Angelos adorare: ergo ſuperſtitioſa eſt quæ datur Angelis adoratio, & Eccleſiæ canonibus oppoſita. III. Ex Theodoreto exponente verba Apoſtoli ad Coloſs. 3. *Omnia in nomine Domini Jeſu facite*, & dicente: *Hanc legem ſequuta Laodicena Synodus, ut veteri illi morbo remedium afferret, decrevit, non eſſe ſupplicandum Angelis, neque derelinquendum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. IV. Deus non indiget miniſterio Angelorum, ut ſciat orationes noſtras; neque exigit preces Angelorum, ut ſuccurrat neceſſitatibus noſtris; ſat enim per ſeipſum, & eſt infinite ſapiens, ut omnia cognoſcat, & infinite providus, benignus, ac miſericors, ut omnibus, & in omnibus ſuccurrat: quum ergo Angeli nihil pro nobis præſtare poſſint apud Deum, fruſtra a nobis invocantur. V. Solum Angelum Cuſtodem noſtrum adorare, & invocare debemus, & non alios Angelos, quia ille ſolus orat pro nobis: ergo cæteri Angeli non ſunt a nobis colendi, & obſecrandi. Antecedens eſt doctrina Alenſis, qui p. 4. q. 26. ar. 4. §. 2. docet: *Unicuique noſtrum Angelus bonus adeſt, qui regat, moneat: qui pro actibus noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis, faciem Dei quotidie videat*. VI. Leo magnus ſer. 5. de Epiphania c. 4. amicitiam nobis habendam imponit cum Angelis, non vero adorationem; dicit enim. *Confirmate amicitias cum ſanctis Angelis*: ergo non ſunt vere a nobis Angeli adorandi, quanvis ſint amandi.

Reſpondemus ad I. cum Chryſoſtomo hom. 6. in c. 2. ad Coloſ. explicante verba illa Apoſtoli in argumento allata, & ſcribente: *Quid ſibi omnino volunt iſta verba? Erant nonnulli dicentes: Non oportet nos per Chriſtum aditum habere ad Deum, ſed per Angelos; illud enim captum noſtrum ſuperat*. Et hinc Apoſtolus inculcare pergebat, de Chriſto loquens: *Per ſanguinem crucis ipſius reconciliati ſumus, & pro nobis paſſus eſt*.

Ad II. aſſerimus verba can. 37. Laodicænæ Synodi, quæ hæc ſunt: *Non oportet Chriſtianos Eccleſiam Dei relinquere, & ire, atque Angelos nominare, atque Congregationes facere, quæ interdictæ noſcuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ inſerviens, ſit anathema, quia reliquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei, & ſe idololatriæ tradidit*. Ex quibus patet, per Concilium non prohiberi omnem cultum Angelis, ſed ſolum illum, quem in contemptum Domini noſtri Jeſu Chriſti Angelis Hæretici illi offerebant, quem nos quoque damnamus.

Ad III. Theodoreto opponimus Theodoretum, ſeu melius Theodoretum per Theodoretum explicamus. Ait Theodoretus cit. loc. *Pertinere hæc ad quorundam hæreſim, qui tanquam humilitate ducti, eum afferebant inviſibilis univerſorum Deum nec attingi, nec comprehendi poſſit, oportere per Angelos divinam ſibi conciliare benevolentiam*. De his autem Hæreticis idem Theodoretus ait: *Morbus hic in Phrygia, & Pyſidia longo tempore hæſit; cujus gratia Synodus apud Laodicæam, Phrygiæ oppidum, habita lege voluit Angelos orare, hodieque oratoria S. Michaelis apud illos & eorum finitimos videre licet*. Unde Theodoretus nunquam intendit damnare quemcunque cultum Angelis exhibitum, ſed illum dumtaxat, quem hæretici illi admittebant, & quem Laodicæna Synodus damnaverat. Tempore quoque Theodoreti fuiſſe oratoria in honorem S. Michaelis, & Angelorum, teſtatur Sozomenus lib. 2. c. 3., qui æqualis tempore eidem Theodoreto fuit; quod etiam confirmat Nicephorus lib. 7. c. ult.

Ad IV. Nec Angelos, dicimus, nec Sanctos, orare pro nobis ad Deum, quod Deus aut neſciat neceſſitates noſtras, aut illis nolit ſuccurrere; ſed quod pro indignitate noſtra quum nos deberemus ab illo non audiri, adhibemus amicos ſuos, qui pro nobis apud eum interpellent. Unde Angelicus Doctor 2. 2. q. 83. ar. 4. docet: *Oratio porrigitur alicui dupliciter: uno modo quaſi per ipſum implenda: alio modo ſicut per ipſum impetranda. Primo* qui-

quidem modo ſoli Deo orationem porrigimus: ſecundo modo arationem parrigimus ſanctis Angelis, & haminibus, non ut per eos Deus petitiones noſtras cognoſcat, ſed ut eorum precibus, & meritis arationes noſtræ ſortiantur effectum. Et ideo dicitur Apocal. 8. aſcendis fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Et Durandus a S. Porciano in IV. diſt. 45. q. 4. ait: *Beneficia divina deſcendunt in nos mediantibus tam Angelis, quam animabus ſanctis, non propter defectum divinæ miſericordiæ, ſed prapter ardinem divinum conſiderandum, qua Deus vult bonitatem ſuam communicare inferioribus per ſuperiores.*

Ad V. Falſa eſt conſequutio; quia alias neque omnes Sanctos adorare, & invocare deberemus, ſed ſolos illos, qui noſtri ſunt protectores. Poſſumus & alios Angelos, & alios Sanctus invocare, & debemus quoque adorare. Unde mos eſt quibuſdam invocare Angelos, qui ſunt cuſtodes vel Prælatorum, vel Principum, a quibus gratiam obtinere ſperant; ad hoc ut Angeli illi iiſdem inſpirent affectum ad gratiam illam impertiendam. Alcoſis affirmat pro Cuſtodibus, ſed non negat de aliis.

Ad VI. Amicitia non opponitur adorationi; Chriſtus enim Apoſtolos vocabat amicos, & ab iis adorabatur. Deus ab animabus juſtis, quæ ejus ſunt ſponſæ, amari vult tanquam ab amicis, & vult adorari, ut a creaturis, quæ omnes debent illum amare, & illi ſervire. Sic de Angelis aſſerit S. Bernardus ſer. 12. *Simus ergo devoti, ſimus grati tantis Cuſtodibus, redamemus eos, honoremus eos, quantum poſſumus, quantum debemus: totus tamen ei reddatur & amor, & honor, a quo tam ipſis, quam nobis eſt totum, unde honorare poſſimus, vel amare; unde amari, honorarive meremur.*

DISSERTATIO CLI.

De primo Angelorum Peccato. Hæretici adducuntur; & impugnantur, aſſerentes, malos Angelos natura, non culpa, fuiſſe malos. Primi Angelorum Peccati adducitur origo, & ſpecies; & qui fuerint Angeli prævaricatores, illorumque Princeps, inveſtigatur.

DE malis Angelis acturi, quoſquunque errores, ſive de illorum exiſtentia, ſive de malitia, ſive etiam de eſſentia, aut Philoſophi, aut Judæi, aut Hæretici, induxerunt, hoc in loco aggredimur exponere. Ita tamen, ut expleto munere, quod hiſtoriam reſpicit, ad dogma ſtatuendum deinde de Angelorum peccato, & poſtmodum ad ſcholaſticas controverſias de eodem pertractandas, deveniamus.

Primo eſt Ariſtoteles, qui malos eſſe Angelos negavit. Putat Guilhelmus Alvernus, deceptum a Dæmone familiari ſuo, inſaniam illam docuiſſe. Sunt verba Alverni trac. de Legibus c. 24. apud Coccium: *Ariſtoteles malas eſſe Angelos, credere noluit, deceptus ab ipſa familiari Dæmone ſuo, quem de aculo Veneris deſcendiſſe opinabatur.*

Secundo Caſſius, Epicureus Philoſophus, nullos eſſe Dæmones, quos Genios vocabat, opinatus eſt. Sic enim dicebat apud Plutarchum in Bruto: *Non prababile eſt, Genias eſſe.*

Tertio Michael Balbus, Imperator Orientis, aſſerere pariter noo erubuit, *nullos eſſe Dæmones*; quod de ipſo teſtatur Zonaras in eodem Michaele.

Quarto Georgiodavidiei inficias etiam ire gloriaotur, Diabolum eſſe. Teſtantur Lindanus in Dubitantio; Cochlæus de actis Martini Lutheri de anno 1545., Sleidanus in hiſtoria; Surius in Com., Prateolus de hæreſibus.

Quinto Libertioi, ut de iiſdem narrat Calvinus

vinus cap. 10. de Libertinis, pro imaginatione, quam nihil eſſe dicunt, accipiunt Dæmonem, mundum, & peccatum. Et hoc ſignificare voluiſſe, ait Calvinus, imaginationes tantum frivolas, & inanes concipi, quando aliquid de Diabolo, aut de peccato, opinamur.

Sexto Joannes Aponenſis, Medicus Italus, qui vixit ann. 1420. ſuadere conabatur amicis ſuis, nullos eſſe malos Spiritus; quod refert Joannes Bodinus præfation. in Dæmonomaniam.

Septimo erravit Baſilides circa eſſentiam Diaboli, quum erraverint alii, quos modo enumeravimus, circa ejus exiſtentiam; ſi quidem ex Diabolo Deum fecit. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. refert: *Quomodo non eſt vere impius* (Baſilides), *qui Diabolum quidem inter Deos referat; hominem vero, peccandi poteſtate præditum, auſus eſt dicere Dominum?*

Octavo Marcion, & Cerdon, nominant Diabolum beneficum, & Deo, rerum opifici, ipſum impie præferunt. Teſtis eſt Nicetas lib. 4. de Orth. c. 14.

Nono Hermogenes voluit, Diabolum, & Angelos, in materiam eſſe refundendos. Habetur ex Theodoreto lib. 1. hæreticarum fabularum.

Decimo Lucius Apulejus lib. de Deo Socratis, inquit, Dæmones eſſe genere animalia, corpore aeria. Legitur apud Coccium.

Undecimo Mahometus dixit, Deum Diabolos ex igne peſtifero effeciſſe, eoſque habitaſſe in terra ante Adamum ſeptem millibus annis. Azoara 25. & 65. Liber de colloquio Mahometi cum Judæis; Cantacuzenus in Apologia; Æneas Sylvius epiſt. ad Morbiſanum.

Duodecimo Bogomili dixerunt, Dæmonem, quem Chriſtus appellavit Satanam, eſſe filium Dei Patris; & vocari Satanael, & majorem eſſe Filio Verbo, ac præſtantiorem, utpote primogenitum: Unde Satanas, & Chriſtus, per ipſos erant fratres. Euthymius in Panoplia par. 2. tit. 23. c. 6.

Decimotertio Judæi quidam dicere non erubuerunt, annis centum viginti, quibus Adam non cognovit Evam, ad ipſam veniſſe Dæmones, & ab eo concepiſſe, ſicque genuiſſe Dæmones, & Spiritus malus, Lamias, Lemures &c. Teſtis adducitur Elias Levita in voce Lilith.

Decimoquarto circa malitiam Diaboli errarunt Priſcillianiſtæ antiqui, contendentes, Diabolum nunquam fuiſſe bonum, nec naturam ejus Dei opificium eſſe; ſed ex chaos ipſum, & tenebris emerſiſſe; nullum inſuper ſui habere auctorem, ſed omnis mali eſſe principium, ſive ſubſtantiam. Ita Leo magnus epiſt. 91.

Decimoquinto iterum Priſcillianiſtæ nondum extinti volunt, Diabolum non eſſe a Deo creatum, nec unquam fuiſſe bonum Angelum, ſed a ſemetipſo extitiſſe. Habemus ex Concilio Bracarenſe cap. 7. His quidem enarratis erroribus contra Dæmonum exiſtentiam, eſſentiam, ac malitiam, modo de iiſdem catholicam veritatem pruponimus, ac probamus.

Dicimus I. Dæmones exiſtere, eſſe malos Angelos, ſeu malos Spiritus, qui non natura, ſed culpa, fuerunt mali.

I. Probatur ex Scripturis. Pſal. 77. 49. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immiſſiones per Angelos malos.* Pſal. 90. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno. A ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & Dæmonio meridiano.* Iſai. 14. 12. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* In quibus verbis continetur culpa, per quam Lucifer ex bono factus eſt malus, & continetur pœna, quæ conſequuta eſt ad culpam. Lucæ 10. 18. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Joann. 8. 44. *Vos ex Patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit; quia non eſt veritas in eo &c.* II. Petri 2. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.* Judæ v. 6. *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Apocal. 12. 7. *Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem;*

orbem; & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Bracarenſe I. c. 7. *Si quis dicit, Diabolum non fuiſſe prius Angelum bonum, a Deo factum, nec Dei opificium fuiſſe naturam ejus, ſed dicit, eum ex tenebris emerſiſſe, neque aliquem ſui habere auctorem, ſed ipſum eſſe principem abſque ſubſtantia mali, ſicut Manichæi, & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit*. Concilium generale Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. eundem damnat errorem c. 1. de Trinit. &c. Habetur etiam definitum in Concilio Carthaginenſi IV. can. 1. apud Eſtium.

III. Probatur ex Patribus. Euſebius lib. 7. de præpar. evangel. c. 6. *Virtutes miniſtrantes, & Spiritus, qui ad Dei miniſterium mittuntur, propter eos, qui eterna conſecuturi ſunt vitæ hæreditatem; ſanctus dico Angelos Dei divina luce frui, ac idcirco luminaribus cæli conferri, docti a Scriptura credidimus; a quibus perverſi quidam Spiritus, cum ſua nequitia divinam lucem ſuſcipere nequiverint, tenebræ facti ſunt. Quorum primum, qui etiam aliis defectionis cauſa fuit, quoniam penitus propter impietatem ſuam in terram decidit, quique totius venenoſæ pravitatis auctor eſt, ſponte a lumine ad tenebras lapſum, draconem, ſerpentemque, lethiferi veneni productorem, atrocem belluam, & leonem humanis carnibus viventem, ac denique baſiliſcum Scriptura ſolet appellare &c.* Athanaſius in vita S. Antonii: *Hoc primum debemus mentibus affigere, nihil Deum feciſſe, quod malum eſt, nec ab ejus inſtitutione Dæmonum cæpiſſe principium: perverſitas iſta non naturæ, ſed voluntatis vitium eſt. Boni enim utpote a Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruere de cælis, ibique in cæni ſordibus volutati, Gentilitatis impias conſtituere culturas, & nunc de nobis torquentur invidia, atque univerſa mala commovere non ceſſant, ne priſtinis eorum ſedibus ſuccedamus.* Baſilius homil. *quod Deus non ſit auctor malorum: Hinc conſequenter alia quæſtio de Diabolo naſcitur: Unde Diabolus ſit, ſi non ex Deo ſunt mala? Quid igitur dicemus? Unde iniquus eſt homo? Ex ipſius libera voluntate. Unde malus Diabolus? ex eadem penitus cauſa.* Cyrillus Jeroſolymitanus catecheſi 2. *Peccavit autem*, (Diabolus) *non ex neceſſitate vitium naturæ ſuſcipiens, quo ſic peccati occaſio rurſus in Opificem retorqueatur; ſed bonus creatus, propria voluntate factus eſt Diabolus, ab actione capiens cognomen.* Epiphanius hæreſ. 66. *Diabolus non a creatione naturaliter malus creatus eſt, ſed ſibi ipſi poſt tempus malum facere excogitavit, de quo ignotum non eſt, qualis futurus fuerit. Verum creatus eſt una cum omnibus bene, cum Deus propter excellentem juſtitiam, & ob eximiam bonitatem, omnes, & omnia utiliſſima eſſe voluerint, & ſua bona omnibus propoſuerit.* Chryſoſtomus hom. 3. de patientia Job: *Nam Diabolus non naturæ nomen, ſed præſumptionis. Non enim Diabolus factus a principio, ſed Angelus creatus eſt. Diabolus vero quia detrahebat, & Deo apud homines, & apud Deum hominibus, appellatur.* Lactantius lib. 2. c. 8. *Itaque ſnapte invidia tanquam veneno infectus eſt, & ex bono ad malum tranſcendit, ſnoqne arbitrio, quod illi a Deo liberum datum fuit, contrarium ſibi nomen aſcivit.* Auguſtinus de natura boni adverſ. Manichæos c. 33. *Quia vero & ipſi mali Angeli non a Deo mali ſunt conditi, ſed peccando facti ſunt mali &c.*

IV. Probatur Rationibus I. Deus non poteſt eſſe cauſſa mali: ergo Dæmones non fuerunt a Deo creati mali. Antecedens eſt certum; aliter Deus malus eſſet, ſi cauſſa eſset mali; conſequentia ſequitur; ſi enim Dæmones a Deo creati ſunt, & Deus eſt cauſsa efficiens ipſorum, & Deus non poteſt eſse cauſsa mali: ergo Dæmones non ſunt a Deo creati mali. II. Deus nequit ad malum, ſeu ad peccatum, inclinare: ergo Dæmones, qui ſunt opus Dei, non habent inclinationem naturalem ad malum: ergo non ſunt natura mali. Probatur antecedens. Deus nequit eſse cauſsa deficiendi: ergo nequit ad malum, ſeu ad peccatum, inclinare. III. Si Dæmones non fuiſsent mali ex propria culpa, ſed ex ipſorum natura, injuſte a Deo fuiſsent puniti; ſed hoc dici non debet: ergo nec illud. Probatur major. Ut dicatur quis juſte punire, debet ſupponere delictum; ſed delictum non eſt, ubi non eſt culpa: ergo ſi Deus puniviſſet Dæmones abſque culpa ipſorum, injuſte eos caſtigaſſet. IV. Si voluiſset Deus punire malum Dæmonum, & hoc malum fuiſset in ipſis ex natura, potius debuiſſet punire ſeipſum; hoc dici non poteſt: ergo nec unde ſequitur. Probatur major. Malum, quod fuiſset in Dæmonibus ex natura, fuiſset malum Dei, quatenus a Deo in ipſis cauſsatum: ergo Deus debuiſset punire ſeipſum.

Obſtant I. Ex Porphyrio Philoſopho apud Auguſtinum lib. 10. de civit. c. 11. Dæmones

mones ſunt natura fallaces: ergo ſunt natura mali. Probatur antecedens. Sunt Dæmones ex natura ſagaces: ergo ſunt ex natura fallaces. II. Beſtiæ ex natura ſunt pronæ ad aliqua vitia, ut vulpes ad doloſitatem, lupi ad rapacitatem, canes ad rabiem, & aliæ ad luxuriam: ergo etiam Dæmones ſunt ex natura proni ad fallaciam. III. Tertullianus in Apologet. c.22. aſſerit, Dæmones eſſe ſpiritus immundos, verbis hiſce: *Quod ex pabulis eorum ſanguine, & fumo, & putidis rogis pecorum, & impuriſſimis linguis ipſorum natum intelligi debet.* IV. Multi ex vetuſtioribus Patribus docuerunt, Angelos, qui antequam peccarent habebant cœleſtia corpora, poſt peccatum habuiſſe corpora materialia, & præcipue aëria; immo in Concilio Florentino quidam ex Græcis hanc etiam inſaniam defendebant. V. Pſal.103. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei:* ergo ad hoc formatus fuit Diabolus, ut illuderet, hoc eſt ut falleret. Et confirmatur hoc ex illo Job 4. ſecundum verſionem ſeptuaginta Interpretum: *Hoc eſt principium figmenti Dei, quod factum eſt, ut illudatur ei ab Angelis ejus.* Et clarius patet Eccl.39. *Sunt Spiritus, qui ad vindictam creati ſunt.* VI. Auguſtinus in pſal. 96. ait: *Eſt inſita malevolentia quædam malis Spiritibus*; ergo eſt a natura. VII. Rupertus lib.13. in Matth. opinatus eſt, Angelum non cecidiſſe de virtute in vitium, ſed de vitio in vitium: ergo in vitio, ſeu in malitia creatus fuit. Antecedens probatur ex ejus verbis; ait enim: *Superbivit, & ſibimet ipſe placuit, tanquam ſufficiens:* quæ ſignificant, factum fuiſſe in vanitate, & de vanitate in ſuperbiam cecidiſſe. VIII. S. Baſilius or.9. inquit, Diabolum ſemper habuiſſe malum, quum ab initio habuerit eandem cupiditatem ambitionis, ut vellet eſſe ſimilis Altiſſimo, quam habuit, quando ea uſus eſt, ut hominem deciperet. Si ergo Diabolus fuit ab initio malus, fuit ſemper malus; ſi fuit ſemper malus, fuit natura malus.

Reſpondemus ad I. Porphyrii errorem ab Auguſtino reprobari, & auctorem ejus redargui. Nec valet probatio, quam a ſagacitate ſumit, ut probet Dæmonum fallaciam. Si enim pro ſagacitate intelligit ſapientiam, hæc non includit fallendi artem: unde etiam concedendo, Dæmones fuiſse natura ſapientes, non per hoc cogimur admittere, fuiſse etiam fallaces. Si vero intelligit calliditatem, fraudem, decipiendi ſtudium, quæ eadem eſt cum arte fallendi; hanc negamus, fuiſse in Dæmonibus a natura.

Ad II. cum Eſtio, quod ea eſt præſtantia intellectualis naturæ, ſive ea angelica ſit, ſive humana, quod quæ beſtiis eſt natura, illi ſit vitium. Ad hæc adducit verba pſalmi 48. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*; & explicationem Auguſtini in eundem pſalmum: *Tanta namque excellentia in comparatione pecoris eſt homo, ut vitium hominis natura ſit pecoribus.* Inſuper, quum beſtiæ legem non habeant, nihil refert, qualis ſit in iis naturæ inclinatio. Angeli vero, & homines, qui legem habent, ſi quæ in eis eſt ad malum inclinatio, non eſt dicenda a natura, quæ a Deo ſecundum legem, & non contra legem, creata ſupponi debet.

Ad III. Tertullianus vitium illud applicat Dæmonibus propter ingentem anxietatem, quam habent Dæmones, ut homines ad fœdum crimen impellant. Nos etiam vocamus illos Spiritus immundos, non quia natura immundi ſint, nec quia ad immunditiem naturalem habeant inclinationem; ſed quia nos ad immunda alliciunt, & oblectationibus ſuis quodammodo trahunt. Si vero alia ſit Tertulliani mens in verbis illis, non eſt cur formidemus, non amplecti eam ut doctrinam, ſed rejicere potius ut errorem.

Ad IV. Quanvis quidam ex veteribus hoc ſenſerit, & quanvis Græculi illi moderni, tempore Florentini Concilii, hoc idem propugnare tentaverint; nunquam tamen illorum probavit errorem catholica Eccleſia; quod ad ſatietatem vidimus in Diſser. 132., ad quam Legentes remittimus.

Ad V. Non eſt ſenſus verborum Pſalmi, & Job, ut Dæmones illudant, ſed potius, ut illudantur. Unde argumentum corruit totum. *Qua ratione fieret*, inquit Eſtius, *ut ei a Sanctis, vel Angelis, vel hominibus, conatus, & machinationes ipſius fruſtrantibus, illuderetur.* Et in probationem adducuntur fragmenta quædam ſermonis de S. Job S. Hilarii, quæ extant apud Auguſtinum lib.2. cont. Julian. c.8. Verba autem Eccl. de ventis, & procellis explicantur a quibusdam; vel ſi de Angelis intelligi volunt, dicitur a Deo deputari in vindictam malos Angelos hominum perverſorum.

Ad VI. Auguſtinus dicit inſitam Diabolo malevolentiam; ſed non a natura, neque ab

Digitized by Google

ab initio, at quia ita radicitus ineſt per propriæ voluntatis obſtinationem, ut quaſi a natura inſita videatur; ait Eſtius. Re vera Auguſtinus, ut fuit Manichæis adverſus, nunquam admittere potuit hunc errorem, quem Manichæi totis viribus tuebantur. Dicendum ergo, Auguſtinum loquutum fuiſse de malignitate Dæmonum erga homines, quos ita exagitant, vexant, perſequuntur, ut hoc videatur fuiſse illis a natura inſitum, ac inſpiratum.

Ad VII. Rupertus explicatur de vacuitate, quando loquitur de vanitate; & ſenſus ipſius eſt, quod Deus creavit Angelos, & homines, gratia Dei vacuos; quod quidem in ejus ſententia admittitur. Cæterum ſubdimus, quod in re, de qua loquimur, Ruperti mens lib. 3. de proceſſ. Spir. Sanc. c. 9. clariſſime patet, in favorem eſſe catholici dogmatis; quatenus aperte doceat, inter Diaboli creationem, & lapſum ejus, moram aliquam intereeſſiſſe.

Ad VIII. Duæ ſunt aſſertiones inter ſe diverſæ; quarum una eſt: Diabolum fuiſſe natura malum; altera vero: Diabolum fuiſſe ab initio malum; hoc eſt a primo creationis inſtanti. Unde Baſilius intelligi poſſet de ſecunda, & non de prima. Sed quia etiam ſecunda communiter rejicitur, ideo Baſilium explicamus dicendo, quod Diabolus ſtatim ac creatus fuit, ſeu poſtquam creatus fuit ſubito concepit animo cupiditatem illam, quam poſtea oſtendit, ea utens, ut hominem deciperet. At Baſilii clariſſima ſunt verba pro dogmate, quod tuemur, in aliis ejus operibus, quæ Legentes facile invenient.

Ad ſcholaſticas modo diſceptationes devenientes, primo loquimur de origine primi peccati Angelorum, & poſtmodum de ejus ſpecie diſſeremus. Origo peccati poteſt eſſe, vel fomes concupiſcentiæ, cum quo naſcimur omnes, & qui in omnibus ad mortem uſque perdurat; vel prava conſuetudo; vel paſſio immuderata; vel rerum agendarum ignorantia. Nulla autem ex his potuit in Angelis habere locum; vel quia corporei non ſunt, vel quia ignorantes non erant, vel quia peccandi uſum non habebant. Igitur alia ab his eſſe debet peccati Angelorum origo. Nec pariter poſſumus recurrere ad judicium errans ante peccatum, ad primum aliquod principium malum, nec ad pravam aliquam inclinationem; primum enim includit errorem; at error ſequurus eſt culpam, ut pœna, & non præceſſit, ut cauſſa: neque ſecundum; quia eſſet amplecti Manichæorum errorem: neque tertium; quia inclinatio ad malum eſſet a natura, & conſequenter a Deo, ut diximus. Reſtat ergo, ut recurramus ad voluntatem defectibilem, quæ poteſt ſe libere avertere a majori bono ad minus.

Dicimus II. Originem primi peccati Angelorum fuiſſe ſolam voluntatis poteſtatem; non vero aut ignorantiam mentis, aut cordis paſſionem.

I. Probatur. Origo peccati debet eſſe ante peccatum; ſed ante primum peccatum in Angelis non fuit nec paſſio cordis, nec ignorantia mentis: ergo neutra ex his fuit in Angelis primi eorum peccati origo. Major patet; quia ſi eſt origo, eſt cauſſa; ſi cauſſa, præcedere debet effectum ſuum. Minor probatur. Sive ignorantia, ſive paſſio, faciunt miſeram naturam, in qua reperiuntur; ſed natura non eſt miſera ſine peccato: ergo ſi faciunt miſeram naturam, ſupponunt in ea peccatum: ergo non præcedunt: ergo non fuerunt in Angelis ante peccatum.

II. Probatur. Docent Auguſtinus lib. 11. de civit. Dei c. 11., & lib. 14. c. 10. 11. & 13., & S. Thomas 1. p. q. 63. ar. 1. ad 4., & in 11. diſt. 5. q. 1. ar. 1. Angelorum peccatum non habuiſſe ortum ex errore aliquo prævio: ergo ex horum doctrina origo primi peccati Angelorum non fuit error intellectus.

III. Admiſſo in Angelis recto rationis judicio, quod negari non poteſt, in voluntatis poteſtate erat, & avertere intellectum a conſideratione melioris boni, & movere ad conſiderandum id, quod minus erat: ergo ſemper Angelorum peccati origo voluntati ipſorum eſt tribuenda. Antecedens patet; quia rectum rationis judicium omnem inconſiderantiam excludit; adeoque ſi illud ponitur in Angelis ab inſtanti creationis eorum, nulla in iiſdem concedenda eſt inconſiderantia intellectus, quæ ſit origo primi eorum peccati. Conſequentia ſequitur; quia ſi a voluntate dependet avertere, & movere intellectum, non intellectus, ſed voluntatis vitium eſt, ſi intellectus non avertatur, quando debet averti, & ſi quando moveri debet, non moveatur.

IV. Probatur. Auguſtinus Dæmonum arbitrio abſolute tribuit Dæmonum culpam: ergo ſola voluntas ipſorum fuit origo primi ipſorum peccati. Probatur antecedens. Inquit Auguſtinus: *Angeli ſancti, cadentibus aliis per liberum arbi-*

trium,

trium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi. Et rationabiliter quidem; quia ex una parte in Angelis erat ſumma arbitrii indifferentia, ſumma libertas, quæ negari non poteſt; ex altera parte nullum erat agens extrinſecum, quod ipſos ad peccandum determinaret: ergo ſi peccaverunt, ex ſua ſola voluntate peccaverunt.

Opponunt I. Antecedenter ad determinationem voluntatis fuit in Angelis inconſideratio: ergo inconſideratio fuit prima origo peccati. Probatur antecedens. Angeli, antequam peccarent, attenderunt ad rationes, quæ ſibi perſuadebant, poſſe ſe ipſos amare, & non attenderunt ad rationes, quæ ſibi fortius perſuadere poterant, debere amare Deum, qui erat finis ultimus, ad quem propria ipſorum excellentia dirigebatur; ſed hæc eſt inconſideratio: ergo &c. II. Quicumque peccant, errant; ut habetur Proverb. 14., ſed Angeli peccarunt: ergo erraverunt: ergo error fuit peccati eorum origo. III. Nihil vult voluntas, niſi ab intellectu proponatur: ergo quum voluntas velit malum, ei ab intellectu proponitur; non ſub ratione mali: ergo ſub ratione boni: ergo ſemper ad intellectus errorem applicari debet voluntatis defectio. IV. S. Thomas in II. diſt.5. q.1. ar.1. affert, & probat, Ariſtotelis auctoritatem, qui lib. 3. Ethicorum ait: Omnis malus eſt quodammodu ignorans: ergo ſemper ignorantia præcedit malitiam.

Reſpondemus ad I. quod inconſiderantia illa, quæ fuit in Angelis, dicitur inconſiderantia privativa, hoc eſt non advertentia rei; hanc autem Angeli advertere potuerunt, & debuerunt: ergo ſi non adverterunt, peccarunt: ergo talis inconſiderantia non fuit peccati origo in Angelis, ſed fuit peccatum. Et re vera hujuſmodi inconſideratio non potuit eſſe involuntaria, quia in Angelo innocente non debet admitti motus inordinatus, qui præveniat ejus voluntatem: ſi vero dicatur, quod fuit voluntaria: ergo fuit culpabilis: ergo peccatum, & non origo primi peccati Angelorum.

Ad II. Verum eſt, quod qui peccant, ſemper errant; at falſum eſt, quod ſemper errent mentis errore. Semper errant errore voluntatis, & errore mentis aliquando errant, & aliquando non errant. Qui peccant in ſtatu innocentiæ, peccant ſolum voluntatis errore; qui vero peccant poſtquam innocentiam amiſerunt, peccant mentis, errore, & voluntatis. Audiatur Auguſtinus quæ proferat de homine innocente, & quæ pariter poſſunt Angelo innocenti applicari; lib 3. de libero arbitrio c.18. *Approbare falſa pro veris, ut quis erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati*.

Ad III. In peccato Angelorum fuit materiale peccati, quod fuit amor propriæ excellentiæ, & hic amor erat in ſe bonus; fuit formale peccati, quod fuit privatio debitæ rectitudinis, ſeu defectus relationis propriæ excellentiæ ad Deum, veluti ad ultimum finem. Intellectus non erravit proponendo materiale peccati, erraſſet, ſi propoſuiſſet formale; & proponendo formale non ſolum erraſſet, ſed etiam peccaſſet: ergo ſuus error non fuiſſet cauſſa peccati, ſed peccatum. Quod non erraverit proponendo materiale peccati ut bonum, patet; quia, ut diximus, re vera bonum erat.

Ad IV. Ad S.Thomam dicimus, quod omnis malus eſt ignorans errore voluntatis ſemper, errore intellectus non ſemper; ut dictum eſt in reſponſione ad II.

Pro tertia Diſſertationis parte, multæ ſunt opiniones de primo Angelorum peccato; quas omnes referunt Theologi, & præcipue Eſtius enumerat, & impugnat; Petavius etiam, Fraſſen, aliique, elucidant, & ad trutinam revocantes rejiciunt, unam ſeligentes, quæ ipſis probabilior videtur. Hoc idem poſt eorum veſtigia præſtabimus & nos.

Prima opinio eſt illorum, qui putarunt, Angelorum primum peccatum fuiſſe amorem mulierum, quo capti turpiter per libidinem peccaverunt. Tribuitur hæc opinio quibuſdam ex antiquis Patribus; at a nobis Diſſert. 132. fuit ipſa impugnata, & Patres fuerunt pariter vindicati.

Secunda opinio aſſerit, primum Angelorum peccatum fuiſſe peccatum linguæ. Habetur in Commentario in Pſalmos, qui tribuitur Hieronymo, ſed alium re vera habet auctorem, in 2. expoſit. pſal. 115. & quæ in fine operis legitur.

Tertia opinio ponit pro primo Angelorum peccato odium Dei. Non nominat Eſtius qui eam docuerint; ſed eam impugnat.

Quarta adſignat fuiſſe ingratitudinem in Deum. Impugnat etiam Eſtius, ſed propugnatores ejus non exprimit.

Quinta ſcribit invidiam in homines, & tribuitur Cypriano in lib. de zelo, & livore. At Auguſtinus refellit eam lib. 11. de

Geneſ. ad literam c. 14.

Sexta opinio aſſerit, fuiſſe luxuriam ſpiritualem, qua plus nimio in ſeipſis, & in propriis excellentiis fuerunt delectati. Defenditur a Scoto, a Gabriele Biel, aliiſque.

Septima opinio eſt illorum, qui docent, fuiſse ſuperbiam; & hæc eſt communis ſententia plurimorum Patrum, fere omnium Theologorum, & sacræ Scripturæ conformior.

Dicimus III. primum peccatum Angelorum fuiſse ſuperbiam.

I. Probatur ex Scripturis. Eccleſiaſt. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia*. Tobiæ 4. *In ipſa* (ſuperbia) *enim initium ſumpſit omnis perditio*. Proverb. 16. *Ante ruinam exaltabitur cor*. Iſai. 14. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui dicebas in corde tuo, in Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum?* Job. 41. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Lucæ 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*.

II. Probatur ex Patribus. Chryſoſtomus hom. 15. in Joann. *Neque in Diabolum verſus fuiſſet Angelus, niſi hoc ſcelere* (ſuperbiam intelligit) *ſe coinquinaſſet*. Hieronymus ep. 83. *Judicium, & ruina Diaboli nulli dubium, quin arrogantia ſit*. Auguſtinus explicans verba pſalmi: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero;* intelligit ſuperbiam, dicens: *Hoc eſt delictum, quod dejecit Angelum, quod ex Angelo fecit Diabolum*. Quibus addendi ſunt Baſilius hom. 6. quod Deus non eſt auctor malorum; Nazianzenus or. de nativ. Chriſti; Auctor quæſtionum ad Antiochum, quæ feruntur ſub nomine Athanaſii, q. 6., vel alias q. 10., Ambroſius in pſal. 36. ad verba: *vidi impium ſuperexaltatum;* & in pſal. 118. ad verba: *increpaſti ſuperbos;* Caſſianus collat. 8. c. 8. & 10. Leo magnus ep. 93. ad Turibium, cap. 6., Gregorius etiam magnus lib. 34. moral. c. 14., & lib. 4. reg. ep. 38., aliique multi, quorum numerum claudat Bernardus tract. de modo bene vivendi ſer. 37. *Superbia radix omnium malorum, Angelos depoſuit*.

III. Probatur Rationibus. I. Angelica natura utpote ſpiritualis peccare non poterat appetendo bonum corporeum: ergo appetendo bonum ſpirituale; ſed in appetentia boni ſpiritualis conſiſtit ſuperbia: ergo angelica natura non potuit primo peccare, niſi peccato ſuperbiæ. Probatur major. Spiritualis natura non afficitur bonis, niſi illis, quæ ſunt ſibi convenientia; ſed bonum corporeum non eſt ſibi conveniens: ergo &c. Minor ſubſumpta probatione non indiget. II. Peccatum ſuperbiæ eſt inordinatus amor propriæ excellentiæ; hoc peccato Angeli peccaverunt: ergo peccato ſuperbiæ peccaverunt. Major eſt Auguſtini lib. 14. de civit. Dei c. 13., Minor eſt ex illo Iſai. 14. *Aſcendam in cœlum, ſimilis ero Altiſſimo*. III. Diabolus primo peccavit peccato illo, ad quod primo homines tentavit; ſed primo homines tentavit ad peccatum ſuperbiæ: ergo peccato ſuperbiæ primo peccavit. Major eſt congruentiſſima; quia eodem illo peccato volebat homines de gradu dejicere, quo ille de gradu ſuo dejectus fuit. Minor patet; dixit enim illis Gen. 3. 5. *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum*. IV. Præcipua Chriſti virtus, quæ etiam eſt præcipua virtus Chriſtianorum, & quam Paganorum Philoſophi imitari non valuerunt, fuit humilitas: ergo ex oppoſito primum Diaboli peccatum fuit ſuperbia. V. Illud peccatum commiſit primo Diabolus, quod debellator ipſius S. Michael Archangelus primum reprehendit; ſed hic primum reprehendit peccatum ſuperbiæ: ergo &c. Probatur minor. Dixit enim: *Quis ut Deus;* quæ verba explicantur: quis eſt iſte, qui ſe audeat Deo comparare? VI. Peccatum ſuperbiæ eſt non ſubdi ſuperiori in eo, quod debetur; ſed hoc peccatum primo commiſit Angelus: ergo &c. Probatur minor. Angelus utpote naturæ ſpiritualis non potuit primo peccare, niſi per affectum ad bona ſpiritualia; ſed affectus ad bona ſpiritualia non eſt peccaminoſus, niſi quia in tali affectu non ſervatur regula ſuperioris: ergo peccatum, quod primo commiſit Angelus fuit non ſubdi Superiori in eo, quod debebat.

Objiciunt I. Si Angelus peccavit, quia noluit ſe ſubdere ſuperiori in eo, quod debebat: ergo potius peccavit peccato inobedientiæ, quam ſuperbiæ. II. Si Angelus peccavit per inordinatum amorem propriæ excellentiæ: ergo potius peccavit luxuriæ ſpiritualis peccato. III. Peccavit Angelus, quia voluit eſſe ſimilis Deo; ſed hæc ſimilitudo deſiderari ab eo non poterat, niſi quatenus eſſet independentia a Deo: ergo Angelus peccavit peccato invidiæ, per quod independentiam, Deo propriam, appetivit. IV. Ex Auguſtino lib. de Geneſi ad literam

ram c. 15. *Diabolum amaſſe propriam poteſtatem, & perverſo ſui amore privatum ſancta ſocietate turgidum Spiritum*: ergo primum ipſius peccatum fuit inordinatus amor ſui ipſius. V. Primum Angeli peccatum fuit primus actus concupiſcentiæ inordinatus Angeli; ſed hic primus actus non proceſſit ex affectu juſtitiæ, quia aliter non fuiſſet injuſtus: ergo proceſſit ex affectu commodi; ſed peccatum, quod procedit ex affectu commodi potius, & proprius reducitur ad luxuriam, quam ad ſuperbiam: ergo &c. VI. Appetitus Angeli non fuit de bono honeſto, quia aliter honeſtus fuiſſet; non de utili bono; quia non erant in ſtatu indigentiæ: ergo fuit de bono delectabili; atqui nequivit eſſe de delectabili ſenſibili, quum Angeli non ſint corporei: ergo de delectabili ſpirituali; ſed delectabile ſpirituale nil aliud eſſe poterat, quam beatitudo ſupernaturalis: ergo appetitus hujuſce beatitatis fuit primum Angelorum peccatum.

Reſpondemus ad I. non negatur, fuiſſe peccatum inobedientiæ in Angelis prævaricatoribus, ſed negatur fuiſſe primum; antecedenter enim ad hoc fuit peccatum ſuperbiæ, ſcilicet inordinatus amor erga ſe ipſos.

Ad II. neque negatur, fuiſſe in Angelis delectationem propriæ excellentiæ, at negatur, ab hac conſtitui peccatum luxuriæ ſpiritualis. Delectatio enim ex ſeipſa eſt indifferens ad conſtituendum peccatum, & ſpecificatur tantum ex objecto ſuo. Si eſt delectatio rei venereæ, conſtituit peccatum luxuriæ; ſi rei comeſtibilis, peccatum gulæ; ſi rei honorificæ, peccatum ſuperbiæ. Et revera peccatum inanis gloriæ, quæ eſt ſuperbia, vocatur a viræ ſpiritualis magiſtris, luxuria ſpiritualis. Unde ſi Adverſarii hoc explicant modo luxuriam ſpiritualem, ipſis non contradicimus.

Ad III. negatur omnimode primum peccatum Angelorum fuiſſe invidiam; hæc enim eſt dolor conceptus ex alieno bono; hic autem dolor non fuit in Angelis, quando primo peccaverunt. Et patet, quia ſi primo amaverunt inordinate propriam excellentiam: ergo primo reſpexerunt proprium bonum, & deinde alienum, ex quo non complacentiam, ſed dolorem conceperunt. Rurſus, hoc invidiæ peccatum poteſt etiam ad ſuperbiam reduci; quatenus dolor conceptus ex alieno bono oritur ex amore proprii boni, in quo conſiſtit ſuperbia.

Ad IV. admittimus auctoritatem Auguſtini, & recipimus eam pro nobis, non contra nos. Amor nanque ille propriæ poteſtatis, & amor ſui ipſius, eſt formaliſſime ſuperbia, quæ conſiſtit in propriæ excellentiæ complacentia.

Ad V. Concupiſcentia proprii commodi eſt ſuperbia, & non luxuria ſpiritualis, ut dictum eſt. Non enim eſt concupiſcentia objecti delectabilis, neque objecti utilis, ſed objecti honorifici; in qua conſiſtit ſuperbia.

Ad VI. dicitur, aut fuiſſe non de bono delectabili, ſi bonum delectabile reſpicit ſenſum; aut fuiſſe, ſi reſpicit ſpiritum. At bonum delectabile, quod reſpicit ſpiritum, eſt objectum ſuperbiæ, non luxuriæ; & ſi dicitur luxuriæ, non proprie, ſed metaphorice dicitur; quatenus ita Spiritualis creatura delectatur honore, gloria &c. ſicut creatura corporea, & ſenſualis delectatur bono ſenſibili.

Quæritur I. Quænam fuerit ſuperbia Angelorum?

I. Reſpondemus, non fuiſſe, quod Angeli mali noluerunt adorare Chriſtum; quæ eſt ſententia aliquorum, qui dicunt, fuiſſe Angelis propoſitum incarnationis myſterium, ac a Deo revelatum, illiſque præceptum, ut latriæ cultu Chriſtum adorarent; quod boni Angeli illico exequuti ſunt, mali vero renuerunt. Et probatur I., quia ſancti Patres de hoc nihil afferunt; ut teſtatur Jueninus: ergo ſine ipſorum auctoritate nihil de hoc eſt afferendum. II. quia quando peccaverunt Angeli non erat homo prævisus: ergo neque incarnatio Verbi, quæ ratione hominis fieri debebat. III. quia in ſententia multorum Angeli boni non habuerunt perſeverantiam, & alia gratiæ bona, per Chriſti merita: ergo non fuit præviſio illa.

II. Reſpondemus, non fuiſſe, quod mali Angeli concupierunt aſſequi propriis naturæ viribus, & abſque Dei ſupernaturali auxilio, ſimilitudinem cum Deo, in intuitiva viſione conſiſtentem. Eſt aliquorum putantium, id Angelos abſolute voluiſſe; at refutantur, quia ſi id concupierunt Angeli, illud ipſum judicarunt eſſe poſſibile; at non potuerunt judicare, illud eſſe poſſibile: ergo &c. Major patet; quia voluntas nunquam deſiderat abſolute objectum aliquod, cujus aſſequutionem poſſibilem non judicat. Minor etiam patet; quia ſi illud

Angeli judicaſſent; omnino erraſſent; & ipſorum error fuiſſet etiam hæreſis; ut dicit Jueninus.

III. Reſpondemus, non fuiſſe, quod mali Angeli independentiam a Deo exoptaverint, per quam intelligunt eum Deo æqualitatem concupiiſſe. At hæc etiam opinio nuper facto argumento refutatur; quia ſi id abſolute Angeli deſiderarunt, errarunt in intellectu, & in voluntate, ante peccatum: ergo altero peccato peccaverunt, quod fuit prius primo ipſorum peccato. Si vero dicatur, quod deſideraverint conditionate, ut aſſerit Jueninus; nec etiam ſtare poteſt opinio, quia talis conditio jam debebat innoteſcere Angelis ut impoſſibilis: ergo ſub impoſſibili conditione non poterant æqualitatem illam, ſeu independentiam, deſiderare.

IV. Reſpondemus, fuiſſe, quod mali Angeli ita de propriæ excellentiæ cognitione ſibi complacuerunt, ut per eam ſolam crediderint, eſſe beatos, tam naturali, quam ſupernaturali, beatitudine; adeoque per eam cæteris creaturis omnibus eſſe præferendos. Eſt plurium ſanctorum Patrum, & Theologorum, inter quos ponunt S.Thomam 1.p. q.63.ar.3.S.Anſelmum lib. de caſu Diaboli c.4., Ægidium, Richardum, Durandum, Vaſquium, Eſparzam, Cacheranum &c. Reſponſio hæc ex aliarum reſponſionum impugnatione probatur, & per ejuſdem explicationem apud præfatum Cacheranum confirmatur.

Quæritur II. Quinam fuerint Angeli prævaricatores?

Reſpondemus, fuiſſe ex ſingulis ordinibus aliquos. I. probatur ex Scripturis. Ad Roman. 8. recenſentur Angeli, Principatus, & Virtutes: *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes &c.* I. ad Cor. 15. numerantur Poteſtates: *Cum evacuaverit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem.* Ex Seraphinis fuit Princeps prævaricantium, ut mox probabitur. Ezech.28. Cherubim accipiuntur in malam partem; tandem Archangeli ſub nomine Angelorum, & Throni, & Dominationes, ut Seraphinis, & Cherubinis inferiores comprehenduntur. II. ratione ex S.Thoma q.61. ar.9. ad 3., *quia vero ſimile eſt, homines beatos aſſumendos eſſe ad quemlibet ordinem Angelorum, quum aſſumi debeant ad inſtaurandas ruinas illorum, qui ceciderunt*: ergo ex omni ordine ceciderunt.

Non vero tot Angeli ceciderunt, quot ſteterunt; ſed in majori numero ſteterunt, in minori ceciderunt. Ratio deſumitur ex illo Apocal.8. *Et percuſſa eſt pars tertia ſtellarum*. Et c. 12. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.* Subdit ad hoc idem probandum S.Thomas q.63. ar. 9. *Peccatum eſt contra naturalem inclinationem: ea vero, quæ contra naturam fiunt, ut in paucioribus accidunt.*

Quæritur III. Quinam fuerit Dæmonum princeps?

Reſpondemus, Dæmonum Principem fuiſſe Angelorum ſupremum. Docet S.Thomas q.63.ar.7., & eſt communis Patrum, & Theologorum, doctrina. I. probatur ex Scripturis. Job.40.Ipſe eſt principium viarum Dei. Ezech. 31. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei. Omne lignum paradiſi non fuit aſſimilatum illi, & pulcritudini ejus. II. ex Patribus; Tertulliano lib.2. cont.Marcionem, Hieronymo in c.4. Daniel., Auguſtino lib. 2. de Geneſ. ad lit. c. 19., Gregorio magno lib. 32. moral. c. 24. Bernardo ſer. 1. de Adventu; Iſidoro lib. 1. de ſum. bon. c. 12., Ruperto lib. 1. & 2. de victoria Verbi Dei. III. Rationibus. I. Quia ſi peccatum Angelorum fuit ſuperbia, orta ex complacentia propriæ excellentiæ, quia in ſuperioribus Angelis erat major excellentia, & in ſupremo etiam pluſquam major; ideo illi fuerunt ad peccandum proniores, & qui primo exemplum dedit fuit ſupremus. II. quia Deus permiſit caſum Angelorum, ne crederemus ſine gratia poſſe viribus naturæ in bono perſeverare; hoc autem magis oſtendebatur in caſu ſuperiorum Angelorum, & in illorum ſupremi peculiariter præcipitio. III. quia ſi princeps Dæmonum habuiſſet ſuperiorem, non pugnaſſet primo contra Deum, ſed contra ſuperiorem ſuum, ſupra illum ſe extollendo; quum ergo primo fecerit contra Deum, conſtat, quod ſuperiorem non habebat; adeoque ille ſupremus erat. Aliæ rationes, vel congruentiæ, apud Eſtium videbuntur.

Arguunt I. Ezech.28. Dæmonum princeps vocatur Cherub: *Tu Cherub extentus, & protegens*: ergo fuit ex ordine Cherubinorum: ergo non fuit ſupremus, qui debebat eſſe ex ordine Seraphinorum. II. ex Ruperto lib.3. de proceſ. Spir. Sanct. c. 17. ordines Angelorum fuerunt conſtituti poſt perſeverantiam bonorum, &

poſt

poſt lapſum malorum: ergo Angeli, qui ceciderunt, non fuerunt ex ſingulis ordinibus.

Reſpondemus ad I. cum S.Gregorio lib.32. moral. c.24., non vocari Cherub ratione ordinis, ſed ratione ſcientiæ. Cum aliis, non vocari Seraph, quia per hoc nomen importabatur charitas, quæ extincta in malo Angelo erat; & loco Seraph fuiſse dictum Cherub.

Ad II. Fuit quidem ſententia Ruperti, Ordines fuiſse conſtitutos poſt pugnam; at non fuit, quod ex ſingulis ordinibus non eciderint. Erant Angeli, qui ordines conſtituere debebant in illius ſententia. At in noſtra ordines jam prius conſtituti a Deo ſupponuntur, ut ſuo loco diximus.

DISSERTATIO CLII.

De Pœna peccati Angelorum. Quænam fuerit? an æterna? ad quæ ſe extendat? & an Angelos malos omni principatu, ſive erga Angelos, ſive erga homines, ſive erga res alias, privaverit? Hæreſes profligantur, dogmata ſtatuuntur, ſcholaſticæ opiniones juſto examini ſubjiciuntur.

PRimo erravit circa malorum Angelorum pœnam Origenes; aſſerens, Diabolum, & Angelos ejus, poſt longiſſima tempora cœlo reddendos eſſe; & rationem afferre volens, dicebat; quod Chriſtus etiam pro iis paſſus ſit. Tribuunt hunc errorem Origeni Theophilus Alexandrinus ep. 2. paſchali, Hieronymus ep. 59. ad Avitum, Epiphanius, Auguſtinus lib. de hæreſibus c.18., & V. Synodus Oecumenica action. 2.

Secundo Priſcillianiſtæ dicebant, quod ſubſtantia in Diabolo bona facta perire non poſſit; & in totum exuſta Diaboli malitia, aliquando ſalvandam eſſe ſubſtantiam. Teſtatur Oroſius in Commentario ad Auguſtinum, & refert Coccius.

Tertio Mahometus ſomniatus eſt, Diabolos tandem aliquando ſalutem conſequuturos. Citantur a Coccio Azoara 25. & 65. liber de colloquio Mahometi cum Judæis, Cantacuzenus in apologia, Æneas Sylvius epiſt. ad Morbiſanum.

Quarto Lollardi ex Trithemio in Chronico Hirſaugienſi de anno 1315. dicebant, Luciferum cum Dæmonibus ſuis cœlo injuria pulſum, tandemque beatitudini cum omnibus ſuis reſtituendum. Michaelem, & Angelos omnes, æternis cruciatibus eſſe deputandos. Unde mutuo ſe ſalutantes, hæc verba uſurpabant: Salutem te injuriam paſſus; ideſt Lucifer. Sic apud eundem Coccium.

Quinto Anabaptiſtæ, qui Dæmoniaci vocantur, dicunt, Dæmones poſt finem mundi ſalvandos: unde illi decies per diem colunt Dæmones, & invocant. Teſtatur Lindanus in Dubitantio.

Sexto Sociniani, aſſerit Jueninus, quod poſtremis hiſce temporibus Origenis errorem amplexati ſunt; dicentes nimirum, æque impie, ac inſulſe, juſtum non fore Dei judicium, ſi creatura ob unum lethale peccatum, & quod illud minus facit, non quidem operis, ſed cogitationis, æternis ſuppliciis deputetur.

Veritas Catholica eſt, Voluntatem Dæmonum ita eſſe in malo obſtinatam, ut non poſſit reſipiſcere, ac proinde ipſorum pœnam eſſe æternam; quam mox contra recenſitos hæreticos probabimus. Verum inter Scholaſticos adhuc controvertitur, unde in Dæmonibus proveniat hæc obſtinatio voluntatis, ſeu quæ ſit hujuſmodi obſtinationis cauſsa? Quinque opiniones enumerat Praſſen, quarum prima eſt Thomiſtarum, putantium, obſtinationis Dæmonum cauſſam eſſe voluntatis eorum immobilitatem, & inflexibilitatem circa actum, quem ſemel voluntarie, & determinate elicuerunt; & huic accedit Henricus Gandavenſis. Se-

cunda

cuoda eſt Aureoli dicentis, obſtinationem in Dæmonibus provenire ab habitu quodam vitioſo, quem Deus in eorum voluntate producit in ſuorum delictorum pœoam. Tertia eſt Marſilii cum aliis volentis oriri ex eo, quod Deus nolit concurrere cum eis ad ullum bonum opus eliciendum. Quarta Ochami putaotis provenire ex eo, quod ſit aliquis actus in Dæmooe, qui non ſit in ejus poteſtate: Unde Deus totaliter, & immediate cauſſaret in voluntate Angeli mali actum illum. Quinta tandem eſt Scotiſtarum, credentium, provenire ex denegatione divini auxilii ad reſipiſcendum, & ex perverſa Dmanatorum voluntate. Unde ultimæ opinionis defenſores dicunt, quod mali Angeli potuerunt poſt lapſum pœnitere; ut videre eſt apud Cacheranum citantem Scotum, Gabrielem, Vaſquez, Suarez, Lugum, Salmeronem &c. Contra vero Thomiſtæ cum Molina, Arriaga, Amico, Averſa, Eſtio, afferunt, quod nullo modo pœnitere potuerunt, ex iotrinſeca nimirum immobilitate ipſorum io quolibet actu; unde etiam ſi Deus dediſſet ipſis auxilia ſufficientia ad reſipiſcendum, nunquam ſe tamen pœnituiſſet.

Deveniendo modo ad pœnam peccati Angelorum, certum eſt, Angelos omnes poſt peccatum fuiſſe damnatos pœna damoi, & ignis. Sed præter has pœnas, alias etiam habuerunt io intellectu, in voluntate, in poteſtate ipſorum, ſeu principatu. In intellectu quidem, quia licet intellectus in naturalibus nullum paſſus ſit detrimentum, in gratuitis vero, quæ eraot mere ſpeculativa, ipſius cognitio immiouta eſt; & in gratuitis, quæ erant ſimul gratuita, & in Deum affectiva, totaliter ablata eſt. Io voluntate etiam, quia obſtinatio in malo eſt pœoa, qua Dœmonum voluntas a Deo punitur. In poteſtate demum, ſeu principatu, quia quanvis Angeli apoſtatæ in Angelos, qui ſequaces eorum fuerunt, eandem habeant poteſtatem, & principatum, quem antea habebant, nullum tamen habent in hominem, reſque illi ſubjectas. Hæc autem omoia probanda ſunt.

Primo de igne, quod non ſit metaphoricus, vel ſpiritualis, ſed verus, corporeus, & proprius, ac ejuſdem cum noſtro rationis. Contrarium putat errorem Joannes a S. Thoma; & S. Hierooymus ep. 59. inter Origenis hæreſes ponit, quod dixerit, ignem inferni non conſiſtere in ſuppliciis, ſed in peccatorum conſcientia. Bellarminus t. 1. controv. 2. lib. 4. de Chriſto c. 8. inter Calvini errores ponit etiam, quod dixerit, In inferoo nil aliud eſſe, quam timere Deum iratum. Et quanvis veritas hæc oon ſit adhuc ab Eccleſia expreſſe definita, ut teſtantur Bellarmious cit. loc. contr. 6. lib. 2. de Purgatorio c. 11., & Vaſquez; nihilominus Catharinus, qui lib. de præmiis bonorum, & ſuppliciis malorum dixit, ignem ioferni non eſſe corporeum, & materialem, ſed ſpiritualem, & metaphoricum, apud Catholicos non bene audit. Minus vero male audiunt aliqui, qui apud Cacheranum dicunt, ignem inferni eſſe verum, & corporeum ignem, ſed diverſæ ſpeciei a noſtro; & hi ſuns Cliethovæus, & Alphonſus a Caſtro, qui litem eſſe ſub Judice, affirmat. I. Ignis, quo torquentur Dæmones, eſt idem ignis, quo torquebuntur homines poſt judicium; ille erit verus, & corporeus: ergo & hic. Major eſt certa; non enim in Scripturis de diverſo igne fit meotio. Minor probatur. Scripturæ loquentes de igne inferni ſimpliciter loquuntur, & uniformiter, & frequenter: ergo de vero, & proprio igne ſunt iotelligendæ. Antecedens negari noo poteſt; conſequentia ſequitur, quia hæc eſt regula intelligentiæ, & explicationis Scripturarum. II. Sancti Patres ignem inferni corporeum eſſe oon inficiantur; ſiquidem Auguſtinus lib. 21. de civit. Dei c. 10. ſcribit: *Cur non dicamus, quanvis miris, tamen veris modis, Spiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi?* Eadem habet S. Hieronymus ep. 59., & in c. 5. ep. ad Epheſ. Gregorius magnus lib. 4. dial. c. 31. afferit, inferni ignem *corporeum eſſe non ambigo*.

De pœna intellectus probantur quæ diximus. Intellectus enim oon mutatur, ſeu non minuitur, niſi quando minuitur oatura, cujus eſt facultas; & ratio eſt, quia facultas ſequitur naturam; ſed natura Angelorum poſt peccatum non eſt mutata: ergo neque in naturalibus intellectus. Ulterius; gratuita ſpeculativa ſpeculativam cognitionem faciuot; cognitio ſpeculativa habetur per revelatiooem; ſed cognitio per revelationem imminuta eſt in Angelis poſt peccatum: ergo &c. Minor probatur a S. Thoma 1. p. q. 64. ar. 1. quia Angeli ante lapſum plura cognoſcebant per revelationem, poſt vero cogno-

gnoſcunt pauca. Demum; gratuita, quæ ſunt ſimul in Deum affectiva, omnia perdiderunt Angeli poſt peccatum; quia carent charitate, & per conſequens carent virtutibus illis omnibus, quæ ad charitatem referuntur.

De pœna voluntatis, quæ eſt obduratio, probatur quoque. Obſtinata dicitur voluntas illorum, qui non poſſunt a peccato reſipiſcere; Dæmones non poſſunt a peccato reſipiſcere: ergo ipſorum voluntas eſt obdurata, & obſtinata in malo. Subdit Angelicus, Dæmones in omnibus actibus ſuis lethaliter peccare, quia in eis includitur ſemper ſummum odium Dei. Verum non demerentur, quia ad demerendum non ſufficit peccare, ſed requiritur etiam in peccante ſtatus viæ.

Pœna tandem amiſſionis principatus, & poteſtatis, ſic ſimul explicatur, atque probatur. In Scripturis habemus, & Dæmoniorum principem, & Satanæ regnum; ſed hæc duo important ſuperioritatem, & ſubjectionem: ergo in Dæmonibus eſt principatus, & poteſtas, quæ prius erat in ipſis erga Angelos inferiores, antequam caderent. Major probatur ex Matth. 12. Hic non eiicit Dæmones, niſi in Beelzebub, principe Dæmoniorum; & ex eodem loco: Si Satanas Satanam eiicit, adverſum ſe diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum ejus? Inſuper; Poſt caſum retinent mali Angeli nomina imperii, & poteſtatis, quæ habebant ante lapſum; ſcilicet Poteſtatum, Principatuum &c. ergo retinent pariter ſuperioritatem, quam antecedenter hababant. Antecedens patet ex ep. ad Rom. c. 8., ex I. ad Cor. c. 15., ex ep. Epheſ. c. 6. Denique; poteſtas illa, & ſubjectio, proveniebat in Angelis ex natura: ergo non deperdiderunt per culpam. Conſequentia ſequitur; quia remanſerunt in Angelis malis, quæ per naturam habebant. Antecedens eſt manifeſtum, quia Angelorum alii aliis erant natura excellentiores, ut omnes fatentur. In homines vero nullam habent poteſtatem, præter eam, quam illis tribuit Deus ut juſtitiæ ſuæ miniſtris; quæ quidem in rigore non eſt poteſtas, ſed miniſterium, & ſervitus. Quis enim dicet, poteſtatem eſſe illam, quam Tortores habent, ut homines reos torqueant, vel etiam occidant? Et quia hæc ſervitus, quam Deo tribuunt, homines perſequendo, a Deo eſt; ideo orationibus utimur, quibus non Dæmones, ſed Deum, oramus, ut illis imperet, ne amplius nos perſequantur. Et ſic intelligenda ſunt verba Auguſtini lib. 4. cont. Julianum c. 4. *Eccleſia filios fidelium nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate Dæmonum erueret.* Addimus; quod ſi innocentiæ ſtatus in hominibus perſeveraſſet, non habuiſſent apoſtatæ Angeli hoc miniſterium in homines, qui non fuiſſent peccatores, ſed juſti. Et ob hanc eandem rationem Dæmones nec poteſtatem habent in res noſtras, ſed Dei mandata exequuntur, quando, vel in noſtrorum delictorum pœnam, vel in virtutis exercitium, vel ad meriti augmentum, res noſtras divexant, perturbant, diſperdunt. Et hoc in Job patuit, cui nihil Dæmones, nec in rebus, nec in filiis, nec in perſona facere contrarium potuerunt, niſi Deus ipſis aut permiſiſſet, aut imperaſſet.

Arguunt I. Ignis pluries in ſacris literis intelligitur metaphorice, non proprie: ergo ſic pariter intelligendus eſt inferni ignis, qui in ſacris literis legitur. Probatur antecedens. Luc. 3. & Matth. 3. dicitur: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*; ſed in hoc loco metaphorice intelligitur: ergo &c. II. Ambroſius in c. 24. Luc., Hieronymus in c. 65. Iſai, & Damaſcenus lib. 4. de fide c. ult. nomine ignis in inferno intelligunt triſtitiam, & dolorem ſpiritualem, quem propter beatitudinis amiſſionem Dæmones patiuntur: ergo non eſt ignis materialis, & corporeus inferorum ignis. III. Auguſtinus lib. 21. de civit. Dei c. 10. aſſerit, in Epulonis parabola Lucæ 16. ita intelligendam eſſe flammam gehennæ, ſicut intelliguntur aqua, digitus, lingua &c., ſed hæc metaphorice intelliguntur: ergo pariter ignis. IV. Gregorius magnus lib. 15. moral. c. 17. ignem inferni apertis verbis vocavit incorporeum: ergo &c. V. In peccati pœnam Angeli ſuperiores perdere debebant ſuperioritatem, quam in inferiores habebant: ergo illam modo non habent. VI. Angeli antequam caderent vel habebant ſuperioritatem in homines, vel non habebant? Si habebant; illam non perdiderunt, ſicut non perdiderunt quam habebant in Angelos; quia erat a natura, ut dictum eſt; ſi non habebant: ergo nec modo habent Angeli, qui ſunt boni; atqui hoc dici non poteſt: ergo &c.

Reſpondemus ad I. quod eadem vox aliquando in Scripturis accipitur proprie, aliquando improprie; prout ſcilicet eam ex-

exprimunt vel res,quæ narratur, vel verba, quæ adhibentur, vel contextus, ad quem refertur. Accedit, quod majoris ponderis eſt, quando eam in aliquo loco proprie intelligunt Eeeleſiæ Patres, & Doctores. Unde non mirum, ſi vox ignis aliquando in Scripturis accipitur proprie, aliquando improprie, ac metaphoriee.

Ad II. Ambroſius explicatur ab Eſtio in IV. diſt. 44. §. 13. ad 8. de igne, qui eſt in inferno præcipuum tormentum, non vero de igne, qui eſt tormentum mious præcipuum, & quem Ambroſius intellexit eſſe corporeum. Hierònymus dicitur quod cit. loc. loquutus fuerit recirative, noo vero aſſertive, ſicut loquutus eſt in locis illis, quæ nos in probationibus allegavimus. Damaſcenus vero ſolummodo oegat, inferni ignem eſſe corporeum, quia non indiget pabuló corporali, ut conſervetur, & ardeat.

Ad III. Auguſtinus loquitur de parabola Epuloois, & conſequenter de omnibus, quæ in parabola, continentur; & io hoc ſolum ſenſu dixit, ignem parabolæ eſſe metaphoricum. At inferni ignem eſſe verum, & proprium alia ipſiuſmet teſtimonia ſuperius allata oſtendunt.

Ad IV. Gregorius Magnus ideo vocat incorporeum gehennæ ignem, quia corporeo pabulo non alitur, ut ignis, quem nos habemus. Quod vero ſit corporeus, ut nos intendimus, aſſerit loco, quam nos citavimus.

Ad V. dicit S. Thomas 1. p. q. 109. ar. 2. principatum illum non perdidiſſe Angelos ſuperiores, quia poſt peeeatum non cedit illis in bonum,ſed in malum: *Quod autem ſuperioribus inferiores ſubdantur,non eſt ad bonum ſuperiorum, ſed magis ad malum eorum: quia cum mala facere maxime ad miſeriam pertineat, præeſſe in malis, eſt eſſe magis miſerum.*

Ad VI. negamus ultimam minorem ſubſumptam. Ratio eſt, quia oec modo Angeli boni ullam ſuperioritatem in homines habent ex natura, ſed tantum ex Dei ordinarione. Nec omnes Angeli habent; at illi tantum, qui a Deo ita ſunt ordinati. Nee quia præſtantiores ſunt natura hominibus, ideo narura quoque debent illis eſſe ſuperiores; non enim ſemper natura exeellentior ſuperioritatem importat ex ſe ipſa, quanvis ex Dei ordinatione aliquando dicat; ut rem bene conſideranti innoteſeit. Quod ſi adhuc admittamus poteſtatem illam in homines habuiſse, quando erant boni; quia tamen noo ex natura habuerunt, ideo eam io peccati pœnam amiſerunt.

Dieimus, Angelorum malorum pœnam eſſe æteroam.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 25. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Ibidem: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam.* Marci. 3. *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remiſſionem in æternum* II. ad Theſſalooicenſes 2. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini.* Judæ v.6. *Anglos vero,qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei,vinculis æternis ſub ealigine reſervavit.*

II. Probatur ex Conciliis. V. Synodus generalis hæc in Origene damnavit: *Omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam Dæmonum, tormenta finem habitura, atque impios, & Dæmones in priorem ſuum ſtatum reſtiturum iri. Præterea Chriſtum oportere pro Dæmonibus crucifigi, & idipſum ſæpius per futura ſecula perpeti a Spiritibus nequitiæ, qui ſunt in cæleſtibus.* Concilium Floreotinum generale definivit de hominibus quod poteſt etiam Aogelis applicari. *Animas illorum, qui poſt baptiſmu ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; eas etiam animas,quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel iiſdem exules eorporibus ſunt purgatæ: in cælum nulla mora recipi, & intueri clare ipſum Deum Trinum, & Unum ſicuti eſt; meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius: Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali, decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

III. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de carne Chriſti c. 14. *Nullum mandatum de ſalute Angelorum ſuſcepit Chriſtus a Patre. Quod Pater neque repromiſit, neque mandavit, Chriſtus adminiſtrare non potuit.* Ireoæus lib. 4. adv. hæreſ.c.4. *Quibuſcumque dixerit Dominus: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum; illi erunt ſemper damnati.* Hieronymus ad verba Matthæi: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam:* inquit: *Prudens Lector adverte, quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.* Auguſtinus lib. de correp. & grar.c.10. *parem eſſe,* inquit, *cauſſam miſeriæ in Dæmonibus,*

nibus , *&* *beatitudinis in Angelis* . Beda in c. 3. ep. Jacob. exponens verba illa : *inflammata a gehenna* , ait : *A gehenna dicit, a Diabolo, & Angelis ejus, propter quos gehenna facta eſt: & qui ubicunque vel in aere volitant, vel in terris, aut ſub terris vagantur, ſive detinentur, ſuarum ſemper ſecum ferunt tormenta flammarum inſtar ferbicitantis, qui etſi in lectis eburneis , etſi in locis ponatur apricis , fervorem tamen , vel frigus inſiti ſibi languoris evitare non poteſt . Sic ergo Dæmones , etſi in templis colantur auratis, etſi per aera diſcurrant , igne ſemper ardent gehennali ; & ex ipſa ſua pœna commoniti deceptis quoque hominibus fomitem vitiorum , unde & ipſi pereant , invidendo ſuggerunt .*

IV. Probatur Rationibus . I. Tandiu durare debet pœna Dæmonum , quamdiu durabit obſtinatio ipſorum ; ſed obſtinatio ipſorum erit ſemper : ergo ſemper erit ipſorum pœna . Major eſt certa ; non enim remitti debet culpa non retractata ; minor patet ex dictis ; conſequentia ſequitur . II. Si pœnitentia non ſubeat vicem pœnæ, pœna ſemper durabit; ſed in malis Angelis nunquam pœnitentia ſubibit vicem pœnæ: ergo pœna ſemper durabit . Et hanc rationem ſic illuſtrat S.Cyprianus in fine lib.ad Demetrianum: *Quando iſtinc exceſſum fuerit , nullus jam pœnitentiæ locus , nullus ſatisfactionis effectus* . III. Quando æternum eſt agens , & actio pariter eſt æterna , æterna etiam eſt pœna; ſed æternus eſt ignis, & æterna eſt combuſtio ignis : ergo æterna eſt pœna ignis . Auguſtinus lib.de fide c. 15. hanc rationem exprimit : *Neque illud dici hic poteſt, in quo nonnullos ſeipſos ſeducunt, ignem æternum dictum , non ipſam combuſtionem æternam . Per ignem quippe , qui æternus erit , tranſituros arbitrantur eos , quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt ſalutem : ut videlicet ipſe ignis æternus ſit ; combuſtio vero eorum , hoc eſt operatio ignis , non ſit in eos æterna . Cum & hoc prævidens Dominus ſententiam ſuam concluſit , ita dicens : Sic ibunt illi in combuſtionem æternam : juſti autem in vitam æternam .*

Opponunt I. Eſt contra juſtitiam Dei peccatum momentaneum, etſi graviſſimum, æterna pœna punire: ergo Dæmonum pœna non debet eſſe æterna . II. Ambroſius in com. ad Ep. ad Epheſ. c. 3. explicans verba illa pſalmi 23. *Tollite portas , principes , veſtras, & elevamini portæ æternales , & introibit Rex gloriæ* : ea intelligit de Dæmonibus , qui aliquando relinquent Principem ſuum Diabolum , & Chriſto adhærebunt : *Dicitur ergo his principibus , qui in errore ſunt , in cæleſtibus , ſive miniſtris ejus in terris , ut auferant portas principis ſui Diaboli de mentibus ſuis , per quas multorum Deorum aſſerendorum error intravit* . III. Ambroſius etiam in pſal. 118. Diſtinguit inter pœnam Dæmonum , & pœnam hominum , quatenus proportionem dicat culpæ, quæ ſcilicet fuit breviſſima , & altera culpæ , quæ fuit longior : *Diabolus enim , & miniſtri ejus cum hominibus non flagellabuntur . Separata eſt pœna , ubi diſtat & culpa .*

Reſpondemus ad I. cum Auguſtino lib. 21. de civit. Dei : *Nulla unquam juſtitia , nec lex decrevit, ut tanta mora temporis quiſquo puniatur , quanta mora unde puniretur admiſit* . Eadem habet Gregorius lib. 34. moral. c. 16. *Ad diſtricti judicis juſtitiam pertinet , ut nunquam careant ſupplicio , quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato ; & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quandiu valuit noluit habere terminum criminis .*

Ad II. Commentaria in ep. S. Pauli , quæ ſub nomine Ambroſii circumferuntur , non ſunt Ambroſii , ut Eruditi omnes cenſent . Bellarminus putat fuiſſe illorum Auctorem Hilarium , aut Pictavienſem, aut Arelatenſem; Petavius negat, & alium ſuſpicatur auctorem. Quicquid de hoc ſit, dicimus cum eodem Petavio, per principes illos non alios intelligi , quam impios ſpiritus , qui fide carent , & in errore ſunt, ac tyrannidi aſſenſi ſunt Diaboli ; qui tamen prædicatione Eccleſiæ ab errore illo liberabuntur.

Ad III. Diſtinguit Ambroſius Dæmonum ſupplicia a ſuppliciis hominum, hac quidem ratione ; quia D[illegible]monum vult eſſe ſempiterna, homin[illegible] . vero putat miſericordia temperari . [illegible]æterum Ambroſius de æterna Dæmonum pœna ſic loquitur lib. 2. de fide c. 4. *Tu te a Diabolo creatum, Manichæe , arbitraris . Ad illius ergo feſtina ſedem, ubi ignis, & ſulphur ; ubi non reſtinguitur ejus incendium , nec unquam pœna moritur .*

DISSERTATIO CLIII.

De Angelorum, ſive bonorum, ſive malorum, extraordinariis operationibus; ubi de Spectris, Energumenis, Magis, Maleficis, Pythonibus, Lamiis, Incubis, & Succubis, aliiſque ſimilibus.

Contra a nobis in hac Diſſertatione dicenda, quoſcunque potuimus colligere errores, quaſcunque invenire ſententias, contigit; hic primo referre, conſilium eſt; ut deinde ſervato ordine de ſingulis pertractare, non quidem ex inſtituto, ſed ſtricto calamo, conſueta tamen methodo, pergamus.

Primo illi omnes, quos in antecedenti Diſſertatione diximus, Dæmones negare, eorundem pariter ſive appariciones, ſive operationes, negant. Unde Caſſius putávit, ſenſus potius decipi, & imagines illas fingere; ſic pariter Michael Balbus, Orientis Imperator. Quod referunt Plutarchus in Bruto, & Zonaras, apud Coccium.

Secundo apud eundem eſt Andreas Tiraquellus ad c. 10. lib. 2., & ad cap. 23. lib. 5. Alexandri ab Alexandro genialium dierum, qui voluit, Dæmonum apparitiones, & ſpectra, mera eſſe ſomnia.

Tertio Levinus Lemnius lib. 2. de abditis naturæ miraculis c. 1. aſſerit, humores, non malos genios, inducere morbos; quanvis aerei ſpiritus illis aliquando ſe immiſceant, ut tempeſtatibus quoque ſe immiſcent, & irritare, ut nobis acrius noceant. Et c. 2. ſubdit, quod Malancholici, Maniaci, Phrenetici, quique alia ex cauſſa perciti ſunt furore, alienam linguam aliquando uſurpant, quam nunquam didicerunt; & non per hoc Dæmoniacos eſſe.

Quarto Calvinus lib. 4. inſtit. c. 19. §. 24. hæc ſcribit: *De ementitis illis Exorciſtis quis unquam fando audivit, quod ſpecimen unum ſuæ profeſſionis ediderint? Fingitur illis poteſtas data imponendi manus ſuper Energumenos, & Catechumenos, & Dæmoniacos; ſed tali ſe poteſtate præditos Dæmonibus perſuadere non poſſunt: non modo quia eorum imperiis non cedunt Dæmones, ſed etiam quia ipſis imperant.*

Quinto Hieronymus Vvellerus ad c. 2. poſterioris epiſtolæ ad Theſſalonicenſes, apud Coccium, fatetur quidem, & olim, & nunc, expulſa eſſe Dæmonia in Papatu, ſed negat, aut expulſa fuiſſe, aut expelli per exorciſmos, quos aſſerit meras præſtigias eſſe.

Sexto Henricus Cornelius Agrippa, verba ſunt Coccii, ,, ſcripſit adverſus Lamia-
,, rum Inquiſitores librum, quo reprehen-
,, dit eos, qui maleficas mulieres ob id inſe-
,, ctantur, quod eas rem veneream cum
,, Dæmonibus habere compertum fuerit:
,, quam quidem rem ipſe dederit ceu fabu-
,, loſam, & a ſomniis, & imaginationibus
,, delirantium anicularum innatam, quæ
,, cum ſæpe dormientes per ſomnia deci-
,, piantur, & interdum quoque vigilantes
,, vehementi libidinis imaginatione elu-
,, dantur, tamen vere arbitrantur, ea ſibi
,, contigiſſe, quæ ſola imaginatione pera-
,, cta ſunt ,,.

Septimo Joannes Vvierus lib. 6. de præſtigiis Dæmonum c. 27. apud eundem ait:
,, Lamiæ commiſeratione potius, quam
,, pœna enormi, dignæ ſunt; omnique
,, potius auxilio, quod dolum, vim, metum
,, paſſis, furioſis, deceptis, ignorantibus,
,, impotentibus, aut ipſo jure competit,
,, aut ratione ſuadente tribuitur ,,.

Octavo a Martino del Rio lib. 2. magicarum diſquiſitionum q. 1., ubi quærens; an ſit aliqua magia dæmoniaca; reſpondet his verbis, quæ fideliter reportamus.
,, Hanc etiam eſſe negarunt, qui Dæmo-
,, nes eſse negant, cum Sadducæis, De-
,, mocrito, Ariſtotele, Averroe, & Sim-
,, plicio, quorum ſententia eſt impia, &
,, hæretica. Nam & Dæmones eſſe, &
,, dæmoniacam magiam, quæ nec induſtria,
,, nec naturalibus cauſis, ſed immateriali
,, quapiam, & ſeparata virtute nititur; hoc
,, &

Digitized by Google

,, & ſacræ Scripturæ teſtimoniis, & om-
,, nium ætatum memoria, atque experi-
,, mentis, tam eſt compertum, ut velle
,, probare, nihil ſit aliud, quam lychnis
,, accenſis meridianæ luci opitulari. Hoc
,, probant cum B. Auguſtino lib. 11. de
,, civ. Dei c.6. Theologi catbolici omnes,
,, & Philoſophi plerique Triſmegiſtus, &
,, Pithagoræi; ex Platonicis Pſellus, Plo-
,, tinus, Proclus, Jamblicus, Chalcidius,
,, & Apulejus ,,.

Nono apud eundem del Rio ſunt, qui Dæmones eſſe fatentur, ſed negant magiam a Dæmonibus vel manaſſe, vel exerceri. Unde quidam ejus effectus tribuunt immediate Deo per Magos operanti; alii Deo perficienti per bonos Angelos; alii adſcribunt bonis Angelis, quorum abſolute dicunt effectus eſſe. Et ita opinatus eſt Scotus Parmenſis; & antiquitus quoque impoſturam fuiſſe Magorum, præcipue Platonicorum, Jamblici, Porphyrii, Plotini, Procli, & Juliani Apoſtatæ.

Decimo Dæmones Incubos, & Succubos, complures Hæretici negarunt; & ex Catbolicis etiam nonnulli, ut ait del Rio lib. 2. q. 15., quos enumerans, aſſerit, fuiſſe ex Belgis Pbilippum Broidens, ex Italis Cardanum, Ponzinibum, & Joannem Baptiſtam a Porta.

At quia ex his, qui cum Dæmonibus commercium habent, plurimi etiam Dæmonibus cultum exhibent, & adorationem; uti ſunt Magi, Malefici, Pythones, Lamiæ &c., & quem præſtant cultum ex iiſdem etiam non pauci debitum, ac juſtum eſſe volunt; hinc etiam provinciam hic ſumimus referre illos, illorumque inſanias manifeſtare.

Primo ponitur Zeroaſter, qui floruit ante Cbriſtum natum anno fere 1750., & in oraculis magicis c. de Dæmonibus, & Sacrificiis, probare voluit, magiam eſſe exercendam, & cultum Dæmonibus exhibendum. Et hinc eſt, quod hic idem Zeroaſter primus magicæ artis inventor dicitur a Plinio ex Gentilibus, & ab Epipbanio ex noſtris.

Secundo dicitur Mercurius Triſmegiſtus, vel quiſquis alius ſub ejus nomine latet, qui in Aſclepio c. 13. ſicut magica multa docere conatur, ſic Dæmonibus cultum præſtandum præcipit.

Tertio ſcribunt fuiſſe poſt Cbriſtum natum Romæ Simonem Magum; de quo dicunt, quod prius in Judæa magicam artem exercuerat, atque docuerat, Dæmones prædicando, ac invocando; poſtmodum Romæ ſeipſum uti Deum adorandum a Populo voluiſſe, aſſerunt; ut Euſebius, Irenæus, Juſtinus &c.

Quarto hæretici plures, qui ex Simonis ſcbola exierunt, magiam exercere ſunt viſi. Nimirum Gnoſtici; ut teſtatur Euſebius lib. 4. biſt. c. 7. Baſilidiani; quod aſſerit Ireoæus lib. 1. c. 23., & Epipbanius bæres.24. Carpocratiani, Dæmones invocantes; uti narrat Theodoretus lib. 1. hæret. fabul. Helceſaitæ, invocationes pariter, & incantamenta Dæmonum adbibentes; quod refert Nicepborus lib. 5. c. 24. Manicbæi invocantes quoque, & adorantes; uti ſcribit Cyrillus catech. 6. Sataniani, qui Sanatam adorabant, eique laudes canebant; unde Sataniani dicti ſunt apud Epiphanium hæreſ. 80.

Quinto Conſtantinus Copronymus, Orientis Imperator, delectabatur plurimum magicis maleficiis, cruentis ſacrificiis, fœdiſſimis luxuriis & ſacrilegis Dæmonum invocationibus. Teſtis eſt Otto Friſingenſis lib. 5.c.9., cui accedit Abbas Urſpergenſis ad ann. 742.

Sexto fuerunt circa ann. 1050. Manichæi Agannenſes, qui occulte Diabolum adorabant, quia illum ſui corporis conditorem credebant; ut refert Rodulpbus Ardens Dom. 8. poſt Trinit. Et fuerunt pariter ann. 1270. in Aragonia hæretici alii, qui docebant, licitum eſſe Dæmones adorare, & honorare latria meritorie, ſi ſuum Creatorem repræſentent. Et quod non tantum abſque vitio bæreſeos, ſed etiam abſque peccato ullo, poſſint Dæmones latriæ cultu adorari, ſi hoc ab Eccleſia Dei prohibitum non eſſet. Scribit Nicolaus Eymericus par. 2. q. 10.

Septimo de Guillelmo Linenſi, Doctore Theologo, hæc ſcribit Coccius: ,, Ma-
,, gicarum artium accuſatus, & condem-
,, natus, cum reſipiſcentia tandem afficeretur, confeſſus eſt: ſe per noctem cum
,, Magis aliis perſæpe deportatum eſse, ut
,, Diabolum adoraret, modo humana
,, ſpecie, modo hircina conſpicuum, &
,, religioni toti renunciaſse. Quin etiam
,, penes ipſum inſtrumentum obligationis
,, contractæ cum Satana fuit deprehen-
,, ſum, quo ſponſiones reciprocæ contine-
,, bantur. Inter alias autem bæc: Docto-
,, rem obligatum eſse, ut publice concio-
,, netur; quicquid de Magis prædicetur,
,, fabulam eſse, non poſse fieri: nullam
,, fidem ſermonibus iſtis haberi oportere.
,, Atque his concionibus augebatur mirum

„ in modum Magorum numerus, & ſe con-
„ firmabat, dum ab illis perſequendis ceſ-
„ ſarent Judices „: Petrus Marmorius lib. de Lamiis pro teſte adducitur.

Octavo ex Paulo Jovio in elogiis hæc idem Coccius narrat de Henrico Cornelio Agrippa. „ Scripſit adverſus Lamiarum
„ inquiſitores librum, quo reprehendit
„ eos, qui maleficas mulieres ob id infe-
„ ſtantur, quod eas rem veneream cum
„ Dæmonibus habere compertum fuerit.
„ Quam quidem rem ipſe deridet ceu fa-
„ buloſam, & a ſomniis, & imaginationi-
„ bus delirantium anicularum innatam,
„ &c. quod modo diximus. Verum, quod deterius eſt, ſubdit: „ Epiſtola quam ad-
„ jecit ad finem libri tertii de occulta Phi-
„ loſophia, ſcribit clavem occultæ Philo-
„ ſophiæ a ſe amicis ſolum aſſervari. Is
„ autem liber quartus eſt, diſcipulorum
„ ejus opera poſt mortem Magiſtri manda-
„ tus typis; qui liber tanquam clara luce
„ deteſtabile magiæ venenum retegit, om-
„ nes Dæmonum invocationes, circulos,
„ characteres, & ſacrificia Satanæ obla-
„ ta „.

Devenientes modo ad extraordinarios bonorum Angelorum effectus, dicimus, inter illos enumerari, quod in corporibus aſſumptis hominibus aliquando appareant. Hoc pariter explicamus eo modo, quo in ſuperioribus, ex P. Magnani ſententia, expoſuimus. Afferunt autem Scriptores, hoc ipſum prioribus mundi, & eccleſiæ ſeculis frequentius, quam poſterioribus temporibus, fieri conſueviſſe. Ulterius, ſanctis Angelis in ſacris libris tribui etiam aliquando regnorum everſionem, regnorum ad alias gentes tranſlationem, exercituum clades; quod teſtatur S. Auguſtinus lib. 4. de civ. Dei c. 17. ubi Gentilium vanitatem deridens, qui hæc omnia Diis ſuis tribuebant, dicentes, *quod Deam Victoriam Juppiter mittat, atque illa tanquam Regi Deorum obtemperans, ad quos juſſerit, veniat, & in eorum parte conſidat*; inquit appoſite: *Hoc vere dicitur non de illo Jove, quem Deorum Regem pro ſua opinione confingunt, ſed de illo vero Rege ſeculorum, quod mittat non Victoriam, quæ nulla ſubſtantia eſt, ſed Angelum ſuum, & faciat vincere quem voluerit*. Denique ſcribunt, quod boni Angeli erga juſtos homines divinæ miſericordiæ effectus exerceant, juſtitiæ vero in perverſos; quod pariter Auguſtinus, explicans verba illa Pſal. 77. *immiſſiones per Angelos malos*, probat: *Si propterea per malos Angelos illa Deum feciſſe putaverimus, quia pœnæ infligebantur, non beneficia præſtabantur, tanquam nemini Deus pœnas irroget per Angelos bonos, ſed per illos veluti militiæ cœleſtis carnifices; conſequens erit, ut etiam Sodomam per Angelos malos everſam eſſe credamus, & malos Angelos Abraham, & Loth hoſpicio ſuſcepiſſe videantur; quod abſit, ut contra Scripturas apertiſſimas ſentiamus*. Unde patet, Auguſtini mentem fuiſſe, in illo Pſalmi loco Angelos fuiſſe dictos malos, quia malum pœnæ infligebant hominibus ſceleſtis, non vero quod mali per malum culpæ Angeli ipſi fuiſſent.

Ad malorum Angelorum extraordinarios effectus modo devenientes, non pauci Scriptores aſſerunt, quod Dæmones applicando activa paſſivis producunt aliquando animalia, quæ non ex ovo, ſed ex putri generantur; & exempla producunt in ranis, muſcis, muribus, vermibus &c. Attamen hoc non pro certo habendum eſt; quum plurium Philoſophorum ſit ſententia, omnia animalia ex ovo generari; ſicque per veram generationem produci. Unde in hac hypotheſi dicendum eſt, ranas illas, muſcas, mures, vermes &c. apparentes quidem fuiſſe, non veros. Et hoc pacto intelligendus eſt Auguſtinus lib. 15. de civ. Dei c. 23., & quæſt. 21. in Exodum, quem in ſuæ opinionis patronum profert Juenninus. Scimus, Eſtium, judicare, fuiſſe illa vera animalia, & per Magos naturali modo producta, non quidem per creationem, ſed per generationem, vulgari modo intellectam. Non negat tamen, apparentia multa Dæmonum ope produci; de quibus, ait, S. Auguſtinum loqui lib. 18. de civ. Dei c. 18.

Certum nihilominus eſt apud omnes, non poſſe Dæmones vera miracula efficere. Et Ratio eſt, quia quodcumque operantur Dæmones, naturalis potentiæ fines non excedit; miracula autem excedunt cujuſcunque creaturæ naturalem virtutem: Additur, quod aliter ſequeretur, miracula illa, a Dæmonibus facta, vel confirmare errorem, cujus Dæmones ſunt magiſtri, vel approbare veritatem, cujus Dæmones ſunt inimici; neutrum autem ex his dicendum eſt. Ulterius; miracula ſunt ſigilla potentiæ divinæ; abſonum autem eſt, ut perduelles Regis ſigillis utantur, Rege permittente, ad fraudes ſuas obfirmandas. Denique; ſequeretur, nos non poſſe eſſe certos de miraculis divinis,

ſi poſ-

ſi poſſent in mundo eſſe dæmoniaca miracula ; hæc autem certitudo admodum nobis neceſsaria eſt, ut verum a falſo diſcernamus.

Objicitur I. Angeli boni poſsunt vera miracula patrare, immo homines etiam, qui ſancti habentur, & ſunt : ergo etiam Dæmones, qui naturalem virtutem æqualem habent cum Angelis bonis, & majorem, quam homines ſancti. II. Magi Pharaonis vera miracula perpetrarunt, convertendo virgam in draconem, aquam in ſanguinem &c. producendo ranas, mures &c., atqui illa omnia virtute Dæmonum effecerunt : ergo &c. III. Pythoniſsa Saulis ex mortuis ſuſcitavit Samuelem ; hoc autem verum miraculum fuit, & Dæmonis virtute factum. IV. Homines mali poſsunt vera miracula efficere : ergo etiam Angeli mali. Antecedens conſtat. Matth. 7. ubi reprobi homines dicebant: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & Dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus?* Dominus autem reſpondebat illis : *Nunquam novi vos ; diſcedite a me operarii iniquitatis*. V. Matth. 24. dicitur, quod erunt Pſeudo prophetæ, & Pſeudochriſti, qui facient ſigna magna, & prodigia. VI. In multis Scripturæ locis habemus, Antichriſtum vera miracula operaturum. Et præcipue II. ad Theſsalon. 2. hoc docet Apoſtolus verbis illis: *in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus*. Dicit autem mendacibus,non quod ſigna, & prodigia ſint mendacia, illuſoria ſcilicet, & non vera; ſed quia in mendacium, & errorem inducent; ut explicant multi apud Auguſtinum lib. 2. de civ. Dei c. 19.

Reſpondemus ad I. nec bonos Angelos,nec ſanctos homines, propria virtute miracula facere, aut facere poſſe; ſed tantum dicuntur facere, vel quia Deus ad illorum preces [illegible]a operatur, vel quia ad hæc facienda illorum miniſterio utitur ; quod docet S.Thomas ſecund. ſecund.q. 178. ar. 1. Non autem Deus Dæmonum preces audit, nec illorum miniſterio utitur, quando miracula facit. Non currit igitur paritas ab Angelis bonis, & ab hominibus ſanctis ad Dæmones.

Ad II. dicitur ex ſententia Joſephi lib.2.antiquit., & Tertulliani lib.de anima c.57., aliorumque multorum, mutationes illas non fuiſſe veras, ſed apparentes; quatenus Pharaonis Magi per ſuas præſtigias effecerunt, ut illorum oculis apparerent dracones, ranæ, ſanguis &c. quum revera eſſent virgæ, fluvius, aquæ &c.quæ in ſua naturali ſubſtantia perſiſtebant. Aliter rem explicat S. Thomas ex S. Auguſtino ; ſed nos, cohærenter ad dicta, data reſponſione utimur.

Ad III. ipſemet Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum qu. 3. docet, Samuelem non fuiſſe a mortuis ſuſcitatum vere, & realiter, ſed tantum apparenter. En Auguſtini verba : *In hoc facto poteſt eſſe alius ſimplicior intellectus, & expeditior exitus, ut non vere ſpiritum Samuelis excitatum a requie ſua credamus, ſed aliquod phantaſma, & imaginariam illuſionem, Diaboli machinationibus factam; quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, quorum imagines ſunt*.

Ad IV. dici poteſt, quod ex Matthæi verbis habetur, homines malos dixiſſe quidem ſe miracula effeciſſe, Deum autem reſponſione ſua non approbaſſe; immo potius negaſſe, quum dixerit : *non novi vos ; diſcedite a me, operarii*, non miraculorum, ſed *iniquitatis*. Cæterum etſi effeciſſent, non fecerunt tamen in falſitatis confirmationem ; quod utique facerent Dæmones, ſi miracula perpetrarent.

Ad V. Exponuntur communiter verba illa de ſignis, & prodigiis apparentibus, non veris ; vel quæ ab hominibus reputabuntur ſigna magna, & prodigia, quia erunt præter ſolitum mundi ordinem, ſed vera miracula non erunt; vel tandem, ut ait Eſtius, quia talia erunt in oculis hominum, qui ad ea tanquam ad magna miracula, valde ſtupebunt.

Ad VI. Antichriſtus quæcumque faciet, Diaboli virtute faciet. Diaboli autem virtus naturalis quorumcumque hominum naturalem virtutem ſuperat : unde Antichriſti operationes reſpective ad modum operandi hominum miracula videbuntur, ſed abſolute miracula non erunt. Videbuntur autem iis, quibus Diaboli virtus non eſt perſpecta, vel quibus a Deo cæcitas data eſt in pœnam. Audiatur Auguſtinus lib.20. de civ. Dei c.19. *Solet ambigi,utrum propterea dicta ſint ſigna, & prodigia mendacii, quoniam mortales ſenſus per phantaſmata decepturus eſt, ut quod non facit, facere videatur : An quia illa ipſa, etiamſi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuiſſe niſi divinitus fieri,virtutem Diaboli neſcientes, maxime quando tantam, quantam nunquam habuit, accipiet poteſtatem*.

Mudo

Modo de ſingulis, quæ in Diſſertationis titulo propoſita ſunt, agamus.

Spectrum idem eſt ac ſimulacrum, idolum; phantaſma, imago rei alicujus, quæ oculis sese offert, vel phantaſiæ occurrit; ut ait Ambroſius Calepinus. Phantaſma proprie eſt ſimilitudo individualis, ſeu rei particularis, in ſenſu interiori, ut docet S. Thomas. Attamen, quod ſubdit Mortier, „ quia phantaſia, ſeu imaginativa, aliquando ex conjunctione variarum rerum horribiles format imagines; etiam illa ſpectra, quæ dum videntur, terrori hominibus eſſe ſolent, phantaſmata vocantur. „ Tribuuntur Dæmonum operationibus hæc ſpectra, vel phantaſmata duplici ex via; primo ſcilicet, quia Dæmones variis modis phantaſiam immutant, ſpiritibus animalibus varios motus imprimendo, unde procedunt ſomnia varia &c. in ſomno, & etiam in vigilia faſcinationes, ludificationes &c.; ſecundo vero, quia Dæmones etiam hæc extrinſecus operantur, ſive, ut dicitur, efformando corpora aerea, ſive alio modo; unde procedunt ſpectra, ſeu phantaſmata exterius apparentia; quæ omnia explicantur a S.Thoma 1. p. q. 111. ar. 3. in c. De his Spectris fuſe loquitur Martinus del Rio diſquiſ. magic. lib. 2. ſec. 2., & multas affert auctoritates, & plura exempla, quibus illa fuiſſe, & eſſe, apparuiſſe, & apparere, hominibus ut plurimum probet. Nos adducimus teſtes S. Hieronymum in vita S.Hilarionis c.3., S. Athanaſium in vita S. Antonii, Severum Sulpitium in vita S. Martini c.24., S. Paulinum in ejuſdem S. Martini vita lib. 5., &, ut alios omittamus, S. Auguſtinum lib.22. de civ. Dei c.8. Qui plura de Spectris ſcire cupit, legat Fraſſen trac.1. de Angelis diſp.3. ar.3. appendic. unic., ubi de variis apparitionibus, & ſpectris tractat, & præcipue de Dæmoniacis ſpectris, & rationem reddit, qualiter Dæmones ſpectris aſſumptis hominum oculos ludere poſſint. Denique in ſacris utriuſque fœderis paginis Spectrorum, ſeu phantaſmatum hujuſmodi memoriam habemus. Pſal.90. *Non timebis a timore nocturno, a ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & Dæmonio meridiano*. Ubi tam de diurnis, quam de nocturnis ſpectris fit mentio. Pariter Matth. 14. de Apoſtolis legitur: *Videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt dicentes, quia phantaſma eſt, & præ timore clamaverunt*. Non credidiſſent autem, Chriſtum eſſe phantaſma, nec timuiſſent, niſi phantaſmata dæmoniaca eſſe ſciviſſent.

Energumeni, græco vocabulo dicti, latine idem ſonant ac interius acti, ſeu agitati, vel ad opus adacti; quia re vera Energumeni a Dæmonibus male agitantur, & in operibus ſuis violenter aguntur. Hinc S.Thomas 3. p. q. 71. ar.2. ad 1. docet, *Energumenos dici quaſi interius laborantes ex extrinſeca Diaboli operatione*. Hoc idem docuerat Concilium Illiberitanum can.9. de Energumeno, qui ab erratico ſpiritu agitatur, ſtatuens, quod *hujus nomen neque ad altare cum oblatione ſit recitandum, neque permittendum, ut ſua manu in Eccleſia miniſtret*. Dicuntur etiam Arreptitii; & de illis, qui ſe tales eſſe fingunt, Concilium Conſtantinopolitanum III. c. 6. in Trullo, decrevit: *Arreptitios ſe ſimulantes, & qui morum improbitate eorum figuram, & habitum ſimulate præferunt, viſum eſt omnino puniri*. Pariter Obſeſſi appellantur; ut ſcribit Cæſarius lib.3. c.2. *quidam Obſeſſus*; & lib.5. c.11. *mulier obſeſſa*; & eodem libro c. 14. *puella obſeſſa*. Obſeſſi ſcilicet a Dæmonibus intelliguntur; quemadmodum Energumeni ab energeo, quaſi a Dæmonibus vexati; & Arreptitii, nempe a Dæmonibus arrepti. Antiquis temporibus Energumeni templa intrabant, ut patet ex *can. omni die, de conſecr. diſt.5.*, ſed conſecrationis tempore a Diacono, alta voce dicente: *Ite Energumeni*: expellebantur; quod legitur in Liturgia S.Clementi Papæ attributa.

Hos quidem Energumenos fuiſſe in mundo, ſeu Dæmones interdum humana corpora ſubiiſſe, ex Scripturis, & ex Patribus, apertiſſime conſtat. Lucæ 3. Scribæ, & Phariſæi de Chriſto dicebant: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*. Credebant ergo, Dæmoniacos, ſeu Energumenos eſſe. Chriſtus non eos reprehendit, quia hoc credebant, ſed quia dicebant, ſe in Dæmonum virtute Dæmones expellere. Item apud Lucam, Marcum, & Matthæum, *Dæmoniaci Lunatici*, hiſtoria narratur. Apud Lucam pariter dixerunt Apoſtoli: *Etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*; & apud Marcum Chriſtus immundo Spiritui dicebat: *Exi Spiritus immunde ab homine iſto*. Hanc autem poteſtatem Dæmones ejiciendi Chriſtus Dominus non tantum Apoſtolis tribuit, ſed etiam Eccleſiæ miniſtris, & fidelibus quoque morum ſanctitate ornatis. Unde legimus apud Tertullianum ad

Sca-

Scapulam c.2. *Dæmones non tantum reſpuimus, verum & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut pleriſque notum eſt*. Et apud Cyprianum in epiſtola ad Demetrianum, Africæ Proconſulem: *O! ſi audire eos velles, & videre, quando a nobis adjurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis, de obſeſſis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes, & gementes voce humana, & poteſtate divina flagella, & verbera ſentientes, venturum judicium confitentur.*

Objiciunt I. Non eſt aſſignabilis cauſa, propter quam Dæmones hominum corpora intrent, eaque poſſideant; & nimis durum videtur, Deum illis hoc ipſum permittere, aliquando etiam ſine hominum culpa: ergo non eſt hoc aſſerendum. II. Si Dæmones hominum corpora intrarent, duo Spiritus eundem locum definitivum omnino occuparent; hoc autem dici non poteſt: ergo &c. III. Legitur in vita S. Ildegardis lib. 3. c.20. fuiſſe eidem revelatum, Dæmones non in ſua forma, ſeu ſubſtantia, humana corpora intrare, quia ſic humana membra ſolverentur citius, quam ſtipula a vento diſpergitur; ſed homines obumbrare, & tegere ſuæ nigredinis umbra, & fumo; unde ad inſaniam concitantur, & ad mira quædam alia, ad quæ anima non concurrit, remanet enim quaſi ſopita, & ignorans, quid caro corporis faciat: igitur non eſt verum, quod Dæmones hominum corpora intrent. IV. Mulieres præſertim in majori numero obſeſſæ dicuntur, ſed quæ fictæ inveniuntur ut plurimum; & ſi non fingunt, credunt tamen ſic eſſe, quum plerumque tales ex infirmitate reddantur: ergo non eſt ratio, ut credamus, Energumenos in mundo eſſe.

Reſpondemus ad I. adſignando quinque cauſſas, quas reddit Joannes Nider in ſuo Formicario c. 11. relatus a Fraſſen. Et ſunt; pro majori merito poſſeſſi; pro alieno levi delicto; pro ſuo veniali delicto; pro gravi peccato alieno; pro magno proprio facinore. Cujuſcumque cauſſæ exemplum profert Nider, & rationem adſignat; quæ poſſunt apud ipſum videri.

Ad II. occurrit Fraſſen dicendo, quod diverſo modo corpus occupant Anima, & Dæmon; Anima enim occupat informando, Dæmon vero tantummodo aſſiſtendo. Sed reſponſio hæc difficultatem non ſolvit, quæ tota verſatur in ratione loci, non vero in ratione occupationis; quanvis enim Dæmon diverſimode occupet corpus, eſt tamen in eodem loco definitivo, ac anima; ſed argumentum ſupponit, hoc repugnare: ergo ad hoc reſpondendum erat. Dicimus igitur, quod loquendo de Spiritibus, qui penetrari poſſunt, non eſt repugnantia, ut duo ſint ſimul in eodem loco etiam definitivo.

Ad III. dicimus revelationem non ſatis conſtare; vel enim aſſuta fuit vitæ Sanctæ illius, vel eidem Sanctæ non fuit bene perſpecta. Multa enim continet, quæ cum ſana Theologia non cohærent, & quæ omnino Patrum, & Theologorum loquendi modo repugnant. Poteſt etiam fieri differentia inter poſſeſſos a Dæmone, & inter obſeſſos ab eodem; poſſeſſi enim non ea patiuntur, nec operantur illa, quæ patiuntur, & operantur obſeſſi. Unde revelatio ſi admittenda putatur, de poſſeſſis a Dæmone explicari aliquatenus poterit, non vero de obſeſſis.

Ad IV. concedimus, aliquando muliereulas, ſe fingere obſeſſas, vel credere ſe obſeſſas eſſe, quum tamen infirmæ ſint, aut corpore, aut mente; ſed non per hoc dicendum eſt, omnes Energumenos eſſe fictos. Audiantur iterum Patres, de Energumenis tanquam de re certiſſima in Eccleſia Chriſti loquentes. Irenæus lib. 2. c.57. *In Chriſti nomine, qui vere illius ſunt diſcipuli, ab ipſo accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unuſquiſque accepit donum ab eo. Alii enim Dæmones excludunt firmiſſime, & vere, ut etiam ſæpiſſime credant ipſi, qui emundati ſunt a nequiſſimis, & ſint in Eccleſia*. Origenes lib. 7. cont. Celſum: *Non pauci Chriſtiani Dæmonia ejiciunt ex obſeſſis corporibus, ſine omni curioſitate Magorum, & Veneficorum, ſed ſolis precibus, adjurationibuſque ſimplicibus, quæ ſunt artes hominum ſimplicium, per verbum ſuum coarguente Dæmonum infirmitatem Chriſti gratia*. Lactantius divin. inſtit. lib.2.c. 15. *Dæmones Juſtos, id eſt cultores Dei metuunt; cujus nomine adjurati, de corporibus exeunt; quorum verbis tanquam flagris, verberati, non modo Dæmones eſſe ſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt &c.* Eadem habent Hieronymus cont. Vigilantium c. 2., Auguſtinus lib. 8. de civ. Dei c.26., aliique Patres paſſim.

Magi univerſim dicuntur illi, qui magicam artem exercent. Nomine autem artis magicæ

gicæ

Digitized by Google

gicæ venit omnis illa noticia, ſeu obſervatio, qua homines operantur aliquid cum exſpectatione alicujus effectus a Dæmone, ratione pactionis cum eo factæ quocumque modo, ſive expreſſe, ſive tacite. Ad hanc ſpectat omnis ſuperſtitio, quæ dicitur divinatrix; & ſub hac continentur pyromantia, quæ in igne, aeromantia, quæ in aere, hydromantia, quæ in aqua, & geomantia, quæ in terra exercetur; item necromantia, quæ eſt divinatio per mortuos, vel per cadavera; chiromantia, quæ fit per manus inſpectionem; & ſciomantia, quæ eſt divinatio per umbram. Ad hanc ipſam reducuntur augurium, omen, aruſpicium, pythonia, reſponſum ex tripode, ex ſpecu, ex idolo; divinatio per ſomnium, per ſpeculum, per fumum, per pelvim, per ſecurim, per dolabram, per cribrum, per ſortes, per conſtellationes, per ſternutationes, per characteres, per vocabula peregrina, per inſpectationem Scripturæ ſacræ, & per ipſum Evangelium, per temporis, diei, horæ obſervationem, & per alia ſimilia, quæ innumera ſunt quidem, & adhibentur a ſuperſtitioſis hominibus ex pacto diabolico ad divinandum ſive futura, ſive occulta. De his agit S.Thomas 2.2.q.95.per totam; & cum eo Eſtius in 2. diſt. 7. §. 21. Qui quidem ad hanc quoque reducunt artes, ſeu obſervationes omnes, quibus per pactum cum Dæmone aut quæritur ſcientia, aut procurantur corporum immutationes, vel expectantur; item artem notoriam, & artem maleficiandi, per quam nocumenta inferuntur; ligaturas quoque, quæ fiunt certo modo, aut figura, aut ex certi generis materia; denique infinita alia obſervationum genera, quæ adhibentur ad pellendos morbos, ad evertenda infortunia, & ad alia ſimilia.

Hæc autem omnia fiunt per ſocietatem cum Dæmone; quæ quidem ſocietas vel eſt explicita, per quam quis expreſſe Dæmonem conſulit, vel per ſe, vel per alium, aut ei conjungitur quolibet alio aperto modo, & ſocietatem init: vel eſt occulta, ſeu tacita, aut implicita, quæ non fit expreſſe cum Dæmone, ſed fit operatio cum exſpectatione alicujus effectus, qui nec poteſt, nec debet a Deo, vel a natura rationabiliter expectari. Et hujuſmodi ſunt plurima a Dæmonibus inſtituta, & hominibus tradita; aut etiam ab hominibus ſunt excogitata, qui vel ſcientes, vel neſcientes, diabolicæ nequitiæ inſerviunt; ut ait Eſtius. Et de his pariter omnibus ſcribit Auguſtinus lib. 21. de civ. Dei c. 6., & lib. 2. de doctrina chriſtiana cap. 20. & quatuor ſeqq.

Magi iſti ſunt etiam Pythones appellati a verbo græco πύθων, quod latine idem ſonat ac ſerpens, & draco; qui ita dictus eſt a verbo πύθω, quod eſt putrefacio; ille enim, quem Apollo ſagittis interfecit, halitu peſtifero omnia putreſaciebat; & hinc Apollo dictus eſt πύθιος. Ali vero deducunt a græco verbo πυνθάνομαι quod latine importat ſciſcitor, interrogo &c. Et ob inde dicunt, divinandi artem Apollini fuiſſe a Gentilibus attributam; & ab ipſo fuiſſe python dictum Spiritum divinatorem, & divinatores ipſos pythones, & mulieres pythoniſſas etiam fuiſſe appellatas. Teſtis eſt Iſidorus lib.8. orig. c.9. *Pythones a Pythio Apolline dicti, quod is author fuerit divinandi*. Vocantur etiam Malefici, quia malefaciendi artem exercent.

Hæc autem ars quæcumque, pactum aliquod, aut ſocietatem cum Dæmone continens, omnino illicita eſt, & mala, quia divinæ legi, Eccleſiæ judicio, & rationis dictamini, repugnat; quod ſic pergimus oſtendere authoritatibus, & rationibus, quas ſubnectimus.

I. Probatur ex Scripturis. Deuter. 18. *Non inveniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, neque qui pythones conſulat, nec divinos, & quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus*. Levit. 19. *Non declinetis ad Magos, neque ab ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos.* Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere.* I. Reg. 15. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare*. I. ad Cor. 10. *Nolo vos ſocios fieri Dæmonum*. II. ad Cor. 6. *Quæ ſocietas lucis ad tenebras? Aut quæ conventio Chriſti ad Belial?*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Ancyranum c. 24. *Qui vaticinantur, & Gentium conſuetudines ſequantur, vel in ſuas ædes aliquos introducunt, ad medicamentorum inventionem, vel luſtrationem, in quinquennii canonem incidant, ſecundum gradus præfinitos, tres anni ſubſtrationis, & duo anni orationis ſine oblatione*. Concilium generale Nicænum I. can. 20. Arabico: *Nemo fidelium converſetur cum Maleficis, & Divinis; & qui hoc fecerit, & eos interrogaverit, & eorum dicta approbaverit, in domumque eorum intraverit, aut in ſuam eos receperit, & eorum cibis & potionibus*

uſus

Digitized by Google

uſus fuerit , ſi Sacerdos eſt , movendus eſt gradu ſuo , ac prohibendus communione fidelium , & ingreſſu Eccleſiæ , & communione ſacra prohibendus; ſi vero laicus fuerit, prohibendus eſt Eccleſia . Quod ſi agendam pœnitsntiam vensrint , agenda eſt eis pœnitentia annis viginti, quo tempare pane tantum ac ſale veſci debent , & a vino abſtinere , aqua contenti , ut ſic caſtigati non redsant. Concilium Laodicenum can. 36. *Non oportet sos, qui ſunt ſacrati, vel clerici, eſſe magos, vel incantatores , vel mathematicos, vsl aſtrologos , vel facere ea , quæ dicuntur amnlsta , quæ quidem ſunt ipſarum animarum vincula; eos autem, qui ferunt , ejisi ex Eccleſia juſſimus* . Eadem habent Synodus Trullenſis can. 61. Concilium Agathenſe cap. 68. Concilium Aurelianenſe I. c. 32. Concilium Veneticum cap. 16. Concilium Francicum, vel Pariſienſe lib. 3. c. 2. Concilium Salegunſtadienſe cap. 10. Concilium Trevirenſe , celebratum ann. 1548. cap. *ds ſortilsgis Saeerdotibus, & Lairis* .

III. Probatur ex Romanis Pontificibus . Leo I. ſer. 7. de nat. Dom. c. 3. *Habet Diabolus multos ex iis, quos tenasius obligavit, aptos ſuis artibus , quorum ad alios decipiendos, & ingeniis utatur , & linguis. Per iſtos remedia ægritudinum , indlcia futurorum, placationes Dæmauum , & depulſiones promittuntur umbrarum.* Gregorius I. lib. 9. reg. ep. 47. *Psrvenit ad nos, quod quoſdam incantatores, & ſortilegos fueris inſecutus. Et omnino nobis ſolicitudinem , zelumque tuum gratum fuiſſe cognoſcas : ſed moleſte tulimus, quod te dubitare, ne ab eis nobis, contra experientiam tuam ſurripi potuiſſet, didicimus ; cum certus eſſe , as ſcire debucras, hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam adſcribi. Et ideo ſtudii tui ſis ſolicite quærere , & quoſcunque hujuſmodi Chriſti inimicos invcneris, ita diſtricta ultione corrigere, ut & nos de experientia tua melius debeamus habere judicium, & Deo noſtro te , quod maxime ſtudendum eſt , valeas commendare* . Eadem habet lib. 7. reg. ep. 67. , & lib. 1. Dialog. c. 4. Gregorius III. cap. 12. Decret. *Si quis Ariolos , aruſpices, vel incantatares obſervavsrit , aut phylacteriis eorum uſus fuerit , anathema ſit* . Zacharias Papa ep. ad Bonifacium Epiſcopum : *De Kalendis Januariis, vel cæteris auguriis, phylacteriis, & incantationibus , vel aliis diverſis obſervationibus , quæ gentili more obſervari dixiſti apud B. Petrum Apoſtolum, vel in urbe Roma , hoc nobis , & omnibus Chriſtianis detsſtabile , & pernicioſum eſſe judicamus, dicente Deo:* Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia: *Et iterum:* Non eſt augurium in Iſrael , nec obſervatio in domo Iacob . *Ita & a nobis cavendum eſſe cenſemus, ut nullis auguriis, vel obſervationibus attendamus, quia omnia hæc abſciſſa eſſe , a Patribus edocti ſumus . Et quia per inſtigationsm Diaboli iterum pullulabant a die, qua nos juſſit divina elementia (quamquam immerito oxiſtamus) Apoſtoli vicem gerere, illico omnia hæc amputavimus.* Eædem prohibitiones habentur apud Leonem IV. ep. ad Epiſcopos Brittanniæ , Alexandrum III. Extra de Sortilegiis , Innocentium VIII. ep. adverſus mulierum maleficarum hæreſim, Alexandrum VI., Leonem X. , Sixtum V., Urbanum VIII. in ſuis Conſtitutionibus .

IV. Probatur ex Patribus . Euſebius Cæſarienſis lib. 5. præpar. evangel. c. 7. *Magicæ artis ipſi Dii Gentilium & inventores & doctores fuerunt . Unde nanque homines , quibus Dæmones cogantur , quam ab ipſis Dæmonibus diſcere potuiſſent ? Neque putes id ita a nobis dici . Nihil enim nos harum rerum ſcimus , nec ſcire volumus .* Chryſoſtomus hom. 8. in ep. ad Coloſſ. *Citius mors homini Chriſtiano ſubeunda, quam vita ligaturis redimenda.* Testullianus lib. de idololatria c. 9. *Cum magia punitur , cujus eſt ſpecies aſtrologia , utique & ſpecies in genere damnatur. Poſt Evangelium nuſquam invenias aut Sophiſtas , aut Chaldæos , aut incantatores , aut conjectores , aut magos , niſi plane punitas* . Loquitur pariter lib. de anima c. 28. & c. 57. Hieronymus ad c. 5. Ep. ad Galat. *Et ne forſitan veneficia , & malefica artes non viderentur in novo prohibita Teſtamento , ipſæ quoque inter carnis apera nominantur . Quia ſæpe magicis artibus & amare miſerit evenit , & amari. Inimicitia quoque , quæ poſt veneficia ponitur , quem habeat reatum, manifeſto crimini ſubjecta declarat* . Loquitur quoque ad c. 2. Danielis , ad c. 6. Ep. ad Epheſ. Auguſtinus lib. 8. de civ. Dei c. 19. *Adverſus magicas artes , de quibus quoſdam nimis infelices , & nimis impios , etiam glariari libet , in nomine Dæmonum , ipſam pablicam lucem in teſtem citabo . Cur enim tam graviter iſta plectuntur ſeveritate legum , ſi opera ſunt Numinum colendorum ? An forte iſtas leges Chriſtiani inſtituerunt , quibus artes magicæ puniuntur , ſecundum quem alium ſenſum , niſi quod hæc maleficia generi humano pernicioſa eſſe , non dubium eſt ?* Eadem ſcribit lib. 2. de doctrina chriſtia-

na c.20. lib.4. de Trin. c. 10. & 11.

V. Probatur ex Principum laicorum legibus. Conſtantinus magnus in Cod.Theodoſ. l.3. C.de Maleficis: *Nullus Aruſpex, nullus Sacerdos, nullus eorum, qui huic ritui adſolent miniſtrare, ad limen alterius accedat; ſed hujuſmodi hominum amicitia, quamvis vetus, repellatur, concremando illo aruſpice, qui ad domum alienam acceſſerit; & illo in inſulam deportando poſt ademptionem bonorum, qui eum advocaverit ſuaſionibus, vel præmiis. Accuſatorem autem hujuſmodi criminis non delatorem eſſe, ſed dignum magis præmio declaramus*. Eadem præcipit l.4.ſub eod.tit. Conſtantius Auguſtus, & Julianus Cæſar in eod. Cod. l.5. C.de Maleficis: *Nemo aruſpicem conſulat, aut mathematicum; nemo ariolum: augurum ac vatum prava confeſſio conticeſcat. Chaldei, ac Magi, & cæteri, quos Maleficos, ob facinorum magnitudinem, vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur; ſileat omnibus perpetuo divinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio ultore proſtratus, quicunque juſſis noſtris obſequium denegaverit*. Replicatur juſſio in l. 6. & 7. ſub eod. tit. Valentianus, Theodoſius, & Arcadius in eod. Cod. l. 9. C. de Maleficis: *Quicunque maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupaverit, illico ad publicum pertrahat, & Judicum oculis communis hoſtem ſalutis oſtendat &c.* Et iterum *l.nemo deinceps C. de Epiſcopali audientia*. Leo Imperaror, cognomento Philoſophus, Conſt.65., Theodoricus, Rex Italiæ, apud Caſſiodorum lib. 4. ep. 22., Athalaricus apud eundem lib.9. ep.18.,Carolus magnus lib.1.legum c.64., & lib.7. c.285., & addit.3. c.61. eadem quoque præcipiunt.

VI. Probatur Rationibus. I. Nihil boni poſſunt homines ab implacabili hoſte exſpectare; nullumque proinde debent cum eo commercium inire; quia nullam eis fidem ſervabit unquam, nullamque amicitiam, vel ſocietatem, cuſtodiet; hujuſcemodi eſſe Dæmonem cum hominibus, quis non adfirmabit? ergo &c. II.Perfecta ſocietas importat inter Socios idem velle, ac idem nolle; ſed non poſſunt habere homines cum Dæmonibus idem velle, ac idem nolle: ergo &c.ſed ſi perfectam ſocietatem non poſſunt homines habere cum Dæmonibus, neque poſſunt imperfectam: quod ſic probatur: Ubi perfecta malitia eſt illicita, eſt etiam illicita imperfecta; quæ eſt inchoatio mali, quum perfecta ſit conſummatio: ergo ſi perfecta ſocietas eſt illicita cum Dæmonibus, eſt etiam illicita imperfecta. III. Non eſt licitum communicare cum Infidelibus, cum Hæreticis, cum Excommunicatis: ergo a fortiori cum Dæmonibus. IV. Non eſt licitum ſocietatem habere cum perduellibus proprii Principis, ac cum ejuſdem hoſtibus; tales ſunt Dæmones reſpectu Dei, cujus ſunt perduelles perfidi, ac hoſtes irreconciliabiles: ergo cum ipſis nullam debemus inire, ac ſervare ſocietatem.

Arguunt I. Diabolus neminem ad peccatum inducit, niſi volentem: ergo nullum eſt periculum hominibus propter ſocietatem cum illo, ſi ipſi peccare nolint; ſed velle, aut nolle peccare ab hominum voluntate dependet, non a Diaboli arbitrio: ergo &c. II. Poſſunt homines licite facere ſocietatem cum Turcis, aliiſque Infidelibus: ergo pariter cum Dæmonibus. III. Poſſumus in multis caſibus cum Excommunicatis communicare: ergo poſſumus etiam cum malis Angelis. IV. Nos in neceſſitate gravi conſtituti poſſumus a Patriæ, vel Principis hoſte petere auxilium; panem ſcilicet in fame extrema, remedium in mortis periculo &c. ergo in ſimili neceſſitate poſſumus quoque a Dæmonibus ſubſidium implorare.

Reſpondemus ad I.quod etiam tenemur nos occaſiones ad peccandum fugere, quamvis ipſæ nos ad peccatum non cogant. Peccat quidem homo, quia vult; ſed quum ſit fragilis, imprudens, ignarus, ex natura, & ex culpa, vitare tenetur quodcunque commercium, quod ipſum ad peccandum proxime inducat. Nullum autem ex omnibus fortius eſt ad inducendum illum ad peccatum commercio, quod cum Dæmone habet; ut ex ſe ſatis conſtat.

Ad II. Paritas non currit, quia Turcæ, aliique Infideles, converti poſſunt ad bonum, Dæmones autem non ſolum converti non poſſunt, ſed poſſunt ulterius nos a bono retrahere. Unde quum non valeant Dæmones mutari a ſua malitia, & quum valeant nos a noſtra bonitate mutare, jure cum ipſis nullum eſt nobis licitum habere commercium.

Ad III. Caſus illi, in quibus poſſumus cum Excommunicatis communicare, nullo modo in Dæmonibus verificantur; neque enim illis, ob neceſſitates, vitæ indigemus; neque cum iiſdem pertractare mu-

re-

rebus civilibus, vel politicis, oportet; neque ſpem habere poſſumus, ut eoſdem a ſua malitia retrahamus; qui ſunt præcipue caſus, in quibus licitum eſt cum Excommunicatis communicare.

Ad IV. dicimus, quod quemadmodum nemo in terra eſt Dominus hominum, uti eſt Deus; ita nemo eſt ita hoſtis ſubditorum, quia eſt hoſtis Domini ipſorum, ſicut Diabolus eſt hominum hoſtis, quia eſt hoſtis ſupremi Domini Dei. In aliquibus non tenentur Subditi Dominis ſuis obedire, in omnibus tenemur Deo; quemadmodum ergo non ſunt caſus, in quibus non teneamur obedire Deo, ita non ſunt, in quibus poſſimus auxilium petere a Diabolo. Additur quoque, quod multoties petunt Subditi ab hoſte, quod non poſſunt a Domino obtinere; a Deo autem nihil poſſumus non obtinere, ſi ad eum ſincera fide, & continua oratione, accedimus.

Lamiæ ex Macri, a quo exſcripſit Mortier, dicuntur mulleres ſagæ, vel ſtriges; quæ credebantur infantium ſanguinem ſugere. Alii Lamias vocabant larvas, ſeu phantaſmata quædam, quæ dicebantur pariter lemures, & empuſæ. Hæc namque in forma mulierum formoſarum apparebant, ad libidinem homines alliciebant, quos deinde occidebant, ac devorabant. Ab aliis Dæmones ſuccubi intelliguntur. Verum in Scripturis divinis ſunt beſtiæ quædam truculentæ, quæ in ſuperiori parte mulieres pulcras præſeferunt, in inferiori vero ſpeciem habent draconum, vel aliarum ferarum, quæ ſint maxime feroces, ac crudeles. Unde Thren. 4. Jeremias dixit: *Sed & Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos*. Legunt autem Septuaginta Interpretes: *Dracones*; quod pariter habet hebraicus textus. Iſai. 34. legitur: *Ibi cubavit Lamia, & invenit ſibi requiem*; Septuaginta vertunt: *Onocentauri*; & textus hebraicus; *ſtrix*; hoc eſt beſtia ſolitaria, vel avis noctu volans.

Nomine autem Lamiarum cœperunt vocari Sagæ, ut ait Pitiſcus, quod crederentur illa omnia facere, quod veteres Lamias facere, dicebatur. Ait enim in ſuo Lexico ad verbum *Lamiæ*: „ Etiam Sagæ hoc nomine cœperunt vocari, quod & hæ in aliena ſpecie apparere, imaginariis ædificiis, ſuppellectile, cibis, miſere fucum aliis facere, ſæpe eoſdem maximo mactare damno, veterum Lamiarum inſtar crederentur. „ Quibus verbis ſatis innuit ſuam de Lamiis, vel Sagis, vel Strigibus, opinionem; quod ſcilicet in imaginatione tantum ſint ea omnia, quæ peragere dicuntur. Ejuſdem etiam ſententiæ fuit Juenipus, qui agens de mulierum ſagarum translatione, ſcripſit diſſ. 1. de Angelis q. 7. „ Nimirum hujuſmodi translatio tribui poteſt imaginationi, a qua mulieres, quæ dicuntur ſagæ, ita decipiuntur, ut credant, licet falſo, ſe translatas fuiſſe ad nocturnos conventus, in quibus ventrem, & libidinem, expleverint. „

Attamen communis Scriptorum conſenſio eſt, revera dari mulieres, quæ Striges dicuntur, quia ſicut ſtrix, nocturna avis, pueros lactentes aggreditur, ita ipſæ ſub forma felis, vel canis, vel alterius beſtiæ, puerorum dormientium ab inguine ſanguinem ſugunt; quæ pariter vocantur Lamiæ, quia tanquam Lamiæ pueros occidunt, ac devorant, ipſorum ſanguinem bibendo; quæ denique Sagæ appellantur, quia multa ſcire volunt, præſertim venefica, & quæ malis artibus boni aliquid, vel mali alicui conciliat; unde dicuntur a ſagiendo, ex Cicerone lib. 1. de Div. c. 31. *Sagire enim ſentire acute eſt, ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire volunt, & ſagaces dicti canes*; & ex Feſto; *Saga dicitur mulier perita ſacrorum*; & ex Horatio lib. 1. od. 27. *Quæ Saga, quis te ſolvere Theſſalis Magus venenis, quis poterit Deus?* & ex Tibullo lib. 1. eleg. 5. *Pollicita eſt Magico Saga miniſterio*. Quæ omnia apud Calepinum verb. *Saga*.

Quia mulieres proniores ſunt ad libidinem, & faciliores ad deceptionem, hinc eſt, quod quanvis etiam ſint homines diabolicæ artis hujuſce profeſſores, longe tamen ſunt plures mulieres, quam viri; & ſub profeſſorum nomina mulieres ut plurimum veniunt, non viri; adeoque mulierum, Sagarum ſcilicet, Lamiarum, & Strigum vocabulo cuncti nuncupantur. Multi de iiſdem pertractant; præcipue autem Paulus Grillandus tract. de Sortilegiis n. 26. Martinus del Rio Diſquiſitionum Magicarum lib. 2. q. 16., Laurentius Anianus de natura Dæmonum lib. 4. c. 4., Alphonſus a Caſtro lib. de impia Sortilegarum hæreſi c. 4., Fraſſen tract. 1. diſp. 3. ar. 3. q. 3. de infeſtatione Dæmonum &c. Hic poſterior ex antecedentibus Scriptoribus affert ſequentia ſcitu digna. Primo, quod profiteri volens hanc diabolicam ſectam adducitur in Conventum ante tribunal Dæ-

monis, ibique baptiſmum abnegat, & totam fidem Chriſti relinquit; ſacramenta omnia rejicit, Crucem, & imagines B.Mariæ Virginis, ac aliorum Sanctorum, pedibus calcat. Secundo Dæmoni obedientiam profitetur, eique perpetuam fidelitatem vovet; & tactis quibuſdam obſcuris, & ignotis ſcripturis, promittit, ſe nunquam ad Chriſti fidem rediturum. Tertio promittit, quandocunque vocatus fuerit, ſe venturum ad conventus nocturnos, ibique ſacrificia facturum, omniaque alia, quæ alii fecerint, peracturum. Quarto poſt hæc, qui in ſolio ſedebat Dæmon, hilari facie ſe illi exhibens, eidem perpetuam felicitatem ſpondet, ac unum alium Dæmonem ad illius cuſtodiam deputat, cujus ſit munus vocare illum ad nocturnas congregationes, ac ad locum ipſarum illum ducere; hunc autem Dæmonem vocant Magiſtrum, Martinetum, ſeu Martinellum. Hæc ex Alphonſo a Caſtro refert Fraſſen. Quinto addit ex del Rio, in Conventibus omnes primo præſtare obſequia Dæmoni in ſolio ſedenti, & poſtmodum in convivio ſedere. Variæ inſtituuntur menſæ, in quibus cibi ubi inſulſi, ubi ſapidiſſimi apponuntur; & cuilibet aſſidenti ſuus aſſiſtit Dæmon. Poſt convivium fiunt choreæ, & poſt choreas, carnalia exercentur commercia. Sexto faciunt ſacrificia, aliquando in Conventu, aliquando extra Conventum; & poſt ſacrificia narrant quæ commiſerunt ſcelera; quæ ſi gravia ſunt, laudantur, ſi minus gravia, corripiuntur, & aliquando etiam verberantur. Deinde pulveres ex hirco colligunt, quibus utuntur ad nocendum; dicitur enim eis: *Ulciſcimini vos; alioqui moriemini*. Septimo Dæmon Striges non transfert, niſi prius fuerint unguento oblinitæ; idque variis ex cauſſis, quas Fraſſen adducit. Octavo demum conventus aliquando fiunt noctis tempore, aliquando meridie; unde dicitur in pſalmo 90. 6. *Ab incurſu, & dæmonio meridiano*. In quibuſdam regionibus fiunt nocte, quæ ſextam feriam præcedit; in aliis, vel nocte, quæ præcedit quintam, vel quæ ante eſt dominicum diem. Vocantur vel a Martinello, vel a vocibus mulierum, quæ comitantur Sagarum Reginam, & quæ tantum ab ipſis Sagis percipiuntur. Ita ex Spineo cap.30., & ex Remigio lib.1.c.14., & ex Binsfeldio, narrat luculentiſſime Fraſsen.

Hæc autem omnia non vere, & realiter fieri, ſed tantum in imaginatione Sagarum, pleríque putant, ultra Pitiſcum, & Jueninum, quos modo diximus, & Calmetum, verbo Lamina in ſuo Dictionario hiſtorico &c. ſacræ Scripturæ, ubi ait: „ Nullibi, præterquam in nutricum, „ & feminarum mente, Lamias extitiſſe „ credimus; non ſecus ac nocturnæ ſtry„ ges, quæ ſabbati nocte per aera ferri „ dicuntur. „ Multos alios affert Martinus del Rio diſquiſ. magic. lib.2.q.16., ſuntque Lutherus, Melanchton, aliique Sectarii paſſim; ex Catholicis vero Martinus de Arles, Ponzinibus, Joannes Baptiſta a Porta, Alciatus, Duarenus, Aerodius, Michael Montanus, Samuel Minorita, Auctor fortalitii fidei, Joannes Salisburienſis, Philippus Camerarius, Leonardus Vairus, Ulricus Molitor, aliique. Attamen plures quidem numero ſunt, ac merito graviores, Scriptores alii, qui contrarium ſentiunt, aſſerentes, revera Striges a Dæmonibus in conventicula deportari. Inter hos enumerantur Ananias lib. 4. de natura Dæmonum, Joannes Franciſcus Leonis, Epiſcopus Theleſinus, lib. de Sortilegiis, Alphonſus a Caſtro Opuſc. de Sortilegiis, Grillandus lib.2. de ſortilegiis q.7., Spinetus, ſacri apoſtolici palatii magiſter q. de Strigibus c.17. Remigius lib.1. Dæmonolatriæ c.14. Martinus del Rio loc.cit. addit Albertum magnum apud Cantipratenſem, Cardinalem de Turrecremata, Cirvelum, Guillelmum Neoburgenſem, Baſinum, Pennam, Cardinalem Petrum Damianum, Roſſeum, Cæſalpinum, Guillelmum Pariſienſem, Joannem Dodo, Silveſtrum, Cardinalem Cajetanum, Sixtum Senenſem, Abulenſem, Creſpetum, alioſque plurimos. Cum quibus

Dicimus, aliquando Sagas vere tranſferri a Dæmonibus de loco ad locum, inequitantes hirco, vel alteri animali, vel arundini veræ, vel ſcoparum baculo etiam vero, ſed acto, & a Dæmone ſublevato; & intereſſe corporaliter nefario conventui; ita del Rio cum cæteris.

I. Probatur a del Rio auctoritate S.Hyppolyti, Epiſcopi, & martiris, qui tertio ſeculo floruit, & cujus verba ſunt in libro de conſummatione ſeculi prope principium: *Tunc iniquus ille elato animo Dæmones ſuos congregabit humana ſpecie, & eos, qui illum ad regnum invitarunt faſtidiet, animaſque multas inquinabit, quippe Principes eis conſtituet ex Dæmonibus.* Hunc librum, ſeu Opuſculum, pro legitimo

gitimo habet Bellarminus, pro dubio multos habere aſſerit Cave, Uſſerius tandem illegitimum, & adulterinum omnino pronuntiat; cujus verba apud Cave ſunt hæc: „ Apparet igitur tum ex ipſo græcæ dictionis genere, quod plerumque puerile eſt, tum ex rei veritate, atque pondere, libelli hujus authorem hominem illiteratum fuiſſe atque indoctum. „ Idem del Rio probat auctoritate Tertulliani lib. de anima dicentis: *Domus quoque hominum Dæmoniis patere, nec tantum in adytis, ſed etiam in cubiculis homines totum imaginibus circumvenire.* Quibus quidem verbis, uti etiam aliis Hippolyti, ſi ejus vere ſunt, an quod aſſerimus probetur, an non, judices eſſe nolumus; alii judicabunt.

II. Probatur. Corporalis hæc aſportatio, & alia, quæ conſequuntur ad ipſam, nullam ex parte Dæmonum dicit implicantiam: ergo non eſt cur eam non admittamus. Probatur antecedens. Angeli poſſunt movere corpora, & de loco ad locum transferre; quod quidem tam de bonis, quam de malis aſſerendum eſt, quia Dæmones naturæ dotes non amiſerunt; Hoc patet in Angelo, qui Habacuc deportavit; in Angelo, qui Philippum detulit; patet etiam in Dæmonibus, qui porcos in mare præcipitaverunt. Pariter Archangelus Raphael cum Tobia comedit, comederunt alii Angeli in domo Abrahæ, luctam Angelus iniit cum Jacob. Non eſt ergo repugnantia ex parte Angelorum, ut illa omnia faciant, vel per corpora aſſumpta, ut communiter dicitur, vel per actiones objectivas, ut ex P. Magnano retulimus.

III. Probatur exemplis. Simon magus virtute Dæmonis volavit. Habetur in lib 6. Conſtitutionum Apoſtolicarum; quæ quanvis falſo S. Clementi attribuantur, antiquum tamen, & orthodoxum habent auctorem. Referunt quoque Egeſippus lib. 3., Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 6. Quidam Abbas Scytha Dæmonis etiam virtute volabat. Teſtantur Origenes lib. 3. cont. Celſum, & Nazianzenus ep. 22. Hoc idem refertur ab Hiſtoria Anglorum de Badudo, Britanniæ Rege; a Joanne magno lib. 17. de Erico, Rege Svecorum; a Nangiaco in Chronico de Berengario, Hæretico &c.

IV. Probatur factis. Repertæ aliquando fuerunt menſæ cum cibis, vaſa argentea, &c. propter conventum ex accidenti ſubito diſſoluto. Mulieres etiam interdum deprehenſæ ſunt nudæ ab hominibus in viis. Quod ſignum eſt manifeſtum, illa omnia non in imaginatione fuiſſe facta, ſed vere, & realiter; uti depoſuerunt ipſæmet Sagæ, juridice apud S. Inquiſitionis tribunal examinatæ. Rationes alias, aliaque exempla, vel facta, legenda relinquimus apud del Rio, Fraſſen &c.

V. Probatur Bullis Romanorum Pontificum, quibus Sagæ damnantur, & ab Eccleſiæ miniſtris puniendæ ordinantur. Sunt autem Bulla Innocentii VIII. *la prima*, quæ incipit: *Summis deſiderantes*; alia Leonis X. 43. quæ incipit: *Honeſtis*; alia Hadriani VI. 2., quæ incipit: *Dudum*; alia Sixti V. 17., quæ incipit: *Cœli* His omnibus ſupponuntur ſagæ in mundo eſſe, aliter non proſcriberentur, nec punirentur.

Objiciunt I. Concilium Ancyranum in quodam ſuo canone hæc aſſerit: *Illud etiam non eſt omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Satanam converſæ, Dæmonum illuſionibus, & phantaſmatibus ſeductæ, credunt, & profitentur, ſe nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multa terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſpatio pertranſire, ejuſque juſſionibus velut Dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus ſervitium revocari.* Poſt quæ ſubdit hæc alia: *Et tum ſolus ſpiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, ſed in corpore opinatur evenire. Quis enim non in ſomniis, & nocturnis viſionibus extra ſe educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam videret vigilando? Quis vero tam ſtultus & hebes eſt, qui hæc omnia, quæ in ſolo ſpiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur?* Poſtmodum concludit: *Omnibus itaque annunciandum eſt publice, quod qui talia & ſimilia credit, fidem perdit, & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non eſt ejus, ſed illius, in quem credit, ideſt Diaboli*: ergo Concilii Patres putarunt, illa omnia non revera, ſed tantum in imaginatione fieri. II. Multa adducuntur exempla, quibus conſtat, Sagas viſas fuiſſe in cubilibus, in domibus, in carceribus, temporibus illis, quibus illæ dicebant, ſe fuiſſe in conventus Dæmonum deductas, ibique impia illa exercitia expleviſſe. III. Non eſt eredendum, Deum permittere, tot mala fieri per Sagas innocentibus infantibus, quot fieri dicuntur. IV. Quæ fieri dicuntur in conventibus

illis

Digitized by Google

illis poſſunt facere Dæmones cum mulieribus in privato, non in communi, & ſingulos Dæmones cum ſingulis Strigibus: non eſt ergo afferendum conventibus, & conventiculis.

Reſpondemus ad I. primo, canonem illum non eſſe Concilii Ancyrani, ex eo quia in hujus Concilii ſive græcis, ſive latinis exemplaribus non invenitur. Secundo, in eodem canone non loqui de Lamiis, & Strigibus, ſed de Hæreticis quibuſdam credentibus, Dianam fuiſſe in Deam converſam, unde poſſe creaturam mutari, & ſubſtantiam unam poſſe in aliam converti: unde ſubdit canon: *Quiſquis ergo credit, poſſe fieri aliquam creaturam aut in melius, aut in deterius mutari, aut transformari in aliam ſpeciem, vel ſimilitudinem, niſi ab ipſo Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt, procul dubio infidelis eſt, & Pagano deterior.* Hæc eſt reſponſio Franciſci Pennæ. Tertio, canonem loqui de quibuſdam, quæ per naturam rerum non poſſunt perfici a Dæmone; ut ſunt equitare cum Diana, vel cum Herodiade; equitare ſupra veras beſtias, & multa ſpatia citiſſime peragrare; quæ omnia fieri a Dæmone non poſſunt, & ideo a canone improbantur; multo magis autem improbatur, quod dicatur, cognoſci ab illis aliquam divinam naturam præter Deum; quod omnino impium eſt, & falſum. Hæc autem longe diſtant ab illis, quæ nos dicimus revera a Sagis operari. Et reſponſio eſt Alphonſi a Caſtro, & del Rio, apud Fraſſen.

Ad II. Exempla illa concedimus aliquando eveniſſe, ſed varias ob cauſſas, & ex parte Dei, & ex parte Dæmonis. Deus enim aliquando impedit ſervari pacta cum Dæmonibus inita, ut revincat hominum curioſitatem. Diabolus quoque decipit mulieres, ut decipiat Judices, qui quum videant illas non moveri, transvectiones illarum non credunt, & illas non puniunt, ſed abſolvunt. Aliquando etiam moventur mulieres, & in conventus ducuntur, ſed earum loco remanent in domibus, in cubilibus, in carceribus, ſimulacra a Dæmonibus efficta, quæ mulieres repræſentent; unde credatur, illas non fuiſſe translatas, ſed ibi ſemper remanſiſſe.

Ad III. Si quæ mala infantibus innocentibus a Sagis fiunt, omnia ſunt in corporum perniciem, at ſunt etiam eodem tempore in animarum ſalutem. Deus autem nec hominibus, neque Dæmonibus volens libertatem impedire, permittit, ut mala illa fiant, ex quibus etiam non paucæ virtutes in hominibus promanant. Cæterum ſi argumentum valeret, neque permittere Deus deberet, ut alio modo ab hominibus mors infantibus inferretur, neque ut innocentibus damnum fiat, neque ut Sancti tribulationes patiantur. Quod non dicimus, quia Dei providentia univerſale bonum reſpiciens, aliquando damnum particulare permittit, ut ex eo utile colligat animarum; ut dictum eſt.

Ad IV. occurrit del Rio dicens, quod ex conventibus illis multa commoda percipit Dæmon; quæ ſunt obduratio in malo ob plurium in malo conſortium, & ſocietatem; aggravatio peccatorum ob criminis participationem in ſingulis; audacia in peccando ob multitudinis prævaricationem, & exemplum; voluptas nefaria major, quia pluribus innoteſcit; difficultas converſionis, quia quum Dæmoni dedicentur pluribus præſentibus reſtibus, ac multorum actuum publicorum multiplicatione, difficilius a Dæmone recedunt, & ad Deum convertuntur.

Denique, ut Diſſertationi finem imponamus, agendum eſt de Incubis, & Succubis. Horum nomine veniunt Dæmones, qui cum hominibus venerem exercent; ſi enim exercent cum viris, Dæmones dicuntur ſuccubi; ſi vero cum mulieribus, dicuntur incubi. Vocis ratio deſumitur ab incubo, vel ſuccubo, quæ a cubo derivantur; quatenus ſcilicet ſignificat dormire, vel quieſcere; quod ſi fiat ſuptus alium, dicitur ſuccubare; ſi vero ſupra, dicitur incubare. Hinc deducta fabula, quod olim Cupidinem, aut Semideum putarent antiqui incubum eſſe; ut ait Calepinus, qui & ſubdit: „Dæmones tamen incubos exiſtere, qui cum mulieribus vel noctu, vel diu, rem veneream interdum agant, non omnino abſurdum videtur. „ Et hos, ait, eſſe, quos antiqui Panes, Faunos, & Silvanos vocabant. Succubus vero eſt, qui ſub alio cubat; & ſpeciatim, ut inquit citatus Scriptor, qui in re venerea ſe alteri ſubjicit. Mulier adultera, quæ in locum legitimæ uxoris ſe alteri viro proſtrat, ab Ovidio ep. 6. v. 153. dicitur ſuccuba; ut apud eundem Calepinum legimus. Hinc apud Martinum del Rio diſquiſ. magic. lib. 2. q. 15. firmatur concluſio his verbis: *Solent Maleſici, & Lamiæ, cum*

Dæmo-

Digitized by Google

Dæmonibus, illi quidem ſuccubis, hæ vero incubis, actum venereum exercere. Subdit, hoc perperam ab Hæreticis negari, quod tamen communiter ab omnibus fere admittitur. Inter negantes autem adnumerat Philippum Broidens, Cardanum, Ponzinibum, & Joannem Baptiſtam a Porta: At affirmantium ſententiam dicit eſſe communem Patrum, Theologorum, & Philoſophorum doctiorum, & omnium fere ſeculorum, atque nationum experientia, comprobatam.

I. Probatur ex Patribus. Auguſtinus lib. 5. de civ. Dei c. 23. *Creberrima fama eſt, multoſque ſe expertos, vel ab eis, qui experti erant, de quorum fide dubitandum non eſt, ſe audiviſſe, confirmant, Silvanos, & Faunos, quos vulgus Incubos vocat, improbos extitiſſe mulieribus, ac earum appetiſſe, ac peregiſſe concubitum; & quoſdam Dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, aſſidue hanc immunditiam & tentare, & efficere pluries, taleſque aſſeverant, ut hoc negare impudentia ſit*. Del Rio citat etiam S. Cyprianum, Juſtinum martirem, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Hieronymum, S. Iſidorum, alioſque Patres.

II. Probatur ex Bulla Innocenti VIII. Rom. Pont. I., quæ incipit: *Summis deſiderantes*; contra hæreſim, ſeu ſectam Maleficorum, edita, in qua legitur §. 1. *Sane ad noſtrum non ſine ingenti moleſtia pervenit auditum, quod in nonnullis partibus Alemaniæ ſuperioris, necnon in Maguntinen. Colonien. Treviren. Saltzumburgen. & Bremen. provinciis, civitatibus, terris, locis, & diœceſibus, complures utriuſque ſexus perſonæ, propriæ ſalutis immemores, & a fide catholica deviantes, cum Dæmonibus incubis, & ſuccubis abuti &c.*

III. Probatur ex plurimis exemplis, quæ afferuntur ab Auctoribus graviſſimis apud del Rio, & Fraſſen, quæ omnia negare, non prudentis, ſed impudentis hominis eſſet. Ulterius, ex implicantiis, quas congerunt Adverſarii, & nos in argumentorum ſolutione, diluemus. Adhuc, ex conſenſu tot, tantorumque Scriptorum, qui in idem conveniunt, & de eo dubitare minime patiuntur.

Obſtant I. Dæmones, utpote puri Spiritus, incapaces ſunt omnis carnalis delectationis: ergo fabula eſt, ut facere ſe velint vel incubos cum mulieribus, vel ſuccubos cum viris, in carnali commercio. II. Non eſt intelligibile, nec explicabile, quomodo Dæmones, ſive incubi, ſive ſuccubi, actum venereum exerceant, qui nequit exerceri ſine ſenſu, cujus Dæmones ſunt expertes. III. Cum Incubis mulieres ſuccubæ vel libere conſentiunt coire, vel coguntur; ſi coguntur: ergo non peccant; ſi libere, eſt potius ipſarum immaginatio, quæ operatur, non autem corporis exercitium. IV. Deberent etiam generare; ſed hoc implicat: ergo &c. Et probatur minor. Semen aliunde tranſportant, quum proprium non habeant: ergo naturali ſua virtute deſtitutum: ergo incapax ad generandum. V. Proles, quæ naſceretur, eſſet alterius ſpeciei; quia Dæmon, & homo, ſpecie differunt; hoc autem eſt repugnans: ergo &c. VI. Non poteſt Dæmon eſſe origo, & auctor actus vitalis, qui mortem potius homini inferre cupit, quam vitam: ergo non eſt credendum, quod ab eo humana ſpecies per nova individua multiplicetur.

Reſpondemus ad I. cauſſam, quare Dæmones ſe faciant incubos, vel ſuccubos, non eſſe carnalem delectationem, cujus ſunt incapaces; ſed eſſe impiam complacentiam, quam ſentiunt, dum per luxuriæ vitium utriuſque hominis natura, & in anima, & in corpore, fœdatur, & adeo crimínoſa redditur, ut per hoc vitium ad cætera alia crimina ſive viri, ſive mulieres, proniores reddantur. Non igitur ex hominibus delectationem trahunt, ſed illis perniciem moliuntur; adhuc quando eos amplexibus, & oſculis, ſimulant ſe amare, ac iiſdem delectari.

Ad II. Non ſenſum habent, ſed actum venereæ commixtionis, Incubi, & Succubi; quem quidem actum exercere optime poſſunt; vel in corporibus aſſumptis, ut communis fert opinio, vel per actiones objectivas, ut eſt opinio P. Magnani. Quanvis autem libidinis ſenſationem Dæmones non habeant, ſufficit ipſis, quod habeant illi, cum quibus commiſcentur, ut ipſorum peccata procurent, iiſdenque delectentur. Et hoc eſt ſolatium, quod humani generis hoſtis ex immundo concubitu percipit, criminum ſcilicet multiplicationem, Dei offenſarum gravitatem, animarum perditionem, quaque ex parte inducere, ac procurare.

Ad III. Certum eſt, quod ſi coguntur non peccant; peccatum enim non eſt, ſi non eſt voluntarium. Igitur ſi conſentiunt mulieres incubis, & viri ſuccubis, libere con-

conſentiunt; ſi libere conſentiunt, peccant. Poteſt etiam dari caſus, quod mulieres cum quibus incubi exercere venerem volunt, non ſint ſagæ, ſed pudicæ, & caſtæ; unde nullum cum illis pactum inierunt, itaut aſſentire teneantur. Has autem mulieres Dæmones alliciunt, oblectant, commovent, ut conſentiant; ſed conſenſus ſemper eſt liber iiſdem, ita quidem ut ſi velint, præſtent eum, denegent vero, ſi nolint. Hoc idem evenit in viris, qui vel a ſuccubo externo, vel ab interno Dæmone agitantur ad turpia; ut luculenter explicat Illuſtriſſimus noſter P. Palanco in ſuo tractatu de impeccabilitate, & peccabilitate creaturæ q. 11. n. 19. & ſeqq.

Ad IV. concedunt plures, inter quos eſt del Rio, quem ſequitur Fraſſen; & ad argumentum reſpondent, quod per ſuam virtutem Dæmon poteſt humanum ſemen ita ſervare, ut ſit aptum ad prolis conceptionem. Et quanvis ipſe non ſe habeat per modum cauſſæ principalis, ſed inſtrumentalis, quæ applicat ſemen hominis; illud tamen in ſua naturali virtute perſiſtens applicat, & ad generandum aptum reddit, quando operatur ut incubus.

Ad V. dicitur cum S. Thoma quodlib. 6. ar. 8. ad 6. generationem in præſenti caſu non tribui Dæmoni, ſed homini, cujus eſt ſemen; unde proles non naſceretur ex Dæmone, & muliere, ſed ex viro, & femina. Cæterum ex diverſis ſpeciebus individua coeuntia etiam prolem generant; ut patet in Mulis, Leopardis, Pantheris, aliiſque hujus generis animalibus.

Ad VI. Si phyſice loquimur, vita hominis geniti non tribuitur Dæmoni, ſed humano ſemini, quanvis hoc a Dæmone deportetur. Et hoc non mirum, quum etiam vires agnoſcamus a cibis, quos ſumimus, non vero ab illis, qui eoſdem ad nos deportant; & calefieri nos ſentiamus ab igne, non vero a loco, in quo ignis adſervatur, & qui nobis approximatur. Si vero moraliter diſcurrimus, verum eſt, quod Dæmon per ſe non intendit conſervationem noſtram, at potius deſtructionem; attamen per accidens vult conſervationem corporum, quando per ſe inducere intendit, & conatur animarum perditionem. Sibi blandiri etiam poteſt, quod ſi multiplicantur homines in mundo, multiplicentur pariter animæ hominum in inferno; unde ex hoc non impedit hominum multiplicationem. Sed neque impedit hominum vitam, quando ſperat eam hominibus futuram ad mortem. Unde, omnia dirigens ad malum noſtrum, & ad delectationem, quam ipſe percipit ex malo noſtro, omnia operatur, etiam fœdiſſima, uti ſunt incubum, & ſuccubum ſe præbere, ut noſtram perniciem conſequatur. Deus autem, qui adjutor noſter eſt, & qui nunquam patitur, nos tentari ſupra vires noſtras, ipſe nobis dabit virtutem, qua ſimul fraudes illius detegamus, illiuſque viribus reſiſtamus.

Verum pro omnibus ſupradictis, an vera, an dubia, an falſa ſint; & quomodo regulanda ſint videndus omnino Eminentiſſimus Cardinalis Albitius in pretioſo integro opere de Incompatibilitate in fide, & præſertim toto cap. 32. ubi Inſtructiones Sacræ Congregationis.

DIS-

DISSERTATIO CLIV.

De operibus primæ, & ſecundæ diei in prima rerum creatione:

Ubi an materia aliqua res productas præceſſerit? an omnia ſimul, vel diſtinctis diebus creata fuerint? & quid per res prima & ſecunda die creatas intelligatur?

PRO prima Diſſertationis parte, putarunt Patres quidam, & modo Theologi, præſertim qui ſunt ex Peripato, docent, extitiſſe aliquando materiam aliquam informem, non quidem Deo coævam, ut plures Hæretici erarunt, ſed a Deo creatam; ex hac vero materia, quæ dicitur informis, & inviſa, Deum omnia creaſſe. Patres, qui pro hac ſententia citantur, ſunt Baſilius, hom. 2. Hexamer., Ambroſius lib. 1. ejuſd. argum. c. 8., Chryſoſtomus hom. 2. ſup. Gen., Lactantius lib. 2. divin. inſtitut. c. 8. Beda, & alii. Theologi vero Peripatetici pro hac materia intelligunt materiam primam Ariſtotelis, quæ eſt nec quid, nec quale, nec quantum, ſed eſt prope nihil, ex qua Deus omnes rerum formas produxit; & quam ſine forma exiſtere poſſe ex ipſis quidam, præter Thomiſtas, aſſerunt. Alii vero pro contraria ſunt opinione, quam etiam ex Ariſtotelis mente defendendam ſcribunt; ut mox videbimus. Eſtius in II. ſent. diſt. 12. §. 4. hac utitur diſtinctione. Si materia intelligatur omni prorſus forma nuda, & vacua, res productas non præceſſit. Si materia accipiatur non omnem ſimpliciter excludens formam, ſed vel formam rei præſtantioris, vel ejuſdem rei ornatum, ac pulcritudinem, dupliciter etiam poteſt explicari. Primo modo, quod fecerit Deus ab initio chaos, in quo cœlum, & terra & omnia alia virtute, & quaſi in ſemine continebantur, non autem ſecundum ſuas formas ſubſtantiales. Secundo modo quod ab initio vere fecerit Deus cœlum & terram, & alia omnia ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, at non cum diſpoſitione illa, ornatu, ac pulcritudine, quas deinde acceperunt. Ex his explicandi modis rejicit Eſtius primum, & ſecundum, & amplectitur tertium; & in corroborationem ſuæ ſententiæ adducit, & explicat Auguſtinum, quem Adverſarii pro ſe ipſis maxime ſtare, jactant; adducit etiam alios Patres, & ex Scholaſticis S. Thomam; & cum ipſo nos pariter ſtantes, ſic procedimus ad probationes.

Primus dicendi modus impugnatur, quod ſcilicet non præceſſerit materia omni prorſus forma nuda & vacua, res productas. Geneſis enim I. dicitur, Deum non creaſſe materiam, ſed cœlum, & terram a principio, hoc eſt ante omnia alia producta. Nomine autem cœli & terræ materia omnino informis intelligi non poteſt. Et ratio eſt, quia cœlum & terra exprimuntur ut diverſa; diverſitas non provenit a materia, quæ in omnibus eſt eadem: ergo a forma: ergo non intelligitur illorum nomine materia ſine forma, ſed materia cum forma. Ad hoc confirmandum profert Eſtius verba Auguſtini lib. 1. de Geneſ. ad lit. c. 15. ſcribentis: *Non eſt informis materia rebus formatis tempore prior, cum ſit utrumque ſimul creatum, unde factum eſt & quod factum eſt, ſicut vox materia eſt verborum, verba vero formatam vocem indicant. Non autem qui loquitur prius emittit informem vocem, quam poſſit poſtea colligere, & in verba formare.* Hæc repetit Auguſtinus lib. 1. cont. Adverſarium Legis & Prophetarum c. 9., & lib. 12. Confeſſ. c. 29. Poſtmodum S. Thomas 1. p. q. 66. ar. 1., & q. 44. a. 2. ad 3., & de Potentia q. 4. a. 1., & in Quodlibet. q. 3. a. 1., & in II. ſent. diſt. 12. a. 4. ſubſcribit apertiſſime. Et ratio per ipſum eſt, quia materia prima Ariſtotelis non poteſt, vel momento exiſtere ſine forma; quanvis aliter Scotus de eadem materia ſentiat. At nos ad noſtrum probandum intentum, non

Ariſtotelis; ſed Scripturæ verbis innitimur; quæ quidem ſufficiunt, ut primum explicandi modum rejiciamus.

Secundus dicendi modus refellitur etiam ex eodem Geneſ. cap. 1., quia ibi dicitur, Deum feciſſe in principio cœlum, & terram, non vero chaos confuſum, ex quo cœlum & terram produxerit. Ulterius in Ariſtotelis ſyſtemate nec quoque poteſt habere locum, quia dum tribuitur materiæ initio conditæ forma aliqua communis, & cui deinde ſuperveniſſent formæ ſpeciales, per quas diſtincta fuiſſet, jam illorum ponitur opinio, qui putant materiam non eſſe ens in potentia, ſed eſſe ens in actu; quod eſt contra materiæ primæ rationem, quam Ariſtotelei propugnant; ut argumentatur S.Thomas in Summa ex Ariſtotele.

Verum ex hoc fit, quod hujuſmodi dicendi modus ſi in Ariſtotelis principiis locum non habet, habeat tamen in ſyſtemate aliorum Philoſophorum, in quorum principiis non repugnat, materiam eſſe ens in actu. Scilicet in ſyſtemate P.Magnani, vel Petri Gaſſendi, vel Renati des-Cartes; qui omnes conveniunt in hoc, ut materiam per ens in actu explicant, & ponant, quanvis in ea poſtmodum adſtruenda, & exponenda diſcrepent. Siquidem Gaſſendus ponit ſecundum Epicurum plenum, & inane, & plenum explicat per atomos figura diverſas, & indiviſibiles in actu, atque extenſas, quæ non ſint in potentia, ſed in actu; & hoc pacto explicatur chaos, quod hic dicendi modus ſupponit. P.Magnanus ponit etiam minima phyſica indiviſibilia quomodolibet & extenſa, & non ſolum figura, ſed ſpecie etiam diverſa, quæ pariter ſunt in actu. Et Renatus ponit tria illa ſua elementa, vel unum, ex quo tria naſcuntur, quod etiam eſt in actu.

Unde fit, quod in horum Philoſophorum principiis nullum inducitur inconveniens, ſi materia in actu ponatur, & ſine forma; & ſi ponatur etiam chaos, quod plerique ex iiſdem pariter ponunt. Attamen quia ſecundum Scripturæ verba, ut diximus, non ſubſiſtit; ideo in ea firmanda opinione non amplius hæremus.

Tertius dicendi modus, aſſerit Eſtius, quod ſit omnino admittendus; & pro ratione adducit, quod cœlum ab initio carebat pulcritudine lucis, ac ornatu ſtellarum; terra vero aquis immerſa, ac tenebris obvoluta, non habebat pulcritudinem, ornamentum, quæ modo habet. Et hoc pacto vult intelligi verba illa Geneſis: *Terra autem erat inanis, & vacua*; quarum ratione primæ opinionis defenſores dicunt, materiam illam informem, incompoſitam, ac inviſibilem præceſſiſſe. Sed hoc clarius in argumentorum ſolutione apparebit.

Opponunt I. Verba illa Geneſis: *Terra erat inanis, & vacua*; a ſeptuaginta Interpretibus vertuntur: *erat inviſibilis & incompoſita*: ergo nomine terræ intelligitur materia, omni prorſus forma deſtituta. II. Sapientiæ 11. 18. dicitur: *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa*; græce legitur: *ex materia informi*: ergo vere materia præceſſit omni carens forma. Et hoc pacto Beda verba illa exponit. III. Ad Hebræos 11. 2. habetur: *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. ergo materia illa, ex qua viſibilia facta ſunt, inviſibilis erat, adeoque rudis, indigeſta, ac vacua formatum. IV. Auguſtinus pluribus in locis docet; & præſertim lib.12. Confeſſ. c.3. & ſeqq. uſque ad 12. fuiſſe a Deo creatam materiam informem, hoc eſt omni forma carentem, itaut eſſet prope nihil; & illam fuiſſe ſignificatam per terram Gen. 1. inviſibilem, & incompoſitam; ut Septuaginta vertunt.

Reſpondemus ad I. quod terra erat inviſibilis, quia eam aquæ tegebant, & tenebræ occultabant; erat pariter incompoſita, quia inculta erat ſine herbis, ſine animalibus, ſine arboribus. Et hoc pacto fuiſſe dictam informem, etiam Scripturæ verba, quæ ſubſequuntur, oſtendunt; dicitur enim: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Et hoc pacto præfata verba interpretantur Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Theodoretus &c.; qui per cœlum intelligunt cœlum, & per terram terram, ſed ſine ornatu, ſine pulcritudine, adeoque hac ratione informes.

Ad II. materia inviſa, ſeu informis, eſt materia ſine pulcritudine, & ſine ornatu; & hæc quidem materia præceſſit creationem aliarum rerum, non ſolum natura, verum etiam tempore. Et hoc ex eo patet, quia ubi Vulgata legit: *Orbem terrarum*; Interpres Græcus legit: *κόσμον*, hoc eſt mundum; dicitur autem mundus ab ornatu: & ſenſus eſt, quod Deus ex materia nullam habente pulcritudinem, & nullum ornatum, produxit orbem terrarum,

rarum, hoc eſt mundum, pulcrum, ſcilicet, & ornatum. Et ita exponi debent, ait Eſtius, Beda, & Lactantius.

Ad III. occurrit S. Thomas 1. p. q. 65. ar. 4. ad primum, dicendo, Apoſtolum intelligi de rerum ideis, quæ ſunt in mente divina. Alii exponunt, ex inviſibilibus, hoc eſt ex non apparentibus, ut habet Græcus Interpres, quod idem eſt ac ex non exiſtentibus, Deum feciſſe omnia, quæ apparent; quia revera omnia fecit ex nihilo. Alii denique volunt, quod terra a principio erat ἀόρατος, hoc eſt inviſibilis; & ita ex terra, formata quidem, ſed inviſibili propter tenebras, & aquas, viſibilia omnia creavit Deus.

Ad IV. Auguſtinum ex Auguſtino explicamus, docente, informitatem materiæ præceſſiſſe formationem ejus, non tempore, ſed natura, vel origine, adeoque tantum noſtræ intelligentiæ ſigno; quod paritate vocis & verbi, quam ſupra attulimus, ſatis explicat. Vox enim præcedit verbum, non tempore, ſed natura, origine, & ratione. Sicque adducta Auguſtini loca exponuntur per alia Auguſtini etiam verba in lib. 1. de Gen. ad lit. c. 15., & lib. 12. Confeſſionum c. 17. & ſeqq. uſque ad 29., & alibi etiam.

Pro ſecunda vero Diſſertationis parte duplex eſt ſententia; altera, quæ aſſerit, Deum creaſſe mundum, non per ſex dierum intervalla, ſed ſimul; & ſex dies illos allegorice eſſe intelligendos; quatenus ſcilicet deſignant, non uſitata ſpatia temporum, ſed cognitionem Angelorum, qua Angeli ipſi cognoſcunt gradus & perfectiones rerum creatarum; & quia Angeli habent cognitionem matutinam, & cognitionem veſpertinam, ut ſuo loco dictum eſt, inde ipſorum cognitionem modo appellari veſpere, modo mane, diverſa quidem ratione; & ſic allegorice facere diem. Hujus ſententiæ fuit Philo Judæus lib. de mundi opificio, & lib. 1. Allegoriarum legis; eandemque amplexus fuit Auguſtinus multis in locis, & præcipue lib. 1. de Gen. ad lit. c. 15. lib. 4. c. 8. 22. 32. 33. 34. & ſeqq. lib. 5. c. 4. 5. & 23. lib. 6. Etiam lib. 12. de civ. Dei c. 7. 9. 30. 31. lib. 65. quæſtionum ad modum Dialogi inter Auguſtinum, & Oroſium, q. 26.; quamvis revera hæc quæſtiones utrique ſint ſuppoſitæ, & alium habeant auctorem, ſententiam tamen Auguſtini auctor larvatus ſequi ſtuduit. Mens Auguſtini fuit, ſimul fuiſſe facta cœlum, terram, lucem, firmamentum, aridam, maria, luminaria cœli & cætera omnia, quæ in creatione rerum a Moyſe deſcribuntur facta per ſex dierum intervalla. Et in ſuæ ſententiæ explicationem hæc ulterius ſcribit Auguſtinus lib. 11. de civ. Dei c. 7. *Nam ſcientia creaturæ in comparatione ſcientiæ Creatoris quodammodo veſperaſcit; luceſcit vero & mane fit, cum ad laudem & dilectionem Creatoris ipſa refertur.* Eandem ſententiam ſequutus fuerat Origines lib. 6. cont. Celſum; Procopius etiam Com. in Gen. docuit. Dicitur quoque in eam propendiſſe S. Thomam, ſed de hoc infra; certe tamen Cajetanus S. Thomæ diſcipulus in expoſ. c. 1. Gen. eam propugnavit, & cum ipſo poſtea Melchior Canus.

Alia vero ſententia, quæ eſt communior, docet, res omnes in prima mundi creatione fuiſſe a Deo factas, non uno ſimul die, vel momento, ſed ſex diebus diſtinctis, eo prorſus modo, quo Scriptura narrat, ſecundum literalem ſenſum, non vero allegoricum. Hujus ſententiæ ſunt Chryſoſtomus hom. 3. ſup. Geneſ., Epiphanius in epiſt. a S. Hieronymo in latinum verſa contra Origenem, Baſilius hom. 2. Hexameron., Damaſcenus lib. 2. de fide; ex Græcis; ex Latinis vero Ambroſius lib. 1. Hexameron. c. 7. & lib. 6. c. 2., Gregorius magnus lib. 32. moral. c. 10., Beda in Hexameron., Rabanus Maurus, Strabo, aliique paſſim.

De Angelico Doctore nihil aſſerit Natalis Alexander, qui hanc quæſtionem in hiſt. eccl. vet. teſt. pertractat; Eſtius vero dicit, quod 1. p. q. 74. a. 2. ſuam ſententiam ſuſpenderit, dicendo, ſe nulli parti præjudicare velle; unde utriuſque opinionis argumenta diſſolvit. Attamen in Opuſculo 15. & 17. videtur, S. Doctorem magis in Auguſtini ſententiam propendiſſe. Quod ex hoc ratiocinio innoteſcit. Docet enim, Auguſtini ſententiam, quæ ponit omnia fuiſſe creata ſimul magis convenire cum ſententia, quæ aſſerit, Angelos fuiſſe ſimul cum corporeo mundo creatos; ſed Angelicus docuit ſententiam aſſerentem, Angelos fuiſſe ſimul cum corporeo mundo creatos: ergo ex cohærentia doctrinæ docere etiam voluit ſententiam, quæ ponit, omnia fuiſſe creata ſimul, abſque ſenario dierum intervallo. Cardinalis Noriſius, doctus quidem, & fortis Auguſtini defenſor, in Vindiciis Auguſtinianis §. 9. expreſſe tradit, S. Thomam pro Auguſtini ſententia ſte-

tiſſe; pro qua etiam nuperis temporibus ſteterunt Emanuel Cerda, Luſitanus, Carolus Moreau, Bituricenſis, Ludovicus ab Angelis, pariter Luſitanus, P. Macedo in altero theologico tomo Collationum de Angelis, ubi plures Recentiores laudat, qui Auguſtini ſententiam amplexati ſunt; aliique plures; ut apud eundem Noriſium. Cohærenter Cajetanus in Summa nihil de hac quæſtione protulit; in Expoſitione vero Geneſis ſatis ſe declaravit, ut dictum eſt. His prænotatis.

Dicimus, Deum in mundi exordio omnia creaſſe ſimul, non ſervato ſex dierum ſpatio, quod non literaliter, ſed allegorice, intelligendum eſt.

I. Probatur ex Scripturis. Geneſ. 2. 4. & 5. *Iſta ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt, in die, quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret.* Quibus verbis adſcribitur uni tantum diei creatio cœli, terræ, & omnium plantarum; quæ tamen diverſis diebus creatæ in Geneſis exordio deſcribuntur: ergo deſcriptio illa non eſt literaliter, ſed tantum allegorice, intelligenda. Et quod dicitur de cœlo, terra, & plantis, de aliis rebus creatis eadem erit dicendi ratio. Reſpondet Natalis Alexander, pro die non intelligi unicam diem, ſed unam ſeriem, ſucceſſionemque continuam dierum, ſive unum temporis tractum; itaut idem ſit dicere *in die*; ac *in tempore*, vel *in diebus*. Reſpondet Eſtius etiam, diem intelligi proprie, ſed acceptione confuſa, ut non intelligatur unus, idemque dies, ſed alius, atque alius. At contra utrunque argumentamur ſic primo; quod non opponant nobis Adverſarii, nos perſpicuum loquendi modum Scripturarum invertere, quando ſex dies creationis pro uno diei momento intelligimus; quum ipſi quoque hac ſimili inverſione utantur, quando unum diem pro pluribus interpretantur. Secundo, minus ſapit improprietatis accipere plures pro uno die, quam unum diem intelligere pro multis; quatenus in primo caſu non poteſt habere locum ſenſus ille allegoricus Auguſtini, qui locum habet in ſecundo. Tertio, quia quum uniantur ſimul cœlum, & terra, & virgulta eadem die, & eadem die dicantur creatæ cœlum, & terra in altero Scripturæ loco, debemus intelligere virgultorum creationem pro eodem temporis ſpatio, pro quo cœli, & terræ creationem intelligimus; hoc eſt pro eadem proprie, ac rigoroſe, die, abſque extenſione, vel ad ſeriem dierum, vel ad confuſam diei extenſionem.

II. Probatur Eccli. 18. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Et hac auctoritate motus Auguſtinus, ſuam opinionem firmavit lib. 4. de Geneſ. ad lit. c. 33. dicens: *Quid ergo opus erat ſex dies tam diſtincte, diſpoſiteque narrari? Quia ſcilicet ii, qui non poſſunt videre quod dictum eſt, creavit omnia ſimul, niſi cum eis ſermo tardius incedat, ad id, quo eos ducit, pervenire non poſſunt.* Neque valent reſponſiones Eſtii, & Alexandri, qui dicunt, verbum *ſimul* referri non ad *creavit*, ſed ad *omnia*; quatenus ſcilicet Deus creavit generalitatem omnium rerum, ſed non eodem tempore, hoc eſt non eadem die, creavit. Ulterius, quod Deus prima tantum die creavit, hoc ex nihilo produxit; aliis vero diebus non creavit, quia ex præſuppoſita materia eduxit. Certe non valent reſponſiones hæ; non prima, quia nequit referri *To ſimul* ad nomen *omnia*, quin referatur ad verbum *creavit*; & ratio eſt, quia ſi omnia ſimul creavit, non creavit diviſim; ſi non diviſim creavit, unitim creavit: ergo ſimul creavit. Ulterius, in ſenſu ab Adverſariis intento de rebus omnibus dici poteſt, quod Deus eas ſimul creavit, quatenus creavit eas omnes, & non creavit unam ſine alia, quanvis alio, & alio tempore eas creaverit; ergo ut *To ſimul* aliquid amplius in verbis illis ſignificet, opus eſt, ut ejus ſignificationem, non tantum ad unionem rerum, ſed etiam ad unitatem actionis extendamus. Neque valet reſponſio altera; dicitur enim ibi, *quod creavit omnia*; ſi igitur omnia creavit, verbum creavit non eſt reſtringendum ad ſolam materiam rerum, quam proprie, & rigoroſe principio creavit. Si dicatur, quod creavit ſimul materiam omnium rerum, adeoque creavit omnia ſimul; nec etiam ad rem dicitur; quatenus hic dicendi modus faceret, quod poſſet vere dici, tunc quoque creaſſe Deum omnia, quæ poſterioribus ſeculis producta ſunt, quia omnium creaturarum tunc etiam materiam creavit. At Scripturæ locus non eſt extendendus ad res, quæ fuerunt productæ poſt primam rerum creationem; ut ſatis cuilibet innoteſcit.

III. Probatur Exodi 31. 17. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram:* ſed ſecundum

dum eundem Moyſen Gen. 1. Deus creavit cœlum, & terram in principio, & prima die 1 ergo ſecundum Moyſen ſex dies ſunt una dies. Reſpondet Eſtius, quod verba Exod. 31. ſuppleri debeant per alia verba Exod. 20. addendo hanc clauſulam: *Et omnia, quæ in eis ſunt*. Legitur enim quoque Exod. 20. 11. *Sex diebus fecit Dominus Cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt*. At in contrarium inſtamus dicendo; quod ſi ſex illi dies Exod. 31. intelliguntur pro una die, ut probatum eſt; etiam ſex dies Exod. 20. pro una die accipiuntur; & ſenſus eſt, quod quemadmodum per priora verba intelligitur creatio cœli, & terræ una die facta, ita etiam per alia verba intelligitur creatio cœli, & terræ, & maris, & omnium, quæ in eis ſunt, facta pariter una die. Nomine autem ſenario intelliguntur cognitiones Angelorum, ut diximus, & fuſius inferius dicemus.

IV. Probatur Job. 40. 10. & 14. *Ecce Behemot, quem feci tecum .... Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum*. Quibus verbis ſive intelligatur Dæmon, ſive animal, ſemper evincitur, Deum omnia ſimul creaſſe, quia eadem die ſimul creavit Angelos, & homines, homines, & animalia, quæ tamen allegorice in Geneſis exordio diverſis diebus creata dicuntur. Natalis Alexander reſpondet dicens, per verbum *tecum* non ſignificari unitatem temporis, ſed ſimilitudinem conditionis; ulterius addit, non ſignificari idem tempus, ſed eundem locum, quatenus eorum creatio fuerit a Deo facta in eodem loco, licet non eodem tempore. Sed inſiſtimus contra; primo, quia eſt arbitraria explicatio, quam ſuppetunt cum Alexandro Adverſarii; & ſecundo, quia eſt contra verborum illorum ſenſum. Verbis enim illis tempus denotatur, non locus; quum dicatur; *ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum*: ergo cohærenter ad hæc verba explicari debet verbum *tecum*; ſed hæc verba denotant principium temporis, non loci: ergo verbum illud importat unitatem temporis, non loci. Inſuper, quæ conditio eſſe poterat homini vel cum Dæmone, vel cum beſtiis, eadem, niſi quia homo fuerat a Deo creatus eodem tempore, quo fuerunt Angeli, & animalia? Ergo adhuc per explicationem Adverſariorum, quæ inducunt per verbum *tecum* ſimilitudinem conditionis in homine, & Dæmone, vel in homine, & beſtiis, infertur unitas temporis in eorundem creatione.

V. Probatur ex Auguſtino variis in locis, & præcipue lib. de Gen. ad lit. Imperfecto c. 7. *Quanquam ergo ſine productione temporis faciat Deus, cui ſubeſt poſſe, cum volet; ipſæ tamen naturæ temporales motus ſuos temporaliter peragunt. Ita fortaſſe dictum eſt*: Et facta eſt veſpera, & factum eſt mane, dies unus; *ſicut ratione proſpicitur, ita fieri debere, aut poſſe, non ita ut ſit temporalibus tractibus. Nam in ipſa ratione operationem contemplatus eſt in Spiritu Sancto, qui dixit*: Qui manet in æternum creavit omnia ſimul: *Sed commodiſſime in illo libro, quaſi morarum per intervalla factarum, a Deo rerum digeſta narratio eſt, ut ipſa diſpoſitio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione ſtabili videri non poterat, per hujuſmodi ordinem ſermonis expoſita quaſi iſtis oculis cerneretur*. Et lib. 4. de Geneſ. ad liter. c. 22. *Sed quoniam lux corporalis, antequam fieret cœlum, quod firmamentum vocatur, in quo etiam luminaria facta ſunt, quo circuitu, vel quo proceſſu, vices diei & noctis exhibere potuerit, non invenimus; iſtam quæſtionem relinquere non debemus ſine aliqua noſtra prolatione ſententiæ, ut ſi lux illa, quæ primitus creata eſt, non corporalis, ſed ſpiritualis eſt, ſicut poſt tenebras facta eſt, ubi intelligitur a ſua quadam informitate ad Creatorem converſa, atque formata, ita & poſt veſperam fiat mane, cum poſt cognitionem ſuæ propriæ naturæ, quæ non eſt quod Deus refert ſe ad laudandam lucem, quod ipſe Deus eſt, cujus contemplatione formatur. Et quia cætera creaturæ, quæ infra ipſam fiunt, ſine cognitione ejus non fiunt, propterea nimirum idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quoties diſtinguuntur rerum genera creatarum perfectione ſenarii numeri terminanda. Ut veſpera primi diei ſit etiam ſui cognitio, non ſe eſſe quod Deus eſt; mane autem poſt hanc veſperam, quo concluditur dies unus, & inchoatur ſecundus, converſio ſit ejus, quæ id quod creata eſt ad laudem referat Creatoris, & percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturæ, quæ poſt ipſam fit, hoc eſt firmamenti, quod in ejus cognitione fit prius cum dicitur*: Et ſic eſt factum; *deinde in natura ipſius firmamenti, quod conditur, cum additur etiam poſtea, jam dicto*: Et ſic eſt factum, Et fecit Deus firmamentum. *Deinde fit veſpera illius lucis, cum ipſum firmamentum non in Verbo Dei ſicut ante, ſed in ipſa ejus natura cognoſcit. Quæ cognitio quoniam minor eſt, recte veſpera nomine ſignificatur. Poſtquam*

ſit

ſit mane, quo concluditur ſecundus dies, & incipit tertius: In quo itidem mane converſio eſt lucis hujus, ideſt diei, hujus ad laudandum Deum, quod operatus ſit firmamentum, & percipiendam de Verbo ejus cognitionem creaturæ, quæ condenda eſt poſt firmamentum. Ac per hoc cum dicit Deus: Congregetur aqua, quæ eſt ſub cœlo in collectionem unam, & appareat arida, *cognoſcit hoc illa lux in Verbo Dei, quo id dicitur; & ideo dicitur:* Et ſic eſt factum, *hoc eſt in ejus cognitione ex Verbo Dei: Deinde cum additur:* Et congregata eſt aqua &c. *Cum jam dictum eſſet:* Et ſic factum eſt, *in ſuo genere ipſa creatura ſit; quæ item cum in ſuo genere facta cognoſcitur ab ea luce, quæ jam in Verbo Dei faciendam cognoverat, ſit tertio veſpera. Et inde hoc modo cætera uſque ad mane poſt veſperam ſexti diei. Multum quidem intereſt inter cognitionem rei cujuſque in Verbo Dei, & cognitionem ejus in natura ejus, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad veſperam. In comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conſpicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in ſeipſa novimus, non immerito nox dici poteſt: Quæ rurſus tantum differt ab errore, vel ignorantia eorum, qui nec ipſam creaturam ſciunt, ut in ejus comparatione non incongrue dicatur dies.* Addit cap. XXXIII. *Quid ergo opus erat ſex dies tam diſtincte, diſpoſiteque narrari? Quia ſcilicet ii, qui non poſſunt videre quod dictum eſt:* Creavit omnia ſimul, *niſi cum eis ſermo tardius incedat ad id, quo eos ducit, pervenire non poſſunt.* Et lib. etiam XI. de Civitate Dei cap. XXIX. *Ipſam quoque creaturam melius ibi, hoc eſt in ſapientia Dei, tanquam in arte, qua facta eſt, quam in ea ipſa ſciunt... Multum enim differt utrum in ea ratione cognoſcatur aliquid ſecundum quam factum eſt, an in ſeipſo. Sicut aliter ſcitur rectitudo linearum, ſeu veritas figurarum, cum intellecta conſpicitur, aliter cum in pulvere ſcribitur; & aliter juſtitia in veritate incommutabili, aliter in anima juſti. Sic deinde cetera ſicut firmamentum inter aquas ſuperiores, & inferiores, quod cœlum vocatum eſt, ſicut deorſum aquarum congeries, terræque nudatio, & herbarum inſtitutio, atque lignorum, ſicut Solis, & Lunæ, Stellarumque conditio; ſicut ex aquis animalium, volucrum ſcilicet, atque piſcium, belluarumque natantium, ſicut quarumcunque in terra gradientium, atque repentium, & ipſius hominis, qui cunctis in terra rebus excelleret. Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoſcuntur ab Angelis, ubi habent cauſas, rationeſque ſuas, ideſt ſecundum quas facta ſunt, incommutabiliter permanentes, aliter in ſeipſis; illic clariore, hic obſcuriore cognitione, velut artis, atque operum. Quæ tamen opera cum ad ipſius Creatoris laudem, venerationemque referuntur tanquam mane luceſcit in mentibus contemplantium. Hæc autem propter ſenarii numeri perfectionem, eodem die ſexies repetita, ſex diebus perfecta narrantur: Non quia Deo neceſſaria fuerit mora temporum, quaſi qui non potuerit creare omnia ſimul, quæ deinceps congruis motibus peragerent tempora; ſed quia per ſenarium numerum eſt operum ſignificata perfectio.*

VI. Probatur. Sententia noſtra magis cohæret ſententiæ docenti, Angelos ſimul cum mundo corporeo fuiſſe creatos; ſed hæc ſententia magis cohæret Scripturarum menti, Patrum judicio, ac Scholaſticorum fere omnium aſſertioni: ergo pariter ſententia noſtra ſic judicari debet, ac approbari. Major patet ex teſtimonio Doctoris Angelici, quod etiam recognovit Eſtius, quanvis ſit noſtræ ſententiæ adverſarius; immo ex ipſa principiorum connexione innoteſcit. Si enim ſemel dicamus, Deum omnia quum viſibilia tum inviſibilia, creaſſe ſimul, hoc ipſo etiam fit, quod ſimul cum viſibilibus creaverit Angelos, qui inter inviſibilia numerantur. Minor ex iis, quæ nos ſuo loco ſcripſimus, pariter innoteſcit. Conſequentia autem optime infertur.

VII. Probatur auctoritate S. Athanaſii or. 3. pag. 233. apud Petavium dicentis, & probantis, Verbum non eſſe creaturam, quia quum Proverb. 8. ſcriptum ſit: *Ante omnes colles genuit me*: ſignificatur, Verbum fuiſſe genitum ante omnes res creatas: ergo non eſt in numero rerum creatarum, quia res creatæ non fuerunt creatæ una ante aliam, ſed omnes ſimul; quod & lib. 3. cont. Arianos ſcribit. En ſua verba: *Ante omnes colles genuit me. Nam cum dicit, ante omnia generat me, oſtendit, ſe ab omnibus eſſe diverſum; quum ſuperius probatum ſit, nullam ex rebus creatis ante alteram extitiſſe: Verum confertim ſimul omnia genere uno, eodemque momento eſſe producta.*

VIII. Probatur ex Procopio in Geneſim ſcribente: *Cæterum mundi dies enumerat, quod factum eſt accurate, monſtrare volens; non enim tempore opus habet in condendo Deus: neque tamen temere, nec ſine ordine, quæ molitur, efficit. Porro numerus ordinem*

facit

facit. Iceireo non prima dixit, ſed una. Siquidem in iis, quæ ſimul exiſtunt, non eſt primum, ac ſecundum. Verum quoniam narratio ſuum ordinem habet: ideo poſt unam, & ſecundam dictum eſt, & uſque ad ſex ordinis gratia. Ad quæ ſubdit Petavius: „ Hic uno die, immo vero momento uno, procreaſſe Deum aſſerit opera „ illa, quæ in ſex a Moſe diſtributa ſunt: „ nec alio ſpectare numerum illum, quam „ ad naturæ ſeriem, & ordinem. Ut ſi ar„ borem cum fructu temporis eodem pun„ cto producat Deus: & qui id refert, prius „ arborem dicat eſſe procreatam, deinde „ fructum „.

IX. Probatur ex Origene lib. 6. cont. Celſum; ubi eos reprehendit, qui putant, vera ſex dierum ſpatia a Moyſe fuiſſe deſcripta ſubdit, ſe contra eoſdem diſputaſſe in Commentariis ad Geneſim; quæ teſtatur Petavius eſſe deperdita. Utitur etiam ad hoc probandum teſtimonio Geneſ. 2. 4. deducto ex illis verbis, quæ nos attulimus, & perpendimus; nimirum: *Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ, quando creata ſunt; in die, quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram.*

X. Probatur ex Philone Judæo lib. de mundi opificio; ubi poſtquam explicavit ſingillatim dies illos creationis mundi, deinde ſubdit, dies illos adhibitos fuiſſe a Moyſe magis ad diſtinguendum ordinem rerum, quam ad ſignificandum vera intervalla: *Tunc omnia ſimul condita. Cum autem ſimul omnia conſtarent, neceſſaria fuit ratio ſervandi ordinis, propter mutuam, quæ deinceps futura erat, ex ſeſe propagationem.* Et initio lib. 1. Allegoriarum inquit: *Stultum eſt arbitrari ſex diebus, aut omnino in tempore mundum extitiſſe; propterea, quod mundus univerſus intervallum eſt dierum, ac noctium. Atque hæc ſolis ſupra terram, & infra hanc, euntis, motus neceſſario efficit &c.* Et poſt pauca: *Itaque cum audis: complevit die ſeptimo opera, intelligere non debes de dierum aliquot intervallis, ſed de ſenario perfecto numero.* Et in eodem loco: *Ruſticanæ ſimplicitatis eſſe, putare ſex diebus, aut utique certo tempore, mundum eſſe creatum.*

Arguunt Adverſarii I. Sicut aliis verbis Gen. 1. quæ res narrantur, proprie, & non allegorice, intelliguntur; ita etiam intelligi debent dies, quæ per alia verba exprimuntur. Per terram enim proprie, & non allegorice intelligitur terra, per cœlum cœlum, per aquam aqua, per ignem ignis, & ſic de cæteris: ergo pariter per dies, & per dierum numerum, intelligi debent proprie, & non allegorice, intervalla dierum. II. Exod. 20. redditur ratio ſanctificationis ſabbati verbis hiſce: *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo; idcirco benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificavit eum.* Hæc autem ratio nihil probaret, ſi dies illi veri dies non eſſent, quia non eſſet verus ſeptimus, adeoque non eſſet verus dies ſabbati, quem Dominus ideo ſanctificandum præcepit. III. Quando Scripturæ poſſunt literaliter explicari abſque incommodo, nulla eſt neceſſitas, ut in explicatione earum ad allegorias recurramus; ſed hiſtoria creationis rerum in c. 1. Geneſ. contenta, & a Moyſe deſcripta, poteſt ſine incommodo literaliter explicari: ergo nulla eſt neceſſitas, ut in ejus explicatione ad allegorias recurramus. Probatur minor. Quia nulla eſt implicantia dicere, Deum per ſex realia intervalla temporis res omnes in prima creatione produxiſſe. IV. Admiſſa noſtra opinione, ſequeretur, quod inſtanti eodem feciſſet Deus tenebras, & lucem, diem, ac noctem; hoc autem implicantiam dicit, propter eorum oppoſitionem; & dicit adhuc Scripturæ contrarium, quum in illa dicatur, Deum prius feciſſe tenebras, & deinde lucem. V. Sequerentur etiam alia Scripturæ oppoſita; nimirum, quod eodem momento aquæ fuiſſent confuſæ, & diviſæ, terra aquis cooperta, & diſcooperta, veſpera, & mane; quod pariter & repugnantiam importat, & Scripturæ perturbationem. VI. Ex Auguſtino Angelus in uno inſtanti creatus eſt, & in alio inſtanti peccavit; ſed ex eodem Auguſtino homo creatus eſt poſt Angeli peccatum: ergo plura inſtantia inter creationem Angeli, & hominis interceſſerunt: ergo non omnia entia fuerunt a Deo creata ſimul. VII. Homo non fuit conditus quando fuerunt conditæ plantæ: ergo non ſimul. Probatur antecedens. Gen. 2. dicitur, quod quo die fecit Deus cœlum, & terram, & virgultum agri, & herbam regionis, nondum erat homo, qui terram operaretur. VIII. Auguſtinus lib. de Catech. rudibus c. 17. docuit; Deum ſex diebus operatum, die ſeptimo requieviſſe; ſubdens: *Poterat enim Omnipotens & uno momento temporis omnia facere:* Hoc autem idem eſt ac dicere, potuiſſe Deum res omnes uno temporis mo-

mento

mento efformare; at ob fines, & ob rationes, quos ipſe cognovit, non effeciſſe. IX. Idem Auguſtinus lib. 2. Retract. c.24. fatetur, in Lib. de Geneſ. ad lit. plura quæſita eſſe, quam inventa, & multa ita poſita, quaſi adhuc requirenda; ſed opinio de inſtantanea mundi creatione ab Auguſtino in lib.de Gen.ad lit.fuit tradita: ergo ſecundum ipſummet Auguſtinum non eſt tam inventa, quam quæſita, & ita poſita, quaſi adhuc requirenda. X. Idem quoque Auguſtinus init.lib. 8. de Gen. ad lit. docet: *Narratio Moſis in libro Geneſeos non eſt genus locutionis figuratarum rerum, ſicut in Cantico Canticorum, ſed eſt expoſitio rerum omnino geſtarum, ſicut in Regnorum libris, & cæteris hujuſmodi*: ergo non eſt locus Allegoriis, ſed omnem locum hiſtorica veritas debet omnino occupare.

Reſpondemus ad I. diſparitatem eſſe, quia res creatæ jam videntur aperte, quod non allegorice, ſed hiſtorice narrantur, quum exiſtant; at tempus, quo creatæ fuerunt, quum non exiſtat, non videtur; unde non poteſt de illo dici, quod de rebus dicitur, fuiſſe ſcilicet hiſtorice, & non allegorice dictum. Ulterius pro rebus creatis non ſunt alia Scripturarum teſtimonia, quæ eas diverſimode explicent, ac ſunt in Geneſi deſcriptæ; at pro tempore creationis ſunt; ut in probationibus vidimus; & hæc eſt altera diverſitas inter hoc, & illas. Denique res alias allegorice explicare cenſura noſatur contra Origenem, ut apud Patres, & Theologos; at non ſic creationis dies allegorice cum Auguſtino, & cum aliis Patribus, & Theologis, intelligere. Et quanvis Auguſtini opinio cenſuretur a Molina, Suarez, Arriaga, Martinone, aliiſque recentioribus, attamen optime a cenſuris omnibus vindicatur ab eruditiſſimo Cardinali Noriſio in Vindiciis Auguſtinianis, teſtimoniis pro Auguſtino productis S. Thomæ, Alberti magni, S.Bonaventuræ, Ægidii Romani, aliorumque Scholaſticorum Doctorum; ut apud ipſum Noriſium, ſi velint, Legentes invenient.

Ad II. Ut ratio ſanctificationis ſabbati verificetur ſufficit enumeratio dierum in numero ſenario; quicquid autem ſit, an enumerati dies fuerint veri, an vero allegorici. Enumeratio ipſorum certe legitur in Geneſi, & conformatur non nihilo, ſed alicui; ſcilicet cognitionum angelicarum ſenario numero. Igitur accipiendo dies, non prout fuerint veri, & tales, quia ſic non fuerunt, ſed prout conformati cognitionibus illis, formant pariter ſenarium numerum, poſt quem venit ſeptimus, cui ſabbatum reſpondet.

Ad III. Incommodum non provenit ex ipſa repugnantia rei, quæ narratur, ſed ex diverſa loquutione aliarum Scripturarum; quæ cum literali intelligentia loci illius Geneſis pro diebus creationis rerum non convenit. Et propter hoc incommodum maxime recurritur ad allegoricas explicationes. Quod autem potuerint res ſex diebus vere diſtinctis a Deo produci, probat quidem poſſibile, ſed non factum. Poſſumus etiam nos dicere, quod nulla eſt repugnantia, inſtanti temporis potuiſſe Deum res omnes producere; quod ſane nec Adverſarii inficiantur; & nihilominus ex hoc poſſibili deducere factum nobis non permittunt.

Ad IV. Etſi negemus ſucceſſionem temporis, non negamus autem ſucceſſionem ordinis; & propter hanc ordinis ſucceſſionem, quæ etiam poteſt in inſtanti temporis habere locum, non ſequitur implicantia, quam Adverſarii intendunt. Sane ſi argumentum valeret, non ſolum probaret, res non fuiſſe productas in temporis momento, ſed nec potuiſſe; quod tamen Adverſarii concedunt. Denique per nos tenebræ non dicunt aliquod ens exiſtens, ſed ſolam lucis vel privationem, vel negationem, hoc eſt non lucem; vel clarius, corpus non lucens, corpus ſcilicet, & non lucem: ſic tenebras explicando, non ſequitur inconveniens intentum.

Ad V. eadem eſt reſponſio; ſucceſſio ſcilicet ordinis, non temporis, ſatis fuit ad ſalvandam creationem terræ, & aquæ; terris aquis copertæ, & diſcoopertæ; aquarum confuſarum, & diviſarum &c. Fit etiam inſtantia in præcedenti reſponſione facta pro poſſibili, & non tantum pro facto. Et ſuo modo poſſumus etiam eodem pacto diſcurrere de aquis diviſis, & non diviſis, hoc eſt confuſis; de terra cum aquis, & ſine aquis, hoc eſt cooperta, & diſcooperta; ac de corpore lucido, & non lucido, ſcilicet tenebroſo, vel tenebris, loquuti fuimus.

Ad VI. Si Adverſarii feciſſent diſtinctionem inter inſtans reale temporis, & inſtans angelicum, quam nos ſuo loco fecimus, & explicavimus; utique contradictio-

dictionem hanc Auguſtino nón objeciſſent. Cæterum ſi quæſtio reducitur ad unum, aut aliud inſtans, non eſt amplius de diebus, ſed potius de inſtantibus. At quæſtio principalis eſt de ſex creationis non inſtantibus, ſed diebus; unde parum refert, ſi unum, aut aliud ponatur inſtans, præſertim quum imaginarium potius, non reale eſſe, videatur.

Ad VII. Erat homo, ſed non adhuc operabatur, quando ſtatim fuerunt plantæ; quum eodem tempore ſimul produxerit Deus plantas, & hominem. Non erat autem homo, qui terram operaretur; quia hoc muneris poſt rerum creationem fuit homini demandatum.

Ad VIII. Auguſtinus in loco illo admiſit non repugnantiam, ſed non negavit factum. Et quia factum valebat admittere, & ad admittendum factum præcedere debebat poſſibilitas ipſius; ideo præmiſit non repugnantiam; & deinde non deduxit ex non repugnantia factum; jam enim ſciebat, quod a poſſibili ad exiſtens non valet argumentum; ſed ex aliis Scripturæ locis factum probavit; & ſi quæ videbantur Scripturæ, non poſſibili, ſed facto contrariæ, ex illis iiſdem locis explicavit.

Ad IX. Deberent probare Adverſarii, vere Auguſtinum inter illa quæſita, & non inventa, inter illa poſita, & requirenda, comprehendere voluiſſe, non ſucceſſivam, ſed inſtantaneam rerum creationem. Quod quum non faciant, quia hoc Auguſtini verbis opus eſſet ut probarent, & Auguſtinus nunquam hoc effatus eſt; nihil certe probant ex illis Auguſtini verbis nec contra nos, nec contra ipſum Auguſtinum.

Ad X. Concedimus totum Auguſtini dictum de rebus creatis, & quæ creatæ in Geneſi narrantur; quia contra harum veritatem nihil alibi ſcripſit Auguſtinus. Sed negamus de tempore creationis illarum, quia de hoc aliter ipſe ſcripſit aliis in locis: unde non eſt credendum, quod de hoc intellexerit, illa dicere, ſine ulteriori explicatione, & clara retractatione, quæ neceſſaria erat, vel ad reformanda, quæ antecedenter ſcripſerat, vel ad firmanda, quæ in loco illo ſcribebat.

Devenimus modo ad explicationes rerum, quæ fuerunt prima, & ſecunda die creatæ, ſecundum ordinem, quem Moyſes nobis proponit. Opera primæ diei ſunt cœlum, terra, lux, diviſio lucis a tenebris; quæ videri poſſunt enarrata Gen. c. 1. Nomine cœli venit pars mundi ſuprema, nomine terræ pars infima. Hæc Deus produxit a principio, hoc eſt ante omnia; ut ait Auguſtinus lib. 2. de civ. Dei c. 9., & non ex præexiſtente materia produxit, ut voluit Hermogenes; & ideo creavit, produxit ſcilicet ex nihilo. Per lucem ſunt qui intelligunt Angelos, alii nubem, alii columnam, alii corpus lucidum, quod per utrumque hemiſphærium pertranſiret.

Opus autem ſecundæ diei fuit firmamentum; quod in eodem Geneſ. c. 1. legitur. Nomine firmamenti intelligunt extenſum quidpiam, per quod aquæ ab aquis dividantur. Spatium illud dicunt quidam eſſe aerem, alii aliud ſolidum corpus, & aere ſuperius. Nomine vero aquarum, qui volunt firmamentum ſolidum, dicunt intelligi aquas ejuſdem ſpeciei, cum noſtris, quanvis noſtris ſint puriores; qui vero ſentiunt firmamentum eſſe aerem, dicunt aquas eſſe aquarum terreſtrium vapores, qui in nubibus condenſati, pluvias efficiunt: Unde nubes, ſeu aquæ, quæ ſunt ſuper firmamentum, medio aere dividuntur ab aquis noſtris, quæ ſunt ſuptus firmamentum.

DISSERTATIO CLV.

De Operibus tertiæ, & quartæ diei; ubi, an dies fuerit prior nocte, an contra? Et an mundus fuerit autumno, an vere, conditus? & quid per res tertia, & quarta die productas intelligatur?

PRIMAM Diſſertationis partem examinandam ſuſcipimus, in qua quæritur, an in mundi exordio dies præceſſerit noctem, an nox anteiverit diem? Dies autem artificialis intelligitur, non naturalis; & ratio eſt, quia nocti opponitur. Singulorum opiniones referimus, & deinde quæ nobis videbitur probabilior, eligemus.

Thales Mileſius voluit, noctem præceſſiſse diem, noctis nomine intelligens chaos, & perpetuas tenebras, quas Poetæ, & Philoſophi etiam aliqui, uti noctem longiſſimam, ante mundi nativitatem adſtruebant. Sed hoc fabuloſum putantur, adeoque ab omnibus Scripturæ Interpretibus improbatur.

Alii voluerunt, quod dies fuerit nocte prior. Pro hac ſententia citantur Baſilius hom. 2. Hexameron., Ambroſius lib. 1. Hexameron. c. ult., Chryſoſtomus hom. 3. & 5. in Geneſ., Auguſtinus lib. 1. de Geneſ. cont. Manichæos c. 10., & lib. de Geneſ. Imperf. c. 7., & lib. 4. de civ. Dei c. 6., & lib. 12. Confeſſion. c. 8. 9. 12. & 15., ubi aſſerit, ante omnem diem feciſſe Deum cœlum, & terram. Hugo Victorinus in adnotationibus ſup. Geneſ. c. 6., Magiſter ſententiarum in II. diſt. 13. lit. B. D. E.

Alii vero docuerunt, quod nox fuerit prior die. Et pro hac opiniune adducuntur Hilarius lib. de Synodis prope finem, Hieronymus in comment. ſup. Jonam ad c. 2., Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, in Geneſ., Eugubinus in Coſmopeja, Heſſelius in II. ſent. diſt. 13. Eſtius in eadem diſt. Jueninus &c. Cum hac ultima opinione.

Dicimus, in mundi exordio noctem præceſſiſſe diem.

I. Probatur. Ab illo mundi exordium incepit, quod tempore moſaicæ legis habitum fuit ut prior pars naturalis diei; ſed nox habita eſt ſemper ut prior pars naturalis diei: ergo a nocte mundi exordium incepit. Major conſtat, quia legis moſaicæ uſus mundi exordii conſtitutionem imitabatur. Minor probatur. Levit. 23 præcipitur, ut ſabbatum a veſpera uſque in veſperam celebretur; & obſervatio uſus apparet quoque Marci 15., & Joannis 19. Ulterius probatur hæc minor. Si hoc non admittatur, verificari non poteſt, Chriſtum tribus diebus in ſepulcro fuiſſe, nec etiam per ſynecdochen; quum enim nocte Chriſtus reſurrexerit, ſi nox illa non fuiſſet principium diei ſubſequentis, ſed finis præcedentis, jam Chriſtus nulla parte diei tertiæ in ſepulcro fuiſſet. Major primi argumenti probatur adhuc. Uſus inchoandi, & terminsndi ſabbatum in lege moſaica, quod pertinuerit ad primam dierum inſtitutionem, eruitur ex eo, quod Deus Exod. 20. præcepit quietem ſabbati ad imitationem quietis ſeptimæ diei in prima rerum productione: ergo ſicut ſabbatum apud Hebræos habuit initium a nocte præcedenti, ita habuit ſeptimus dies, in quo Dominus in mundi creatione requievit. Sed ſi ſeptimus dies a nocte incepit, a nocte etiam incipere debuit primus dies: ergo &c.

II. Probatur. Homo fuit ultimum opus creationis mundi, & homo creatus eſt ſexta die; ergo totius mundi creatio completa fuit ante noctem ſeptimæ diei: ergo ſeptima dies incepit a nocte, quæ ſubſequuta eſt ſextam diem. Quod ſi ſeptima dies a nocte incepit, a nocte etiam præcedentes ſex dies inceperunt: ergo ſemper ſtat, quod prima dies a nocte habuit initium ſuum.

III. Probatur. Prima die creavit Deus cœlum, & terram; ut dicitur Gen. 1., & Exod. 20. & 31.; ſed cœlum, & terram fecit Deus ante lucem: ergo primi diei

initium

initium non fuit lux, ſed tenebræ; ſed nomine lucis venit dies, nomine vero tenebrarum venit nox: ergo in rerum creatione nox præceſſit diem. Neque dicant Adverſarii cum Magiſtro, & aliis, ante primam lucem nec fuiſſe diem, nec noctem, & tempus illud præcedens lucem non fuiſſe primæ diei partem, ſed quoddam velut ejus præambulum; Ne dicant hoc, quia præambulum hujuſmodi eſt vere diei initium, eſt vera temporis pars: ergo eſt vera illius primæ diei pars, & exordium: ergo vere prima dies a nocte incepit.

IV. Probatur. Tenebræ in mundi productione fuerunt ante lucem: ergo nox fuit ante diem. Antecedens eſt clariſſimum in Scriptura. Conſequentia probatur. In eadem Scriptura tenebræ appellantur nox, lux vocatur dies: ergo ſi tenebræ fuerunt ante lucem, nox fuit ante diem. Antecedens eſt clarum in verbis illis: *Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*. Unde ruit aſſertio Baſilii dicentis hom. 2. Hexam., quod primus ille ſtatus mundi, præcedens lucem, non ſit dicendus nox, ſed tenebræ. Idem enim ſunt in Scriptura nox, & tenebræ; & Deus ipſe tenebras appellavit noctem. Nec ſunt aliæ tenebræ in Scriptura, quas Deus noctis nomine vocaverit.

Obſtant I. Scriptura ſemper præponit diei appellationem noctis voci: ergo per hoc indicare vult, quod dies noctem præceſſerit. Probatur antecedens: *Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*: en diei nomen primo loco poſitum. II. Dicitur etiam in Scriptura: *Factumque eſt veſpere, & mane dies unus*; ſed veſpere eſt finis præcedentis diei, & mane eſt finis præcedentis noctis: ergo per ſynedochen per veſpere, & mane ſignificatur dies, & nox; dies quidem præcedens, & nox ſubſequens, tanquam duæ partes, ex quibus naturalis dies coaleſcit; ſed primo loco ponitur dies: ergo &c. III. Admiſſa ſemel noſtra ſententia, Eccleſia imitareſur ritus Judæorum; ſed hoc non eſt dicendum: ergo nec illa eſt admittenda. IV. Quanvis Moyſes diem inceperit a nocte, non per hoc tamen dici debet, quod in prima creatione nox præceſſerit diem; quia homo creatus in loce gratiæ figurat primam rerum creationem inceptam a die; poſtea homo in peccatorum tenebras lapſus figurat obſervantiam moſaicam, ſecundum quam dies incipiebat a nocte; demum homo per Chriſtum a tenebris revocatus ad lucem figurat ritum Chriſtianorum, ſecundum quem dies naturalis incipit a die, & nocte terminatur.

Reſpondemus ad I. Moyſen ideo appellaſſe primo loco lucem, quia pridem lucis creationem deſcripſerat. Cæterum aliis in locis nox primo loco dicitur, dies autem ſecundo; ut Gen. 8. *Nox, & dies non deficient*. Daniel. 3. 71. *Benedicite noctes, & dies Domino*; & aliis in locis. Ulterius; dies quanvis fuerit nocte tempore poſterior, dignitate tamen, & excellentia aliquando uti prior nominatur, & appellatur.

Ad II. Per veſpere ſignificatur nox, cujus eſt principium, & per mane dies, cujus etiam eſt initium. Unde ex verbis illis: *factumque eſt veſpere, & mane dies unus*: potius ſententia noſtra confirmatur, quam impugnetur. Confirmat hoc ipſum hebraica phraſis, qua veſpera ſemper accipitur pro nocte, & mane pro die; ut habetur Marci 1. *Veſpere facto, cum occidiſſet ſol*; & ultimo cap. *valde mane orto jam ſole*; & pſal. 91. *Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem*.

Ad III. quod aliud eſt, diem naturalem incipere a veſpera in celebratione divinorum officiorum, aliud incipere a media nocte in abſtinentia ab operibus ſervilibus. Primum ſervat Eccleſia, ut legitur in Concilio celebrato apud Compendium, & refertur extr. de feriis c. omnes. Secundum permittit Eccleſia regionum conſuetudini, ut legitur in c. proxime ſubſequenti, & ſub eodem titulo c. quantum habetur ex Alexandro III. Non per hoc tamen Eccleſia ſequitur in primo Judæorum morem, ſed primam dierum inſtitutionem; ut contra Hæreticos calumniatores Eſtius obſervat, & ſcribit.

Ad IV. Piæ illæ, ac myſticæ explicationes nihil ad rem probant, quum ſupponant, non probent, hiſtoriæ factum, quod controvertitur. Verba autem Scripturæ, quibus illas addicunt, aliter a nobis explicata ſunt; unde non cogimur eas admittere illo modo, quo Adverſarii explicare intendunt. Poſſumus & nos quoque alias pias, ac myſticas explicationes reddere, dicendo nimirum, quod nox ſignificet quando homo non erat; dies, quando fuit homo in gratia creatus; & ſic deinceps.

Ad Diſſertationis partem alteram accedimus, pro qua præmittimus, eſſe ſenten-

tiam multorum; qui docent, mundum vere primo fuiſſe a Deo creatum. Ita putarunt Patres Synodi, quæ habita fuit Paleſtinæ ſub Theophilo, Cæſaræ Epiſcopo, & ſub Victore I. Rom. Pont., pariter Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 14., Baſilius in Hexameron., Nazianzenus or. in Nativit. Dom. 42., Ambroſius lib. 1. Hexameron., Leo magnus ſer. 9 de Paſſione Domini, Theodoretus q. 72. in Exodum, Damaſcenus lib. 1. de fide orthodoxa c. 7., Beda lib. de ratione temporum c. 28., aliique, quos citant Torniellus, & Salianus.

Alii vero dixerunt, mundum a Deo fuiſſe creatum autumno. Et ſunt Joſephus lib. 1. antiquit. c. 4., Hieronymus in Comment. ad c. 1. Ezechielis, Lactantius lib. 1. divin. inſtit. c. 4., quos ſequuntur Lyranus, Abulenſis, Picus Mirandulanus lib. cont. Aſtrologiam c. 7., Scaliger, Pererius, Serrarius, Petavius lib. 9. de doctrina temporum c. 6., & in Rationario p. 2. lib. 2. c. 1., Uſſerius, aliique, quos citat, & ſectatur Natalis Alexander.

Dicimus, Autumno, non primo vere, mundum fuiſſe a Deo conditum.

I. Probatur. Ante Moyſis tempora initium anni civilis ab autumno erat, & non a vere: ergo ſignum eſt, quod autumno, & non vere, traditio vigebat fuiſſe conditum mundum. Probatur antecedens. Moyſes præcepit, ut primum anni civilis, & eccleſiaſtici exordium haberetur a menſe Niſan, qui eſt vernus, quum uſque ad tempus illud fuiſſet a Tiſri, qui erat menſis autumnalis. Et probatur hoc Exod. 12. *Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Ægypti: Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni . . . . . Primo menſe quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma*; & replicatur Exod. 13. & 34. ergo ante Moyſen ab autumno, & non a vere primo, annus civilis incipiebat.

II. Probatur Joſephi verbis lib. 3. antiquit. c. 4., quibus fit palam & qualis fuerit apud Hebræos uſus circa anni exordium ante, & poſt Moyſis tempora. Scribens de tempore noetici diluvii, inquit: *Contigit autem hæc vaſtitas anno ætatis Noë ſexcenteſimo, menſe ſecundo, qui Dius a Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marſonane, ſic enim Ægyptii diſtinxerunt annum. Moſes autem Niſan, qui eſt Xanticbus, menſem primum in ſuis faſtis ordinavit, quod per hunc Hebræos ex Ægypto eduxiſſet. Eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innovavit.*

III. Probatur teſtimonio S. Hieronymi in Comm. c. 1. Ezechielis dicentis: *Apud Orientales populos poſt collectionem frugum, & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, october erat primus menſis.* M. Tullius Cicero lib. 2. de natur. Deor. teſtatur quoque Ægyptios a menſe ſeptembri initium anni duxiſſe; quod & Lactantius lib. 1. divin. inſtit. c. 4. confirmat.

IV. Probatur. Illo anni tempore creatus eſt mundus, quo fructuum maturitas, & tempeſtivitas apparuit; ſed hæc apparet autumni, non veris tempore: ergo autumno, non vere, conditus eſt mundus. Major probatur. In deſcriptione mundi conditi fit mentio de frugibus, de fructibus, ſegetibus, quibus veſcuntur homines, & beſtiæ, quos Deus condiderat: ergo illo anni tempore creatus eſt mundus, quo fructuum maturitas, & tempeſtivitas apparuit. Minor primi argumenti patet; conſequentia ſequitur.

Opponunt I. ex S. Ambroſio lib. 1. Hexameron. c. 4. loquente de primo menſe, quo celebratur paſcha, & ſcribente ad illa Exodi 12. verba: *Menſis hic initium menſium eſt vobis:* inquit: *In hoc ergo principio menſium cælum & terram fecit, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. Unde & annus mundi imaginem naſcentis expreſſit, ut poſt hybernas glacies atque hyemales caligines, ſerenior ſolito verni temporis ſplendor eluceat. Dedit ergo formam futuris annorum curriculis mundi primus exortus, ut ea lege annorum vices ſurgerent, atque initio cujuſque anni produceret terra nova ſeminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat:* Germinet terra herbam fœni . . . . . *Ergo ut oſtenderet Scriptura veris tempora in conſtitutione mundi, ait:* Menſis hic vobis initium menſium, primus eſt vobis in menſibus anni. *Primum menſem vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni principium eſſe generationis, & ipſam generationem mollioribus auris foveri. Neque enim poſſent tenera rerum exordia aut aſperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æſtus injuriam ſuſtinere.* II. Deus ex libro Geneſis creavit mundum tempore florum; ſed tempus florum eſt ver: ergo veris tempore

Deus

Deus creſvit mundum. Unde ſcripſit Theodoretus q. 72. in Exod. *Nam ineunte vere prata florent, & ſegetes fluctuant, & fructum arbores emittunt*. III. Illo anni menſe Deus creavit hominem, quo Chriſtus, hominem redempturus, carnem aſſumpſit humanam; ſed tempore verno Chriſtus eſt formatus: ergo eodem tempore homo, & cum homine mundus eſt conditus. IV. Ex Aſtrologis, & Poetis mundus eſt conditus vere primo; & ob eam cauſſam Arietis ſignum eſt initium, & caput cæterorum ſignorum Zodiaci; quod & ex Vergilio confirmant.

Reſpondemus ad I. quod S. Ambroſii opinioni aliorum Patrum, quos pro noſtra ſententia habemus, opponimus ſententiam; quod & pariter dicendum eſt de ſimilibus Leonis magni verbis, quæ Adverſarii noſtri nobis ubjiciunt.

Ad II. in mundi primordio non ſolum pullulaſſe herbas, germinaſſe arbores, apparuiſſe flores, ſed ſegetes quoque maturas, ac fructus, quibus homines, & beſtiæ, & in paradiſo, & extra paradiſum, veſcerentur. Unde dicitur Geneſ. 2. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum viſu, & ad veſcendum ſuave . . . Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis . . . . Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas*. Et c. 3. *De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur*. Fructuum autem maturitas, bonitas, ac tempeſtivitas, non verno tempori, ſed autumno, convenit.

Ad III. dicimus, illam eſſe conjecturam, at non rationem; & conjecturam quoque ſatis debilem, & infirmam. Deus enim condidit mundum quo voluit tempore; Filius ejus carnem aſſumpſit tempore etiam, quod ſibi magis placuit; paſſus autem eſt mortem Chriſtus verno tempore, quia tempore illo paſcha celebrabatur; & memoriam recolebant Judæi libertatis, quam per exitum ab Ægypto, & per primum paſcha illo tempore celebratum, acquiſierant.

Ad IV. Aſtrologis, & Poetis opponuntur Scripturæ, per quarum verba, & non per illorum ſomnia, controverſia hæc eſt dirimenda.

Opera modo tertiæ, & quartæ diei exponimus. Tertia die congregatæ ſunt aquæ; ut Geneſ. 1. *Dixit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum unum, & appareat arida*. Aquæ autem congregatæ fuerunt vel in terræ cavitatibus, quæ continent maria; vel in meatibus ſubterraneis, in quos defluunt aquæ; vel in ipſa ſuperficie terræ, ad quam aquæ decurrunt. Hæc aquarum congregatio facta eſt per hoc, quod vaſtitas aquæ tenuis, ac nebuloſæ voraginis, quæ prius terram cooperiebat, in parte ſui inferiore condenſata, in uno loco conſedit. Sic docet Auguſtinus lib. de Geneſ. ad liter. c. 12. *Cum totam omnino terram undoſa materia cooperiret, quo cederet, ut nudaret aliquas partes? An forte rarior aqua velut nebula terras tenebat, quæ congregatione ſpiſſata eſt; ut ex multis partibus eas, in quibus arida poſſet apparere, nudaret?* Ante hanc congregationem aquarum terra definebat ex omni parte in æquabilem ſphæram; poſt vero illarum condenſationem terra in multis partibus fuit depreſſa, & excavata. Et ob inde evenit, ut aliquæ ejus partes exurgerent, & montes apparerent, & aliæ partes depreſſæ manerent, & planities, & valles viderentur. De loco autem, in quem congregatæ ſunt aquæ, Expoſitores dicunt, quod vel eſt ſermo de primaria, & præcipua congregatione, & hæc fuit facta in unum locum; vel Scriptura intelligenda eſt diſtributive; hoc eſt; *congregentur aquæ in locum unum*; in ſuum quemque locum; & per hoc fit, quod plures ſint collectiones; attamen omnis aqua in ſuo certo, ac definito loco remaneat, atque conſiſtat. Hac etiam die apparuit terra, quæ vocata eſt arida; vel quia propter collectionem aquarum in locum unum terra, ſeu terræ ſuperficies, ex ſiccata viſa eſt; vel quia propter terræ exſiccationem ſeiremus, ipſam fuiſſe impotentem ad germinandum, niſi a Deo virtutem accepiſſet proferendi herbas, & fructus.

Quarta autem die Deus ſolem fecit, lunam, & ſtellas; ut Gen. 1. narratur. Hoc in loco nomine firmamenti non intelligitur ſpatium illud dividens aquas ab aquis, de quo in præcedenti Diſſertatione loquuti fuimus; ſed venit ingens ille tractus, qui ab inferioribus aquis, & tenuioribus, quæ ſupereminent aeri, fere protenditur in immenſum. Sol, & Luna dicuntur luminaria magna, quia cæteris aſtris majora apparent; cæterum ex paralaxi obſervant Aſtronomi aliqua eſſe ſydera, quæ ſunt majora ſole, & luna, quanvis minora appareant.

DIS-

DISSERTATIO CLVI.

De Operibus quintæ, & ſextæ diei; ubi an cœleſtia corpora ſint animata? an beſtiæ, & herbæ noxiæ fuerint ab initio creatæ? Et quid per res quinta, & ſexta die conditas intelligatur?

PRima Diſſertationis pars intelligenda eſt de cœlo, & de aſtris: nullæ enim aliæ ſunt cœli partes; quemadmodum pariter intelligitur de anima rationali; an ſcilicet illam habeant, ut habent homines, an ſaltem habeant intellectum, & mentem, ut habent Angeli? Aliqui extendunt quoque quæſtionem ad animam ſenſitivam, & vegetativam, ut videbimus infra. Quæ fuerint Philoſophorum, ac Patrum, hac de re opiniones, adducemus primo; deinde noſtram firmabimus ſententiam, & ab Adverſantium ratiunculis vindicabimus.

Primo Platonici, ac Stoici, dixerunt, cœlos eſſe animatos; & in eorum opinionem pariter iverunt Cicero lib. 2. de nat. Deor., Plinius lib. 2. hiſt. nat. c. 9., Peripaterici aliqui etiam, ut teſtatur Raguſeus t. 1. Philoſophiæ diſp. 14., & Alexander Achillinus lib. 3. de Orbibus c. 3. diffuſe probat, opinionem hanc ex Ariſtotele deduci. Quanvis, ut aſſerit Cardinalis Noriſius in Vindiciis Auguſtinianis c.4. §.2. communior Peripateticorum pars ex Ariſtotele velit, intelligentias aſſiſtentes cœlis eſſe, non vero eoſdem informantes.

Secundo idem Noriſius teſtatur, non unam fuiſſe Patrum opinionem de Cœlorum anima; unde Auguſtinus, nolens ſe tantis litigiis immiſcere, judicium ſuſpendit; nempe, ut ait, an Angeli vere Orbes informarent, vel eos ſolummodo in gyrum propellerent. Attamen Eſtius abſolute docuit, Auguſtinum de hac re dubitaſſe ſemper, ad finem uſque vitæ. Sed in neapolitana editione corrigitur; ubi habetur in poſtillis, quod quanvis Auguſtinus de hoc aliquando dubitaverit, poſtmodum tamen docuit ax propria ſententia, cœlos ſine anima melius ſtatuendos. Hoc docent Petavius t.3. lib. 1. de Opificio ſex dierum c. 12. num. 10., Laudatus Noriſius cit. loc., Natalis Alexander t. 5. hiſt. Eccl. ſec. 5. c. 4. ar. 3. §. 10., ubi refellit Calvinianum Dallæum, qui ob hoc Auguſtinum reprehenderat. Refertur etiam pro hac opinione Hieronymus ab Eſtio, adducente teſtimonium S. Thomæ in Quodlib. 12. ar. 9.

Tertio ex Scholaſticis multi afferuntur ab Eſtio, qui ſaltem hac de re dubitarunt; ut ſunt S. Thomas, de cujus mente, ut de illa Auguſtini, fuſius dicemus infra; Scotus, & plures Scotiſtæ; Aureolus, Cardinalis Cajetanus, aliique pauci.

Vera tamen ſententia eſt, quæ docet, cœleſtia corpora animata non eſſe; ut communis eſt Patrum, & Theologorum aſſertio. Cum qua

Dicimus, cœleſtia corpora animata non eſſe.

I. Probatur de anima proprie dicta. Corpus animatum debet eſſe organicum; ſed cœleſtia corpora organica non ſunt: ergo non ſunt animata. Major patet ex animæ definitione; anima enim eſt actus corporis organici; ſcilicet, ut explicat Eſtius, compoſiti ex partibus, quibus ipſa utatur ut inſtrumentis diverſis ſitu, & figura ad functiones diverſas. Minor etiam eſt evidens; non enim cœlum, aut ſydus aliquod, hujuſmodi partibus conſtat.

II. Probatur ab eodem Eſtio: Corpus, ut ſit aptum recipere animam, debet eſſe temperatum primis qualitatibus, & ſecundis; ſed neque cœli capaces ſunt, neque aſtra, qualitatum hujuſmodi: ergo capaces non ſunt, ut animam recipiant.

III. Probatur, cœlos, & ſydera intellectu; ac mente expertes eſſe. Si enim intellectum haberent, haberent etiam voluntatem; ſi voluntatem, haberent quoque liberum arbitrium; ſi liberum arbitrium, liberas aliquas actiones etiam exercerent; ſed hoc falſum omnino eſt: ergo &c. Probatur minor. Motus cœlorum, atque aſtrorum, ſunt omnino naturales: ergo

ſunt

ſunt neceſſarii : ergo non liberi , Probatur antecedens. Illa ſunt naturalia , ac neceſſaria , quæ ſemper eodem modo fiunt ; ſed cœlorum influxus , operationes ſyderum , aliique motus illorum omnium , ſemper eodem modo fiunt : ergo ſunt naturales , & neceſſarii : ergo non ſunt liberi .

IV, Probatur . Aſtra , & cœli vel ſunt in ſtatu merendi , & demerendi , vel ſunt damnati , vel ſunt beati , ſi ſunt anima , vel mente , vel intellectu prædici ; neutrum dici poteſt : ergo ſunt anima , & mente expertes . Major patet; hæc enim eſt conditio creaturæ rationalis , vel intelligentis . Minor probatur . Non ſunt in ſtatu merendi , vel demerendi , quia ſi hoc eſſet , deberent vel virtutes exercere , vel vitia ſectari . Neque ſunt damnati; quis enim aſſeret, cœlos, vel cœlorum animas, aſtra , vel animas ipſorum , in infermo torqueri ? Neque ſunt beati ; quia ſi eſſent beati , poſſent a nobis adorari , ut adorantur Angeli ; hoc autem eſt illicitum ; quia Deut. 4. damnatur omnis adoratio, omnis honor, omnis cultus, exhibitus aſtris .

V. Probatur ex Epiſtola , quam Juſtinianus ſcripſit ad V. Synodum adverſus Origenis errores , in qua ſextus anathematiſmus hic ponitur : *Si quis dicit cœlum , ſolem , ac lunam , & ſtellas, necnon aquas , quæ ſunt ſupra cœlos , animatas , & materiales eſſe virtutes , anathema ſit* . Epiſtolam autem Juſtiniani approbavit Vigilius , Rom. Pont. cum univerſa catholica Eccleſia ; quod teſtatur Liberatus , Diaconus Cartaginenſis c. 23. Breviarii . Anathematiſmum etiam approbavit eadem V. Synodus ; ut refert Nicephorus Calliſtus lib. 17. c. 27. ; unde illum uti canonem illius Synodi eruditus Chriſtianus Lupus notis , ac ſcholiis illuſtravit . Quod docet Cardinalis Noriſius , & cum eo Editores Eſtii neapolitanæ editionis .

VI. Probatur ex cenſuris , quibus contraria opinio inuritur . Hieronymus in epiſt. ad Avitum recenſet opinionem Adverſariorum inter Origenis errores. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum c. 24. ac aliis in locis , vult , habendum ut dogma , quod in omni creatura ſoli Spiritus angelici , & humani facultatem habeant intelligendi . Rupertus lib. 9. de glorificatione Trinitatis c. 4. dicens, Sapientes hujus mundi putaſſe aſtra vivere, ſubdit : *Quod recipere nec voluit , nec debuit Eccleſia Dei* . S. Bonaventura in II. diſt, 14. vocavit contrariam noſtræ opinionem falſam , & erroneam . Joannes Gerſon in Trilogio Aſtrologiæ prop. 13. aſſerens, Angelos, vel Intelligentias, non animare , ſed regere cœlum cum ſyderibus , & planetis ad Dei voluntatem; ſubjungit, hanc propoſitionem eſſe certa fide tenendam ,

Arguunt I. Job. 38. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina , & jubilarent omnes filii Dei:* ergo aſtra ſunt mente prædita , qua Deum laudant, & deſiderant. II. Job. 15. *Cœli non ſunt mundi in conſpectu Dei*; quod nequit intelligi niſi de immunditia peccati , quia per Apoſtolum omnis creatura Dei munda eſt de alia immunditia loquendo . III. Nehemiæ 9. *Et exercitus cœli te adorat* ; ſæpe autem in Scripturis nomine exercitus cœli veniunt ſol, luna, & aſtra . IV. Iſaiæ 24. *Viſitabit Dominus ſuper malitiam cœli in excelſo* ; quæ verba de aſtris Hieronymus interpretatur , & illa aſſerit a Deo viſitanda , uti a Medico viſitatur Ægrotus . V. Ecclic. 43. *In verbis Sancti ſtabunt ad judicium* ; ſubdit Eſtius , ſcilicet ut judicandi. VI. Baruch 3. *Stellæ latatæ ſunt , & vocatæ dixerunt : Adſumus , & luxerunt ei cum jucunditate , qui fecit eas*. VII. II. Machab. ult. Omnes cœli benedixerunt Dominum. VIII. in Præfatione Canonis ad Miſſam , & in Cantico *Te Deum laudamus* , eodem prorſus modo dicitur , quod cœli Deum laudent , ac dicitur de Angelis omnibus . IX. In Officio S. Agnetis recitat Eccleſia. *Cujus pulcritudinem ſol , & luna mirantur* . X. S. Hieronymus ſup. Eccl. 1. aſſerit , ſolem vocari ſpiritum ; & hoc vel quia animet, inſpiret , ac vegetet ; vel quia ipſe ſpiritu alatur . XI. Auguſtinus in prefat. ſup. pſal. 93. aſſertive putat , luminaria cœleſtia eſſe animata. XII. S. Cyprianus in lib. de bono Patientiæ aſſerit , ſolem oculos clauſiſſe , ne Judæorum facimus videret . XIII. S. Thomas lib. 2. cont. Gentes c. 69. & 70. , & in Quæſtionibus diſputatis q. de anima ar. 8. , & in Opuſculo de Angelis c. 2. multas affert rationes , quibus probat , cœlos eſſe anima intellectiva animatos. XIV. Idem Doctor Angelicus Quodlib. 12. ar. 9. de hac quæſtione , ſcribit, Eccleſiæ Doctores varie ſenſiſſe, ſicut varie opinati ſunt Philoſophi . Subdit deinde : *Ego autem dico ſecundum Auguſtinum lib. 2. de Geneſ. ad lit., quod non refert ad fidem, utrum ſic, vel aliter ſit* . XV. Idem S. Doctor cit. loc. de Auguſtino addit : *Unde hoc non*

deter-

determinat in Enchiridio, *addens*, *quod ſi ponamus corpora cœleſtia animata*, *non ideo erunt in judicio tres ordines judicandorum*, *ſcilicet Angelorum*, *Hominum*, *& Animarum*; *quia illæ animæ computabuntur cum Angelis*. *Et hoc ſenſiſſe videtur ille*, *qui fecit Præfationem*, *cum dixit*: *Cæli Cælorumque virtutes*. Hæc omnia apud Eſtium.

Reſpondemus ad I. Si argumentum valeret, etiam ignis, grando, nix, pluvia &c. eſſent anima prædita, quia cum cœlis, & aſtris pariter adducuntur ad Deum laudandum, & pſal. 18., 103., 148. & præcipue Daniel. 2. in Hymno trium puerorum. Hinc in verbis illis figura locum habet, quæ dicitur proſopopeja. Dicuntur autem laudare Deum, qui Deum faciunt a nubis laudari. Nec refert, quod conjungantur cum Angelis ad Deum laudandum, per verba illa; *& jubilarent omnes filii Dei*: quia etiam ignis, grando, piſces &c. in hymno illo ad Deum laudandum cum Angelis, cum Hominibus conjunguntur.

Ad II. Verba illa non ſunt Scripturæ, ſed Eliphaz, qui erat amicus Job. Verum ſi admitti volunt, dicitur, ſignificari per cœlos Spiritus cœleſtes; & hoc rationabiliter, quia de iis proxime ante ſcripſerat: *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis*. Vel ſi de cœlis intelligi cupiunt, dicitur, quod cœli non ſunt omnino perfecti coram Deo; quatenus omnis creatura eſt defectibilis.

Ad III. Adorare Deum in loco illo idem eſt ac obedire Deo, & ejus exequi voluntatem, & imperium. Hoc patet, quia ibidem immediate ante dicitur: *Et tu vivificas hæc omnia*: Inter hæc omnia adnumerantur cœlum, terra, & omnia, quæ in eis ſunt. Si igitur hæc adorant Deum, & non per hoc ſunt animata; neque animati erunt cœli, quia Deum adorant.

Ad IV. verba illa Iſaiæ ſic exponuntur ab Eſtio: Viſitabit Dominus ſuper militiam cœli diſperdendo de terra idola, & cultum eorum: Unde ſequuntur hæc verba: *Et erubeſcet luna, & confundetur ſol*. Cultores igitur aſtrorum, vel cœlorum dicitur per figuram eſſe viſitandus, ac confundendos, & deſtruendos. Hieronymus loquutus eſt ex ſententia Origenis, non ex propria; ex propria autem ſcripſit in eodem Commentario ad c. 45. ubi ſe clarius expreſſit.

Ad V. Idem Eſtius ſic verba illa interpretatur: „Luminaria Cœli in verbis San-
„ cti, ideſt ad imperium Dei, ſtabunt ſecun-
„ dum judicium (ſic enim eſt in Græco)
„ ideſt in ordine ſuo conſiſtent, quem cer-
„ to judicio, ac ratione Deus illis præſcri-
„ pſit„. Unde ait, eſſe metaphoram ab ordine, & diſciplina militari deſumptam; vel maxime, quia ſequuntur hæc verba: *Et non deficient in vigiliis*; hoc eſt in excubiis ſuis; quod idem eſt ac dicere; ſtationes ſuas perpetua lege ſervabunt; cui ſimile ait illud Habacuc 2. *Sol*, *& Luna ſteterunt in habitaculo ſuo*.

Ad VI. Propheta Baruch loquitur etiam per figuram; quemadmodum loquutus eſt David in pſal. 104. *Vocavit famem ſuper terram*; & Matth. 8. *mare*, *& venti obediunt ei*.

Ad VII. In Græco legitur: *Omnes in cælum benedixerunt Dominum*. Vel dicitur, ut dictum eſt ad I.

Ad VIII. Per cœlos ſignificantur Spiritus, ſeu Intelligentiæ cœleſtes per tropum, per quem continens aliquando accipitur pro contento; ut terra etiam non ſemel pro hominibus ſumitur, qui ſunt in terra.

Ad IX. Senſus loquutionis impropriæ quidem, non propriæ, eſt, quod tanta, & talis in Chriſto eſt pulcritudo, ut ſi haberent mentem ſol, & luna, eam adamarent, quia propria illorum pulcritudine ipſam comperirent pulcriorem.

Ad X. dicit etiam Eſtius, quod Hieronymus duas aſſignat rationes, propter quas ſol dici poteſt ſpiritus; quarum ſi una ſit vera, ſufficiens eſt Commentatori. Veram autem dicit illam, quam priori loco poſuit.

Ad XI. dicimus, Auguſtinum aliquando de hoc loquutum fuiſſe figurate, ut etiam loquutæ ſunt Scripturæ; & præcipue huc fuit in loco in objectione citato: aliquando dubitando ſcripſiſſe; quanquam, ut ait Natalis Alexander, t. 5. ſec. 5. hiſt. eccl. nov. teſt. c. 4. ar. 3. §. 10. in eam magis propenderet ſententiam, quæ ſyderibus animam negat. Quod ex ipſius verbis lib. 13. de civ. Dei c. 16. Platonis ſententiam referentis, innoteſcit. Ait enim. *Et hoc quidem utrum Plato verum de ſyderibus dicat*, *alia quæſtio eſt*. *Neque enim continuo concedendum eſt globos iſtos luminum*, *ſive orbiculos luce corporea ſuper terras ſeu die*, *ſeu nocte fulgentes*, *ſuis quibuſdam propriis animis vivere*, *iiſque intellectualibus*, *& beatis*. Et lib. 2. Retractationum c. 7. libros contra Fauſtum ſcriptos recenſens, ait: *In decimoquarto de ſole*, *& luna talia dicta ſunt*, *tanquam ſentiant*, *& ideo tolerent vanos adoratores ſuos*; *quamvis verba ibi accipi poſ-*

poſſint ab animali ad inanimale traslata modo locutionis, qui vocatur græce metaphora. Idem Auguſtinus de damnata Origenis opinione hæc aſſerit in lib. contra errores Priſcillianiſtarum c.8. apud Noriſium citatum: *De ſole , & luna , cæteriſque ſyderibus , quod cæleſtia ſint corpora, videmus ; quod animata ſint , non videmus . De divinis hoc libris legatur , & credimus .* Apud eundem Noriſium Fromondus lib. 1. de anima c. 1. ar. 8. fatetur, eum,qui animam vegetativam , aut etiam ſenſitivam , aſtris concederet, in Synodum V. non peccare , quæ animas tantum intellectivas a cœleſtibus corporibus excluſit. Aſſerit quoque idem Noriſius cit. loc.
,, An vero modo defendi poſſit anima cœ-
,, lorum poſt damnatam illam Origenis
,, opinionem, nolo diſputare; poſſet enim
,, quis reponere , damnatam ſolummodo
,, illam ſententiam juxta mentem Orige-
,, nis intellectam,de quo hæc ſcribit S.Hie-
,, ronymus ep.61. contra Joannem Hiero-
,, ſolymitanum: *Origenes docet ſolem ipſum,*
,, *& lunam, & omnium aſtrorum chorum eſſe*
,, *animas rationalium quorundam ; & incorpo-*
,, *ralium creaturarum , quæ nunc vanitati*
,, *ſubjecta , igneis videlicet corporibus , quæ*
,, *nos imperiti, & rudes luminaria mundi ap-*
,, *pellamus , liberabuntur a ſervitute corru-*
,, *ptionis in libertatem filiorum Dei* . ,, Verum,eminentiſſimi, atque doctiſſimi;Cardinalis pace , quod ipſe non vult diſputare , nos indubitanter aſſerimus , poſt damnatam Origenis opinionem , nullo modo defendi poſſe animam cœlorum; ut in probationibus exhibuimus.

Ad XII. dicitur quoque S. Cyprianum rethoricis figuris uſum fuiſſe , dum illa de ſole, & aſtris ſcriberet ; quod pariter de Elementis dixit, ſcribens: *in execrationem judaici ſceleris omnia elementa unam protuliſſe ſententiam* : & non per hoc quis dicet , elementa eſſe animata .

Ad XIII. Admiſſo , quod S. Thomas illa ſcripſerit in recenſitis locis , attamen in Summa I. p. q. 70. ar. 3. controverſiam hanc præcipue pertractans , expreſſe docuit, cœleſtia corpora non eſſe animata ; Suæ verba ſunt : *Similiter etiam apud Doctores fidei ſuit circa hoc diverſa opinio ; Origenes enim poſuit corpora cæleſtia animata . Hieronymus etiam idem ſentire videtur &c. Baſilius vero , & Damaſcenus aſſerunt corpora cæleſtia non eſſe animata . Auguſtinus vero in dubio dereliquit in neutram partem declinans.* Poſt quæ, rationes affert , quibus probet, corpora cœleſtia , nec rationali , nec ſenſitiva, nec vegetativa anima eſſe prædita ; & rationes in contrarium ſolvit .

Ad XIV. S. Thomas loquebatur de temporibus Auguſtini , quibus adhuc V. Synodus habita non fuerat . At poſt illam Synodum , in qua probatus eſt anathematiſmus contra Origenem, & recepta per Vigilium epiſtola Juſtiniani Imperatoris ad Mennam,Conſtantinopolitanum Patriarcham , dici non poteſt , quod ad fidem non referat , utrum ſic , vel aliter ſit .

Ad XV. eadem eſt reſponſio ; & additur , quod pro Auguſtino recolenda ſunt, quæ ſcripſit in Retractationum libro ; & pro S. Thoma , quæ exaravit in Summa ; ut diximus ad XI. & ad XIII.

Altera Diſſertationis pars complectitur beſtias, & herbas noxias . Beſtiæ noxiæ dicuntur ſerpentes, accipitres, leones, urſi, lupi, aliæque, vel veneno, vel feritate, nocentes hominibus . Putarunt aliqui , eas fuiſſe poſt hominis tranſgreſſionem a Deo creatas ; verum communior eſt ſententia , Deum creaſſe illas cum cæteris ejuſdem generis animalibus ; non fuiſſe tamen noxias hominibus ante peccatum, ſed poſt peccatum ; idemque judicium de herbis , quæ pariter dicuntur noxiæ, proferunt . Cum quibus

Dicimus Deum creaſſe cum cæteris animalibus , & cum aliis herbis , illa , & illas , quæ noxiæ dicuntur ; fuiſſe tamen innoxias ante peccatum hominis, poſt peccatum vero fuiſſe noxias .

I. Probatur Exod. 20. 11. *ſex enim diebus fecit Dominus cælum , & terram , & mare , & omnia , quæ in eis ſunt* ; ſed inter hæc omnia numerantur , & comprehenduntur etiam animalia noxia , & herbæ noxiæ : ergo illæ pariter a Deo cum aliis animalibus , & cum aliis herbis , creatæ ſunt .

II. Geneſ. 12. 19. voluit Deus , ut Adam cunctis animalibus nomina imponeret : *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ , & univerſis volatilibus cæli , adduxit ea ad Adam , ut videret quid vocaret eo .* Et num. 20. *Appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia , & univerſa volatilia cæli , & omnes beſtias terræ* ; ſed inter hæc univerſalia comprehenduntur etiam beſtiæ noxiæ : ergo &c.

III. Geneſ. 1. inter animalia die quinta creata numerantur quæ noxia ſunt hominibus ; videlicet cete grandia &c. : ergo

quinta die fuerunt omnia animalia, etiam quæ poſtmodum fuerunt noxia, creata.

IV. Geneſ. 3. fuit ſerpens, qui dicitur a Deo creatus; ait enim Scriptura num. 1. *ſed & ſerpens erat*; & quidem erat ante hominis peccatum; hic autem eſt maxime homini noxius: ergo ante hominis peccatum fuerunt a Deo animalia noxia creata.

V. Ante peccatum nullum animal fuit homini noxium; quod probatur, & ex eo, quod Adam omnibus nomina impoſuit, & nullum ex illis tanquam noxium expavit; & ex eo, quod Eva non refugit ſerpentem, ſed cum eo fuit blande alloquuta; & ex eo, quod poſt peccatum fuit a Deo inter ſerpentem, & hominem inimicitia conſtituta.

VI. Probatur ex Patribus. Hilarius in expoſit. pſal. 18. docet, venena, & alia nocumenta ex hominum nequitiis initium habuiſſe. Auguſtinus idem aſſerit lib. 3. de Geneſ. ad lit. c. 15., trac. 1. in Joan., lib. 1. con. Julianum c. 6., ubi refert quoque verba Chryſoſtomi pro hac ſententia. Eadem docet Auguſtinus lib. 8. de Geneſ. ad lit. c. 18. de herbis noxiis; ut enim ait Eſtius, de herbis, ac de animalibus noxiis eadem eſt ratio; ſicut pariter eadem eſt ratio de animalibus immundis.

Objiciunt I. Baſilius hom. 5. Hexameron docet, roſas ab initio fuiſſe a Deo factas ſine ſpinis; quæ iiſdem adnatæ ſunt poſtquam homo peccavit. Alcuinus etiam, ut refert S. Thomas 2. 2. q. 164. ar. 2. ad 1. ſcribit, ſpinas, & tribulos non fuiſſe prodituros e terra, niſi homo peccaſſet. II. Geneſ. 3. 18. dicitur a Deo Adæ: *Spinas, & tribulos germinabit tibi*; & hoc fuit poſt peccatum: ergo poſt peccatum enatæ ſunt herbæ homini noxiæ. III. Auguſtinus lib. 1. de Geneſ. cont. Manichæos c. 13. docet, ſpinas, & herbas venenoſas ad pœnam peccati fuiſſe a Deo creatas. IV. Ecclic. 39. 35. habetur: *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt*: ergo idem eſt judicium de animalibus, ac herbis noxiis. V. Si homo non peccaſſet beſtiæ fuiſſent aliis beſtiis noxiæ; etiam herbæ: ergo pariter fuiſſent hominibus, ſi homo non peccaſſet. Antecedens eſt doctrina Auguſtini pluribus in locis, & S. Thomæ.

Reſpondemus ad I. quod Ambroſius in Hexameron, quanvis ſequatur Baſilium in multis, in hoc tamen non ſequitur. S. Thomas opponit Alcuino Auguſtinum, dicens: *Spinas, & tribulos germinaſſet terra, ſi homo non peccaſſet; in cibum animalium, non autem in hominis pœnam; quia ſcilicet propter eorum exortum nullus labor aut punitio homini operanti in terra accideret, ut Auguſtinus dicit ſuper Gen. ad literam; quanvis Alcuinus dicat, quod ante peccatum terra omnino ſpinas, & tribulos non germinaſſet. Sed primum eſt melius.*

Ad II. Verba illa non ſimpliciter a Deo fuerunt dicta: *Spinas, & tribulos germinabit*; ſed cum addito, *Tibi*; hoc eſt in pœnam tui peccati. Si enim homo non peccaſſet, germinaſſet quidem terra ſpinas, & tribulos, ſed non in hominis pœnam, ad uſum vero animalium, & ad commodum etiam hominis, qui illis uſus eſſet, ut igne, aliiſque, quæ deinde ceſſerunt in pœnam.

Ad III. Auguſtinus explicatur dicendo, quod vel ſpinæ, & herbæ venenoſæ, in peccati ſupplicium, factæ ſunt homini pœnales, quum prius eſſent innoxiæ; vel quod non natæ ſint ad pœnam, ſed a Deo factæ, ideſt ad pœnam ordinatæ.

Ad IV. dicimus præfatum textum potius eſſe pro noſtra ſententia, quam contra illam. Siquidem ſicut ignis, grando &c. omnibus erant ante peccatum ad uſum, & non ad pœnam; ita etiam dicendum eſt, fuiſſe herbas, & beſtias innoxias.

Ad V. Lis eſt inter Expoſitores, & Patres de re illa; ſed quomodocunque habeatur, nil ex illa poteſt legitime inferri, quod ſit contra noſtram ſententiam. Siquidem beſtiarum natura dici non poteſt propter peccatum mutata, quanvis in illius pœnam obedientiam, & ſubmiſſionem, homini debitam, perdiderit.

Opera quintæ, & ſextæ diei explicatione demum complectimur. In opere diei quintæ adnumerantur piſces, & volucres, ex aquis producti. Quod habetur Gen. 1. 20. *Dixit etiam Deus producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli*. Per Reptile intelliguntur piſces, quia repunt in aqua, ſicut ſerpentes in terra, quum pedibus careant. Tam piſces, quam aves, producti dicuntur ex aqua; quia, ut inquit Baſilius hom. 8. in Hexameron. *Cognatio quædam eſt avium cum piſcibus. Etenim quemadmodum piſces aquam ſecant, pinnarum agitatione progredientes; ſic etiam in volucribus licet cernere.*

Sexta

Sexta autem die animalia,& hominem produxit Deus . Legitur Gen. 1. 24. *Dixit quoque Deus : producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas.* Et n.27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam : ad imaginem Dei creavit illum, maſculum, & feminam creavit eos.*

Animalia in tres claſſes ab Expoſitoribus dividuntur . Jumenta nimirum , Reptilia , & Beſtiæ terræ . Jumenta , a juvando dicta , hominem juvant , & in laboribus , ut equi , cameli , aſini &c. & in cibis , ut oves , boves &c. Reptilia ſuper terram repunt , ut ſunt ſerpentes ; & ſuper terram ſaltant , ut ſunt lacerti . Beſtiæ terræ ſunt omnia alia animalia , ultra jam dicta , & præcipue feræ . His addunt animalia, quæ generantur ex putri , uti pulices , ranæ , mures &c. & dicunt , non eſſe a Deo immediate, at mediate , producta . At politiores Philoſophi, qui tuentur, omnia animalia ex ovo generari , in contrarium ſentiunt. Animalia etiam heterogenea, quæ naſcuntur ex diverſarum ſpecierum animalibus , ut ſunt muli , leopardi &c. , poſſunt dici a Deo producti , quatenus Deus eorum parentes creaverit, & virtute, quam illis dedit , pariter eos creavit .

Quæ vero dici poſſunt de homine , ſexta etiam die a Deo creato , non paucorum verſuum terminis reſtringenda ſunt.Ampliorem ſiquidem exigunt tractationem; unde ſequentes inſtituimus Diſſertationes, in quibus de terreſti paradiſo,in quo omnia præter hominem a Deo creata ſunt , & in quem fuerunt primi parentes a Deo etiam deportati ; de homine in ſtatu, ſeu in ordine creationis ; de homine in ſtatu innocentiæ ; de homine in ſtatu culpæ , & pœnæ , erit ſermo.

DISSERTATIO CLVII.

De Terreſtri Paradiſo ; an fuerit corporeus , an ſpiritualis ? In qua orbis parte ſitus ? An modo extet ? Et quid in eo fuerint Arbor ſcientiæ boni , & mali , & Arbor vitæ ?

PRIMO Philo Judæus , allegoricis Scripturarum explicationibus plus æquo addictus , putavit , paradiſum , a Moyſe deſcriptum in libro Geneſis , deberi juxta ſenſum ſpiritualem tantummodo intelligi , & explicari . Sic habet ſub finem libri de Opificio mundi , & in libro de Allegoriis legis moſaicæ .

Secundo Origenes paradiſi hiſtoriam allegorice interpretatus eſt , excludens obvium Scripturarum ſenſum , & ſimplicitatis illos accuſans, qui illas non allegorice , ſed literaliter intelligebant . Hinc fuit Origenes hæreſeos notatus ab Epiphanio in epiſt. ad Joannem Hieroſolymitanum , & in Ancorato ; a Methodio apud citatum Epiphanium in Origenis hæreſi ; a Hieronymo in epiſt. cont. errores Joannis Hieroſolymitani c. 3. , & in Commentariis ſuper Daniel. c. 10. , a S. Auguſtino lib. 23. de civ. Dei c. 21. , & lib.14. c.11. ; & lib.15. c.27. ; & lib. 8. de Geneſ. ad liter. c. 1. , & lib. 12. c. 34.

Tertio Hæretici Seleuciani , & Hermiani viſibilem paradiſum negarunt . Inter eorundem errores adnotat Auguſtinus hæreſ. 59. , & refert Eſtius in II. diſt.17. §. 16. , & pariter narrat Natalis Alexander t.1. hiſt.eccl.vet.teſt.diſſert.2.de Paradiſo n.8. in fin.

Quarto S. Ambroſius dicitur ad eodem Eſtio , quod in libro , quem ſcripſit de Paradiſo , videtur hac de re cum Origene ſentire . Et in ep. 42. ad Sabinum ſcripta , aperte aſſerit, probabilius ſibi videri paradiſum non fuiſſe terreſtrem locum , ſed aliquid ſpirituale , & intelligibile . Ad quæ ſubdit Eſtius . „ Verum
„ hæc S. Ambroſiii ſententia velut a con-
„ cordi reliquorum Patrum ſententia di-
„ ſcrepans, non eſt recipienda ; tametſi
„ prorſus vindicanda ab hæreſi, propterea
„ quod hujuſmodi opinio illius ætate ne-

„ que ſatis adhuc eſſet excuſſa, neque Eccleſiæ judicio condemnata. „ Attamen Natalis Alexander t. 1. hiſt.eccl.vet. teſt. diſſert. 2. de Paradiſo, hæc Ambroſii verba in lib. de Paradiſo in medium affert: *In hoc ergo paradiſo hominem Deus poſuit; quem plaſmavit. Intellige etiam, quod non eum hominem, qui ſecundum imaginem Dei eſt, poſuit, ſed eum, qui ſecundum corpus. Incorporalis enim in loco non eſt. Poſuit autem eum in paradiſo, ſicut ſolem in cœlo, expectantem regnum cœlorum, quemadmodum creatura expectat revelationem filiorum Dei.* Quid clarius verbis hiſce, ut Ambroſii mens percipiatur?

Quinto apud eundem Eſtium accuſatur Hieronymus, quod in libro Traditionum Hebraicarum dixerit, paradiſum ante cœlum, & terram conditum a Deo fuiſſe; ac proinde Origenis errori per hæc verba ſuſcripſerit. Refert hoc etiam Beda; & contra ambos arguunt; quod non poſſit intelligi ſententia illa creationis paradiſi ante cœlum, & terram de paradiſo corporeo; quia quum hic pertineat ad mundum corporeum, quæ primo mundi corporei creata fuerunt, ſunt cœlum, & terra, non paradiſus: ergo ſupereſt, ut de paradiſo ſpirituali, & allegorico intelligatur. Verum clariſſima eſt Hieronymi mens in epiſt. 61. ad Pammachium recenſentis inter octo Origenis errores hunc ſexto loco, & dicentis: *Quod ſi paradiſum allegarizet, & hiſtoria auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœleſtes intelligens, totamque paradiſi continentiam tropologica interpretatione ſubvertat.* Et in Commentariis ad c.10. Danielis: *Unde eorum deliramenta conticeſcant, qui umbras & imagines in veritate quærentes, ipſam conantur evertere veritatem: ut flumina, & arbores, & paradiſum putent allegoriæ legibus ſe debere ſubruere.* Igitur patet, ut ait Eſtius, quod ſi quid erroris eſt in ſententia illa Hieronymi, non ad ſubſtantiam paradiſi pertinet, ſed ad tempus creationis illius. Attamen dici poteſt, quod Hieronymus non ex propria ſententia, ſed ex Cabaliſtarum mente ſcripſerit. Vel ſi ex propria ſententia ſcripſit, motus eſt, quia Scriptura dicit Gen. 2.8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio.* At in loco illo *principium* non refertur ad tempus, ſed ad locum; ſcilicet, quod plantatus fuerit in oriente, vel ad orientem.

Dicimus, terreſtrem paradiſum fuiſſe corporeum, non ſpiritualem, myſticum, & allegoricum. Ita omnes Patres, & Doctores Scholaſtici, ac divinæ Scripturæ Expoſitores.

I. Probatur. Geneſ. 2.8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio, in quo poſuit hominem, quem formaverat:* Ergo ſi paradiſus creatus a Deo fuit uti locus habitationis in terra hominis corporei, fuit etiam ipſe corporeus. Non enim in eo habitare debebat Angelus, qui eſt immaterialis, & incorporeus, ſed homo, qui eſt corporeus, & materialis; ac proinde eſſe non poterat, niſi materialis etiam, & corporeus, non ſpiritualis, & allegoricus.

II. Geneſ. 13. de Sodoma, & Gomorra, antequam incendio perirent, dicitur: *Erant ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor:* Inepta eſſet comparatio, ſi paradiſi amœnitas non fuiſſet corporea, & materialis; non enim reſpondiſſet amœnitati Sodomæ, & Gomorræ, nec ſequentibus verbis concordaſſet.

III. Probatur ratione S. Methodii, cujus verba leguntur apud S. Epiphanium hæreſ. 63., & hæc ſunt: *Imprimis enim paradiſus ille, de quo in primo noſtro Parente dejecti fuimus, eximius quidam haud dubie hac in terra locus eſt, & ad exquiſitam quandam ac jucundiſſimam Piorum requiem habitationemque ſecretus. Indidem porro Tigris, & Euphrates, cæteraque flumina proficiſcuntur; quorum in continentem noſtram derivationes ac decurſus exundant. Non enim in terras e cœlo delapſa præcipitant. Neque enim tantam aquarum molem cum ingenti ex alto impetu depreſſam ſuſtinere terra potuiſſet. Sed nec Apoſtolus Paradiſum tertio in cœlo collocat .... Nam & Adamus neutiquam e cœlo dejectus eſt: ſed ex eo paradiſo, qui in Eden fuerat ad Orientem conſitus.* Si enim Paradiſus allegorice intelligitur, allegorice etiam intelligenda ſunt omnia, quæ in paradiſo continebantur; ac proinde flumina, quæ tamen hucuſque videntur; homo, cujus progenies adhuc perſeverat; ejectio ab illo, cujus pœnam jugiter ſentimus; & ſic alia omnia, quæ in ſacra hiſtoria narrantur, & ad allegoriam applicari, vel rerum evidentia prohibet, vel Dei verbi auctoritas interdicit.

IV. Probatur ratione & verbis S. Joannis Chryſoſtomi hom. 8. in Geneſ. *Et plantavit Deus paradiſum in Eden, ſecundum Orientem, & poſuit illic hominem, quem*

for-

formavit. Et idcirco nomen laci Scripturis inſeruit B. Moyſes, ut non liceat nugari volentibus imponere ſimpliciorum auribus, & dicere, Nullum eſſe in terra paradiſum, ſed in cælo, & fabulas quaſdam ejuſmodi ſomniare. Nam cum divina Scriptura tanta uſa ſit diligentia, non refugiunt quidam loquacitate, ſapientiaque peregrina inflati, adverſa Scripturis loqui, & dicere; Nan eſſe ſuper terram paradiſum. Multaque alia præterea, quæ dicta ſunt, introducentes, quod non ſicut ſcripta ſunt, ſed alia ratione ſint intelligenda, & quod ea, quæ de terra, de his, quæ in cælis ſunt, dicta eſſe arbitrandum ſit: Niſi humilitate, & congruente nobis ſermonum familiaritate B. Maſes uſus foret, Spiritu Sancto linguam ejus movente, quo non devoluti eſſent?

V. Probatur etiam ratione & verbis S. Auguſtini lib. 8. de Geneſ. ad liser. c. 1., ubi alienas exponens opiniones, hæc de propria ſcribis: *Nan ignoro de Paradiſo multos multa dixiſſe. Tres tamen de hac re quaſi generales ſunt ſententiæ. Una eorum, qui tantummodo corporaliter Paradiſum inintelligi volunt. Alia eorum, qui ſpiritualiter tantum. Tertia eorum, qui utroque modo Paradiſum accipiunt, alias corporaliter, alias autem ſpiritualiter. Breviter ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere ſententiam. Secundum hanc ſuſcepi nunc loqui de Paradiſa, quod Dominus donare dignabitur, ut homo factus è limo, quod utique corpus humanum eſt, in Paradiſo corporali collocatus intelligatur; ut quemadmodum ipſe Adam, etſi aliquid aliud ſignificat ſecundum id, quod eum formam futuri dixit eſſe Apoſtalus, homa tamen in natura propria expreſſus accipitur, qui vixit certo numera annorum, & propagata numeroſa prole, mortuus eſt, ſicut moriuntur ceteri homines, etſi nan ſicut ceteri ex parentibus natus, ſed ſicut primitus oportebat, ex terra factus eſt: Ita & Paradiſus, in quo eum collocavit Deus, nihil aliud quam locus quidam intelligatur, terra ſcilices ubi habitaret homo terrenus. Narratio quippe in his libris non genere locutionis figuratarum rerum eſt, ſicut in Cantica Canticorum, ſed omnino geſtarum, ſicut in Regnorum libris, & hujuſcemodi cæteris. Sed quia illic ea dicuntur quæ vita humana uſus notiſſimus habet, non difficile, imo prontiſſime primitus accipiuntur ad literam, ut deinde ex illis quid etiam futurorum res ipſa ſignificaverint exculpatur: Hic autem quia ea dicuntur, quæ uſitatum naturæ curſum intuentibus non occurrant, nolunt ea quidam proprie, ſed figurate dicta intelligi; atque ex illo loco volunt incipere hiſtoriam, ideſt rerum proprie geſtarum narrationem, ex quo dimiſſi de Paradiſo Adam, & Eva canvenerunt, atque genuerunt. Quaſi vero uſititatum nobis ſit, vel quod tot annos vixerunt, vel quod Henoch translatus eſt, vel quod & grandæva, & ſterilis peperit, & cætera hujuſmodi. Sed alia eſt, inquiunt, narratio factorum mirabilium, alia inſtitutarum creaturarum. Illo enim ea ipſa inſalita oſtendunt, alias eſſe tanquam naturales modos rerum, alios miraculorum, quæ magnalia nominantur: hic autem ipſa inſinuatur inſtitutia naturarum. Quibus reſpondetur: Sed ideo inſolita & ipſa, quia prima. Nam quid tam ſine exemplo, & ſine pari facto in rerum mundanarum conſtitutione, quàm Mundus? Num ideo credendum non eſt Deum feciſſe Mundum, quia jam non facit Mundos; aut non feciſſe Solem, quia jam non facit Soles? Et hoc quidem non de Paradiſa, ſed de ipſo homine permotis debuit reſponderi. Nunc vero cum ipſum ſic credant a Deo factum, ſicut alius nullus factus eſt, cur Paradiſum nolunt ita factum credere, quemadmodum nunc vident ſylvas fieri? Ad eos quippe loquor, qui auctoritatem harum literarum ſequuntur: Eorum enim quidam non propriè, ſed figuratè Paradiſum intelligi volunt. Nam qui omnina adverſantur his literis, alias cum eis, atque aliter agimus. Quanquam & hac in hoc opere noſtro, quantum valemus, ita defendamus ad literam, ut qui non rationabiliter moti propter animum pervicacem, vel hebetem credere iſta detrectant, nullam tamen inveniant ratianem unde falſa eſſe convincant. Verum iſti noſtri, qui fidem habent his divinis libris, & nolunt Paradiſum ad proprietatem literæ intelligi, locum ſcilicet amæniſſimum, fructuaſis nemoribus opacatum, eumdemque magnum, & magno fonte fœcundum, cum videant nulla humana opera tot, ac tanta vireta ſylveſcere occulto opere Dei, miror quemamodum credant ipſum hominem ita factum, quemadmodum nunquam viderunt. Aut ſi & ipſe figuratè intelligendus eſt, quis genuit Cain, Abel, & Seth? An & ipſi figuratè tantum fuerunt, non etiam ex hominibus nati? De proximo ergo attendant iſtam præſumptionem quò tendat, & conentur nobiſcum cuncta primitus, quæ geſta narrantur in expreſſionem proprietatis accipere. Quis enim eis poſtea non faveat intelligentibus quid iſta etiam figurata ſignificatione commoveant, ſive ipſarum ſpiritalium naturarum, vel affectionum, ſive rerum etiam futurarum? Sane ſi*

nullo

nullo modo poſſent ; ſalva fide veritatis, ea, qua corporaliter hic nominata ſunt, corporaliter etiam accipi , quid aliud remaneret, niſi ut ea potius figuratè dicta intelligeremus, quàm Scripturam ſanctam impiè culparemus? Porro autem ſi non ſolum non impediunt, verum etiam ſolidius aſſerunt divini Eloquii narrationem hac etiam corporaliter intellecta ; nemo erit , ut opinor , tam infideliter pertinax , qui cum ea ſecundum Regulam fidei expoſita propriè viderit , malit in priſtina remanere ſententia , ſi fortè illi viſa fuerant , nonniſi figuratè poſſe accipi .

Opponunt I. In multis Scripturæ locis Paradiſus ſpiritualiter intelligitur , hoc eſt pro deliciis , & voluptate ſpirituali ; ut Lucæ 13. *hodie mecum eris in paradiſo;* Apocal. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei* . II. Paradiſus proprie eſt in cœlo, in terra autem dicitur improprie, & allegorice ; Etenim Apoſtolus II. Cor. 12. ubi dicit , ſe raptum fuiſſe in paradiſum , ſtatim docet, paradiſum eſſe tertium cœlum , quod vocat S. Auguſtinus lib. 12. de Gen. ad lit. c. 34. *Paradiſum Paradiſorum.* III. Auguſtinus etiam ſpiritualiter intellexit paradiſum , & explicavit lib. de Geneſ. contr. Manichæos 2. , & lib. 13. de civ. Dei c. 21. IV. Si paradiſus fuiſſet proprius, & verus , primus homo fuiſſet in eo creatus ; at non fuit in eo creatus, quum extra ipſum in campo damaſceno eum Deus produxerit ; ergo &c. Et ideo dicitur, quod fuerit poſtea in paradiſum translatus , quia paradiſi deliciis fruebatur ; ſed hoc ipſum eſt ſpiritualiter, non literaliter , paradiſum intelligere ; ergo &c.

Reſpondemus ad I. concedendo , quod in quibuſdam Scripturæ locis paradiſus accipitur pro voluptate , & deliciis ſpiritualibus ; at in multis aliis accipitur pro loco corporeo , horto ſcilicet amæno, & ad hominis delectationem a Deo formato; & ſunt Geneſ. 13. Cant. 4. Ezechiel. 13. & 28. Ecclic. 24. Eccl. 2. juxta lectionem hebraicam , & verſionem Septuaginta . Unde potius ſecundum poſteriores haſce Scripturas intelligendus eſt paradiſus , qui dicitur a Deo factus Gen. 2., quam ſecundum illas, quæ ab Adverſariis adducuntur .

Ad II. dicimus cum S. Epiphanio , qui in Ancorato n. 64. Origenis opinionem refert, & n. 65. confutat : Ejus verba hæc ſunt : *Ad eundem modum plerique de paradiſo allegorice diſputant : atque inter cæteros furioſus Origenes adumbratam neſcio quam ſpeciem pro veritate in mundum invexit. Sic enim diſſerit : Non eſt paradiſus in terris: Et hoc Apoſtoli teſtimonio nititur: Vidi hominem ante annos quatuordecim, ſive in corpore, neſcio, ſive extra corpus, neſcio: Deus ſcit; raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum . Scio hujuſmodi hominem raptum in paradiſum, & audiſſe verba, quæ non licet homini loqui.... Quod ſi nuſquam eſt in terra paradiſus, neque vera ſunt quæ in Geneſi continentur, ſed allegorice dicuntur; nihil deinceps conſequens, ac veritati conſentaneum erit , ſed ad allegoriam univerſa transferuntur . In principio enim creavit Deus cœlum & terram : quæ non allegorice ſignificata , ſed aſpectabilia ſunt . Tum firmamentum, inquit , & mare , germina, arbores , herbas , gramen, animalia , piſces, aves, cætera denique, quæ oculis uſurpantur, ac revera producta ſunt ; atque hominem, quem revera produxit . Hunc igitur , quem formarat , in paradiſo collocavit .* Nomen igitur paradiſi loco illi , ſeu horto amæniſſimo , prius tributum, ad cœleſtem paradiſum ſignificandum translatum eſt deinde; quod potius innuit, deberi priori loco corporaliter intelligi , poſteriori autem ſpiritualiter; quemadmodum etiam dicitur Luc. 13. *hodie mecum eris in paradiſo* .

Ad III. dicitur , quod Auguſtinus non per hoc , quod dixerit paradiſum poſſe ſpiritualiter intelligi, negavit paradiſum corporalem fuiſſe. Multa enim ſunt in divinis Scripturis , quæ utroque modo accipiuntur . Et hæc enumerans cit. loc. inquit : *Quaſi propterea non potuerit eſſe paradiſus corporalis, quia poteſt etiam ſpiritalis intelligi . Tanquam ideo non fuerint duæ mulieres , Agar, & Sara, & ex illis duo filii Abrahæ , unus de ancilla , alius de libera , quia duo teſtamenta in eis figurata dicit Apoſtolus . Aut ideo de nulla petra Moyſe percutiente aqua defluxerit , quia poteſt illic figurata ſignificatione etiam Chriſtus intelligi , eodem Apoſtolo dicente : Petra autem erat Chriſtus. Nemo itaque prohibet intelligere paradiſum vitam Beatorum ;* & proſequitur deinceps alias afferre allegorias de iis , quæ in paradiſo continebantur ; in fine concludens : *Hæc , & ſi quæ alia commodius dici poſſunt de intelligendo ſpiritaliter paradiſo, nemine prohibente dicantur : dum tamen & illius hiſtoriæ veritas fideliſſima rerum geſtarum narratione commendata credatur* . Poſt Auguſtinum

S. Jo-

S. Joannes Damaſcenus lib. 2. de fid. orthod. c. 11., & Moyſes Bar-Cepha in lib. de paradiſo, & Beda lib. Hexameron, paradiſum utroque modo, literali ſcilicet, & ſpiritali, intelligunt, & explicant.

Ad IV. Aliæ ſunt rationes, propter quas primus homo fuit extra paradiſum a Deo creatus, quas ſuo loco adducemus. Pro re tamen præſenti, idem evincitur ex eo, quod fuerit Adam in paradiſum translatus, ac ſi fuiſſet in eo creatus; paradiſum ſcilicet fuiſſe corporeum, quia pro delectatione corporeæ creaturæ formabatur. Si enim deliciæ illæ primi hominis tantum ſpiritales fuiſſent, ubique potuiſſet ille iiſdem frui, & non fuiſſet opus, ut in paradiſum a Deo transferretur. Quod ſi fuit a Deo translatus in illum, ſignum eſt, quod ibi erant illæ corporales deliciæ ad hominis oblectamentum a Deo creatæ, quæ alibi non erant.

De Paradiſi loco, ſeu de illa orbis parte, in qua fuit Paradiſus ſitus, non una eſt Scriptorum ſententia; ex qua quidem varietate doctus Huetius arguit ſummam in paradiſi loco ſtatuendo difficultatem. Opiniones, quas legimus, adducemus, ut deinde inter illas probabiliorem ſeligamus.

Prima ſententia eſt illorum, qui terreſtrem paradiſum extra hanc terram habitabilem conſtituerunt. Nam, Huetio teſte, aliqui collocarunt eum in tertium cœlum, alii in quartum, alii in cœlum Lunæ, alii in ipſa Luna, alii in montem vicinum cœlo Lunæ, alii in media aeris regione, extra terram, ſuper terram, ſubter terram, in loco abdito, & ab hominum notitia remoto. Et inſuper Natalis Alexander in hiſt. eccl. vet. teſt. refert, Moyſen Bar-Cepham putaſſe, paradiſum conſtitutum inter firmamentum, ac terras; cujus ſententiæ patronus laudatur etiam Philoxenus, Mabugæ Epiſcopus: Rabanum Maurum, & Strabum, voluiſſe ſitum in oriente, a noſtro orbe longiſſime remotum, immenſo oceano interjecto, & qui pertingat uſque ad lunarem circulum, & quod ad eum aquæ diluvii non pervenerint; & hæc ſententia tribuitur etiam Bedæ a Magiſtro Sententiarum, & a S. Thoma; quanvis apud Bedam nullum hujus ſententiæ veſtigium inveniatur; ut aſſerit idem Alexander: Rupertum Abbatem lib. 1. de Trinitate, & Operibus ejus, c. 37. voluiſſe paradiſum locum amænitatis ſummæ fuiſſe cœlo proximum.

Secunda ſententia eſt illorum, qui putarunt, paradiſum, cujus meminit Moyſes Gen. 2., non fuiſſe certam aliquam regionem, aut peculiarem aliquem terræ locum, ſed fuiſſe totam terram, quæ in mundi initio erat velut hortus amæniſſimus, ob ejus bonitatem, amænitatem, ac fœcunditatem. Hujus opinionis meminit Huetius, meminit etiam Natalis Alexander, qui ait, eam commemoraſſe Hugonem a S. Victore lib. adnotat. in Geneſ., eamque ex recentioribus ſequutum fuiſſe Joannem Noviomagum in Scholiis ad c. 2. libri de Natura rerum, qui eſt venerabilis Bedæ.

Tertia ſententia eſt illorum, qui conſtituerunt paradiſum in aliquo terræ peculiari loco. At iſti quammaxime etiam diviſi ſunt; nam quidam collocarunt ſub Polo Arctico in Tartaria, in eo loco, ubi modo videtur caſpium mare; alii in extrema Meridiei, in terra ignis; plures in Oriente, vel ad ripas Gangis, vel in Inſula Ceylan, derivantes nomen Indiarum ex verbo Eden, quod erat nomen illius provinciæ, in qua a Moyſe ſitus dictus eſt Paradiſus; quidam in China, immo trans Orientem in loco inhabitabili; alii in America, alii in Africa ſub Æquatore, alii in Oriente æquinoctiali; multi in Aſia; plures in Armenia majore; alii in Meſopotamia, vel in Aſſyria, vel in Perſia, vel in Babylonia, vel in Arabia, vel in Syria, vel in Palæſtina; aliqui etiam in Europa; & quidam ad Heſdinum, oppidum Arteſiæ; quod Heſdinum conveniret cum voce Eden; ut refert citatus Huetius. Alexander autem etiam citatus affert Malvendam pro India, alios pro Armenia, alios pro Arabia felice, alios pro Meſopotamia, eorumque rationes adducit, ſed pro neutra ſe profert; aſſerens cum Auguſtino lib. 8. de Geneſ. ad liter. c. 5. *Melius eſt dubitare de occultis, quam litigare de incertis.*

Dicimus, his omnibus ſententiis probabiliorem eſſe illam Huetii, qua docet, Paradiſum terreſtrem fuiſſe ſitum ad alveum, quem conficit confluens Tigridis, & Euphratis; nempe inter locum quo flumina hæc conjunguntur, & locum, quo dividuntur, antequam in ſinum perſicum ſe infundant. Quia tamen hic alveus quoſdam continet anphractus, in uno ex his anfractibus conſtitutus eſt paradiſus, majore ſcilicet ex illis, qui ſit

ad

Digitized by Google

ad brachium meridionale.

I. Probatur evertendo alias opiniones, & noſtram firmando, verbis Muyſis, paradiſum in Geneſi deſcribentis. Verba Moyſis ſunt hæc Geneſ. 2. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis a principio, in quo poſuit hominem, quem formaverat*. Et num. 10. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita*. Et num. 11. *Nomen uni Phiſon; ipſe eſt qui circuit omnem terram Hevilat, ubi naſcitur aurum*. Et num. 13. *Et nomen fluvii ſecundi Gehon; ipſe eſt, qui circuit omnem terram Æthiopiæ*. Et nu. 14. *Nomen vero fluminis tertii, Tigris; ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluvius autem quartus, ipſe eſt Euphrates*. His verbis primo impugnantur illi, qui paradiſum ponunt extra terram, & in cœlo; ubi enim ſunt in cœlo regiones illæ, quas jam ſcimus eſſe in terra? Flumina illa, quæ nobis notiſſima terram irrigant? Secundo refelluntur illi, qui totam terram pro paradiſo ponunt; regiones enim peculiares ſunt illæ, quæ in paradiſi delineatione deſcribuntur: non eſt ergo paradiſus univerſa terra. Tertio confutantur illi, qui paradiſum conſtituunt in Syria poſt Damaſcum; ubi enim ſunt in regione hac quatuor illa flumina, & regio Chavilah, atque Chus? Quarto impugnantur, qui paradiſum ponunt in Meſopotamia, aut in Babylonia ſupra confluentem Tigridis, & Euphratis; nec enim pariter inibi ſunt regio Chavilah, & regio Chus. Quinto deneque refelluntur cæteri, qui eum conſtituunt in aliis terræ partibus, quæ a regionibus illis, & a fluminibus, quammaxime diſtant; ut omnibus patet. Si autem ad miracula recurrunt; abſque neceſſitate quidem, & quod magis eſt, non pro veritate recurrunt. Sicque confutatione aliarum ſententiarum firma remanet noſtra.

II. Probatur, proprius, & directe firmando ſententiam noſtram. Tigris, & Euphrates ante conjunctionem, & duo illi alvei, per quos in mare illabuntur, poſtquam ſe diviſere, ait Huetius, quod ſint quatuor hujus fluvii capita; & quod occidentalior ipſorum alveorum ſit Phiſon; & quod regio Chavilah, quam ſecat, ſit pars Arabiæ felicis, & pars Arabiæ deſertæ; & quod Gehon ſit ex duobus iſtis alveus orientalis; ac tandem quod regio Chus ſit regio Suſiana. Hæc autem preſſius firmantur ab Huetio, & ante ipſum a Joſepho Scaligero lib. 5. de emendatione temporum, & lib. 4. Epiſtolarum ep. 441., & denique a Bocharto Hierozoici p. 2. lib. 5 c. 5., qui citantur ab Huetio, & hujus ultimi verba, quæ ſunt in Bocharti MS. non adhuc edito, recitantur a Natali Alexandro in Scholio ad propoſitionem ſecundam loci citati; quos Auctores Legentes, ſi velint, conſulant.

Objiciunt I. Non ſunt attendendæ in regionibus deſcribendis loca, quæ temporis diuturnitas, & illuvii vaſtitas commutarunt; atqui ita fuerunt flumina, & regiones, quæ a Moyſe in paradiſi delineatione deſcribuntur: ergo non ſunt attendendæ. II. Ante peccatum fuit dictum primo homini *replete terram*; ſed ſi homo non peccaſſet non exiſſet e paradiſo: ergo nomine terræ venit paradiſus: ergo conſiſtebat in univerſa terra. III. Eden eſt ad Orientem; ſed paradiſus ex verbis Moyſis poſitus fuit in regione Eden: ergo poſitus fuit ad Orientem. IV. Athanaſius in Quæſtionibus ad Antiochum q. 47. ponit paradiſum in India, & pluribus rationibus probat; quem ſequuntur Alcimus Avitus, Vienenſis Epiſcopus, lib. de initio mundi; Anaſtaſius Nicænus q. 24. in Scripturam; & Moyſes Bar-Cepha lib. de paradiſo c. 28. V. Nomine Havilah intelligitur Ophir; quia de prima dixit Scriptura; *ubi naſcitur aurum*; ſed ex eadem Scriptura Ophir aurum producit; Ophir autem eſt in India: ergo in India poſitus eſt paradiſus. VI. De flumine Gehon, quod circumit terram Chus, Vulgatus Interpres reddit, quod circuit terram Æthiopiæ: ergo ſi terra Chus eſt Æthiopia, & paradiſus fuit poſitus prope terram Chus, dicendum eſt, quod conſtitutus fuit in Æthiopia.

Reſpondemus ad I. Loca illa non fuiſſe a Moyſe deſcripta ante, ſed poſt diluvium: ergo poſt diluvium ætate Moyſis extabant eo quidem modo, quo a Moyſe deſcribebantur. Aliter Moyſes illa diverſo modo deſcripſiſſet; quod Eſtius hac ratione probat, quia ſi duo flumina mutarent origines, non eſſent amplius duo illa flumina, quæ prius erant, ſed diverſa; a diverſitate enim originum, alveorum, & locorum, per quæ perfluunt, flumina diverſificantur.

Ad II. ait idem Eſtius, quod genus humanum, etiam Adamo non peccante, non fuiſſet inter paradiſi terminos concluſum,

sed

ſed per totam terram diffuſum, & multiplicatum. Et quanvis tota terra æqualem non habuiſſet cum paradiſo amænitatem, & fœcunditatem, fœcunda tamen, & amæna etiam fuiſſet hominibus, quia non fuiſſet a Deo maledicta, immo potius benedicta; quanvis non æqualiter in omnibus ſuis partibus, quum diverſos habuiſſet felicitatis gradus, quemadmodum in cœlo diverſi ſunt gradus beatitudinis.

Ad III. concedimus totum argumentum; nihil enim ſententiæ noſtræ officit, quæ paradiſum in Edem, & in Oriente ponit. Opportunitas autem poſcit, ut hic aliqua de Eden cum laudato Huetio dicamus. Verbum hebraicum Eden vel accipitur ut nomen appellativum, & ſignificat voluptatem, delicias &c. vel ſumitur ut nomen proprium, & ſignificat locum aliquem, vel regionem. Symmacus, Severianus, & Leonius, accipiunt primo modo. Septuaginta in ſua verſione intelligunt ſecundo modo. Auctor vulgaræ in 2. Gen. accipit primo, & in 4. Gen. accipit ſecundo modo. Attamen teſtatur Huetius, quod fere omnes Eccleſiæ Patres, Græci, & Latini, omnes Scripturæ Interpretes, antiqui, & moderni, conveniunt in aſſerendo, Eden nomen eſſe locale, deſumptum quidem a pulcritudine loci. Et quia nomen Eden ab amænitate, & pulcritudine loci deſumptum eſt, hinc plura loca eodem nomine Eden appellata inveniuntur. Cæterum Eden in Oriente optime convenit ſententiæ noſtræ; ut Huetius oſtendit.

Ad IV. dicitur, Quæſtiones illas ad Antiochum non eſſe Athanaſii, quanvis ſub ejus nomine circumferantur; ut omnes eruditi Critici fatentur. Cæteri autem Scriptores non tantæ ſunt auctoritatis, ut illis ſubſcribere, vel eos explicare, cogamur.

Ad V. Ophir duplex eſt, ex Natali Alexandro, una in Arabia prope Sabæos, altera in India. In utraque naſcitur aurum optimum. Job. 22. 24. habetur mentio auri Ophir: *Et inſtar petræ torrentium aurum Ophir.* At intelligendus eſt Job de Ophir Arabiæ, quia tempore ipſius, hoc eſt tempore Patriarchæ Jacob, cui fuit æqualis, non erat adhuc conſtituta a Judæis ad Ophir indicam navigatio.

Ad VI. Duplex etiam eſt Æthiopia, major ſcilicet, ſeu Abiſſinorum terra, & minor, quæ confinis eſt Arabiæ, a qua dicta fuit Æthiopiſſa Moyſis uxor, quæ erat Medianitis. Textus noſter intelligendus eſt de minori, non de majori Æthiopia; ſicque nulla eſt oppoſitio.

Pro tertia autem Diſſertationis parte; an ſcilicet terreſtris paradiſus nunc extet, plures ſunt etiam inter ſe diverſæ opiniones. Prima eſt illorum, qui putant, paradiſum adhuc extare etiam in amænitate, quam primum habuit. Hujus ſententiæ fuiſſe, rumor invaluit, Juſtinum martirem, & philoſophum, Tertullianum, Irenæum, Presbyteros Apoſtolorum diſcipulos, a quibus ſcripſit ſe accepiſſe Irenæus, Theophilus Antiochenus, Iſidorus; & etiam ex Scholaſticis Magiſtrum ſententiarum, cum aliis pluribus; adducitur quoque S. Auguſtinus. Altera eſt illorum ſententia, qui docent, paradiſum extare quidem quoad locum, non vero quoad amænitatem, delicias, & fœcunditatem. Sequuntur hanc ſententiam Janſenius, Epiſcopus Gandavenſis, in Comment. in Concordiam Evangelicam c. 143., Cardinalis Bellarminus lib. de beatitudine Sanctorum c. 3. Eſtius, Natalis Alexander, aliique multi. Cum quibus

Dicimus, Paradiſum terreſtrem quoad amænitatem, fœcunditatem, & delicias, non extare, quanvis extet quoad locum, in quo erat.

I. Probatur. Geneſ. 7. conſtat, univerſam terram fuiſſe aquis diluvii obrutam: ergo ſi paradiſus erat in terra, & non extra terram, ut probatum eſt, fuit etiam aquis diluvii inundatus, adeoque quoad amænitatem deſiit. Ex illa autem generali Scripturæ aſſertione diſcedere non debemus; tum quia aliter occaſionem haberemus variis aliis exceptionibus Scripturarum veritatem, & fidem elevandi, ac enervandi; tum etiam, quia alii poſſent quoque excipere inſulas, & reſtringere Scripturarum verba ad terram ſolummodo continentem; tum pariter, quia poſſent alii limitare eadem ad terram tunc habitatam, & non extendere ad illam, quæ fuit poſtmodum ab hominibus habitata; tum quoque, quia aliter non fuiſſet opus arca, quum potuiſſet Noe cum aliis in paradiſo a diluvio ſalvari; tum maxime, quia a Patribus in arca Noe figuratur Eccleſia, extra quam non eſt ſalus; ſi ergo extra arcam fuit ſalus a diluvio, & fuit in paradiſo; ergo extra Eccleſiam eſt ſalus; quod non eſt dicendum.

II. Probatur. Non ſolum ex ſententia no-

ſtra de paradiſi loco, ſed etiam ex aliis aliorum ſententiis, qui paradiſum poſuerunt in aliis terræ regionibus, conſtat, loca illa extare, eſse ab hominibus habitata, ſed inibi paradiſum non eſse.

III. Probatur. Quando Deus fecit terram maledicto obnoxiam, univerſam terram complexus eſt: ergo terram illam, in qua paradiſus erat poſitus, non excepit.

Arguunt I. S. Juſtinus, martir, & philoſophus, in quæſtionibus ad Orthodoxos, q. 75. 76. & 85. aperte aſſerit, paradiſum adhuc exiſtere, etiam quoad ornatum, & amænitatem. II. S. Irenæus lib. 5. adv. hæreſes, aſſerit, ſe accepiſſe a presbyteris, Apoſtolorum diſcipulis, Enoch, & Eliam, in paradiſo verſari: ergo etiamnum extat, etiam in deliciis; alioquin Enoch, & Elias inibi non in deliciis, ſed in ærumnis, viverent. III. Ecclic. 44. habetur, Enoch tranſlatum fuiſſe in paradiſum, ut ſuo tempore prædicet Gentibus pœnitentiam;idem dicitur de Elia a ſanctis Patribus. IV. S. Auguſtinus lib. de peccato originali c. 23. dicens, poſſe ſalva fide dubitari de loco, ubi ſit paradiſus, ſubdit: *Cum autem eſſe illum paradiſum fides chriſtiana non dubitet*; ergo ex Auguſtino non poteſt ſalva fide dubitari, paradiſum etiamnum exiſtere. V. Tertullianus in Apologet. & in lib. de anima in fin. loquitur de paradiſo adhuc permanente, & aſſerit, uſque ad finem mundi permanſurum. VI. Lucæ 23. 43. Chriſtus dixit Latroni: *Hodie mecum eris in paridiſo*: Sed hæc verba intelligi non poſſunt de cœleſti paradiſo; ergo de terreſtri.

Reſpondemus ad I. Quæſtiones illas non eſſe Juſtini, quanvis ipſius nomen præſeferant; citantur enim in illis Origenes, & Irenæus, qui fuerunt Juſtino poſteriores; & hic eſt communis eruditorum Criticorum ſenſus. Additur,quod in citatis locis alia docentur, quæ cum catholica fide non conſentiunt; & præcipue Chiliaſtarum error docetur; quod nimirum in paradiſo Juſtorum animæ uſque ad Judicii diem detineantur.

Ad II. Idem S. Irenæus teſtatur, a Presbyteris Aſiæ, qui erant Apoſtolorum diſcipuli, ſe accepiſſe Chiliaſtarum errorem; pariter Chriſti Domini ætatem quinquagenariam, quando vivere deſiit; cum his aliis potuit hanc quoque ab iiſdem accipere de paradiſi exiſtentia ſententiam. Cæterum res hæc non eſt pertinens ad fidem; unde locum habere debet regula, quam proponit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio: *Antiqua ſanctorum Patrum conſenſio non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis,ſed ſolum in fidei regula, magno nobis ſtudio, & inveſtiganda eſt, & ſequenda*.

Ad III. Locum illum Eccleſiaſtici in Græco Codice non habere paradiſi vocem, ſed tantum dicere Enoch tranſlationem, abſque expreſſione loci, in quem fuerit tranſlatus. Etſi autem dicat paradiſum, ut dicit Vulgata, non per hoc intelligi debet paradiſus ille, de quo loquimur, ſed alius, in quo Enoch, & Elias feliciter vivant, & qui ob inde paradiſus vocetur. S. Auguſtinus in lib.de pecc.original.docet, eſſe incertum, nec ad fidem pertinere, utrum in paradiſo ſint Enoch, & Elias, an alibi. S.Thomas non affirmavit ſimpliciter, Enoch, & Eliam degere in paradiſo illo, ex quo Adam fuit pulſus; ſemper enim addit: *ut dicitur*: vel: *ut creditur*. Videatur S.Doctor p.p. q.103. ar.2., & 2.2.q.64. ar.2., & 3. p. q.49. ar.2. Gregorius magnus hom.29.in Evangelia aſſerit quidem Eliam fuiſſe in aera ſublatum, ut duceretur in ſecretam terræ habitationem, ſed paradiſum non nominat. Denique, ut alios omittamus, Rupertus lib. 3. in Geneſ. c. 33. aperte negat, Scripturam aſſerere, Enoch, & Eliam, in paradiſum illum tranſlatos fuiſſe, ex quo ejectus eſt Adam.

Ad IV. ait Eſtius, Auguſtinum non aſſerere, quod ſit certum ſecundum fidem, paradiſum nunc exiſtere; ſed quod fuerit ſecundum aliquam temporis differentiam, & illam quidem, quam ejus deſcriptio in Geneſi poſtulare videtur. Ejus autem deſcriptio in Geneſi poſtulat, quod fuerit olim, quod nos concedimus; non vero quod ſit modo, quos nos negamus. Et quod verum ſit hoc ex eo patet,quia Auguſtinus loquitur contra Origenem, qui allegorica interpretatione paradiſum nunquam fuiſſe vere, & realiter dicebat. Contra hoc autem ſufficit fuiſſe, ſed non requiritur eſſe. Vel dicitur Auguſtinum loqui de loco, ubi fuit paradiſus,non vero de permanentia amœnitatis paradiſi.

Ad V. Tertullianus pariter dicitur, quod Chiliaſtarum errore deceptus, paradiſum dixit extare, in quo animæ uſque ad diem Judicii permaneant. Unde cum Ellio dicimus, quod ſi Tertullianus, & alii cum ipſo, fundant hanc ſuam ſententiam in propoſitionibus aut incertis, aut falſis, non cogimur illis adhærere.

Ad VI. dicitur, Chriſtum in ſuæ mortis triduo in terreſtri paradiſo non fuiſſe, ſed ſecun-

ſecundum animam in Limbo Patrum, & ſecundum corpus in ſepulcro. Fides enim docet, quod Chriſtus deſcenderit ad Inferos, & tribus diebus, ac noctibus fuerit in corde terræ; nulla in his eſt paradiſi mentio. Unde in allatis Lucæ verbis non intelligitur terreſtris, ſed cœleſtis paradiſus; in quo Latro pœnitens fuit cum Chriſto; quemadmodum etiam accipitur paradiſus, in quem S. Paulus raptus fuit; ut diximus.

Ad Arborem ſcientiæ boni & mali devenientes modo, dicimus, fuiſſe ſententiam quorundam dicentium, hujuſcemodi arboris fructum fuiſſe connubii uſum, quem Deus, donec ipſe permitteret, prohibuerat primis Parentibus. Moyſes Bar-Cepha refert in lib. de Paradiſo, arborem illam fuiſſe ignotam, nec alibi fuiſſe, quam in paradiſo; quod autem opus nuptiale dictum fuerit cognoſcere uxorem, ab hoc proveniſſe, quod conjugii uſus cognitionis boni, & mali nomen habuerit; quemadmodum quod pueri ſtatim ac adipiſcuntur notitiam boni & mali, hujuſmodi cupidine tentari incipiunt. Sed ridicula hæc opinio ex Scripturæ verbis Gen. 2. apertiſſime rejicitur; quum ibi dicatur lignum; & c. 3. habeatur, fuiſſe aptum ad veſcendum, pulcrum oculis, delectabile aſpectu; primos parentes de illo comediſſe, quæ quidem conjugii exercitio convenire non poſſunt. Alii proinde dixerunt, arborem illam fuiſſe frumentum, alii vitem, quidam ficum, nonnulli malum; & pro ficu ſunt Theodoretus interrogat. 28. in Geneſ. Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 51. Moyſes Bar-Cepha, aliique. Inſuper Joſeph lib. 1. antiquit. c. 1., Nemeſius lib. de natura hominis c. 5., & Damaſcenus lib. 2. de fide orthod. c. 11. volunt, fuiſſe a Deo arbori illi naturalem vim tributam, qua boni, & mali notitiam haberent, qui illius fructu veſcerentur.

Nobis placet ſententia Auguſtini docentis, arborem illam fuiſſe ejuſdem conditionis ac cæteræ aliæ arbores, & nomen illud accepiſſe ab eventu. Genus arboris non fuit a Moyſe expreſſum, nec nos illud divinare intendimus. Vis naturalis arbori non poterat eſſe indita, ut per illam fructu ejus veſcentes cognoſcerent bonum, & malum; nequit enim rei corporeæ eſſe naturalis vis, quæ ſit apta ad ſpiritualem effectum producendum. Audiamus Auguſtinum lib. 8. de Geneſ. ad lit. c. 6. hæc ſcribentem: *Mihi autem etiam, atque etiam conſideranti, dici non poteſt, quantum placet illa ſententia, non fuiſſe illam arborem cibo noxiam; neque enim qui fecerat omnia bona valde, in Paradiſo inſtituerat aliquid mali: Sed malum fuiſſe homini trangreſſionem præcepti. Oportebat autem ut homo ſub Domino Deo poſitus aliunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum ſuum virtus eſſet ipſa obedientia. Quam poſſum veriſſime dicere ſolam eſſe virtutem omni creaturæ rationali agenti ſub Dei poteſtate; primumque eſſe maximum vitium tumoris ad ruinam ſua poteſtate velle uti, cujus vitii nomen eſt inobedientia. Non eſſet ergo unde ſe homo, Dominum habere cogitaret, atque ſentiret, niſi ei aliquid juberetur. Arbor itaque illa non erat mala, ſed appellata eſt ſcientia dignoſcendi bonum, & malum, quia ſi poſt prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura transgreſsio, in qua homo per experimentum pœna diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Proinde & hoc non in figura dictum; Sed quoddam vere lignum accipiendum eſt, cui non de fructu, vel pomo, quod inde naſceretur, ſed ex ipſa re nomen impoſitum eſt, quæ illo contra vetitum tacto fuerat ſecutura.*

Et Libro 14. de Civitate Dei, cap. 17. *Aperti ſunt* (inquit) *oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum, quo ceciderant. Unde & ipſum lignum, eo quod iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum ſciendi boni, & mali. Experta enim morbi moleſtia, evidentior fit etiam jucunditas ſanitatis. Cognoverunt ergo quia nudi erant, nudati ſcilicet ea gratia, qua fiebat, ut nuditas corporis nulla eos lege peccati, menti eorum repugnante, confunderet. Hoc itaque cognoverunt; quod felicius ignorarent, ſi Deo credentes, & obedientes, non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas, & inobedientia quid nocerent.*

Omittimus Ruperti opinionem putantis lib. 2. de Trinitate & operibus ejus c. 27. arborem illam fuiſſe dictam ſcientiæ boni & mali per ironiam; *ut ipſo nomine ſua monumentum legentibus repræſentaret diabolici mendacii*. Sed quia Deus nomen illud uſurpavit, non videtur conveniens fuiſſe Deo ironico nomine uti.

Ad arborem vitæ explicandam devenimus tandem. Putarunt quidam, quod plantæ illi erat innata vis, ut vitam in ſempi-

ternum, propagaret: Tribuitur hæc ſententia Nemeſio Philoſopho, a Moyſe Bar-Cepha, a Procopio, & aliis. At ab eodem Moyſe confutatur, aſſerente, hoc credere, eſſe rudis, ac ſtulti ingenii. Porro quænam fuerit virtus arboris illius ab Auguſtino diſcimus, multis in locis de ea tractante; ſed præcipue lib.13. de civ. Dei c. 20. hæc ſcribente de primis illis parentibus, qui ea uti debebant: *Qui licet morituri non eſſent, niſi peccaſſent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum ſpiritalia, ſed adhuc animalia corpora terrena geſtantes. Quæ licet ſenio non veteraſcerent, ut neceſſitate perducerentur ad mortem (qui ſtatus eis de ligno vitæ, quod in medio paradiſi cum arbore vetita ſimul erat, mirabili Dei gratia præſtabatur) tamen & alios ſumebant cibos, præter unam arborem, quæ fuerat interdicta, non quia ipſa erat malum, ſed propter commendandum puræ, & ſimplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus eſt rationalis creaturæ ſub Creatore domino conſtitutæ.... Alebantur ergo aliis, quæ ſumebant, ne animalia corpora moleſtiæ aliquid eſuriendo, ac ſitiendo ſentirent: de ligno autem vitæ propterea guſtabatur, ne mors eis undecunque ſubreperet, vel ſenectute confecta, decurſis temporum ſpatiis, interirent: tanquam cætera eſſent alimento, illud ſacramento; ut ſic fuiſſe accipiatur lignum vitæ in Paradiſo corporali, ſicut in ſpiritali, hoc eſt, intelligibili Paradiſo Sapientia Dei, de qua ſcriptum eſt, Lignum vitæ eſt amplectentibus eum.* Et cap.23. *Primus autem homo de terra terrenus in animam viventem factus eſt, non in ſpiritum vivificantem, quod ei per obedientiæ meritum ſervabatur. Ideo corpus ejus, quod cibo, ac potu egebat, ne fame afficeretur, ac ſiti, & non immortalitate illa abſoluta, atque indiſſolubili, ſed ligno vitæ a mortis neceſſitate prohibebatur, atque in juventutis flore tenebatur, non ſpiritale, ſed animale fuiſſe, non dubium eſt, nequaquam tamen moriturum, niſi in Dei prædicentis, minantiſque ſententiam delinquendo corruiſſet. Et alimentis quidem etiam extra Paradiſum non negatis, a ligno tamen vitæ prohibitus, traditus eſſet tempori, vetuſtatiſque finiendus, in ea dumtaxat vita, quam in corpore licet animali, donec ſpiritale obedientiæ merito fieret, poſſet in Paradiſo, niſi peccaſſet, habere perpetuam.*

Eadem habet Auguſtinus lib.8. de Gen. ad lit. c.4., & 5., & Pſeudo-Auguſtinus in QQ. veteris, & novi teſtamenti q. 19. ſcripſit: *Deus hominem fecit, qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret: ut ipſe ſibi auctor eſſet aut ad vitam, aut ad mortem: ut cuſtodiens ſe peccato, labore ſuo gauderet, eſſe ſe immortalem; negligens vero factus, ipſe ſibi imputaret, quia cœperat eſſe mortalis. Quamdiu enim in Creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ, ut mori non poſſet. Nec enim corpus tale erat, quod diſſolvi impoſſibile videretur. Sed guſtus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam poſt peccatum potuit indiſſolubilis manere, ſi modo permiſſum eſſet illi edere de arbore vitæ. Nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo ſuſtentabatur? Immortalis enim non eget eſca, neque potu. Cibus enim vires præſtabat, vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat. Sic enim homini erat quaſi inexpugnabile munus.* Legi poteſt eo de argumento S. Thomas 1.p. q.97. art.4., & S. Bonaventura in 2. ſententiarum diſt. 17. ubi Magiſtri textum explicans, hæc habet: *Ergo ſicut Sacramenta noſtra non creant gratiam, ſed divina virtus ipſis aſſiſtens in eorum legitima perceptione gratiam infundit: ſic fructus ejus arboris non dabat immortalitatem, ſed divina virtus, cum fructus ille comedebatur, immortalitatem homini largiebatur.*

Igitur inter diſcordantes opiniones mediam ſelegimus, qua dicimus, virtutem illam fuiſſe in una ratione naturalem, & in altera ſupernaturalem; naturalem quidem illi arbori, quæ fuit a Deo cum hac virtute producta; ſupernaturalem vero aliis arboribus, quæ neque illam, neque ſimilem virtutem habebant; naturalem etiam, quatenus ſine miraculo exercebatur, & effectus ejus obtinebatur; ſupernaturalem vero, quatenus virtus illa a planta illa non exigebatur, ſed a Deo ſupernaturaliter fuerat ei data; naturalem tandem, prout virtus illa continebatur in fructu arboris; ſupernaturalem vero, prout fructus arboris non habebat ab arbore virtutem illam, ſed a Deo, qui eam arbori dederat.

Et ita, ut remur, contrariæ opiniones conciliantur. Et præcipue S. Thomæ, qui ab unaquaque ex illis pro ſe affertur, mens aſſequitur, & aperitur. Eſtius enim, qui ſtat pro opinione virtutis naturalis, affert S. Doctorem 1.p. q. 97. ar. ult., & Natalis Alexander qui ſtat pro opinione virtutis ſupernaturalis, profert eundem 1. p. q. 97. ar. 4.: unde videtur, Angelicum

licum vel ſibi pugnare, vel diſcordantia docuiſſe; quod non eſt dicendum. Attamen conſiderentur S. Thomæ verba, & videbitur, quod uno modo ſtat pro una opinione, alio modo ſtat pro altera; & rem, ut nos explicavimus, explanat. Ait enim cit. loc. in corp. *Dicendum; quod lignum vita quodammodo immortalitatem cauſabat, non autem ſimpliciter. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quod duo remedia ad conſervationem vita habebat homo in primo ſtatu contra ſuos defectus. Primus enim defectus eſt deperditio humidi per actionem caloris naturalis, qui eſt animæ inſtrumentum; & contra hunc defectum ſubveniebatur homini per eſum aliorum lignorum paradiſi, ſicut & nunc ſubvenitur nobis per cibos, quos ſumimus. Secundus autem defectus eſt per illud, quod generatur ex aliquo extraneo; adjunctum ei, quod prius erat humido praexiſtenti, imminuit virtutem activam ſpeciei. Sicut aqua adjuncta vino primo quidem convertitur in ſaporem vini; ſed ſecundum quod magis, vel minus additur, diminuit vini fortitudinem: Et tandem vinum fit aquoſum. Sic igitur videmus, quod in principio virtus activa ſpeciei eſt adeo fortis, qua poteſt convertere non ſolum quod ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam quod ſufficit ad augmentum. Poſtmodum vero quando aggeneratur non ſufficit ad augmentum, ſed ſolum ad reſtaurationem deperditi. Tandem vero in ſtatu ſenectutis nec ad hoc ſufficit; unde ſequitur decrementum, & finaliter diſſolutio corporis. Et contra hunc defectum ſubveniebatur homini per lignum vita. Habebat enim virtutem fortificandi virtutem ſpeciei contra debilitatem provenientem ex admixtione extranei.*

Ex quibus verbis habemus, quod fructus arboris vitæ erat homini uti medicina, qua ſenectutis infirmitates evitabantur, quod etiam dicit S. Thomas, & Auguſtinus; fructus vero aliorum arborum erant homini ut alimentum. Medicina illa reſpectu aliarum arborum erat ſupernaturalis; reſpectu illius arboris, cui Deus talem dederat virtutem, erat naturalis. Et ſic intelligimus concluſionem Angelici Doctoris, dicentis, lignum vitæ quodammodo cauſare immortalitatem, non autem ſimpliciter. Quanvis S. Thomas intelligat, quod non cauſaſset pro omni tempore, vel quia poſt aliquod tempus debebat homo iterum de eo ſumere, vel quia ad paradiſum transferebatur. Noſtro autem modo ipſum etiam explicare, & illius verba noſtræ explicationi adaptare, nemo nobis prohibebit; quum præcipue inveniat, mentem ejus non eſſe nobis oppoſitam; ut poſſit nobis jure contendi, verbis ejuſdem uti; quod ſane cavendum eſt maxime, ne vel controverſiæ fiant in verbis, vel ne verba in alienum, immo aliquando in contrarium etiam ſenſum detorqueantur.

DISSERTATIO CLVIII.

De primi Hominis creatione; an fuerit Adam primus Homo a Deo creatus, an vero fuerint Homines Præadamitæ? De ſtatu Gratiæ, in quo fuit Adam creatus; & de Beatitudinis dono, quo idem in ſui creatione fuit a Deo exornatus.

ANtequam deveniamus ad quæſtionem decidendam, ſeu potius ad fabulam confutandam, de Hominibus Præadamitis, aliqua de Hominis creatione dicenda ſunt. I. Hominis præſtantiam ſupra res cæteras ex ejuſdem creationis modo dignoſcimus. Cætera enim omnia ſimplici Dei juſſu facta ſunt; *fiat lux, fiat firmamentum, germinet terra, producant aquæ &c. Dixit* enim, ut ait Pſalmiſta pſal. 148., *& facta ſunt; mandavit, & creata ſunt*. In hominis vero creatione non dictum eſt: fiat homo; nec; germinet terra hominem, producant aquæ hominem: ſed potius, quaſi deliberans Deus, & conſulens de illius creatione, dixit: *Faciamus hominem*; quæ enim ſunt magna, deliberatione fiunt; quæ digniora, conſilio; quæ excelſiora, & difficiliora,

Digitized by Google

ta, roboris virtute, atque præſtantiæ. Sentiunt hoc ipſum Tertullianus lib. 2. cont. Marcionem; Baſilius hom. 10. in Hexameron; Gregorius magnus lib. 9. moral. c. 27., Rupertus in exordio lib. 2. ſup. Geneſ. II. Hominis quoque dignitatem commendamus in eo, quod poſt alias creaturas ultimo loco ſit creatus, tanquam finis, ad quem cætera a Deo ordinata ſunt. Utuntur ad hoc explicandum comparatione Principis, Sponſi, & Hoſpitis, introducti in præparatum ſibi palatium, in ſibi adornatum thalamum, in appoſitum ſibi convivium, Baſilius hom. 10. Hexameron; Nyſſenus lib. 1. de creatione hominis c. 2. & 3., Chryſoſtomus hom. 8. in Gen., Ambroſius ep. 38. ad Horuntianum. III. Hominis excellentiam invenimus in eo, quod ipſi dominium in cæteras creaturas & inanimes, & animatas, ac ſenſu præditas fuerit a Deo tributum; immo etiam aliquo modo in cœleſtes creaturas; quum dicatur Deut. 4. *Aſtra cœli facta ſunt in miniſterium cunctis gentibus*. Quod fuit peculiariter obſervatum a S. Bernardo ſer. 14. in Pſal. 90. IV. Hominis majeſtatem habemus in eo, quo dicatur factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Philoſophi Gentiles vocarunt hominem μικρόκοσμον, hoc eſt parvum mundum; rectius Moyſes, quando dixit illum factum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, vocavit μικρόθεον, ſcilicet parvum Deum. Quod habetur pſal. 8. Ubi enim dicitur: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*; in Hebræo habetur ſecundum Hieronymi verſionem: *Minues eum paulo minus a Deo*; ideſt, ut explicat Eſtius: *feciſti eum paulo minorem Deo, & quaſi parvum Deum*.

Has Hominis prærogativas ſecundum ſe totum conſequuntur aliæ ſecundum partes ejus. Et loquentes de corpore I. corpus hominis fuit factum erectum, non pronum, ut ſunt illa cæterorum animalium; quia cætera terram reſpiciunt, homo ad cœlum tendit. II. magna eſt inter humani corporis partes congruentia, & ea quidem, quæ non minus hominis reſpicit utilitatem, quam venuſtatem, & decorem. III. Etiam in partibus, quæ in humano corpore non apparent, magna eſt proportio, ut qui eam contemplatur maxime delectetur. IV. Partes ſunt quoque in corpore humano, quæ inſerviunt uſui, & ſunt partes, quæ inſerviunt decori. Fuit autem homo ex limo formatus, ut immortalitatem ſuam, ſi non peccaſſet, non naturæ, ſed gratiæ, tribueret. Ut enim inquit Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad lit., contra Manichæos diſputans, c. 7. *Quid mirum, aut difficile Deo, etiamſi de limo iſtius terræ hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere, quod corruptioni non ſubjaceret, ſi homo præceptum Dei cuſtodiens peccare noluiſſet?* Loquentes vero de Anima hominis I. anima non ex aliquo præſuppoſito facta eſt, ſed ex nihilo, adeoque creata; & hoc, ut poſtmodum redeat, non ad terram, ex qua ſumpta non eſt, ſed ad Deum, a quo fuit creata. Ita Auguſtinus lib. 7. de Gen. ad lit. c. 18. *Hoc teſtimonio ſane ſatis admonemur, ex nihilo Deum feciſſe animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, ſicut corpus ex terra: & ideo cum redit, non habet quo redeat, niſi ad authorem, qui dedit eam, non ad eam creaturam, ex qua facta, ſicut corpus ad terram*. II. anima per ſynecdochen dicitur totus homo, quando dicit Scriptura Gen. 2. 7. *Et factus eſt homo in animam viventem*; & hoc, ut oſtendatur hominem ſecundum animam non ſecundum corpus, debere vivere. III. dicitur anima *ſpiraculum vitæ*, quia anima in homine eſt vitæ principium, & origo. IV. neque corpus hominis factum fuit ante animam, neque anima ante corpus, ſed ſimul utrumque fuit factum; ideſt homo ex utroque conſtans; quod docuit Auguſtinus lib. de Gen. cont. Manichæos c. 8., & S. Thomas 1. p. q. 91. ar. 4. Unde animæ non extiterunt ante corpora, nec in corpora immittuntur tanquam in carceres; quod ſomniarunt Platonici, & cum illis Origenes, Priſcillianus, & problematice etiam Ruffinus.

Prima autem mulier, ſeu Eva, poſt primum hominem facta, ex ejus coſta formata fuit, & Adæ data eſt in adjutorium, hoc eſt ad filiorum procreationem. Ut enim ait Auguſtinus lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7. *Non video ad quod aliud adjutorium mulier facta ſit viro, ſi generandi cauſa ſubtrahatur*. Ambo fuerunt extra paradiſum formati; quanvis ſint qui velint Evam in paradiſo formatam; & deinde in paradiſo a Deo poſiti, ut operarentur, ſubdit Auguſtinus lib. 8. de Gen. ad lit. c. 10. *per agriculturam non laborioſam, ſed delicioſam*. Et inſuper ut cuſtodirent illum; hoc eſt, addit idem S. Doctor; *ipſi ſibi, ne aliquid admitterent, quare inde mererentur expelli*.

Præda-

Præadamitarum modo fabulam expugnandam ſuſcipimus. Iſaacus Peyrerius, nativitate Gallus, religione Calvinianus, auctorem ſe prodit ſyſtematis præadamitici, in Epiſtola, quam ſcripſit ad Philotimum, & in Deprecatione ad Alexandrum VII. Pont. Rom. ſuper libro edito, cui titulus erat: *Præ-Adamitæ &c.*, ſicut in epiſtola dicit, ſe rationes exponere, propter quas ejuraverat Sectam Calvini, quam profitebatur, & librum de Præ-Adamitis, quem ediderat. Epiſtola prodiit Romæ ann. 1657., & pariter Deprecatio. Teſtatur ille idem ad fabulam concinnandam ſe fuiſſe motum, quia in Superſtitione ſua cuique liberum erat monſtra conflare, quanvis Patribus, & Eccleſiæ definitionibus contraria, dummodo Scripturarum juxta proprium ſenſum intellectarum ſuffragium haberet, & rationum momenta inveniret, quibus fabulæ inniterentur. Cogitavit itaque, ante Adamum fuiſſe homines, qui omnes erant ex Gentibus; Adamum vero, quem commemorat Moyſes, fuiſſe primum hominem Judæorum, non vero totius generis humani. Evulgatum eſt opus Amſtelodami, ipſo neſciente, ut dicit; & quum Flandriæ eſſet ſervitio Principis Condæi mancipatus, catholicæ Religionis Miniſtri eum deprehenderunt, & carceribus manciparunt. Melior autem factus ad Alexandrum VII. confugit, & palynodiam canere non erubuit; immo Calvinianam Sectam ejuravit, & Catholicum ſe præſtitit. Plerique Anonymum eum vocant, ut Petididier, Natalis Alexander &c. quia nomen ſuum libro Amſtelodami evulgato non fuerat præfixum. Attamen deinde ipſemet ſe manifeſtavit, quando in epiſtola, & deprecatione prædictis ſanior factus inſaniam confeſſus, & deteſtatus eſt. Quæ quidem ſic explicata, & Auctori ſuo reſtituta

I. Impugnatur. Geneſ. 1. Moyſes hominis creationem enarrans, illum dicit fuiſſe primum hominem abſolute, abſque ad Judæos reſtrictione; nullam inſuper aliorum hominum antecedenter exiſtentium commemorationem facit; illum quoque primum hominem conſtituit univerſæ terræ dominum, & ex ejus ſemine totam terram implendam fore, aſſeveravit Deus. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creavit illum; maſculum, & feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam; & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Ex eodem Gen. c. 2. & ex 3. & ex aliis ſequentibus conſtat, hunc hominem fuiſſe Adam; præcipue vero ex c. 5. in quo dicitur: *Hic eſt liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum. Maſculum, & feminam creavit eos, & benedixit illis: Et vocavit nomen eorum Adam in die, quo creati ſunt.* Unde futilis redditur imaginatio Peyrerii dicentis, primum hominem a Deo creatum non fuiſſe Adam, qui fuit deinde creatus; quod clarius in argumentorum ſolutione videbitur.

II. Impugnatur. Gen. 2. 5. dicitur: *Et homo non erat, qui operaretur terram.* Cur homo non erat, ſi ipſe aſſerit, homines alios fuiſſe a Deo antecedenter creatos? Non operabantur terram homines illi, quos ipſe comminiſcitur? Vel tantum fuit Adæ, & poſterorum ejus munus terram operari, quum homines ante Adam creati abſque opere terræ fructibus veſcerentur? Quis non videt, quam ſint abſurda hæc, & fabuloſa?

III. Impugnatur. Dicit ipſe, fuiſſe Adam a Deo poſt diem ſeptimam creatum; at Moyſes aperte dicit, die ſeptima Deum ab omni opere ceſſaſſe, & requieviſſe: ergo poſt diem ſeptimam Adam non creavit: ergo Adam fuit ille idem, qui fuit ſexta die creatus.

IV. Impugnatur. Gen. 10. omnes gentes, dicitur, originem duxiſſe a Semo, Chamo, & Japheto, qui fuerunt Noë filii; ſed omnes iſti ab Adamo ortum ducebant: ergo omnes homines originem habent ab uno homine, qui fuit Adam. Unde Paulus Apoſtolus Actor. 17. in Areopago dicebat: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.* Nec dicat, verba illa *ex uno*, quæ habet Vulgata, in textu græco legi: ἐξ ἑνὸς αἵματος; hoc eſt ex uno ſanguine; quatenus omnes homines ex eadem terra, quam ſanguinis nomine intelligit, conſtabant. Etenim hoc non ſolum eſt contra omnium Patrum mentem, verum quoque eſſe ex uno ſanguine importat eſſe ex uno homine, hoc eſt ex unius hominis ſanguine. Gratis autem ipſe accipit pro ſanguine terram, quum magis ad proprietatem accedat accipere hominem.

V. Impugnatur. Si fuerunt homines a Deo creati ante Adam, cur ſolus Adam fuit a

Deo

Deo omnium animantium Dominus conſtitutus? Cur voluit Deus, ut a ſolo Adam nomen acciperent? Cur ad ſolum Adam fuerunt adducta, ut eidem obedirent, & ab eodem denominarentur? Alii homines ergo nulla habebant animalia pro uſu; omnia animalia ipſis erant anonyma; nullum dominium ſuper animalia exercebant? Devoret qui poterit hæc abſurda.

VI. Impugnatur. Homines Præadamitæ vel contraxerunt originale peccatum, vel non contraxerunt? Si contraxerunt: ergo non fuerunt ante Adam, ſed poſt ipſum; peccatum enim originale in Adam fuit actuale, & omnes qui contrahunt, ab Adamo originem ducunt. Si non contraxerunt: ergo non fuerunt morti obnoxii, nec tot ærumnis, quibus nos propter peccatum affligimur, vexati. Quæ reſpondet ad hanc rationem Peyrerius, in argumentorum etiam ſolutione confutabimus. Unde

Arguit I. Duæ habentur hominum creationes in Geneſis libro; una cap. 1. & illa eſt hominis creatio, a quo Gentiles originem ducunt; altera cap. 2., & illa eſt hominis, a quo nati ſunt Judæi, hoc eſt Adæ. Hujus progeniem, relicto illo primo, deſcribit Moyſes, quia quum Judæus eſſet, originem tantum, & poſteritatem Judæorum ſcribere intendebat. Hoc autem probat, quia impoſſibile ſibi videtur, ab Adamo uſque ad Evæ formationem tranſacta fuiſſe illa omnia, quæ cap. 2. narrantur, per dimidium unius diei. II. Homines Præadamitæ etſi cum Adamo non habuiſſent conjunctionem phyſicam, habuerunt tamen politicam, & myſticam; hæc ſufficit, ut eis imputetur peccatum a ſolo Adamo commiſſum. III. Duplex eſt mors, naturalis nimirum, & legalis; mors legalis fuit in pœnam data Adæ ob præcepti tranſgreſſionem; homines vero Præadamitæ habuerunt mortem naturalem, quanvis non habuerint legalem. IV. Ad Rom. 5. ſcribit Apoſtolus: *Uſque ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum Lex non eſſet. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri*. Nomine Legis intelligitur Lex data Adæ: ergo uſque ad Adam fuit peccatum, quum fuerit uſque ad Legem Adamo datam: ergo ante Adam fuit peccatum; ſed ſi fuit peccatum, fuerunt homines, qui peccaverunt: ergo fuerunt homines Præadamitæ; non fuit autem illis imputatum peccatum, quia non fuit illis data Lex, ſicut data fuit Adæ. Nec poſſunt verba illa de Lege Moſaica intelligi; quia aliter ſequeretur, non debuiſſe Adæ, nec aliis poſteris ejus, imputari peccatum, quia erant ante legem. V. In Scripturis Judæi vocantur filii Dei, Gentiles filii hominum, atque etiam aliquando Terrigenæ; ſed hoc non ex alio, quam quia Adam fuit a Deo creatus, alios vero homines ante Adam terra progenuit; unde Adæ poſteri, hoc eſt Judæi, dicuntur filii Dei; & poſteri Præadamitarum appellantur filii hominum, & filii terræ. VI. Geneſ. 4. v. 6. & 7. Deus hæc dixit Caino: *Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Ubi ait, in foribus idem eſſe ac in portis. In portis autem aderant Judices, qui judicia exercebant; quod etiam ex aliis Scripturæ locis conſtat; hi Judices non erant poſteri Adæ, quia præter Cainum, & Abelem nullum alium filium tum genuerat: ergo erant homines Præadamitæ. VII. Geneſ. 4. v. 14. dicebat Cain ad Dominum: *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*. Et Dominus dixit ad Cain: *Nequaquam ita fiet; ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum*. Hæc verba, ait, oſtendere, fuiſſe in mundo alios homines præter primos parentes, & Cainum; aliter fruſtra timuiſſet Cain, fruſtra Dominus ſignum in illo poſuiſſet. VIII. Joſephus Hebræus tradit, quod Cain profugus ad orientalem plagam Eden, habuit ſocios, cum quibus latrocinia exercebat: *Accitis undequaque latrociniorum, & nequitiæ ſociis; necnon magiſtrum illis ad facinoroſam vitam effectum*: ergo erant alii homines in mundo; ſed eſſe non poterant, niſi Præadamitæ: ergo &c. IX. Citato Geneſis loco num. 2. dicitur: *Fuit autem Abel Paſtor ovium, & Cain Agricola*; hæc autem exercitia fieri non poſſunt ſine ſociis, qui adjuvent, & ſine artibus, quæ ſubminiſtrent inſtrumenta, quæ ad eadem peragenda ſunt neceſſaria; ex Moyſis vero hiſtoria, prout a nobis intelligitur, non erant adhuc artes in mundo adinventæ, nec alii homines erant præ-

ter

ter duos fratres, illorumque parentes: ergo dicendum eſt, fuiſſe alios homines *Præadamitas*, qui artes exercebant, & ſocii Abelo, & Caino erant. X. Ibidem dicitur de Cain: *Et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui Enoch*. Si non erant aliæ civitates in terra, ad quid eam diſtinxiſſet Cain nomine illi proprio? Quibus autem fabris illam ædificavit? Quibus civibus implevit? Erant ergo alii homines præter illos, qui a Patre ſuo originem ducebant. XI. Si Deus mundi initio unicum tantum hominem condidiſset, jam terra ante hominum multiplicationem in deſertum, & ſolitudinem abiiſset; jam beſtiæ, quæ priuſquam homines fuiſsent multiplicatæ, eam reddidiſsent inhabitabilem; hoc autem non eſt dicendum: ergo &c. XII. Cain duxit fratrem ſuum, ut occideret extra omnium conſpectum: ergo erant homines, quorum metuebat aſpectum in fratricidio committendo. XIII. Fere omnes antiqui Philoſophi aut mundum fecerunt æternum, aut ejus originem omnino occultam voluerunt; ſed non abiiſsent Philoſophi in has ſententias, ſi ea tantum fuiſset mundi duratio, quæ ab Adamo fluxit: ergo mundus antiquior Adamo dicendus eſt. XIV. Multi Populi Gentiles longiorem ponunt ſuam Chronologiam Adami creatione; ut legimus de Chaldæis, de Ægyptiis, de Sinenſibus, aliiſque: ergo Adamum Populi illi præceſserunt. XV. Heſiodus, & Auſonius referunt juſtam hominum ætatem eſse annorum 96. Cornicum 864. Cervorum 3456. Corvorum 10366. Phœnicis 93312. Nympharum 933120. Non potuiſset autem hæc haberi numeratio, niſi prius fuiſsent homines, qui eam feciſsent: ergo ante Adamum fuerunt alii homines.

Reſpondemus ad I. cap. 2. Geneſis deſcribi creationem hominis ampliori modo, quo fuerat cap. 1. deſcripta, ſed ſemper ejuſdem hominis, & non alterius. Quod ex eo patet, quia eodem cap. 2. deſcribitur creatio etiam cœli, & terræ, & omnis virgulti agri; ſicut igitur non intelligitur creatio novi cœli, novæ terræ, & novorum virgultorum, ita nec eſt intelligenda creatio novi hominis. Neſcit autem Peyrerius infinitam Dei potentiam, quum eam velit tempore metiri; & quum omnia unico inſtanti creaverit, intendit ipſe pluribus opus habuiſse diebus, ut creationem hominis, & fœminæ perficeret. Satis parce de omnipotentia ſentit, qui eam hominum legibus in operando coarctat.

Ad II. dicitur, purum eſse commentum illud, quod aſserit de triplici illa communione, & conjunctione, phyſica, politica, & myſtica; quam ſine auctoritate fingit, & ſine ratione evulgat. Cæterum quomodo poterant cum Adamo conjungi homines, qui Adamum præcedebant? Nulla prorſus ex illis tribus unionibus cum eo poterant communicari, qui adhuc non erat in mundo. Imputatio autem peccati, vel meritorum, eſt commentum ſectæ Calvinianæ; quemadmodum ſola imitatione poſse peccatores dici, eſt monſtrum Pelagianæ ſectæ; quæ omnia paratus fuit amplecti homo, qui ſe oſtendit ad omnem inſaniam natum, niſi aliquando reſipuiſset.

Ad III. Iterum tertium argumentum ex Pelagianorum penu deſumptum eſt, Apoſtolo reclamante, qui docet, mortem in mundum ſubintraſse per peccatum, & peccati ſtipendium mortem fuiſse. Audiatur Auguſtinus lib. 1. de pecc. merit. & remiſs. c. 1. *Qui dicunt Adam ſic creatum, ut etiam ſine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, ſed neceſſitate naturæ, profecto illud, quod in lege dictum eſt, qua die ederitis morte moriemini, non ad mortem corporis, ſed ad mortem animæ, quæ in peccato eſt, referre conantur. Quia morte mortuos ſignificavit Dominus Infideles, de quibus ait: Sinite mortuos ſepelire mortuos. Quid ergo reſpondebunt, cum legitur, hoc Deum primo homini, etiam poſt peccatum, increpando & damnando dixiſſe: Terra es, & in terram ibis? Neque enim ſecundum animam, ſed quod manifeſtum eſt, ſecundum corpus terra erat, & morte ejuſdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim ſecundum corpus terra eſſet, & corpus, in quo creatus eſt, animale geſtaret, tamen ſi non peccaſſet, in corpus fuerat ſpirituale mutandus, & in illam incorruptionem, quæ fidelibus ac Sanctis promittitur, ſine mortis periculo, tranſiturus .... Proinde ſi non peccaſſet Adam, non erat exſpoliandus corpore, ſed ſuperveſtiendus immortalitate, & incorruptione, ut abſorberetur mortale a vita, ideſt, ab animali in ſpiritale tranſiret.*

Ad IV. Lex, de qua ſcribit Apoſtolus, eſt moſaica, non adamica; & hoc ex ipſiuſmet Apoſtoli verbis innoteſcit. Primo, quia Apoſtolus dicit, quod mors regnavit ab Adamo uſque ad Moyſen, etiam in iis, qui non peccaverunt; unde quum

clare nominet Moyſen, de moſaica lege intelligendus eſt. Secundo quia legem illam intellexit, per quam nemo potuit juſtificari; at hæc lex non alia eſt, quam moſaica per eundem Apoſtolum ſcribentem ad Romanos, ad Galatas, & ad Hebræos. Tertio quia dixit Apoſtolus, quod per Adamum intravit peccatum, & mors in mundum; hoc autem cum ſyſtemate præadamitico non cohæret, per quod ſi ſupponuntur alii homines ante Adamum, iſti debuerunt eſse impeccabiles, & immortales. Ad illud autem, quod dicitur de imputatione peccati, dicitur, quod verba illa; *Peccatum non imputabatur, cum non eſſet Lex*: non intelliguntur per oppoſitionem ad Legem moſaicam, vel adamicam, ſed in genere per oppoſitionem ad omnem legem; ſecundum quod idem Apoſtolus ad Romanos 4. ſcribit: *Ubi non eſt Lex, nec prævaricatio*. Ex quo Apoſtolus infert, quod ſi peccatum regnavit antequam lex moſaica eſset, alia lex fuit violata, propter cujus violationem originale peccatum fuit contractum. Sic reſpondet Petitdidier; fuſior autem eſt Natalis Alexandri reſponſio, ad quam remittuntur Legentes.

Ad V. occurrit quoque Petitdidier dicendo, quod diverſæ appellationes non arguunt diverſam originem, ſed prærogativas tantum diverſas. Cæterum populi illi, qui Judæis opponuntur, etiam ex locis ab Adverſario citatis, ſunt Chananæi, Philiſtæi, Idumæi, aut Ægyptii; quos ab Adamo oriundos, æque ac Judæos, Adverſarius ipſe fatebitur.

Ad VI. Peccatum eſſe in foribus non aliud ſignificat, quam imminere peccati pœnam; quemadmodum dicimus, quando aliquis eſt proxime acceſſurus, quod ſit ad januas. Hac loquendi phraſi utitur alibi etiam Scriptura; nimirum Marci 13. 29. *Sic & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote, quod in proximo ſit in oſtiis*; Jacob. ep. 5. 9. *Nolite ingemiſcere, Fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce Judex ante januam aſſiſtit*: Utuntur quoque profani Scriptores; Plutarchus enim ſcribit de febri proxime acceſſura; *febris eſt in foribus*. Reſponſio eſt Alexandri.

Ad VII. Cain ex Ambroſio lib. 2. de Cain & Abel c. 9. timebat parentes. *Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium poſſe committi. Potuerunt enim & parentes de filio diſcere, quod didicerunt poſteri de parente*. Timebat quoque Cain nepotes ſuos, qui multi tunc temporis erant, & ad orientalem plagam Eden habitabant. Etenim Cain occidit Abelem anno mundi 130., ut habetur ex Chronico alexandrino; & colligitur etiam ex Scriptura; nam Gen. 4. 25. dicitur, quod pro Abele occiſo datus eſt Adæ Seth; & Gen. 9. 3. habetur, quod Seth natus eſt ann. 130. Adæ; per centum autem, & triginta annorum ſpatium quis credet, Adamum, & Evam non generaſſe filios, & filias, & hos etiam alios, unde potuiſſent finitimæ regiones habitari? Non timebat ergo Cain alienigenas, ſed ſuos; non Præadamitas, ſed Adamitas homines metuebat.

Ad VIII. Si concedenda ſunt quæ narrat Joſephus, dicitur, ſocios illos, a Caino advocatos, fuiſſe de ſua familia; ipſe enim jam etiam filios, & filias genuerat per tot annos, quibus vixerat: unde iſti dicti ſunt filii hominum ad differentiam filiorum Seth, qui vocati ſunt filii Dei.

Ad IX. Dicitur de Eva, quod quolibet anno tergeminos partus effundebat; quod reſtatur Natalis Alexander. Hoc poſito, poterat Abel, & poterat etiam Cain, ex propria familia habere homines, qui eos adjuvarent. Inſtrumenta autem, quæ modo ſunt in uſu ad artes illas exercendas, tunc non erant; adeoque non eſt inquirendum, quis ea fabricaſſet. Adam ergo eos docuit artem, quam profitebantur, & ſui cuique poſteri adjumento erant in illa exercitio demandanda.

Ad X. ſufficientiſſima erat multitudo in poſteris Cain, ut civitatem conderent, & habitarent; & quamvis omnes a Moyſe non enumerentur, hoc nihilominus non officit; quia propoſitum Moyſis erat illos tantum enumerare, qui propagarunt ſemen Adæ uſque ad Abraham, & poſtmodum ex ejus ſemine ad populum Dei; quod diſerte docet S. Auguſtinus lib. 15. de civ. Dei c. 8.

Ad XI. jam eſt dictum fuiſſe ad ſufficientiam homines, ut terras colerent, in quibus vivebant, & in quas diffundebantur. Solitudo autem horrorem incutere non poterat, quia homines non habitabant in deſertis, ſed in habitatis locis. Nec beſtiæ poterant terras devaſtare, quia quemadmodum creſcebant beſtiæ, ita etiam multiplicabantur homines, a quibus occidebantur, vel arcebantur a campis ſuis; nec beſtiæ fuerunt in majori quantitate in genere, & ſpecie ſuis a principio creatæ a Deo, quam homines.

Ad

Ad XII. Erant quidem homines, & præcipue de progenie Abelis, quorum conſpectum timebat Cain; unde eum extra illos duxit, ut eum occideret. Non eſt igitur neceſſitas, ut per hoc ad præadamitas homines recurramus.

Ad XIII. Omnes veteres illi Philoſophi originem mundi ignorarunt; unde eum dixerunt æternum: Nil autem hoc favet Præadamitarum ſyſtemati. Nec pariter fabulam reddit credibilem, quod iidem Philoſophi incognitam ſibi mundi originem dixerint. Nullam moſaicæ hiſtoriæ cognitionem habuerunt; ac proinde divinando proceſſerunt.

Ad XIV. Vere Peyrerius fabulas Gentium adducit pro rationibus, ut fabulam ſuam jam collabentem aliquatenus firmare videatur. Chronologiæ enim illæ, quas affert, fabuloſæ ſunt, & non debent in medio poni, ut veritas per illas inveniri rationabiliter poſſit. Cæterum ſi anni illi fuerunt menſtrui, vel trimeſtres, vel bimeſtres, vel quadrimeſtres, quales erant in Ægypto, juxta Diodorum Siculum, Varronem apud Lactantium, Plinium, Proclum, Plutarchum &c. facile eſt, ut poſſint aliquæ epochæ cum Moyſis chronologia conciliari, ut præſtitit de Ægyptiis Capellus ad ann. mund. 1682.

Ad XV. Ineptiæ ſunt illæ, quæ in argumento congeruntur, indignæ quidem, ut proponantur, & pariter indignæ, ut ad eas reſpondeatur. Abutitur autem Peyrerius hominum fide, quum velit, ut deliriis ſupra deliria credant. Sibilis igitur ultimo argumento reſponſum detur; ut videatur ſomnia ſua, pluſquam ratiocinio, riſu eſſe excipienda, ac confutanda; auctoremque, niſi reſipuiſſet, magis ſcutica, quam calamo, refellendum, ac impugnandum.

De ſtatu gratiæ modo loquentes, in qua creati ſunt primi homines, quæritur, an creati fuerint in ſtatu gratiæ ſanctificantis? Negant plerique Theologi de ſchola, qui enumerantur ab Eſtio; nimirum Magiſter ſententiarum, Hugo de S. Victore, Rupertus Abbas, Alexander Alenſis, S. Bonaventura, Scotus, Richardus &c. Affirmant vero S. Thomas, Albertus magnus, Durandus, Gregorius Ariminenſis, aliique plures; cum quibus

Dicimus, primos homines in ſtatu gratiæ ſanctificantis fuiſſe a Deo creatos.

I. Probatur ex Scripturis. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Eccl. 7. *Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum*. Ecclic. 17. *Deus creavit de terra hominem, & ſecundum ſe veſtivit illum virtute*. Ad Epheſ. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*. Ad Coloſſ. 1. *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum*. Quæ quidem auctoritates fortius agunt accedente Sanctorum Patrum explicatione, quam mox in ipſorum teſtimoniis afferemus.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Arauſicanum II. can. 19. hæc habet: *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Quæ verba deſumpta ſunt ex Auguſtini epiſtola 106., vel ſecundum PP. Benedictinorum editionem 186. inter epiſtolas tertiæ claſſis; & ſcripta fuit circa medium anni 417. ad Paulinum ab Alypio, & Auguſtino; verba Concilii leguntur in modo dicta editione num. 17. c. 11. Concilium hoc convocaſſe Leonem Papam, ejuſque auctoritate habitum eſſe, tradit Eſtius; ſed in Scholio corrigitur, & dicitur, non a Leone I., ſed a Bonifacio II. fuiſſe adprobatum epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem. Subditur ex adnotatione Jacobi Sirmondi t. 1. Conciliorum antiquorum Galliæ, in Codice Foſſatenſi, & altero conſimili, qui extat in Bibliotheca S. Mariæ Laudunenſis, epiſtolam præfatam Synodo ipſi propter reverentiam Sedis Apoſtolicæ præponi, & epiſtolæ brevem de Synodi ejuſdem auctoritate præfixam eſſe adnotationem his verbis: *In hoc loco continetur Synodus Arauſica, quam per auctoritatem Sanctus Bonifacius Papa confirmavit; & ideo quicunque aliter de Gratia, & libero Arbitrio crediderit, quam vel illa auctoritas continet, vel in illa Synodo conſtitutum eſt, contrarium ſe Sedi Apoſtolicæ, & univerſæ per totum mundum Eccleſiæ, eſſe cognoſcat.* Ad quæ Auctor Scholii adjungit: *Vide antiquam, perpetuam, ac veluti ingenitam Eccleſiæ Gallicanæ erga Sanctam Sedem Apoſtolicam reverentiam, & de ejuſdem auctoritate fidem, ac perſuaſionem.*

III. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 3. cont. hæreſ. c. 20. inquit, *nos in Jeſu Chri-*

ſto recuperare; *quod in Adam perdidimus*. Et c.37. introducit Adam hæc dicentem: *Quoniam eam, quam habui a ſpiritu ſanctitatis ſtolam amiſi per inobedientiam*. Cyprianus ep. 74. Spiraculum vitæ, quod in faciem Adæ inſpiravit Deus, exponit de Gratia Spiritus Sancti, in animam primi hominis a Deo infuſa. Quod pariter exponit Methodius martir apud Epiphanium in hæreſi Origenis; item Baſilius in expoſit. pſalmi 48. At cæteris omiſſis Patribus adducimus Auguſtinum lib. 2. de Geneſ. ad lit. c. 31. de primis parentibus hæc ſcribentem: *Mox ut præceptum tranſgreſſi ſunt, intrinſecus Gratia deſerente, omnino nudati in ſua membra oculos conjecerunt*. Idem repetit eadem lib. 13. de civ. Dei c. 13. Et lib. de Correptione & Gratia c. 11. ait: *Quid ergo, Adam non habuit Dei gratiam? immo vere magnam, ſed diſparem*. Et infra: *Nec ipſum Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio*. Eadem docent Proſper, Leo magnus, Gregorius magnus &c.

IV. Probatur Rationibus. I. Primus homo fuit a Deo creatus rectus: ergo cum gratia habituali. Antecedens eſt certum ex S. Thoma 1. p. q. 95. ar. 1. ubi docet, fuiſſe ſummam rectitudinem primi ſtatus hominis. Conſequentia probatur. Rectitudo illa poſita eſt in eo, quod ratio erat ſubdita Deo, animæ erat ſubditum corpus, & rationi inferior portio ſubdebatur; ſed duæ ultimæ ſubjectiones non erant homini naturales, aliter eas per peccatum non amiſiſſet: ergo ſupernaturales: ergo per donum gratiæ ſupernaturalis. II. Deus creavit primum hominem ad finem ſupernaturalem: ergo creavit illum cum virtute conſequendi finem ſupernaturalem; ſed hæc virtus nequit eſſe, niſi gratia ſupernaturalis: ergo creavit illum cum gratia ſupernaturali ſanctificante. III. Si Adam permanſiſſet in ſtatu innocentiæ, filii ejus nati fuiſſent in juſtitia, & gratia; ſed Pater non debuit habere minora dona gratiæ in ſua creatione, quam filii in eorum generatione: ergo &c. IV. Primus homo creatus fuit in natura ſana ſalva incolumi ſine vitio, & ſine culpa; ſed ſic eſſe creatum eſt eſſe creatum in gratiæ ſanctificantis ſtatu: ergo &c. Major eſt Auguſtini dicentis ſer. 11. de verb. Apoſt. c. 2. *Creatus eſt primus homo in natura ſine culpa, in natura ſine vitio*. Minor eſt ejuſdem Auguſtini lib. 1. de peccatorum meritis c. 24. *A ſalute, & vita æterna hominem niſi peccata non ſeparant*. Conſequentia ſequitur. V. Adam fuit a Deo creatus cum perfecta charitate: ergo cum gratia ſanctificante. Conſequentia conſtat ex Auguſtino docente, charitatem eſſe bonam voluntatem; bona autem voluntas eſt rectitudo, in qua fuit ipſe creatus. Docet hoc Auguſtinus lib. de gratia Chriſti c. 1. *Quaſi vero aliud ſit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo*. Et lib. 4. de civ. Dei c. 11. *Fecit Deus, ſicut ſcriptum eſt, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ: non enim rectus eſſet, bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas opus eſt Dei*. VI. Adam creatus eſt vel ſapiens, vel ſtultus; non ſtultus, quia creatus eſt ſine vitio, ut diximus ex Auguſtino: ergo ſapiens; ſed ſapientia illa eſſe non poterat ſine charitate: ergo &c. Minor ſubſumpta eſt etiam Auguſtini lib. 2. de libero arbitrio c. 9., ubi docet, *ſapientiam eſſe veritatem, in qua cernitur, & tenetur ſummum bonum*; quod ſaltem intelligendum eſt imperfecte.

Objiciunt I. I. ad Cor. 25. dicitur: *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem*: Ex quibus conſtat, quod Adam in ſui creatione non habuit Spiritum Sanctum, ſed tantum animam viventem: *Sed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale*: Ex quibus liquet, quod Adam initio non fuit ſpiritalis, ſed animalis; *animalis* autem *homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus*; ut docet idem Apoſtolus I. Cor. 2. *Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis*: Ex quibus patet, quod Adam fuit terrenus, non cœleſtis, deditus ſcilicet terrenis, non cœleſtibus rebus. II. Auguſtinus lib. QQ. vet. teſt. q. 123. *Quid tam apertum, quam quod Adam non habuit Spiritum Sanctum?* Addens, illum nonniſi terrena, & ſenſibilia ſapuiſſe; & errare eos, qui dicunt, nos adoptionem filiorum Dei, quam perdidimus in Adam, in Chriſto recuperare. Idem Auguſtinus aſſerit, quod Adam tunc factus eſt homo ſpiritualis, quando a Deo poſitus eſt in paradiſo voluptatis: ergo non quando fuit creatus. Sunt ejus verba lib. 2. de Geneſ. contr. Manichæos c. 8. ad verba: *Inſufflavit in faciem ejus ſpiraculum vitæ: Nondum tamen ſpiritalem hominem debemus intelligere, qui factus eſt in animam viventem, ſed adhuc animalem*.

Tunc

Tunc enim ſpiritalis effectus eſt, cum in paradiſo, hoc eſt, in beata vita conſtitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei conſummaretur. III. Cyprianus epiſt.74. ad Pompejum inquit: Non per manus impoſitionem quis naſcitur, quando accipit Spiritum Sanctum, ſed in baptiſmo, ut Spiritum jam natus accipiat, ſicut in primo homine Adam factum eſt. Ante enim Deus eum plaſmavit, & tunc inſufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim poteſt accipi Spiritus, niſi prius fuerit, qui accipiat. IV. Hieronymus in epiſt. ad Philemonem inficiatur aperte, hominem ab initio conditum rectum, ac bonum. V. Angeli non fuerunt creati in ſtatu gratiæ ſanctificantis: ergo multo minus homines. VI. Si noſtra Concluſio eſſet vera, deberet eſſe de fide; ſed de fide non eſt: ergo non eſt vera.

Reſpondemus ad I. Verbis illis Apoſtolus fecit diſcrimen inter corpus hominis, quale creatum eſt ab initio, & quale eſt poſt reſurrectionem glorioſum; ut nunc eſt corpus Chriſti, & erit noſtrum, ſi Deus dignabitur. Et diſcrimen dicit eſſe, quod primum indiget cibo, potu, ſomno &c. ſicut indigent cætera animalia; ſecundum vero non indiget, quia ſpiritale, glorioſum, ut corpus Chriſti. Et ita explicat verba illa Auguſtinus lib.6. de Gen. ad lit. c. 1., & lib. 12. c.7., & ep. 146., alias 205., & lib. de Civ. Dei c.2. & 23., & in Enchirid. c. 91., & lib. 1. Retract.c.12.

Ad II. Liber QQ. veteris teſtamenti non eſt Auguſtini, ut omnes eruditi Critici fatentur; ſed eſt Hilarius Sardenſis, Luciferianæ Sectæ aſſecla, ut plures conjiciunt. Ad alium Auguſtini locum dicit Jueninus, quod verba illa, *nundum, tunc*, ſignificant tantum ordinem narrationis, non vero ordinem rerum geſtarum; hoc eſt, dicere intendit Auguſtinus, quod Scriptura prius narret hominis creationem, & deinde illius per gratiam ſanctificationem. Verum ad hæc, & alia conſimilia Auguſtini loca, quæ poſſent objici, reſpondetur, Auguſtinum illa omnia retractaſſe lib.1.Retract.c.10.12.& 14., & lib.2. c.4.

Ad III. Cyprianus ſignificat ordinem naturæ, non temporis. Cæterum illa Cypriani epiſtola, quæ fuit ſcripta contra epiſtolam Stephani, Rom.Pont., videant Theologi quam auctoritatem habere mereatur.

Ad IV. Hieronymus, ſi ex propria ſententia loquitur, nam de hoc valde dubitatur, intelligendus eſt de bono meritorio, quod eſſe nequit ſine libero arbitrio, de quo ipſe principaliter facit verbum; meritum enim, ut patet, ſine actu liberi arbitrii nullum eſt.

Ad V. negatur antecedens; contrarium enim nos ſuo loco probavimus; quod inibi Legentes invenient.

Ad VI. Cornelius Janſenius, Epiſcopus Yprenſis, lib. de gratia primi hominis c. 1. concedit ſequelam; ait anim: „ Exiſtimamus non poſſe in controverſiam rem iſtam revocari, ſed tanquam in Eccleſia definitam, & fide certam, debera ſupponi. „ At Eſtius, quem ſequitur Jueninus, aliique communiter docent, de fide non eſſe. Et ratio eſt, quia Eccleſia hoc non definivit expreſſe; eſt autem neceſſaria definitio Eccleſiæ expreſſa, ut ſit de fide. Ulterius; quia Scotiſtæ, qui docent, in primis parentibus juſtitiam, & rectitudinem fluxiſſe a quodam naturalis integritatis dono; & Adamum, quando fuit in paradiſo poſitus, fuiſſe per gratiam ſanctificantem perfectum; non ſunt ab Eccleſia proſcripti. Rurſus; qui Tridentinum Seſſ.5. dum dicit, fuiſſe primum hominem in ſanctitate, & juſtitia conſtitutum, non dicit creatum, ſed conſtitutum; etenim etiam primus homo fuit in paradiſo conſtitutus, ſed non creatus. Et quanvis Janſenius dicat, pro *conſtitutum* intelligi *conditum*; hoc tamen non eſt de fide, ut ſic debeat intelligi; unde nos dicimus, probabiliter pro nobis ſtare Tridentinum, ſed non expreſſe; quod ſufficit, ut non dicatur eſſe de fide. Igitur de fide eſt tantum, primos parentes habuiſſe gratiam ſanctificantem, antequam peccarent; ſed non eſt de fide, eam habuiſſe initio, quo fuerunt a Deo creati.

Denique de ſtatu beatitudinis loquimur, in quo pariter fuerunt primi parentes a Deo conditi. Et quidem beatitudo vel intelligitur perfecta, vel imperfecta; perfecta eſt Dei viſio intuitiva; imperfecta vero non includit viſionem Dei intuitivam, ſed abſtractivam, attamen importat ſummam quietem, maximam felicitatem, aliaque dona, præter intuitionem Dei, quam excepimus; ut diximus de beatitudine Angalorum. Unde

Dicimus, primos homines fuiſſe creatos a Deo non perfecta, ſed imperfecta beatitudine, beatos.

I.Pro-

I. Probatur. Beatitudo eſt in homine, ſaltem inchoata,& imperfecta, diligere bonam voluntatem, in qua conditus eſt; ut ait Auguſtinus lib. 1. de lib. arb. c. 13. *Hoc gaudium, quod hujuſmodi boni adeptione gignitur, etiam tranquille, & quiete, & conſtanter erigit animum, beata vita dicitur; niſi tu putes aliud eſſe beate vivere, niſi veris bonis, certiſque, gaudere;* ſed Adam ſtatim dilexit bonam voluntatem, in qua conditus eſt: ergo &c.

II. Probatur. Beatitudo ſaltem imperfecta eſt in homine, nullum adeſſe malum, quod timeatur, nullum abeſse bonum, quod deſideretur; ſed primi homines in paradiſo nullum habebant malum, quod timerent, nullum bonum, quod juſte deſiderarent: ergo &c. Minor eſt Auguſtini lib. 14. de civ. Dei c. 10. *Quid timere, vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo? Nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipiſceretur; nec inerat quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet.*

III. Probatur. Beatitudo, de qua loquimur, conſiſtit præcipue in pace, in immortalitate, in ſecuritate; ſed hæc omnia habuerunt primi homines: ergo &c. Minor etiam eſt Auguſtini lib. de corrept. & grat. c. 11. *Nulla rixa a ſe ipſo adverſus ſeipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur.* In eodem libro c. 10. *Hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miſerum fieri, in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto, & ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, profecto ſine ullo mortis, & infelicitatis experimento, acciperet illam merito hujuſmodi permanſionis, beatitudinis plenitudinem, qua & ſancti Angeli ſunt beati; id eſt, ut cadere non poſſet ulterius, & hoc certiſſime ſciret.*

Quod autem perfectam beatitudinem non habuerint, hoc eſt intuitivam Dei viſionem, probatur etiam I. quia intuitiva Dei viſio nequit ſtare cum peccato; ſed primi homines peccare potuerunt, & de facto peccarunt: ergo &c. II. quia primi parentes habuerunt fidem; ſed fides eſt incompoſſibilis cum intuitiva Dei viſione: ergo &c. III. quia primi homines non habuerunt ampliorem beatitudinem illa, quam habuerunt Angeli in via; ſed Angeli in via non habuerunt intuitivam Dei viſionem: ergo neque primi homines.

Opponunt I. Auguſtinus in pſal. 70. ſer. 7. docet, primos homines habuiſſe Dei viſionem: *Dicatur mihi, quid illi deerat in paradiſo conſtituto, in media opulentia, mediiſque deliciis, cui magna delicia erant ipſa viſio Dei, cujus faciem queſi inimici timuit poſt peccatum?* Sed viſio Dei eſt perfecta beatitudo: ergo primi homines habuerunt perfectam beatitudinem. II. Primi Parentes fuerunt tentationibus obnoxii; ſed hoc eſt contra beatitudinem adhuc imperfectam: ergo &c. Probatur minor. Omnis tentatio eſt perſequutio quædam ſaluti animæ intentata; ſed omnis perſequutio, & quæ præcipue animam turbat, pacem offendit, tranquillitatem, ſecuritatem, gaudium obnubilat: ergo beatitudini etiam imperfectæ adverſatur. III. Primi homines erant in periculo conſtituti, ut Deo diſplicere poſſent; ſed hoc ſolum ingenerare poteſt magnam mæſtitiam iis, qui diligunt Deum, adeoque illos in ſua beatitudine perturbare: ergo ſaltem per hoc non gaudebant illi beatitudine nec quidem imperfecta.

Reſpondemus ad I. Auguſtinus dixit, primos homines habuiſſe viſionem Dei, non vero habuiſſe intuitivam Dei viſionem. Perfecta beatitudo non eſt quæcumque Dei viſio, ſed ſolum intuitiva. Et quamvis dicat, quod faciem ejus videbant, dicit etiam, quod videbant faciem ejus quaſi inimici; hæc autem non eſt beatitudo, ut patet.

Ad II. Primi parentes non fuerunt tentati per tentationem internam, ſed tantummodo per externam; ſicut etiam per hanc fuit tentatus Chriſtus. Et quemadmodum in Chriſto externa tentatio non turbavit ejus perfectam beatitudinem; ita nec in illis eadem externa tentatio perturbare potuit beatitudinem illorum imperfectam. Quod primi homines fuerint tantum tentati tentatione exteriori, eſt doctrina S. Thomæ 2.2. q. 165. ar. 2. ad 2.

Ad III. Periculum nullum habuiſſent primi homines Deo diſplicendi, ſi ipſi noluiſſent. In ipſorum poteſtate erat non peccare, quia liberum habebant arbitrium. Vires & quidem maximas habebant reſiſtendi externis Diaboli perſequutionibus, quia majorem habebant gratiam ante peccatum, quam nos habemus. Unde periculum erat tantum ex ſeipſis; quod quidem vitare potuiſſent, ſi voluiſſent. Non erat ergo tale, ut ipſorum imperfectam beatitudinem perturbaret.

DIS-

DISSERTATIO CLIX.

De ſtatu Innocentiæ in Homine; ubi de dotibus ſpectantibus ad intellectum, ad voluntatem, & ad corpus, hominis innocentis: An Adamus, & Eva, ſi non peccaſſent, generaſſent cum libidine? Et quis in eo ſtatu modus generationis filiorum fuiſſet?

INnocentiæ ſtatus in primo homine dicitur tempus illud, quo idem innocentiam, in qua creatus fuit, ſervavit, & in peccatum ruendo eam non amiſit. In ſtatu illo plurimas a Deo conſequutus eſt prærogativas, quæ ad juſtitiam originalem conſequebantur; & quia juſtitiam originalem adeo perdidit, ut eam non amplius recuperaverit, prærogativas quoque illas nunquam conſequuturus amiſit. De his omnibus dotibus agere longum foret; de aliquibus quidem, quæ ad intellectum, ad voluntatem, & ad corpus, ſpectant, & quæ etiam virtutes appellantur, pertractabimus.

Primo homo in ſtatu innocentiæ ſcientiam habuit, a Deo ſibi infuſam, rerum illarum, quarum ſcientificam cognitionem potuiſſet procedente tempore ex ſe ipſo comparare. Hoc I. probatur; quia creatus eſt a Deo uti totius naturæ princeps: ergo totius pariter naturæ debuit occultas cauſſas cognoſcere, & abdita phænomena ſcire. II. quia omnibus rebus totius naturæ nomina impoſuit: ergo proprietates omnes rerum omnium aſſequutus eſt; aliter inconſulto nomina impoſuiſſet, quod quilibet alius, etiam ſcientiæ omnino expers, facere facile potuiſſet. III. quia caput fuit hominum omnium, quos regere, & gubernare, immo etiam docere, debuiſſet; ſi rudis autem fuiſſet, & ignarus, nullum ex his munus potuiſſet perfecte implere.

Secundo homo in ſtatu innocentiæ errare non potuit. I. probatur; quia non potuit errare in iis, in quibus fuerat a Deo edoctus; aliter Deus illum docuiſſet errorem; quod non eſt dicendum, quum Deus nec poſſit falli, nec fallere; quia eſt infinite ſapiens, & ſumme bonus. II. quia nec potuit errare in illis, quorum notitiam a Deo non acceperat; de illis enim, quum ſapientiſſimus in ſtatu illo eſſet homo, nec affirmabat, nec negabat, quia eas certo non cognoſcebat; adeoque non errabat. III. quia nec errare potuit occaſione a ſenſibus accepta; quum enim in ſtatu innocentiæ ratio eſſet Deo ſubjecta, eam ſenſus fallere non poterant. IV. quia nemo eum potuit decipere; non alius homo, quia non erat; non bonus Angelus, qui mentiri non poterat; non malus Angelus, quia illum ſciebat eſſe mendacem, & mendacii patrem. V. neque potuit errare in rebus ſpectantibus ad mores, ac pietatem; quia hoc fuiſſet maximum malum; at omne malum longe aberat ab homine in innocentiæ ſtatu: ergo &c. Patet minor; in eo enim ſtatu, ut diximus, homo erat beatus; incompatibile autem eſt cum beatitudine etiam imperfecta malum. Hæc omnia confirmantur ab Auguſtino, & referuntur a Juenino. Docet enim S. Doctor lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Approbare falſa pro veris, ut erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Eadem habet lib. 14. de civ. Dei c. 14.

Tertio homo in ſtatu innocentiæ non habuit in voluntate paſſiones, quæ reſpiciunt malum pœnæ, habuit tamen illas, quæ ordinantur ad bonum. Prima pars probatur. Timor, & dolor, ſunt paſſiones, quæ reſpiciunt malum pœnæ; ſed timor, & dolor non fuerunt in homine innocente: ergo in illo non fuerunt paſſiones, quæ reſpiciunt malum pœnæ. Minor eſt doctrina Auguſtini lib. 14. de civ. Dei c. 10. docentis: *Timor quidem non erat; quid enim timere poterant primi homines in tantorum affluentia bonorum, ubi*

nec

nec mors metuebatur, nec ulla mala veletudo? Nec dolor, quandoquidem nihil inerat, quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet . . . . Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum omnino aliunde malum, quod contriſtaret, irruebat. Secunda pars probatur etiam; quia Auguſtinus loco nuper citato docet, fuiſſe in homine innocente amorem, & gaudium, quæ ſunt paſſiones de bono præſente; erant pariter paſſiones de bono abſente, ſcilicet deſiderium, & ſpes, licet ſine animi ſolicitudine; deſiderabant enim, & ſperabant æternam beatitudinem, quam credebant; erant quidem paſsiones iſtæ in illis, ſed alio modo ab illo, quo ſunt in nobis, quum in nobis aliquando præveniant rationem, & uſum ejus perturbent, non ſic autem in illis, quia omnimode rationi parebant.

Quarto homo in ſtatu innocentiæ nullum habuit concupiſcentiæ motum. I. probatur; & quidem hic pro concupiſcentia non intelligimus illam, quæ fertur ad actum rationi conſentaneum; ſed illam, quæ eſt propenſio ad actum rationi contrarium; & ea eſt, de qua Apoſtolus loquebatur ad Gal. 5. 17. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum; ſpiritus autem adverſus carnem.* Hoc igitur eſt probandum, quod in Adamo non fuerit propenſio hæc ad actum rationi contrarium; & probatur. Adam in ſtatu innocentiæ nec habuit peccatum, nec bellum; ſed concupiſcentia ut eſt propenſio ad actum rationi contrarium neceſſario includit vel peccatum, vel bellum: ergo in homine innocente non fuit. Major eſt Auguſtini lib. 1. oper. imperfect. c. 7. *Si talis erat, qualis nunc eſt, vel illi reſiſtebatur per temperantiam, vel per intemperantiam cedebatur; ac ſic homo libidini aut peccanda ſervire cogebatur, aut bello intima repugnare, quorum alterum honeſtati, alterum paci felicitatis illius, ſi humanum ſenſum habetis, non convenire ſentitis.* II. Concupiſcentia prout eſt propenſio ad actum rationi contrarium fuit in primis parentibus primo exorta poſt peccatum: ergo non ante peccatum: ergo non in ſtatu innocentiæ. Probatur antecedens. Tunc primum fuit, quando erubuerunt; ſed erubuerunt poſt peccatum: ergo fuit poſt peccatum. Probatur major. Tunc erubuerunt, quando aliquod inordinatum in ſeipſis experti ſunt; ſed poſt peccatum inordinatum hoc experti ſunt: ergo poſt peccatum erubuerunt: Argumentum eſt Auguſtini lib. 5. cont. Julianum c. 2. *Ego vero non a pictore inanium figurarum, ſed a ſcriptore divinarum didici literarum, quia illi primi homines nudi erant, & non confundebantur. In quibus abſit ut tanta innocentia tam impudens eſſet; ſed nondum inerat, quod puderet. Peccaverunt.... & adhuc clamas: Nihil illic indecens, nudumque ſenſerunt? Hanc plane impudentiam tuam nimis incredibilem, abſit ut dicam, nullus te Apoſtolus, aut Propheta, ſed nec pictor docuit, nec poeta.* III. Nullum malum erat in primis hominibus in ſtatu innocentiæ, quia, ut probatum eſt, erant ſine culpa, & ſine vitio; ſed concupiſcentia eſt magnum malum, quanvis non ſit peccatum: ergo in illis in ſtatu illo non erat. Probatur minor. Concupiſcentia prout eſt propenſio ad actum rationi contrarium, non attendit rationis imperium, invita ratione exurgit, ratione imperante non ceſſat, non quieſcit, non ſedatur, movet ad malum, allicit, pertrahit: ergo eſt magnum malum, quanvis non ſit peccatum. IV. Concilium Tridentinum ſeſs. 5. can. 5. definivit, concupiſcentiam ex peccato eſse, & ad peccatum inclinare, verbis hiſce: *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod vere, & proprie in Renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* V. quia Auguſtinus articulum hunc, concupiſcentiam ſcilicet non fuiſse in homine in ſtatu innocentiæ, nomine totius Eccleſiæ contra Pelagianos declaravit, & propugnavit. Unde Jueninus aſserit, de fide catholica certum eſse, nullum in primis parentibus fuiſse concupiſcentiæ motum.

Quinto corpus hominis innocentis fuit a Deo immortalitate donatum. I. probatur. Mors intravit in mundum per peccatum: ergo ante peccatum non erat mors in mundo. Antecedens eſt Apoſtoli ad Rom. 5. ſcribentis: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Habetur etiam Gen. 2. *Quocunque die comederit ex eo, morte morieris.* Ad quæ verba Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. c. 16. *Quanvis annos multos poſtea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in ſenium veteraſcerent, acceperunt.* Habetur quoque ſapientiæ 2. *Deus mortem non fecit; invidia autem Diaboli mors intravit in*

mun-

Digitized by Google

mundum. II. Concilia docent; Cartaginenſe V. *Placuit omnibus Epiſcopis, qui fuerunt in hac Sancta Synodo, ut quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, itaut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.* Tridentium ſeſſ. 5. can. 1. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam ..... incurriſſe per offenſam prævaricationis hujuſmodi iram, atque indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat, anathema ſit.* Synodus Paleſtina damnavit ut hæreticam Pelagii propoſitionem, qua dicebatur; *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet.* De cujus Synodi definitione Auguſtinus lib. de geſtis Pelagii c. 3. ſcripſit: *Unde ſit conſequens, ut quiſquis ſequitur illius epiſcopalis authoritatem judicii, & ipſius Pelagii confeſſionem* (quam Pelagius ficte, & fraudulenter fecerat) *hæc tenere debeat, quæ ſemper tenuit Catholica Eccleſia: Adam niſi peccaſſet, non fuiſſet moriturus.* III. Patres nmnes, & Auguſtinus præſertim, argumentum deſumebant ad probandam contra Pelagianos peccati originalis exiſtentiam, ex morte, qua nunc homines moriuntur; hoc autem argumentum nihil probaſſet, ſi Adamus in ſtatu innocentiæ mortalis fuiſſet.

Sexto homo in ſtatu innocentiæ corpus habuit nulli miſeriæ obnoxium. I. probatur. Patres etiam utuntur argumento deducto ex miſeriis corporeis ad probandam peccati originalis exiſtentiam: ergo ſi non fuiſſet peccatum, homo nullis miſeriis fuiſſet ſubjectus: ergo ante peccatum non fuit. II. Quum Deus ſit ſumme juſtus, non facit, ut ſit miſer, qui non meretur; & præcipue homo in ſtatu innocentiæ, qui nullum peccatum patraverat. III. Homo in ſtatu innocentiæ ſumma pace, ac felicitate fruebatur, & ab eo longe aberat omne malum, & in eo aderat omne bonum, quod homini viatori conveniebat; ſed ſic non fuiſſet, ſi corpus habuiſſet miſeriis obnoxium: ergo &c. IV. Ex Auguſtino lib. 1. Retract. c. 11. *Ægritudinem ita nulla corpora* (intelligitur poſt reſurrectionem) *illa patientur, ſicut nec iſta pati poſſent ante mortem.* Et lib. 9. de Geneſ. ad lit. *Nondum erat labor, ut adjumento indigeret.* Et lib. 2. de Geneſ. cont. Manichæos c. 7. *Quid mirum, ſi corpus potuit ab omnipotente artifice tale fieri, ut nulla moleſtia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, & nulla corruptione tabeſceret.*

Opponunt I. contra omnia, & ſingula dicta. Serpens decepit Evam adhuc innocentem: ergo in ſtatu innocentiæ errare potuit. Antecedens ipſamet probat, fatendo Gen. 3. *Serpens decepit me, & comedi.* II. Adam ſperavit cum Deo æqualitatem manducando pomum debitum: ergo erravit quoque. III. Fuit in hominibus innocentibus quod eſt per ſe indifferens ad bonum, & malum; ſed concupiſcentia eſt propenſio ad bonum ſenſibile, & eſt indifferens ad bonum, & malum: ergo fuit in hominibus innocentibus. Probatur minor. Deſiderium cibi, potus, ſomni, & delectatio ex perceptione alicujus objecti jucundi, ſunt propenſiones ad bonum ſenſibile, & ſunt indifferentes ad bonum, & malum. IV. Si fuiſſet negatio concupiſcentiæ in primis hominibus innocentibus, fuiſſet propter gratiam ſanctificantem; ſed hæc poſt peccatum eſt etiam in hominibus, & tamen habent concupiſcentiam: ergo fuit etiam in primis hominibus innocentibus concupiſcentia. V. Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. c. 3. docuit, Adamum fuiſſe mortalem etiam ante peccatum. VI. Etiam corpus hominis innocentis erat compoſitum: ergo erat corruptibile; hoc eſt diſſolvi poterat in ea, ex quibus componebatur: ergo erat mortale. VI. Corpus hominis innocentis conſenuiſſet: ergo fuiſſet ſubjectum, & ſenectuti, quæ eſt morbus, & morti, a qua ſenectutis morbus eſt inſanabilis. VII. Chriſtus reparavit omne malum, quod nobis intulit Adam: ergo etiam debuit repellere a nobis mortem; non repulit: ergo mors non fuit malum per Adæ peccatum nobis illatum. VIII. Poterat Adam violenter occidi quacunque ex cauſſa, quæ eſſet extrinſecus; vel ſcilicet per lapidem, qui eum obrueret, vel per aquas, in quibus mergeretur, vel ex quocunque alio inopinato caſu, ac fortuito: ergo non fuiſſet immortalis. IX. Primi homines innocentes habuiſſent famen, ſitim, deſiderium ſomni, quietis &c.: ergo hæc etiam incommoda paſſi fuiſſent. X. Homo in ſtatu innocentiæ eguiſſet fructu arboris vitæ, ut vires repararet: ergo fuiſſet in eo fractio virium, quacumque ex cauſſa hæc ei proveniſſet. XI. Immortalitas homini innocenti vel fuiſſet naturalis, vel ſupernaturalis; non naturalis, quia eſt contra

Concilium Milevitanum can. 1. Concilium Arauſicanum II. can. 2., Auguſtinum, aliosque Patres: ſi ſupernaturalis, ſic etiam poteſt eſse homini peccatori: ergo non fuit hominis innocentis prærogativa. XII. Eſt ſententia Theologorum apud Eſtium, quod homo in ſtatu innocentiæ potuiſset peccare venialiter, & non amittere innocentiam; ſed peccata illa debuiſsent a Deo puniri ærumnis vitæ hujus: ergo etiam in ſtatu innocentiæ fuiſsent homines vitæ hujus miſeriis ſubjecti, ac ærumnis obnoxii.

Reſpondemus ad I. Evam non fuiſse deceptam a Serpente in ſtatu innocentiæ, ſed in ſtatu peccati; peccaverat enim ante deceptionem, non quidem peccato operis, ſed peccato cordis, hoc eſt internæ elationis. Teſtis eſt Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad lit. c. 3. aſserens, quod mulier verbo ſerpentis non crederet, niſi jam ineſset menti ejus amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio; ut Juenninus refert.

Ad II. Dicimus, Adam non fuiſſe ſeductum; quia, ut docet Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt*. Exemplum affertur Salomonis, qui coluit Idola ſine errore intellectus, at propter amorem mulierum; ſic Adam comedit de pomo vetito, ne contriſtaret Evam, non quod crederet vel ei, vel ſerpenti. Teſtatur etiam Auguſtinus lib. 14. de civ. Dei c. 2.

Ad III. Concupiſcentiam, ad quæcumque objecta feratur, etiamſi objecta ſenſibilia per ſe, & ratione ſpeciei ſint indifferentia, ſemper eſse malam; & hoc propter plures rationes: tum quia prævenit rationem; tum quia inclinat rationem ad objecta pec fruitionem, & non per uſum; tum etiam, quia movet ad finem voluptatem, quæ rationem non decet.

Ad IV. negationem concupiſcentiæ provenisse in primis parentibus ex juſtitia originali, quæ operabatur in ipſis ſubjectionem mentis ad Deum, & carnis ad ſpiritum. Juſtitia autem non eſt idem cum gratia ſanctificante; & hoc vel ex eo patet, quia omnes Theologi fatentur, primos homines fuiſse a Deo creatos cum juſtitia originali, non conveniunt autem de gratia habituali, & ſanctificante; ut in præterita Diſsertatione dictum eſt. Et nomine juſtitiæ originalis venit rectitudo, & ordo alicujus totius, & omnium ejus potentiarum, tam inter ſe, quam reſpectu ſuorum actuum; ut docet Eſtius. Igitur ſubjectio illa proveniebat a juſtitia originali, quæ non eſt in homine poſt lapſum, non vero a gratia ſanctificante, quæ poteſt eſse in homine quolibet poſt peccatum. Unde ſcribebat Auguſtinus lib. de nuptiis, & concupiſcentia c. 6. *Injuſtum erat, ut obtemperaretur a ſervo ſuo, idest a corpore ſuo, ei, qui non obtemperaverat Domino ſuo*.

Ad V. corpus hominis innocentis non habebat immortalitatem ex natura ſua, hoc eſt ex propria ſua compoſitione, ſed ex ſpeciali gratia Dei, qui conſervabat illud in debita temperie, ut non corrumperetur. Igitur immortalitas erat ipſi extrinſeca, non autem intrinſeca; quia quod genitum eſt, corruptibile etiam eſt; quod eſt compoſitum, eſt reſolvibile in ea, ex quibus eſt compoſitum.

Ad VI. In remedium ſenectutis Deus dedit Adamo cibum arboris vitæ, qui quidem cibus diſtinctus erat ab illo, quod ad ſuſtentationem utebatur. Potuiſset quidem ſeneſcere ex propria natura, ut dictum eſt de morte; ſed ex ſpeciali Dei gratia non ſeneſcebat. Fructus enim arboris vitæ conſervabat vires illius in juventutis temperie, ac integritate. Audiatur pariter Auguſtinus lib. 4. contra Julianum c. 14. *Habebat ex hoc victu ſuſtentaculum congruum, licet modo quodam immortali, tamen animali corpori neceſſarium, ne indigentia laderetur; de ligno autem vitæ, ne ſenectute perduceretur ad mortem*. Et lib. 1. de peccat. merit. *Habebat, quantum exiſtimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem*.

Ad VII. Chriſtus reparavit mortem pec reſurrectionem, quam habebimus ex Chriſti meritis; quia per reſurrectionem conſequemur vitam, quæ amplius non erit obnoxia morti. Ad argumentum hoc, quod erat Pelagianorum, reſpondebat ſic Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. c. 30. *Cur non potius hoc attendunt, quod Apoſtolus ſine ambiguitate locutus eſt: Quia per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum? Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur: neque enim aliunde, quam de corporis reſurrectione dicebat..... Quomodo ergo plus nocuit ille peccando, quam iſte profuit redimendo, cum per illius peccatum temporaliter moriamur, per iſtius autem redemptionem non ad temporalem vitam, ſed ad perpetuam reſurgamus?* Et c. 31. *Poterat autem Deus etiam hoc donare*

cre-

credentibus; ut nec iſtius experirentur corporis mortem: ſed ſi hoc feciſſet, carni quadam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo .... Quid enim magnum erat videndo non mori eos, qui crederent, credere ſe non moriturum?

Ad VIII. Deus ex ſpeciali, quam habebat, providentia pro humani corporis innocentis conſervatione, omnia illa fortuita accidentia, quibus poterat illi mors inferri, impediviſſet; unde homo innocens nec a lapidibus, nec a lignis, nec ab aquis, nec ab aliis rebus, mortem ſuſtinuiſſet.

Ad IX. Cibus & potus non fuerunt dati hominibus innocentibus, ut ſe liberarent a fame, & ſiti; ſed ut illis uterentur tamquam remedio, quod habebant, ut mala illa vitarent. Unde Auguſtinus lib. 3. de civ. Dei c. 20. *Alebantur ergo aliis, quæ ſumebant, ne animalia corpora moleſtiæ aliquid eſuriendo, ac ſitiendo ſentirent.* Inordinata autem fuiſſet voluntas ipſorum, ſi cibo, & potu uti noluiſſent; quod non eſt dicendum de homine recto, & ſine vitio creato. Subdit Eſtius, quod per famem, & ſitim in hominibus innocentibus non debeat intelligi appetitus cibi, & potus ad reſtaurandum vires deperditas; ſic enim in illis non fuerunt: nec appetitus immoderatus, & inordinatus, qui nec pariter fuit; ſed generaliter naturalis appetitus edendi, & bibendi; & ita fuiſſet quidem in illis, ſed cum ſumma tranquillitate, & abſque moleſtia, non ad reparandum defectum naturæ, ſed ad occurrendum illi, ut dictum eſt. Quod autem dicunt Baſilius hom. 2. de jejunio, & Ambroſius lib. de Elia, & jejunio, primos parentes in paradiſo jejunaſſe, intelligendum eſt, quod adhuc nullam habebant indigentiam, vel deſiderium, ad ſumendum cibum; vel dici etiam poteſt, quod jejunaverunt, hoc eſt ſe abſtinuerunt a cibo vetito per id temporis, quod eos ſerpens non fuerat alloquutus. Cæterum Auguſtinus lib. 1. cont. Adverſarium Legis, & Prophætarum c. 15. putat, homines primos innocentes comediſſe de ligno vitæ, antequam peccarent. Ad ſomnum modo dicimus, contra Alexandrum de Ales, qui 2. p.q. 89. memb. 3. putavit, hominem in primo ſtatu ſomno non indiguiſſe, nec aliquando dormiviſſe, ſomnum in ſtatu illo fuiſſe, & neceſſarium fuiſſe; quæ eſt ſententia S. Thomæ, & aliorum apud Eſtium citatum. Et ideo fuiſſe, ut præveniret corporis defectum, ne eveniret; præveniret ſcilicet omnem languorem, & ſenſuum fatigationem. Subdit S. Thomas, ipſum dormire per ſe non removere hominem a naturali diſpoſitione, ſed potius ad bonum naturæ ordinari; unde ſenſuum oppreſſio a ſomno dici non debeat pœna, ſed quædam ſenſuum vacatio naturalis. Nec repugnare ſomno continuam, & nunquam intermiſſam mentis contemplationem, quum tantum ſit in illo quies animalium virtutum, ut dicit Eſtius. Verum & Gen. 2. 21. dicitur de Adamo: *Cumque adormiſſet*; & Cant. 5. 2. habetur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Ad X. Fructus arboris vitæ non erat, ut repararet fractas, vel deperditas vires, ſed ut impediret, ne perderentur, vel frangerentur; ut dictum eſt ſæpius. Unde ſubdit ex Auguſtino lib. 1. de peccatorum meritis c. 3., lib. 8. de Gen. ad lit. c. Eſtius, „lignum vitæ daturum fuiſſe ſtabilitatem contra vetuſtatem: Non enim unica ejus ſumptione ſtabilem, ideſt perpetuam ſanitatem homo conſecuturus erat, ſed ad vigorem plenæ ætatis conſervandum ſubinde ac ſæpius ei opus fuiſſet eſu ligni vitæ.„

Ad XI. Immortalitas homini innocenti ſecundum aliquam rationem erat naturalis, ſecundum aliam erat ſupra naturam; quemadmodum mors homini lapſo in uno reſpectu eſt naturalis, in alio eſt contra naturam. Si enim pro naturale intelligitur quod ineſt a prima inſtitutione naturæ, ut intelligit Cyrillus lib. 3. cont. Julianum, immortalitas erat naturalis primo homini, & mors tam integro, quam lapſo, contra naturam; & hoc patet, quia, ut ait Eſtius, homo initio inſtitutus eſt immortalis, hoc eſt liber a moriendi neceſſitate. Si vero pro naturale accipitur, quod non habetur ex vi naturæ, ſed ex vi gratiæ, immortalitas erat ſupernaturalis homini innocenti, & mors eſt naturalis cuicunque homini, præſertim lapſo: Immortalitas erat in homine innocente, & ratione optimæ corporis humani temperiei, tanquam ex cauſſa interna; & ratione fructus ligni vitæ, tanquam ex cauſſa externa; & ratione juſtitiæ originalis, a qua dependebat illa corporis conſtitutio, & per conſequens etiam immortalitas. Illa autem juſtitia erat ſupernaturalis, & non poteſt in homine lapſo habere locum; unde non mirum, ſi in homine lapſo quum non ſit illa corporis conſtitutio, illa ar-

botis vitæ commeſtio, illa originalis juſtitiæ participatio, non ſit immortalitas.

Ad XII. dicimus, quod omnes Theologi excludunt ab homine in ſtatu innocentiæ peccatum veniale, quod vel ex paſſione, vel ex ſubreptione, committitur. Ratio eſt, quia in illo ſtatu ſenſus erat perfecte ſubjectus rationi, unde nec poterat ejus imperium pervertere, nec illi reſiſtere. Et ipſamet ratio ita erat ordinata, ut non poterat exire in actum, qui fuiſſet plene deliberatus. Ex illo naſcitur, quod non poterat committere peccatum veniale ex malitia; ex hoc autem, quod non poterat illud facere ex ſubreptione. Eſt autem peccatum veniale, quod eſt tale ob imperfectionem actus, vel ob levitatem materiæ, quanvis plena deliberatione committatur; uti eſt riſus immoderatus, verbum ocioſum, mendacium jocoſum, vel officioſum &c. Hoc peccatum affirmant aliqui Theologi potuiſſe ab homine innocente committi; & ſunt Scotus, Altiſiodorenſis, Maironis, aliique pauci. At pro negativa ſunt S. Thomas, Alenſis, S. Bonaventura, Albertus, Ægydius, Durandus, Richardus, & alii communiter, ut dicit S. Bonaventura. Nobis placet hæc ultima, ac communior ſententia; ac proinde argumentum nihil continet contra nos. Videatur Eſtius in II. diſt. 21. §. 7.

Antequam deveniamus ad ſtabiliendum quod propoſuimus in Diſſertatiunis titulo; ſcilicet, an Adamus, & Eva, ſi non peccaſſent, generaſſent cum libidine; ſcire prius oportet, ante peccatum fuiſſe nuptias inter Adamum, & Evam. Hoc ex Scriptura clare patet Gen. 2. 24. verbis illis: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una*. Hæc autem, quæ aperte indicant connubium inter primos parentes, immo per illa prima matrimonii inſtitutio dicitur facta, ante illorum peccatum dicta fuerunt. Poſt hæc S. Auguſtinus lib. 14. de civ. Dei c. 22. tribus rationibus probat, & fuiſſe nuptias in primo ſtatu, & fuiſſe inter conjuges copulam carnalem, etiamſi non peccaſſent. Primo, quia viro fuit datum adjutorium, non vir, ſed fœmina, & non ob alium finem, quam ad prolis generationem. Secundo, quia Deus primam illam inſtitutionem nuptiarum ſua benedictione confirmavit; unde dixit eis Gen. 1. 28. *Creſcite, & multiplicamini*. Tertio, quia non ſolum fuerunt nuptiæ in paradiſo, ſed futurus etiam fuiſſet coitus, niſi præceſſiſſet peccatum; quod Auguſtinus docet.

Dicimus, Adamum, & Evam, ſi non peccaſſent, non generaſſe cum libidine.

I. Probatur. In ſtatu innocentiæ non erat in primis hominibus libido, nec futura fuiſſet, ſi in innocentiæ ſtatu perſeveraſſent; ſed ſi non peccaſſent, generaſſent etiam in innocentiæ ſtatu perſeverantes: ergo ſine libidine generaſſent. Major conſtat ex dictis in præcedenti Diſſertatione; & continet propoſitionem, quæ pertinet ad fidem, & quam Auguſtinus invicte contra Pelagianos propugnavit. Verum ulterius a nobis probatur, quum ab hac tota aſſertio noſtra dependeat; minor enim argumenti propoſiti non negatur, & conſequentia ſequitur.

II. Probatur. In illis eſt libido, quos pudet ad ejus motum; ſed ante peccatum non puduit primos parentes: ergo ante peccatum non fuit in illis libido. Probatur minor. Tunc illos puduit, quando cognoverunt, ſe eſſe nudos; ſed poſt peccatum cognoverunt, ſe eſſe nudos, & eos puduit nuditatis: ergo poſt peccatum puduit: ergo non ante peccatum. Auguſtinus lib. 5. operis imperfecti c. 16. ſic introducit Deum prævaricantes homines alloquentem: *Non tibi nuntiata eſſet nuditas tua, niſi eſſet prævaricata lex mea*. Et poſt hæc: *Quid eſt autem nuditas nuntiata cui procul dubio ignota non erat, niſi eo motu ſtimulante, & uſitato aſpectu ſe urgeret adverti, pudoremque incuteret, quoniam peccato factum erat, & hominis pars inferior contra ſuperiorem, hoc eſt caro contra ſpiritum concupiſceret? Sed tu*, ſic modo Juliano dicit, *contra omnia claudis oculos, & ita aſſeris fuiſſe inſtitutum hominem, ut etiam ſi non peccaſſet, puderet eum nuditatis ſuæ*.

III. Probatur. Libido per ſe ipſam eſt malum, & quidem magnum; ſed homo in ſtatu innocentiæ fuit ſine malo: ergo genuiſſet ſine libidine. Probatur major. Libido fertur ad illicita, & ſine diſcrimine fertur; & ſi quis ei conſenſum præbet, peccatum facit; proinde in nullo caſu licet ei conſentire, nec etiam in materia quantumvis levi, nec quoque in ipſo actu conjugii: ergo per ſe ipſam eſt malum, & quidem magnum. Minor conſtat; Deus enim, ut dictum eſt, fecit hominem rectum, ſine vitio, & ſine culpa.

IV. Probatur. Culpa præcedit pœnam: ergo

Digitized by Google

go libido non fuit in hominibus innocentibus. Antecedens eſt certum. Conſequentia probatur. Libido fuit pœna peccati: ergo ſi culpa præcedit pœnam, non fuit in hominibus ante peccatum. Probatur antecedens. Si libido, etiam quæ ſentitur in actu conjugii, non eſſet pœna peccati, membrum, in quo reſidet libido, deberet eſſe obediens voluntati æque ac pes, manus, oculus &c.; at ita non eſt, ut infeliciter experimur: ergo &c. Argumentum affertur a Juenino, & deſumitur ex Auguſtino lib. 14. de civ. Dei c. 23. & 24.

V. Probatur. Libido, quæ modo comitatur generationem, eſt id, in multorum ſententia, per quod contrahitur peccatum originale; vel ſaltem comitatur neceſſario contractionem originalis peccati: ergo non fuit in parentibus innocentibus. Probatur Conſequentia. Si fuiſſet in illis, in illis quoque fuiſſet aliquid vel neceſſario conſequens ad peccatum originale, vel aliquid conſtituens contractionem ejuſdem peccati: ergo fuiſſet in illis idem peccatum; ſed hoc non fuit: ergo &c.

VI. Probatur. Si primi homines generaſſent cum libidine in primo ſtatu, in eodem ſtatu jam fuiſſet in illis libido: ergo fuiſſet illis naturalis; ſi fuiſſet naturalis; ergo fuiſſet illis ab auctore naturæ indita: ergo potuiſſent illa licite uti: ergo nunc etiam poſſumus illi licite conſentire, nec debemus illi obſiſtere; quæ non ſunt dicenda. Quod totum ſic probatur; quando enim libidini, ſeu concupiſcentiæ, quæ libidinis nomine venit, reſiſtimus, aut reſiſtimus bono, aut malo: Si bono: ergo peccamus; ſi malo: ergo malum ipſum Deum habet auctorem: ergo quando motibus concupiſcentiæ reſiſtimus, Deo reſiſtimus. Ita prorſus argumentatur Auguſtinus lib. 4. cont. Julianum c. 14. de concupiſcentia loquens: *Quam nemo poteſt bonam dicere, niſi cujus adverſus eam non amat concupiſcere ſpiritus. Quod ſi talis non eſt in motu & ardore genitalium, non adverſus eam concupiſcat ſpiritus, ne adverſus donum Dei concupiſcendo inveniatur ingratus, ſed quidquid oppetiverit, detur tanquam illi, quæ ex Patre eſt. Si autem non eſt quod detur, hoc potius petatur a Patre, non ut auferat, vel comprimat, ſed ut expleat concupiſcentiam, quam donavit.*

Obſtant I. In brutis libido eſt naturalis, & non alium, quam Deum habet auctorem: ergo etiam in hominibus. II. Copula conjugalis non eſt malum: ergo concupiſcentia carnis non eſt malum. Probatur conſequentia. Copula conjugalis non poteſt eſſe ſine concupiſcentia carnali: ergo ſi concupiſcentia carnalis eſt malum, etiam copula conjugalis eſt malum; ſed copula conjugalis non eſt malum: ergo nec malum eſt concupiſcentia carnalis. III. Non eſt aliud libido, ſeu concupiſcentia, quam homo lapſus experitur in copula carnali, quam membrorum motus, quæ ſunt ad generationem data, ſeminatio facta in mulieris utero, & voluptas ex illo motu, & ex illa ſeminatione percepta; ſed hæc omnia fuiſſent in hominibus innocentibus in uſu conjugii, & in generatione prolis: ergo &c. IV. Quanvis exceſſus ſit malus, non per hoc tamen eſt mala libido, per quam quis movetur ad conjugii voluptatem; & exceſſus eſt malus, vel quia fertur ad voluptatem etiam extra conjugium, vel quia nullus præfigitur terminus voluptati: ergo remoto hoc exceſſu, libido non eſt mala; ſed in primis parentibus fuiſſet in primo ſtatu ſine hoc exceſſu: ergo &c.

Reſpondemus ad I. aſſignando diſparitatem inter bruta, & homines, quia bruta non habent rationem, cui ſenſus ſubjiciatur; non habent mentem, cui diſſonet libido; non habent ſuperiorem portionem, cui inferior ſit ſubdita. Perfruuntur igitur ſenſibili bono ſine repugnantia rationis, qua carent; quia non poſſunt veritatem, & virtutes mente concipere, illarumque honeſtate frui. Auguſtinus ait lib. 4. cont. Julianum c. 14. *Ideo in pecoribus malum non eſt concupiſcentia, quia non adverſus ſpiritum concupiſcit, ſed eorum potius oblectat ſpiritum.*

Ad II. Nimis probat argumentum; nullum enim eſt malum ſine aliquo bono: ergo malum eſt bonum? Nequaquam. Sic etiam, quanvis copula carnalis eſſe non poſſit ſine aliquo malo, non eſt inferendum: ergo copula carnalis eſt mala. En Auguſtini verba lib. 3. cont. Julianum c. 23. *Concubitus equidem ſine malo concupiſcentiæ eſſe non poteſt, ſed non ideo malum eſt ipſe concubitus: ſicut e contrario, nullum malum ſine aliquo bono eſſe poteſt, nec ideo bonum eſt: opus enim Dei bonum eſt in natura, ſine quo tamen non poteſt eſſe voluntas mala; ac per hoc ſicut adulterium non poteſt eſſe ſine bono natura, nec ideo bonum eſt; ita connubium non poteſt eſſe ſine malo concupiſcentiæ, nec ideo malum eſt;*

imo

imo potius bonum, quod bene malo utitur. Subdit idem Auguſtinus, concubitum in homine lapſo eſse ſicut virum, qui pede infirmo utitur ad aliquod bonum efficiendum; ſic enim ait lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia c.7. *Proinde nuptiæ quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur; quia vero ſine illo fieri non poteſt, erubeſcunt; tanquam ſi quiſpiam pede vitiato ad aliquod bonum etiam claudicando perveniat, nec propter claudicantis malum mala eſt illa perventio, nec propter illius perventionis bonum bona eſt claudicatio: ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidines laudare debemus*.

Ad III. negatur major; & ratio eſt, quia concupiſcentia, ſine qua modo non fit copula carnalis, dicit etiam motum ad voluptatem, qui quidem motus præveniat uſum rationis, qui non cedat rationis imperio, qui incliner rationem, ut conſentiat voluptati, qui mentem impellat, ut ea voluptate fruatur; ut ait Juenninus. Hic autem motus eſt magnum malum, quia adverſatur rationi, quæ nunquam operatur propter voluptatem, ſed propter honeſtatem. Unde Auguſtinus lib. 4. contr. Julianum c.27. *Alii ſunt carnis ſenſus, quibus caro præſentia corporalia ſpiritui quodammodo renuntiat, & alii ſunt carnalis concupiſcentiæ motus, quibus caro adverſus ſpiritum concupiſcens, in quæque illicita, atque inhoneſta præcipitat, niſi adverſus eam etiam ipſe ſpiritus concupiſcat. Quæ diſcordia carnis, & ſpiritus non creatori carnis, aut ſenſus, ſed malo ſuaſori, & homini prævaricatori, tribuitur ab eis, quorum fide ſana error inſanus Pelagianorum, & Manichæorum damnatur*.

Ad IV. negatur pariter major; & ratio eſt, quia concupiſcentia per ſe movet ad voluptatem percipiendam ex quocunque concubitu ſive conjugali, ſive non conjugali; quando autem reſtringitur ad illam, quæ habetur ex conjugali, ex imperio rationis eſt, & per accidens eſt; unde ſemper ſtat, quod per ſe ſit malum, & magnum malum. Ulterius, quia ſi reſtringitur, & refrænatur per rationem; ergo ex ſe mala eſt; indiget etenim freno non quod bonum eſt, ſed quod malum. Libido autem etiam in actu conjugali eget freno; ergo etiam in actu conjugali eſt malum. Sic Auguſtinus lib. 5. contr. Julianum c. 6. Pelagium alloquitur: *Quid enim te adjuvat, quod reprehendere videris ejus exceſſum, quia approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando ejus motibus ceditur. Mala eſt tamen & quando non ceditur, quia malo reſiſtitur, ne bonum caſtitatis intereat*.

Denique pro ultima Diſsertationis parte, in qua quæritur, quis fuiſset in ſtatu innocentiæ generationis filiorum modus; multi multa diverſimode opinati ſunt, quas hic afferre operæ pretium ducimus, ut deinde tutiori doctrinæ adhæreamus. Primo putarunt aliqui in illo ſtatu nullam ſexuum commiſtionem futuram fuiſſe; quia commiſtio ſexuum nequit eſse ſine corruptione carnis, nec carere poteſt pudenda libidine, etiam ſi fiat ſolius generationis cauſsa. Citantur pro hac opinione Auctor libri de Opificio hominis, qui tribuitur Gregorio Nyſseno, c. 17., & 18., Damaſcenus lib. 2. de fid. orthod. c. 30. & lib. 4. c. 25. Procopius in Geneſ. ad cap. 4., Euthymius in pſal. 50., Chryſoſtomus hom. 18. & 20. ſup. Geneſ., & lib. de Virginitate c.16. & 17. Auguſtinus quoque lib. 1. de Gen. contr. Manich. c. 19., & lib. de vera religione c. 46. & lib. 1. de ſer. Dom. in monte c. 15. & lib. de bono conjugali c. 2. Hieronymus in diſput. contr. Jovinianum; ex modernioribus autem Judocus Clichtovæus in Comment. in Damaſcenum, & in adnotat. ad lib. Richardi Victorini de Trinit. prop. 18. Secundo alii dixerunt, in ſtatu innocentiæ nullos alios homines fuiſſe procreandos; quod fatetur Auguſtinus lib. 14. de civ. Dei c. 21. ſe aliquando ſenſiſſe; alii, in illo ſtatu fuiſſe procreandos homines modo illo, quo factus eſt primus homo; quod poſuiſse videtur Damaſcenus; alii, multiplicandos fuiſse homines in illo ſtatu eo modo, quo multiplicati ſunt Angeli, per operationem ſcilicet divinæ virtutis; quod voluit Nyſſenus, vel quiſquis alius citati operis ſit auctor; alii demum, naſciturus fuiſse homines modo nobis incognito, cognito autem ſoli ſapientiæ divinæ; quod tenuit Chryſoſtomus. At relictis opinionibus iſtis, ſeu potius commentis, ut ait Eſtius, communiorem, & probabiliorem ſententiam amplectimur, &

Dicimus, eundem fuiſse modum generationis filiorum in ſtatu innocentiæ, ac modo eſt.

I. Probatur. Deus creavit primos homines ſexu differentes; maſculum enim, & feminas creaſse eos, teſtatur Scriptura: ergo intendit in eis conjunctionem membrorum ad propagandam prolem; aliter ad

quid

Digitized by Google

quid non creaſſet illos ex uno tantum ſexu? Quod confirmatur ex eadem Scriptura, quæ dicit: *Benedixitque illi Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini*; ſed hæc verba ante peccatum fuerunt illis dicta; & poſtmodum eadem poſt peccatum fuerunt a Deo ipſo Noë, & filiis ejus replicata: ergo eodem modo ante peccatum, ac poſt peccatum, fuiſſet filiorum generatio.

II. Probatur. Adam dixit Gen. 2. 24. *Erunt duo in carne una*; quæ quidem fuit vox prophetica; idem Chriſtus Dominus confirmavit Matth. 19. dicens: *Maſculum, & fœminam creavit eos; & erunt duo in carne una*; Apoſtolus idem repetere non dubitavit I. ad Cor. 6. *Erunt duo in carne una*: Sed Adam illa dixit ante peccatum; Chriſtus illa confirmavit poſt peccatum; Paulus poſt peccatum etiam eadem replicavit: ergo idem fuiſſet in utroque ſtatu generationis modus.

III. Probatur ex Auguſtino, qui priorem ſententiam retractavit, & noſtram docuit pluribus in locis; nempe lib. 14. de civ. Dei c. 21. 22. 23. 24. 25. 26. & 27., lib. 9. de Gen. ad lit. c. 3. 4. 7. & 10., lib. de peccato originis c. 35. & 36., lib. de nuptiis, & concupiſcentia c. 31. & ſeqq. uſque ad libri finem; lib. 3. contr. Julianum c. 7., & lib. 4. c. 4., & lib. 6. c. 9., lib. 1. Retractat. c. 10. 13. & 19., & lib. 2. c. 22. S. Auguſtinum ſequutos fuiſſe Richardum Victorinum, Magiſtrum ſententiarum, ac concorditer Scholaſticos omnes Doctores, teſtatur Eſtius.

IV. Probatur. Juxta omnes Philoſophos omne animal generat ſibi ſimile; ſed homo in genere animalium eſt primus, ac perfectior: ergo ex ſui natura generat etiam ſimile animal; quod ſi ex ſui natura hoc habet: ergo eo modo perficere debet, quem exigit naturalis diſpoſitio membrorum. Sed in ſtatu innocentiæ homo erat factus in animam viventem; habebat corpus animale ex Apoſtolo, quia habebat corpus indigens vitalibus actionibus ad conſervationem ſui, & ſpeciei ſuæ: ergo debebat generationem facere, ſicut cætera animalia faciunt, & eo modo facere, ſicut faciunt illa, ad ſpeciei conſervationem; quemadmodum ad conſervationem ſui individui nutritionem facit, ſicut cætera animalia faciunt.

Arguunt I. Luc. 20. habetur: *Filii hujus ſeculi nubunt, & traduntur ad nuptias*; ſed filii hujus ſeculi ſunt homines lapſi: ergo homines innocentes non contraxiſſent nuptias. II. Ideo Deus creavit primos homines maſculum, & feminam, quia præſciebat hominem peccaturum; quod ſi non fuiſſet peccaturus, eos ſic non creaſſet; & hæc eſt Damaſceni conjectura, quæ tribuitur etiam Nyſſeno. III. Si in ſtatu innocentiæ idem fuiſſet uſus connubii ac modo eſt, non potuiſſet vitari pudenda libido; hæc autem eſt maxime inconveniens ſtatui illi: ergo &c. IV. Non fuiſſet in mulieribus in ſtatu innocentiæ integritas virginalis, ſi idem fuiſſet modus generationis filiorum modo, & tunc; ſed hoc importat dolorem ſimul, ac defectum, incompatibiles cum ſtatu illo: ergo &c. V. Admiſſa noſtra ſententia ſequeretur, in ſtatu illo fuiſſe laudabilius conjugium continentia; ſed hoc dici non poteſt: ergo &c. VI. Filii, qui naſci debebant ex Adamo, & Eva, ſi innocentes permanſiſſent, debebant eſſe juſti, & in juſtitia confirmati; ſed ut eſſent juſti opus erat, ut naſcerentur quemadmodum natus, ſeu factus eſt Adam: ergo non poterant eo modo generari, quo ad præſens filii generantur.

Reſpondemus ad I. Dominum dicere filios hujus ſeculi illos, qui animalem vitam agunt, qualem etiam egit Adam in paradiſo; hoc eſt oppoſitam vitæ, quam agent filii reſurrectionis, qui per Apoſtolum I. ad Cor. 15. erunt in ſpiritum viviſicantem. Et iſtis quidem non convenit nec nubere, nec edere, nec bibere, quæ aliis conveniunt, dummodo in hoc ſeculo vivant.

Ad II. dicitur, quod ſi ſexus diverſitas provenit ex peccato prævifo, poteſt optime inſerri, quod poſt reſurrectionem in Beatis non eſt futura; quia per reſurrectione omnes peccatorum effectus ſunt penitus abolendi; ut dicit Eſtius. Hoc autem eſt fidei contrarium, ut teſtatur Hieronymus in epiſtola, quæ eſt contra errores Joannis Hieroſolymitani.

Ad III. negatur ſequela majoris; & ratio eſt ex præcedentis concluſionis probatione in hac eadem Diſſertatione manifeſta; in ea enim oſtendimus, in hominibus innocentibus fuiſſe generationem ſine libidine pudenda, ſeu ſine concupiſcentia. Unde aſſerit Eſtius: „Non enim, quia
„ ſine turpi libidine, & inordinato mem-
„ brorum motu non fit ad generandum
„ conjunctio corporum, idcirco incredibi-
„ le videri debet, ſine hujuſmodi malo fu-
turam

„ turam eam eſſe in ſtatu integritatis. „
Quod probat exemplo mortis, quæ ſub-
ſequuta eſt poſt peccatum, dicens: „ Si-
„ cut ergo per peccatum mors in naturam
„ ſubintravit humanam, ita & conjugium,
„ ſua inſtitutione ſanctum, erubeſcendā
„ quædam turpitudo, ex peccato ſuboria,
„ affecit, ac dehoneſtavit, Scriptura atte-
„ ſtante, dum ait: *Et aperti ſunt oculi am-*
„ *borum, & cognoverunt ſe eſſe nudos.* „

Ad IV. S. Thomas, S. Bonaventura, Altiſiodo-
renſis, aliique plures, dicunt, quod nullum
ſit abſurdum, ſi dicatur, in illo ſtatu per
actum conjugalem futurum fuiſſe ut in-
tegritas feminei corporis violaretur, &
quatenus ſignificat integritatem corpo-
ris, amitteretur. Attamen Auguſtinus
lib. 14. de civ. Dei c. 26. docet; „ in illo
„ ſtatu, ut verbis Eſtii utamur, ſic futurum
„ fuiſſe concubitum, ut nulla corruptione
„ integritatis infunderetur mariti ſemen
„ gremio uxoris. Ita nanque tunc potuiſſe
„ utero conjugis, ſalva integritate feminei
„ genitalis, virile ſemen immitti, ſicut
„ nunc poteſt, eadem integritate ſalva, ex
„ utero virginis fluxus menſtrui cruoris
„ emitti, eadem quippe via poſſe illud in-
„ jici, qua hoc poteſt ejici. Ad pariendum
„ vero, inquit, non doloris gemitus, ſed
„ maturitatis impulſus feminea viſcera re-
„ laxaret. „ Quæ quidem omnia ſine mi-
raculo fuiſſent facta, quatenus viſcerum
muliebrium apertio, & relaxatio natura-
lis fuiſſet, & ſine dolore, ſicuti modo eſt
naturalis oris apertio, vel alterius mem-
bri, quod poteſt naturaliter contrahi, &
laxari. Et hoc in corpore muliebri non
fuit amplius poſt peccatum, in pœnam
quidem peccati; & hinc eſt, quod modo
non poteſt mulier a viro cognoſci ſine
virginalis clauſtri effractione, & ſine vio-
lenta viſcerum divulſione, quæ graviſ-
ſimum affert dolorem. Docet etiam S.
Auguſtinus lib. de peccato origenis c. 35.,
& S. Thomas, rejecta priori ſententiā,
hanc etiam amplexus eſt. Sequutus eſt
etiam eandem ſententiam Magiſter ſen-
tentiarum, Haimo, aliique Doctores
Scholaſtici paſſim.

Ad V. dicitur, quod vere in eo ſtatu fuiſ-
ſet laudabilius virginitate conjugium,
quatenus in conjugii actu nulla fuiſſet
turpitudo, nihil inordinatum, & per-
manſiſſet integritas carnis. Inſuper nul-
la fuiſſet in ipſo conjugio moleſtia, quæ
præſertim ab Apoſtolo vocatur tribulatio
carnis; & in eo quoque fuiſſet fœcundi-
tatis bonum, & quidem perpetuum, &
conjugum fides intemerata, & amor ca-
ſtiſſimus; quod docet S. Thomas in I. q.
98. ar. 2. ad 3. Unde in illo ſtatu nulli
fuiſſent, qui prædictam continentiam co-
lerent, quia ibi non fuiſſet virtus, ſed vi-
tium; ut aſſerit Durandus.

Ad VI. dicitur, quod filii erant naſcituri,
quales nunc naſcuntur, exceptis tamen
peccato, & miſeria, quæ conſequuntur
peccatum primorum parentum. Ut enim
ait Eſtius, natura ſequenda eſt, ubi di-
vina non adeſt auctoritas. Unde naſci-
turi erant filii & rationis uſu prædititi, &
juſtitiæ dono ornati. Ad hoc autem non
eſt neceſſe, ut facti fuiſſent eo modo,
quo factus eſt primus homo; quia in tan-
tum factus eſt primus homo modo illo,
quia non erat alius homo, ex quo naſce-
retur. At in caſu noſtro erant vir, &
mulier, ex quibus naſci poterant, & in-
ſuper erant innocentes, & ſine peccato;
unde ex ipſis poterant etiam naſci ſine
peccato, & ſine miſeria; ac illis dotibus
ornati, quibus fuerant a Deo primi pa-
rentes in ſtatu innocentiæ prædititi.

DISSERTATIO CLX.

De peccato primorum parentum ; quænam fuerint cauſſæ ipſius ? quæ ſpecies ? quæ gravitas ? quæ pœna ?

CERTUM eſt , Deum peccati primorum parentum cauſſam non fuiſſe ; nam etſi Deus fuetir auctor naturæ , quæ peccavit, nullam tamen eidem peccandi neceſſitatem impoſuit ; quia dedit ei liberum atbitrium , per quod potuiſſet peccare, & non peccare. Dedit ei inſuper gratiam, hoc eſt auxilium , quo potuiſſent perſeverare in juſtitia , quam acceperant , ſi voluiſſent. Igitur Deus cauſſa adamici peccati dici non debet ; nec quia Adæ naturam condidit , quum fecerit illam liberam; nec quia auxilium ei denegavit, per quod in bono potuiſſet permanere, quum eidem cumulate donaverit. Remanet , an poſſit dici per hoc , quod creavit naturam , quam peccaturam prævidebat ; prævifio enim illa nullum habebat influxum in voluntatem primorum hominum ; unde nullam poterat eis peccandi neceſſitatem imponere. Non reddidit autem Deus per ſuam gratiam hominem impeccabilem , quanvis potuiſſet , tum quia conveniens fuit, ut homo tanquam meritorum ſuorum præmium impeccabilitatem conſequeretur ; tum etiam , quia maxime decebat , ut prius eſſet hominis inſtitutio, & deinde pleniſſima ipſius beatitudo , in qua impeccabilitas continetur . Neque etiam poterat facere hominem impeccabilem per naturam; quia quælibet creatura, ex hoc quod creatura eſt , defectibilis eſt , mutabilis eſt , adeoque peccabilis . Unde Auguſtinus lib.3.cont.Maximinum c.12. *Cuicumque creaturæ rationali præſtatur , ut peccare non poſſit ; non eſt hoc natura propria , ſed Dei gratia .* Cur autem Deus non fecerit hominem , qui re ipſa nollet peccare , quanvis poſſet , rationem præſtat ipſemet Auguſtinus lib.de correp. & grat. c. 12. *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, ideſt, in bono perſeverantiam primus homo , ſed perſeverare , vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio , tales vires habebat ejus voluntas , quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato , & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat , ut digne tantæ bonitati , & bene vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præſciente , quid eſſet facturus injuſte . . . . . ſed ſimul ſciente , quid de illo ipſe faceret juſte .*

Dicimus modo duplicem cauſſam fuiſſe peccati primorum hominum , externam unam , & hæc fuit Diabolus ; internam alteram, & hæc fuit ſola hominis voluntas; occaſionem vero fuiſſe, non cauſſam, lignum ſcientiæ boni, & mali.

I. Pars Concluſionis probatur . Diabolus ille fuit, qui primos parentes ad divinæ legis transgreſſionem induxit : ergo fuit cauſſa peccati illorum ; non interna , ut patet : ergo externa . Probatur antecedens ex verbis Geneſ. 3. *Dixit autem ſerpens ad mulierem : nequaquam morte moriemini : ſcit enim Deus , quod in quocunque die comederitis ex eo , aperientur oculi veſtri , & eritis ſicut Dii , ſcientes bonum, & malum .* Nomine autem ſerpentis nec venit ſerpentis ſimulacrum , ut aſſeruit Cyrillus lib. 3. cont. Julianum ; nec metaphoricus ſerpens , hoc eſt Diabolus , ut dixit cum Origene Cardinalis Cajetanus in Comment. in Geneſ.ad initium cap.3., ſed verus ſerpens; quod propugnant Patres fere omnes , & Scripturæ verbis magis aptatur . Ope autem Dæmonis , non propria, loquutus eſt verus ſerpens , ſicut Angelus per aſinam deinde loquutus eſt Balaam Prophetæ . Etenim Diabolus per ſerpentis organa ita aerem movit, ut vocis ſonum expreſſerit : Eva vero , cui loquutus eſt ſerpens , illum non exhorruit , quia ſciebat , ſibi nocere non poſſe , quum in illo innocentiæ ſtatu omnia animantia in ejus, & Adæ eſſent poteſtate . Mirata eſt quidem , quod præter uſum communem brutum animal loqueretur ; ſed curioſitate preſſa hoc diſcutere noluit, quemadmodum nec obſervare , an ſpiritus nequam , an bonus , ſub eo lateret, cupiens videre promiſſionis eventum; ut docet S.Thomas 1.p.q.94.ar.ult.

Digitized by Google

II. Pars Concluſionis probatur. In quocunque peccato tres aſſignantur cauſſæ, quæ dicuntur internæ, ignorantia nimirum, concupiſcentia, & voluntas; in peccato primorum parentum non poſſunt aſſignari pro cauſſis internis ignorantia, & concupiſcentia; quum probatum jam ſit, in ſtatu innocentiæ non fuiſſe in homine nec ignorantiam, nec concupiſcentiam: ergo remanet, quod ſola voluntas fuerit interna cauſſa peccati primorum hominum.

III. Pars Concluſionia probatur. Non movit Evam nec pulcritudo, nec ſuavitas ligni illius, quia reducebantur ad perceptionem ſenſibilem; nulla autem perceptio rei ſenſibilis movere poterat in primo ſtatu primos homines ad amorem ſui; & hoc ex eo, quod in illis nullus motus ad amorem, ad odium, aut ad aliam paſſionem, oriebatur ea alia cauſſa, quam ex deliberatione propriæ eorum voluntatis. Igitur lignum ſcientiæ boni, & mali non fuit cauſſa; fuit autem occaſio; quia aperte ex Scripturæ verbis habetur, Diabolum ex ligno illo ad allectandum primos parentes, & illos ad peccatum inducendum, occaſionem ſumpſiſſe. Et quanvis etiam ex verbia Scripturæ videatur erui, Evam allectam fuiſſe ex pulcritudine fructus ad comedendum ex illo; attamen ante judicium Evæ de pulcritudine, & ſapore fructus fuit complacentia in independentia, quam ei ſerpens promiſerat. Unde bene ſcripſit Rupertus lib. 3. de Trinit. c. 9. *Non temere dictum eſt, vidit mulier; quaſi non eam arborem ante vidiſſet. Et revera nondum eo modo viderat; quia cum hac præſumptione, qua nunc intuita eſt, nondum conſideraverat.*

De peccati autem ſpecie, quod Eva commiſit, & Adam perpetravit, non una eſt Scriptorum opinio. Loquimur primum de peccato Evæ. Primo putarunt Rupertus lib.3. in Geneſ. c.5., & Joannes Ferus ſup. Gen.3. Evam peccaſſe antequam ſerpens cum ea loqueretur; & peccaſſe, quod corpore vaga, & oculis curioſa, occaſionem dederit ſerpenti cum ipſa alloquendi. Secundo Hugo Victorinus, & Magiſter ſententiarum voluerunt, primum Evæ peccatum ſuiſſe, quod dubitaverit de mortis comminatione, quæ præcepto fuit a Deo appoſita. Tertio S. Ambroſius lib. de paradiſo c. 10. docet, primo Evam peccaſſe, quod addiderit præcepto aliquid, quod Deus non dixerat; ſcilicet: *ne tangeremus*. Quarto Chryſoſtomus hom. 16. in Geneſ. vult, quod peccaverit, quia cum ſerpente ſermonem habuit, ab eo interrogata reſpondit, præceptum manifeſtavit, & non rejecit illum tentantem, ac contra Dei mandatum falſa ſuggerentem. Quinto Auguſtinus lib. 11. de Geneſ. ad literam c.30. docet, primum Evæ peccatum fuiſſe ſuperbiam. En Auguſtini verba cit. loc. *Quando verbis ſerpentis crederet mulier, a bona, atque utili re divinitus ſe fuiſſe probibitos, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio.* Quod etiam docet S. Thomas p.2. q.98. ar.3. ad 2., & 2.2.q. 163. ar.1.; & eſt communis Theologorum ſententia. Sexto Sectarii noſtrorum temporum dixerunt, fuiſſe infidelitatem; contra quos pugnat Auguſtinus citatis locis, Proſper lib.2. de vit. contemplat., cap.19. Gregorius magnus lib.4. moral. c. 9.

Primum autem Adami peccatum quodnam fuerit, nec pariter eadem eſt Doctorum ſententia. Conveniunt autem omnes, non unum fuiſſe illius peccatum, ſed multa, quæ revocantur ad octo; ſcilicet: ſuperbiam, amorem uxoris inordinatum, curioſitatem experiendi fructum vetitum, dubitationem de intellectu præcepti divini, opinionem, quod tranſgreſſio ejus eſſet venialis, peccatum gulæ, peccatum inobedientiæ, & excuſationem peccati, quod commiſerat, & in hoc continetur etiam accuſatio Dei. In primo autem aſſignando primo ſunt qui volunt, fuiſſe infidelitatem, ut ſunt aliqui noſtrorum temporum hæretici, ut tueantur, ſola infidelitate amitti Dei gratiam. Secundo S. Bonaventura, & Scotus, defendunt ſuiſſe amorem inordinatum erga uxorem; non quidem amorem carnalis concupiſcentiæ, quæ in illo ſtatu non erat in ipſo, ſed amorem ſocialis vitæ, & humanæ amicitiæ. Tertio alii dixerunt, fuiſſe inobedientiam. Quarto communior opinio aſſerit, fuiſſe ſuperbiam; quam tradunt Auguſtinus lib. 8. de Gen. ad lit. c.13. & 14., lib.11. c.5. 30.& 42., lib.14. de civ. Dei c.13.& 15., in Enchiridio c.45. Chryſoſtomus hom. 16. in Geneſ., & hom. 2. ad popul. antioch., & lib.1. de providentia, Baſilius hom. quod Deus non eſt auctor malorum, Ambroſius in Luc.4., Leo magnus ſer.5. de nativit. Domini, Proſper lib.2. de vit. contemplat. c. 19., Fulgentius

lib.2.

Digitized by Google

lib.2. de incarnat. & grat. Chriſti c.22., Eucherius lib. 1. in Geneſ., Gregorius magnus lib.4. moral, c.9. lib.3. c.17., & lib.34. c.17., Damaſcenus lib. 2. de fid. orth. c.10., Bernardus ſer. 1. de advent., Rupertus lib.3. in Gen. & lib. 10. in Matth. 26., Magiſter ſententiarum II. ſent. diſt.22. S.Thomas 2.2. q.163.art.1. Cajetanus, alique Scholaſtici communiter contra Scotum.

Dicimus, primum primorum hominum peccatum fuiſſe ſuperbiam.

I. Probatur a S. Thoma. In actibus malis priores ſunt interni, quam externi; quod nemo negabit. Inter actus internos priores ſunt, qui a Deo avertunt, quam qui ad bonum ſenſibile convertunt, quia nequit eſſe in animo inordinata cupiditas boni ſenſibilis, niſi prius ſit animus a Deo averſus; ſi enim animus fuiſſet Deo ſubjectus, fuiſſet quoque ſubjecta inferior portio ſuperiori; adeoque non fuiſſet cupiditas inordinata. Ulterius, in actibus internis circa objecta ſpiritualia prior eſt ille, qui tendit ad finem, illis, qui tendunt ad media; media enim propter finem appetuntur. Sed finis hominis eſt excellentia propria, quæ eſt proprium objectum ſuperbiæ: ergo ſuperbia fuit primum primorum parentum peccatum.

II. Probatur. Illud fuit primum peccatum in primis hominibus, ad quod fuerunt illi a Dæmune primo tentati; ſed ad peccatum ſuperbiæ fuerunt primo tentati: ergo peccatum ſuperbiæ fuit primum illorum peccatum. Probatur minor. Peccatum, ad quod fuerunt primo tentati fuit illud, quod continebatur in verbis, quibus primo illos tentavit; hoc fuit peccatum ſuperbiæ: ergo ad peccatum ſuperbiæ fuerunt primo tentati. Probatur minor ex verbis Gen.3. 5. *Eritis ſicut Dii &c.*

III. Probatur. Credibile eſt, quod Diabolus in illud peccatum voluerit primo trahere hominem, & per illud humanæ naturæ perditionem inducere, per quod perditi ſunt ipſe, & ſocii ejus; ſed hoc fuit peccatum ſuperbiæ, ut ſuo loco probatum eſt: ergo &c. Hanc rationem adhibent Baſilius in homil. quod Deus non ſit auctor malorum, & Gregorius magnus lib.34. moralium c.17.

IV. Probatur. Per illud peccatum perditus eſt primo homo, quod eſt directe contrarium virtuti, per quam fuit maxime a Chriſto reparatum; ſed humilitas fuit hæc virtus, quæ directe eſt ſuperbiæ oppoſita: ergo per ſuperbiam fuit primo perditus homo. Utitur etiam hac ratione Auguſtinus lib.14. de civit. Dei c.13., & plures Patres minorem propoſitionem docens; immo ipſamet Eccleſia in quadam Oratione dicit: *Deus, qui per Filii tui humilitatem jacentem mundum erexiſti*; & Apoſtolus demum innuere videtur ad Rom.5. ad Philip 2., & alibi.

V. Probatur ex S. Auguſtino in Pſal. 118. hæc ſcribente: *Primi homines per ſerpentem decepti, & dejecti non fuiſſent, niſi pluſquam acceperant, habere, & pluſquam facti fuerant, eſſe, voluiſſent*. Et lib.2. de Geneſ. contr. Manichæos c.15. ad verba illa: *Scit enim Deus, quod in quocumque dir comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii*; hæc habente: *Hoc eſt ergo, quod perſuaſum eſt, ut propriam poteſtatem nimis amarent, & cum Deo eſſe pares vellent... atque ita quod acceperant amitterent, dum id, quod non acceperant, uſurpare voluerunt. Non enim accepit hominis natura, ut per ſuam poteſtatem Deo non regente beata ſit, quia nullo regente per ſuam poteſtatem beatus eſſe ſolus Deus poteſt*. Et lib. 8. de Gen. c.13. *Ab homine peccante nihil aliud appetitum eſt, niſi non eſſe ſub dominatione Dei, quando illud admiſſum eſt, in quo, ne admitteretur, ſola deberet juſſio dominantis attendi*. Et lib. 2. de peccat. merit. c.19. *Præcedit in voluntate hominis appetitus quidam propriæ poteſtatis, ut fiat inobediens per ſuperbiam*.

Arguunt I. Serpens primo conatus eſt hominibus perſuadere infidelitatem: ergo hæc fuit primum peccatum. Probatur antecedens. Perſuadere conatus eſt, quod non eſſent morituri: *Non moriemini*: ergo &c. II. Fides eſt initium juſtitiæ: ergo infidelitas eſt initium peccati: ergo fuit primum peccatum hominum. III. Auguſtinus lib.11. de Geneſ. ad lit. c.42. docet, quod Adam nondum ſenſerat in membris ſuis concupiſcentiam, quando conſenſit uxori ad uſum fructus vetiti: ergo erat adhuc in ſtatu innocentiæ: ergo nondum peccaverat: ergo primo per eſum pomi, vel per conſenſum ad eſum pomi peccavit. IV. Idem Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad lit. c.42. favet opinioni de inordinato amore Adami erga Evam his verbis: *Noluit Adam Evam contriſtare, non quidem carnis victus concupiſcentia, quam nondum in membris ſuis ſenſerat, ſed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ut homo ex*

amico fiat inimicus. Et lib. 14. de civ. Dei c. 2. idem docet: *Credendum eſt illum virum ſuæ fœminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe*. V. Eva de morte, quam Deus comminatus fuerat Adæ, dubitavit; dixit enim: *ne forte moriamur*; quando Deus abſolute dixit: *moriemini*: ergo hujuſmodi dubitatio fuit primum Evæ peccatum. VI. Eva dixit mendacium ſerpenti, quando dixit: *ne tangeremus illud*; hoc enim Deus non præceperat: ergo primum ejus peccatum fuit mendacium. VII. Alloquutio Evæ cum ſerpente fuit occaſio ad peccatum; ſed occaſio eſt peccaminoſa, quando ad peccatum inducit: ergo alloquutio illa fuit primum Evæ peccatum. VIII. S. Thomas 1. 2. q. 89. ar. 3. ad 2. docet, Evam ad verba illa: *Cur præcepit*, in elationem erupiſſe: ergo non ad verba illa: *Eritis ſicut Dii*: ergo non fuit ſuperbia primum peccatum, ſed inobedientia.

Reſpondemus ad I. Serpentem uſum fuiſſe verbis illis: *non moriemini*: tanquam medio, ut induceret homines ad illud: *eritis ſicut Dii*: quod reſpiciebat ut finem; unde illa verba fuerunt quidem priora in exequutione, ſed poſteriora in intentione. Ulterius dicitur, quod tunc homo credidit, ſe non moriturum, quando in ſuperbiam ſe elevavit per poſteriora verba; tunc enim excæcata eſt mens ejus, ſicut & mulieris, ut crederet omne, quod ei Diabolus ſuadebat.

Ad II. Quanvis ſit fides initium, radix, & fundamentum juſtitiæ, non per hoc tamen fit, quod in juſtitiæ deſtructione fides ſit prima, & non potius poſtrema, quæ deſtruatur. Cor in homine eſt primum, quod vivit, & eſt ultimum, quod moritur. Fundamentum in domo eſt primum in ædificatione, & ultimum in deſtructione. Primum in generatione eſt pariter ultimum in reſolutione. Quod ſi ultimo fides moritur, non igitur primo infidelitas naſcitur. Docet hoc Auguſtinus lib. de Paſtoribus, & ovibus, qui eſt genuinum ejus opus, quum in Poſſidi indiculo inveniatur, ubi habet c. 8. *non ſuperbiam ex infidelitate naſci, ſed ipſius infidelitatis matrem eſſe ſuperbiam*.

Ad III. Non dixit Auguſtinus, quod tunc temporis Adam concupiſcentiam in membris ſuis non habebat, ſed quod nondum ſenſerat. Ut enim ait Eſtius, ineſt concupiſcentia etiam quando non ſentitur. Ulterius dici poteſt, quod dato, quod fuerit concupiſcentia, non fuerit tamen rebellio illa in membris ejus, quam poſt conſummatam transgreſſionem expertus eſt. Tunc enim aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt, ſe eſſe nudos; ut habetur Gen. 3. 7.

Ad IV. Auguſtinus intelligendus eſt in illis locis, quod amor viri erga uxorem fuit prior inobedientia aperta, qua vir divinum præceptum transgreſſus eſt. Hoc etiam dicit Scriptura Gen. 3. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno*. At non per hoc fit, quod inordinatus ille amor fuerit peccatum omnium primum. Quod hæc fuerit Auguſtini mens, ab Auguſtino ipſo diſcamus lib. 14. de civ. Dei c. 13. *Niſi enim ad ſibi placendum averteretur a ſuperiori immutabili bono, non Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque ſe venialiter eſſe transgreſſorem præcepti, ſi vitæ ſuæ ſociam non deſereret etiam in ſocietatem peccati*. Unde ſecundum Auguſtinum dicitur, quod amor inordinatus in Adamo præceſſit externam inobedientiam Adami, non vero præceſſit internam; quæ conſiſtebat in eo, quod delectatus fuerit ſuæ excellentiæ contemplatione, & deſiderio independentiæ, præter rectum ordinem; quod eſt ſuperbiæ conſtitutivum.

Ad V. Non ſemper vox *forte* in Scriptura dubitationem ſignificat; alıter dubitaſſet etiam Deus, quando dixit Gen. 3. 22. *Ne forte mittat manum ſuam*; quod non eſt dicendum. Inſuper etſi dubitatio admittatur in verbo illo, attamen dubitatio pertinere poteſt non ad comminationem, ſed ad eventum rei comminatæ propter transgreſſionis incertitudinem; ut ait Eſtius. Cæterum Septuaginta Interpretes, quorum verſione uſi ſunt Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, verbum illud *forte* non ponunt.

Ad VI. dicit Eſtius, quod Eva addendo verbum illud; *ne tangeremus*; nihil immutavit de ſenſu præcepti, immo magis illud confirmavit. Et ratio eſt, quia intellexit tactum illum, quo tangitur fructus, quando ex arbore decerpitur, & ori apponitur ad manducandum; qui quidem tactus eodem præcepto intelligitur vetitus, quo prohibita eſt comeſtio.

Ad VII. Eva tunc temporis adhuc erat innocens, adeoque non ita fragilis, ut potuerit cum ſerpente colloquium formidare,

dare. Quod ſi poſtea ſerpenti ceſſit, hoc ipſa prævidere non poterat; adeoque per hoc præciſe, quod cum ſerpente alloquuta fuerit, non videtur dicendum, graviter illam peccaſſe. Imprudens quidem fuit non reſpondendo ſerpenti, non ei reſiſtendo; at hoc ab eventu dependentiam habuit; quia ſi reſpondiſſet, ſi reſtitiſſet, non imprudens, ſed ſapiens diceretur.

Ad VIII. Elatam quidem ſe ſenſit Eva ad illa verba: *cur præcepit*; ſed nondum tentationi conſenſerat; conſenſit poſtmodum, quando audivit: *eritis ſicut Dii*; & hæc eſt mens S. Thomæ; quum præcipue hæc fuerit Auguſtini, quem ipſe in hac re ſequutus eſt. Quod ut clarius videatur diſtinguendi ſunt gradus tentationis Evæ, & Adami. Primo fuit ſuggeſtio ſerpentis: *cur præcepit*; quæ aliquatenus Evam commovit: deinde ſucceſſit ſerpentis promiſſio: *eritis ſicut Dii*; quæ fortius ejus animo adhæſit: poſtmodum venit delectatio Evæ ad ſerpentis promiſſionem: dein acceſſit appetitus Evæ promiſſionis ſerpentis, de qua ſibi complacuerat, ſi poſſibilis eſſet: poſt hunc venit deceptio, quia veram credidit ſerpentis promiſſionem: poſtea ſupervenit conſideratio ligni, & comeſtio, denique complevit opus porrectio ſacta Adæ de fructu, de quo ipſa guſtaverat. In Adamo vero hi diſtinguuntur gradus. Primo audivit ab Eva promiſſionem ſerpentis: deinde delectatus eſt de illa promiſſione, & de propriæ excellentiæ contemplatione; poſtmodum appetivit ſimilitudinem cum Deo, ſi eſſet poſſibilis: denique quamvis non crederet, ſicut crediderat Eva, tamen ne contriſtaret Evam comedit, credens inobedientiam non fore mortalem, ſed venialem. Per quæ verificatur quod dixit Apoſtolus, Evam ſcilicet fuiſſe ſeductam, non vero Adamum; quamvis nonnulli ſint Patres, qui dicunt Adamum quoque fuiſſe ſeductum; & ad verba Apoſtoli reſpondent, quod ideo dixerit, Adam non fuiſſe ſeductum, vel quia non fuit primus ſeductus, quum fuerit Eva ſeducta prius, & poſterius Adam; vel quia non fuit a ſerpente, ſed ab Eva ſeductus. At nos putamus, Apoſtoli verba intelligenda eſſe quemadmodum Auguſtinus intellexit, quando dixit non ſemel, vere Evam fuiſſe ſeductam, non vero Adam.

De gravitate modo peccati primorum parentum ſcribentes, prius explicandum volumus, quænam fuerit primorum parentum ſuperbia? In qua re nec conveniunt Doctores; quidam enim ponunt in ſuperbia tres gradus, nimirum initium, quod eſt inordinata conſideratio propriæ excellentiæ; progreſſum, qui eſt rebellio contra Deum; & conſummationem appetitus æqualitatis cum Deo; non quod ſimpliciter appetatur eſſe Deum, ſed eſſe ſimilem Deo in hoc, quod nulli ſubſit, & ſit ſui tantum arbitrii. Alii vero arbitrati ſunt, ut propria, atque expreſſe primi homines divinitatem appetiverint, ac voluerint eſſe Dii; ſicque idem fuerit peccatum hominum, & Angelorum. Attamen communis ſententia Theologorum eſt, quod ſuperbia primorum hominum in eo fuerit, quod voluerint eſſe Dii, ſcilicet quandam cum Deo ſimilitudinem appetiverint, non qualemcunque, quæ poteſt etiam in nobis eſſe, quando eſt per virtutis imitationem, ſed homini indebitam, & impoſſibilem; qualiter nimirum ſicut Deus omnium habet ſcientiam, nec ulli ſubeſt, ita ipſi omnia ſcirent, & nulli ſubeſſent. Ex hoc autem volunt inferri ex conſequenti, quod primi homines appetiverint divinitatem; quatenus videlicet illa dona divinitatis ſunt propria, & non poſſunt illa appeti, quin divinitas etiam, ſaltem implicite, & ex conſequenti, appetatur. Et pro hac explicatione afferunt Auguſtinum multis in locis, quæ apud Eſtium videri poterunt; alioſque Patres, & Scholaſticos, qui citantur ab eodem.

Ex his habemus gravitatem maximam in primorum parentum peccato. Primo enim fuit ex parte objecti graviſſima; quia complectebatur attributa Dei propria, & præcipue independentiam. Secundo fuit ex facilitate præcepti; quia facillimum erat ab uno ligno ſe abſtinere, quando cætera in eorum erant poteſtate. Unde Auguſtinus lib. 14. de civ. Dei c. 12. *Hoc itaque de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia ſubjacebat, tam leve præceptum ad obſervandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi præſertim nondum voluntati cupiditas reſiſtebat, quod de pœna transgreſſionis poſtea ſubſecutum eſt, tanto majore injuſtitia violatum eſt, quanto faciliore poſſet obſervantia cuſtodiri.* Tertio ex bono, quod poſſidebat Adam antequam peccaret, & poſt peccatum amiſit. Idem Auguſtinus lib. 21. de civ. Dei c. 12. *Quanto enim magis homo frue-*

batur

batur Deo, tanto majore impietate dereliquit Deum, & factus eſt malo dignus æterno. Quarto ex eminenti dignitate, ex qua præcipitatus eſt; de qua dicit Auguſtinus lib. 6. oper. imperfect. c. 22. Julianum confutans: *Fruſtra peccata Adæ peccata filiorum ejus, quamlibet magna, & horrenda, vel æquare, vel etiam præferre conaris; illius quippe natura, quanto magis ſublimior ſtabat, tanto magis graviter cecidit*. Quinto ex gravitate ſupplicii, quo Adæ peccatum a Deo punitum; de quo pariter Auguſtinus lib. 6. oper. imperfect. c. 23. ſcribebat: *Pomum lege Dei vetitum manducare leve videtur eſſe peccatum; ſed quanti hoc æſtimaverit qui non poteſt falli, ſatis apparet granditate ſupplicii*. Sexto ex Dei contemptu, de quo idem Auguſtinus lib. 14. de civ. Dei c. 15. dixit: *Quia ergo contemptus eſt Deus jubens, qui hominem creaverat, qui ad ſuam imaginem eum fecerat, qui cæteris animalibus præpoſuerat, qui in paradiſo conſtituerat, qui rerum omnium copiam, ſalutiſque præſtiterat, qui præceptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus, oneraverat.... juſta damnatio ſubſecuta eſt, taliſque damnatio, ut homo, qui cuſtodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne ſpiritalis, fieret etiam mente carnalis*. Septimo ex eo, quod multa alia peccata in Adami prævaricatione contenta ſunt; de quibus quoque inquit Auguſtinus Enchirid. c. 45. *Et ſuperbia eſt illic, quia homo in ſua potius eſſe, quam in Dei poteſtate, dilexit. Et ſacrilegium, quia Deo non credidit. Et homicidium, quia ſemetipſum præcipitavit in mortem. Et fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpentina ſuaſione corrupta eſt. Et furtum, quia cibus prohibitus uſurpatus eſt. Et avaritia, quia pluſquam illi ſufficere debuit, uſurpavit*. Octavo fuit peccatum gravius in viro, quam in muliere; tum quia magis in viro ratio vigebat, unde fortius reſiſtere debuiſſet; tum etiam, quia fortior fuit hoſtis mulieris, quam viri; tum quoque, quia vir a Deo immediate legem acceperat, mulier vero a viro; tum inſuper, quia vir qua caput debebat eſſe in exemplum mulieris; tum pariter, quia vir, ſe excuſando, culpam viſus eſt retorquere in Deum, quamvis retorſerit in mulierem; quia dixit; *mulier, quam dediſti mihi*; mulier vero abſolute retorſit in ſerpentem; tum denique, quia vir gravius punitus a Deo fuit, quam mulier; quamvis aliter in hoc ſentiant Ambroſius, Rupertus, Magiſter, S. Thomas, S. Bonaventura &c.

Demum ad pœnam peccati primorum parentum deſcendimus. Sed antequam hanc videamus, advertimus ante illos etiam fuiſſe a Deo ſerpentem ſua pœna mulctatum. Quod oſtendunt verba illa Gen. 3. 14. *Quia feciſti hoc, maledictus eris inter omnia animantia: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus*. Ex quibus colligunt quinque pœnas in ſerpentem a Deo inflictas; quarum prima eſt maledictio, de qua Chryſoſtomus hom. 17. *Quia tali malitia miniſtraſti, ut impoſtura illa opere compleretur, malum conſilium offerendo; propterea quia te in his ut inſtrumento eſt uſus, perpetuam pœnam impono, ut per ea, quæ tibi fiunt, futuri homines erudiantur, non accedendum ad Diaboli conſilia, neque illius fraudes accipiendas, ut ne in eaſdem incidant pœnas*. Secunda eſt greſſus ſuper terram; ante enim tentationem etiam ſerpens gradiebatur per naturam, ſed poſtea habuit in pœnam ut graderetur ſuper terram. Tertia eſt inimicitia inter ipſum, & mulierem, & inter ſemen ipſius; hoc eſt genus humanum. Unde ſcripſit Damaſcenus lib. 2. de fid. orthod. c. 10. *Serpens plus cæteris animalibus familiaris erat homini, ad ipſum frequenter accedens, eique placitis motibus corporis blandiens: unde per ipſum princeps mali Diabolus primis noſtris parentibus impietatis ſuæ venenum inſtillavit*. Quarta eſt contritio ſerpentis a muliere; teſtatur nanque Rupertus apud Fraſſen, quod ſi pes nudus mulieris caput ſerpentis preſſerit, præveniendo ejus dentem, totum corpus cum capite perit. Quinta eſt comeſtio terræ, de qua pœna Gregogorius magnus, pœnas omnes ſerpenti irrogatas, intelligens de Dæmone, hæc apud citatum Fraſſen ſcribit: *Antiquus hoſtis terram comedit, quia peccatores quoſque in ventrem ſuæ malitiæ abſcondit, iſque hominum perditionem deſiderans, quodammodo reficitur, dum pravis eorum operationibus delectatur*.

A ſerpentis pœna devenientes modo ad pœnas primorum hominum, primo enumeramus illas, quæ viro, & mulieri fuerunt communes, & deinde illas, quæ fuerunt viro propriæ, & alias, quæ mulieri peculiares extiterunt, aſſeremus.

Pri-

Prima pœna fuit utrique communis, ac poſteris ejus, concupiſcentia carnis adverſus ſpiritum; & ratio eſt, quia ſtatim ac peccaverunt, inordinatos concupiſcentiæ motus experti ſunt. Ita Auguſtinus lib. 13. de civ. Dei c. 13. *Poſteaquam præcepti facta eſt tranſgreſſio, confeſtim gratia deſerente divina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt: unde etiam foliis ficulneis, quæ forte a perturbatis prima comperta ſunt, pudenda texerunt, quæ prius eadem membra erant, ſed pudenda non erant. Senſerunt ergo novum motum inobedientis carnis ſuæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.*

Secunda pœna fuit fuga, & elongatio a Deo. Poſtquam enim peccaverunt, Deus vocavit Adam; at illi audientes vocem Domini, abſconderunt ſe a facie ſua; ut narrat Scriptura. Auguſtinus ſer. 18. de verb. Domini hæc de hujuſmodi pœna ſcribit: *Sicut enim oculus factus ad hanc lucem temporalem videndam, tamen ſi injectum aliquid fuerit, vel irruerit, unde turbetur, ſecluditur ab hac luce; & quanvis eum lux ſua præſentia circumfundat, ille tamen avertit, atque abſens eſt: non ſolum autem abſens fit perturbatione ſua a luce præſente, ſed etiam pœnalis illi eſt lux, ad quam videndam factus eſt. Sic & oculus cordis, perturbatus atque ſauciatus, avertit ſe a luce juſtitiæ, nec audet eam contemplari, nec valet.... Nam & in paradiſo peccavit Adam, & abſcondit ſe a facie Domini. Cum haberet ergo cor ſanum puræ conſcientiæ, gaudebat ad præſentiam Dei: poſtquam per peccatum ſauciatus eſt oculus ille, cœpit lucem formidare divinam, refugit in tenebras, atque in devia, lignorum veritatem fugiens, umbras appetens.*

Tertia pœna fuit ſervitus ſub libidine, ſeu concupiſcentia, atque etiam ſub peccato; immo ſub peccatorum omnium cumulo. Amiſſa enim juſtitia originali, factus eſt homo ad omne peccatum pronus; & niſi eum divina gratia adjuvaret, non eſſet peccatum, quod non patraret.

Quarta pœna fuit impotentia ad bonum operandum; nam niſi intellectus, & voluntas a medicinali gratia ſanentur, nullum poteſt homo lapſus bonum operari. Et hæc eſt neceſſitas gratiæ, quam habemus; & quam tam fortiter Catholici Doctores, præſertim Auguſtinus, propugnarunt, & quam hæretici, & præcipue Pelagiani, evertere conati ſunt.

Quinta pœna fuit ejectio a paradiſo, amiſſio beatitudinis, & vitæ hujus miſeriarum acquiſitio. Statim enim advenerunt omnia mala, infirmitates, ærumnæ, perturbationes, bella, intemperies, & alia hujuſmodi.

Sexta pœna fuit mors, ſive prima, ſive ſecunda. De utraque debere intelligi mortem, quam primis parentibus comminatus eſt Deus, plerique volunt; & de utraque etiam dixit Auguſtinus, quod prima animam nolentem pellit e corpore; ſecunda vero animam nolentem tenet in corpore; quatenus Damnati vocabunt in inferno mortem, & mors non veniet, immo fugiet ab eis; quod refert de Auguſtino Jueninus.

Dicimus modo de pœna Evæ, triplicem ipſi, & poſteris ejus pœnam fuiſſe a Deo inflictam; ſcilicet in multitudine conceptuum multiplicationem ærumnarum; dolorem in partu, & ſubjectionem ſub poteſtate viri. De his tribus pœnis Evæ Rupertus lib. 3. de Trinit. c. 22. hæc ſcribit: *Triplici autem pœna punitur mulier, quia triplo majus fuit peccatum ejus, quam Adami. Primo, quia credendo ſerpenti pluſquam Deo, ſeducta eſt. Deinde, quia ligni vetiti pulcritudinem, & ſuavitatem delectabiliter concupivit. Tertio, quia non contenta tranſgreſſione propria, virum quoque ad tranſgreſſionem induxit. Merito igitur triplici peccato triplex vindicta, præter communem ſibi cum viro mortem, reddita eſt. Nam quia ſerpenti credidit dicenti: eritis ſicut Dii: juſte ipſa contra hoc, quod Deus vivorum eſt, & non mortuorum, non vivorum, ſed mortuorum mater eſſe meruit, dicente Deo: multiplicabo conceptus tuos. Omnes enim conceptus ejus anima, & corpore in peccato moriuntur, & nemo eorum vivit, niſi vivificetur per Chriſtum. Item quia viſa illius arboris pulcritudine intemperanter fructum ejus expetivit; pro illo viſus delectamento contrarius redditur uteri dolor. In dolore, inquit, paries. Tertio, quia virum importunitate muliebri ad comedendum illexit: idcirco, ſub viri poteſtate poteſtate, inquit, eris, & ipſe dominabitur tui. Ita pro ſeductione, conceptuum multiplicitas; pro gula oblectamento, uteri dolor; pro temerario imperio, & ſcandalo, quod viro exhibuit, ſervitutis viri pœna reddita eſt.*

Affertur etiam Alexander de Ales a Fraſſen, qui q. 105. ar. 9. hæc habet „ Ponuntur tres pœnæ ex parte mulieris. I. multiplicatio ærumnarum in multitudine conceptuum. II. dolor in partu. III. ſubjectio ſub poteſtate viri. Eſt enim du-

„ plex

Digitized by Google

,, plex vis animæ cognoſcitivæ, rationalis, & ſenſibilis. Quantum ad rationalem ſumitur pœna ſubjectionis. Quantum ad ſenſibilem duplex pœna; una ſecundum multitudinem, cum dicit: *multiplicabo ærumnas:* altera ſecundum ægritudinem, cum dicit: *in dolore paries*. Vel aliter: Individuum ad duo tendit; ad conſervationem ſui ſecundum tempus determinatum; ad conſervationem ſpeciei ſimpliciter; mulier vero dicitur ſexus paſſivi. Juxta autem utrumque contrahit ex peccato pœnam; nam juxta actum generationis, qui eſt ad conſervationem ſpeciei, duplicem pœnam trahit; in portando fœtum, & parturiendo; quorum unum pertinet ad progreſſum, alterum ad conſummationem; in initio vero eſt electio, & ibi videtur eſſe ſine pœna; & fortaſſe hoc voluit deſignare ſub nomine *conceptus*: val hoc tacuit propter delectationem, in qua non videtur eſſe pœna. Ex parte vero actus, qui eſt ad conſervationem individui, cum bonum ſit libertas faciendi quod ſibi eſt expediens; malum per oppoſitum eſt ſervitus, ſubeſſe ſcilicet alterius dominationi neceſſario, hæc eſt illa pœna, quæ deſignatur, cum dicitur: *ſub poteſtate viri eris* ,,.

Chryſoſtomus etiam hom. 17. in Geneſ. de poteſtate viri ſupra mulierem hæc tradit, Evam alloquens: *Quia abuſa es honoris dignitate, ſubjicio te viro*. Quia relicto, eo, cui dignitati par, *& cujus naturæ particeps, & propter quem formata es, familiaritatem cum ſerpente, mala illa beſtia, habere, & accipere voluiſti conſilium; propterea poſthac illi te ſubjicio, & illum dominum tuum aſſero, ut illius ſcilicet dominium agnoſcas*.

Dicimus etiam, Adamum triplici quoque pœna fuiſſe a Deo punitum ob peccatum, quod fecerat; nimirum, maledictione terræ in ipſius laboribus; in germinatione ſpinarum, & tribulorum; in victus parcitate, & labore. Hanc triplicem primi hominis pœnam Gen. 3. 17. 18. 19. habemus, ad illa verba, quæ Deus dixit Adamo: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris*.

Probat modo & explicat has pœnas citatus Alexander de Ales his verbis: ,, Illis divinæ Scripturæ verbis diſtinguuntur hominis pœnæ tum in vita, tum in morte. In vita quidem quantum ad initium, quantum ad progreſſum, & quantum ad conſummationem. Quantum ad initium, cum dicitur: *maledicta terra in opere tuo &c.* Quantum ad progreſſum, cum dicitur: *Spinas, & tribulos germinabit tibi*. Quantum ad conſummationem, cum dicitur: *comedes herbas terræ; & in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. In primo apparet laborandi difficultas in terræ cultura; in ſecundo ejuſdem infructuoſitas, cum dicitur: *ſpinas, & tribulos*; in tertio victus parcitas. ,,

Arguunt I. Filiorum multitudo non poteſt concipi, quod fuerit pœna mulieris: ergo male aſſignata eſt. Probatur antecedens. Filiorum multitudo fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ; & in ſtatu etiam peccati non eſt, niſi bonum ſpeciei humanæ, & parentum potius gaudium, quam afflictio: ergo non poteſt concipi, quod fuerit pœna mulieris. II. Etiam in ſtatu innocentiæ uxor debebat ſubjici viro ſuo: ergo non poteſt eſſe pœna, quæ fuerit data mulieri. Probatur antecedens. Mulier a viro duxit originem: ergo ab eo dependebat: ulterius, ambo independentes eſſe non poterant; nec conveniens erat, ut vir a muliere dependeret: ergo potius mulier a viro: ergo etiam in ſtatu innocentiæ debebat uxor ſubjici viro. III. Deus non maledixit Adamo, ſicut maledixerat ſerpenti; & tamen Adamo peccatum imputatum eſt, non ſerpenti: ergo vel Deus cum Adamo juſtitiæ leges non obſervavit, vel dicendum eſt, etiam Adamo maledixiſſe. Probatur antecedens. Deus in maledictione Adæ maledixit terræ, non Adæ: ergo non maledixit Adamo, ſicut maledixerat ſerpenti. IV. Terra non peccavit, & tamen maledicta a Deo eſt: ergo vel Deus maledixit terram innocentem, vel terra vere non fuit a Deo maledicta. V. Si propter Adæ peccatum maledicenda erat terra, cur non etiam maledicta eſt aqua, vel aer, vel aliæ res a Deo creatæ; quum omnia Deus fecerit propter hominem? ergo vel maledicendus erat ſolus Adam, vel maledicendæ omnes res, quæ creatæ erant propter Adam. VI. Inter peccati pœnas enumeranda eſt etiam ſcientiæ amiſſio; multa enim ſciviſſent homines innocentes, quæ poſtea neſciverunt homines lapſi: ergo

non

non eſt bene a nobis facta enumeratio pœnarum, quibus homo ob primum peccatum mulctatus a Deo fuit. VII. Pœnæ, quibus Deus animadvertit in ſerpentem, vero ſerpenti convenire non poſſunt: ergo vel Moyſes metaphorice, & allegorice loquutus eſt, vel nomine ſerpentis intelligendus eſt Diabolus, qui ſarpentis organo utebatur. VIII. Pœnæ datæ primis hominibus peccantibus a Deo, videntur excedere peccati gravitatem, quod commiſerunt; & quia unum fuit peccatum, & quia fuit commiſſum ob vehementem tentationem, quam Deus poterat etiam avertere, ne peccarent.

Reſpondemus ad I. cum Pererio lib. 6. in Gen. c. 3., quem affert Fraſſen, ex quatuor cauſſis multiplicationem conceptus eſſe pœnam mulieris poſt peccatum; quorum prima eſt ratione abortuum; ſecunda ratione monſtrorum; tertia ratione reproborum ad gehennam; quarta ratione paupertatis, quæ vel inducitur, vel augetur a multitudine filiorum. Hæ quatuor cauſſæ habent quidem locum in homine lapſo; non habebant autem in homine innocente; quia in illo ſtatu non fuiſſent abortus, non monſtra, non reprobi, non paupertas. Unde ſcribebat Rupertus lib. 3. de Trinit. c. 22. *Non eſt multiplicatio benedictionis, ſed damnationis; non gratiæ, ſed iræ; non clementiæ, ſed vindictæ. Unde non dixit tantum:* multiplicabo conceptus tuos: *ſed inſuper addidit:* & ærumnas tuas: *mulier quippe quanto fœcundior, tanto ærumnoſior.*

Ad II. Hæc eſt differentia inter ſubjectionem uxoris ad virum in ſtatu innocentiæ, & inter eandem in ſtatu peccati; quod illa fuiſſet voluntaria, & jucunda; hæc autem eſt involuntaria, & ærumnoſa. In illo ſtatu non fuiſſet uxori gravis ſubjectio, quia quum eſſet Dei voluntati ſubordinata, quodcunque Deo placuiſſet, alacri animo, & jucundo, non coacto, vel invito, ſuſcepiſſet. Vir quoque non exercuiſſet imperium in uxorem inſupportabile, & durum, ſed æquum, & dulce. Non ſic autem in ſtatu peccati, in quo ut plurimum uxor ut ancilla, & non ut ſocia habetur a viro. Dixit proinde Ambroſius in lib. de exhortatione ad Virgines: *Quæ nupſerit, ad ſervitutem ſua pecunia venditur: meliore conditione mancipia, quam conjugia comparantur; in illis meritum emitur ſervitutis, in iſtis pretium ad ſervitutem additur; nupta venalis auro gravatur, auro æſtimatur.*

Ad III. Ideo Deus non maledixit Adamo, ſicut maledixerat ſerpenti, quia prius benedictione ſua quaſi conſecraverat Adamum; quia Adamus per pœnitentiam, quam acturus erat, gratiam etiam ſanctificantem erat conſequuturus; quia Verbum divinum Adæ naturam ſuo tempore erat aſſumpturus. Nullum autem ex his motivum in ſerpente verificabatur; ideo maledictus fuit a Deo ſerpens, & non Adam. Ita Fraſſen.

Ad IV. Terra fuit a Deo maledicta non abſulute, & ſimpliciter, ſed cum reſpectu ad hominem. Hinc Deus Gen. 3. 17. dixit Adamo: *maledicta terra in opere tuo:* Quod explicat Rupertus: *Laborioſa ſit tibi operatori, vel cultori;* & Hugo a S. Victore: *Quia non feret ſponte fructum per ſe, unde vivas; vel quia non reſpondebit tibi aliquando ſecundum opus tuum.* Homo igitur in pœna ſui peccati terram habuit a Deo maledictam; quia quando terra ipſi debebat eſſe fœcunda, & prompta ad dandum fructum ſuum ſine labore, poſtea ſterilis ut plurimum eſt facta, & quæ fructum dat cum labore, & ærumnis hominis operantis.

Ad V. Cum Alexandro de Ales dicit Fraſſen, quod ideo fuit terra maledicta, & non aqua, vel aliud elementum; quia mediante fructu ex terra oriundo peccavit Adam. Et cum Alcuino, quia homo de fructu terræ contra Dei prohibitionem manducavit, non de aquis bibit. Addunt quoque, quia peccatum contractum a poſteris Adam propter eſum fructus terræ, quem ipſe Adam fecerat, abluendum erat in aquis, in quibus Chriſtus Dominus inſtituere debebat Baptiſmi ſacramentum.

Ad VI. Scientiæ amiſſio, quæ eſt ignorantia, tripliciter conſiderari poteſt; una puræ negationis, altera privationis, tertia pravæ diſpoſitionis. Illa prima neſcitur aliquid, quod non eſt opus ut ſciatur. Secunda, qua neſcitur aliquid, quod loco, & tempore convenit, & debet ſciri. Tertia aſſentimur falſis tanquam veris, ſive judicando, ſive opinando; & hæc potius eſt error, quam ignorantia. Quia homines in ſtatu innocentiæ multa neſcierunt; ideo prima ignorantia fuit in illis, & eſt modo multo magis in ſtatu peccati. Secunda, & tertia ignorantia non fuerunt in hominibus innocentibus, & ſunt in hominibus lapſis. Et hæc eſt ſcientiæ amiſſio, quam homo lapſus per peccatum eſt paſſus. Et hæc pœna com-

prehenditur in quinta ex illis, quas nos nuper enarravimus. Inter miſerias vitæ humanæ quis negabit, ignorantiam quoque comprehendi? In perditione beatitudinis, qua innocentes homines fruebantur, quis ambiget, contentam fuiſſe pariter ſcientiæ amiſſionem; quum ſciatur, ſcientias, illarumque poſſeſſionem, non parum conferre ad faciendum hominem ſuo modo in hac vita beatum?

Ad VII. Negatur antecedens; quia, ut vidimus ſupra, omnes pœnæ illæ vero ſerpenti conveniunt. Hoc etiam docent Baſilius, & Chryſoſtomus homiliis in Geneſ., Theodoretus interrogat. 32. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad lit. c. 27., & lib. 14. de civ. Dei c. 11. Damaſcenus lib. 2. de fid. orthod. c. 10. &c. Dato tamen, quod pœnæ illæ, non ad verum ſerpentem, ſed ad Diabolum pertineant; non infertur per hoc, quod verus ſerpens non fuerit, quo uſus eſt Diabolus, ut primam mulierem ſeduceret. Pro prima reſponſione adducimus verba Chryſoſtomi hom. 17. in Geneſ. *Sicut clementiſſimus Pater puniens eum, qui filium ſuum occiderit, & gladium, & enſem, per quæ filius ſuus occiſus eſt, deſtruit, & in multas partes dividit: Eodem modo Deus egit: quippe ſerpens quaſi gladius quidam diabolicæ ſervivit malitiæ; unde & perpetua ipſi pœna intentata eſt. Quo per viſibile, & ſenſibile hoc ratiocinemur, & expendamus, in quanta ignominia ſit & Diabolus. Nam ſi is, qui ut inſtrumentum miniſtravit, tantam expertus eſt indignationem, quale ſupplicium veriſimile eſt ſuſcepturum Diabolum?* Pro ſecunda vero afferimus Auguſtini verba lib. 2. de civ. Dei c. 27. *Non eſt permiſſus tentare fœminam, niſi per ſerpentem; nec virum, niſi per fœminam. Sed in ſerpente ipſe loquutus eſt, utens eo velut organo, movenſque ejus naturam eo modo, quo movere ille, & moveri illa potuit, ad exprimendos verborum ſonos, & ſigna corporalia, per quæ mulier ſuadentis intelligeret voluntatem.*

Ad VIII. Reſpondemus opponentes arguenti hæc Auguſtini verba lib. 14. de civ. Dei c. 15. *Quiſquis hujuſmodi damnationem vel nimiam, vel injuſtam putat, metiri profecto neſcit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahæ non immerito magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium, res difficillima eſt imperata; ita & in paradiſo tanto major inobedientia fuit, quanto id, quod præceptum eſt, nullius difficultatis fuit. Et ſicut obedientia ſecundi hominis eo prædicabilior, quo factus eſt obediens uſque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eo deteſtabilior, quo factus eſt inobediens uſque ad mortem. Ubi enim magna eſt inobedientiæ pœna propoſita, & res a Creatore facilis imperata; quiſnam ſatis explicet, quantum malum ſit, non obedire in re facili, & tanta poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio?*

F I N I S.

I N D E X
VERBORUM, ET RERUM.

A

Abailardus, Petrus, ejuſque error circa Trinitatem, quem S. Bernardus refert. 2.
Abrahamo fuit revelatum Trinitatis myſterium. 14.
Acaciani, & ipſorum Secta inter Arianos. 95.
Acacius, Epiſcopus Cæſareæ, Acaciorum Sectæ Auctor. 95.
Adam non fuit ſeductus. 386.
Quas peculiares pœnas ob ſuum peccatum habuerit? 400.
Fuit eidem revelatum Trinitatis myſterium. 14.
Adam, & Eva, non generaſſent cum libidine, ſi non peccaſſent. 388.
Aequalitas proprietas divinarum Perſonarum in communi, & quid? 121.
Tribuitur peculiariter Filio. 121.
Aërius Arianus, & Aerianorum Sectæ caput. 98.
Aeternitas divinis tribuitur peculiariter Patri. 121.
Aëtius principalis Sectæ Arianorum Coriphæus. 94.
Ejus error contra Spiritum Sanctum. 134.
Aer continet veſtigium Trinitatis ex Patribus. 6.
Agilitas Angelorum quam magna, & imperceptibilis. 295.
Albitius Cardinalis, ejuſque liber de incompatibilitate in Fide, laudatur. 244.
Alexander Conſtantinopolitanus Antiſtes, Nicænæ Fidei propugnator. 94.
Alexandrinum Concilium in cauſſa S. Athanaſii celebratum. 95.
Alogi, ſeu Alogiani, contra Verbi divinitatem errarunt. 85.
S. Ambroſius Arianos acerrime impugnavit. 99.
Ejus opinio de natura Angelorum. 207.
Ejus mens de terreſtri paradiſo. 364.
Amicitia non opponitur adorationi. 316.
Amor eſt Spiritus Sancti nomen. 159.
Eſt in Angelis. 283.
Non eſt naturaliter immutabilis. 284.
Habet pro objecto Deum, ipſos Angelos, & creaturas, quæ mente ſunt prædicæ. ibid.
Anabaptiſtæ quid de Angelis ſentiant? 192.
Dicunt, Dæmones ſalvandos poſt mundi finem. 325.
Anaſtaſius Imperator, ejuſque Edictum contra Trinitatem. 25.
Angeli nomen quid importet? 190.
Legitur tum in ſacris, tum in profanis libris. ibid.
Res importata per nomen quid ſignificet? 191.
Angelorum exiſtentia multipliciter probatur. 193.
Fuerunt a Deo creati non ab æterno, ſed tempore. 197.
Fuerunt creati ſimul cum hoc mundo corporeo. 199.
Sunt omnino incorporei, & pure ſpirituales. 209.
Nullum cum Mulieribus habuerunt carnale commercium. 212.
Non ſunt numero unus, qui diverſa habent nomina. 229.
In ſuæ creationis inſtanti fuerunt integri & perfecti integritate & perfectione naturali. 244.
Ab initio ſuæ creationis acceperunt gratiam habitualem, & actualem. 246.
Angeli inæqualem acceperunt gratiam. 248.
Fuerunt a Deo creati liberi. 250.
Non peccaverunt in primo ſuæ creationis inſtanti. 250.
Potuerunt tamen peccare. 251.
Nec ſunt ubique, nec nullibi. 255.
Sunt Deo intime præſentes. 256.
Non ſunt circumſcriptive in loco, ſed definitive, non immenſive. 258.
Quibus in locis ſint vel permanenter, vel tranſeunter? 258.
Non ſunt formaliter extenſi, ſed virtualiter. 260.
Poſſunt eſſe in pluribus locis, non naturaliter, ſed ſupernaturaliter. 261.
Non ſunt in loco per operationem. 262.
Penetrari, & non penetrari poſſunt ad libitum. 264.
Mutant locum. 266.
Habent motum continuum, & ſucceſſivum. 269.
Inſtantaneum non habent. ibid.
Angeli non poſſunt moveri ab extremo ad extremum ſine tranſitu per medium. 270.
Cognoſcunt ſeipſos citra ullam ſpeciem. 277.
Deum immediate cognoſcunt. ibid.
Alia multa in ſe ipſis cognoſcunt. ibid.
Res particulares cognoſcunt per ſpecies, quæ non ſunt ab objectis realiter diſtinctæ. 278.

Angeli meruerunt non per merita ſubſequentia, nec concomitantia, ſed præcedentia. 310.
Meruerunt augmentum gratiæ ſanctificantis, & beatitudinem ſupernaturalem. ibid.
Sed non per abſequia, quæ Deo circa homines erant exhibituri, at per ſuos actus ſupernaturales. ibid.
Sunt adorandi, & invocandi, non ut adoratur, & invocatur Deus, ſed ut adorantur, & invocantur Sancti cum Deo regnantes. 313.
Angelici Hæretici quinam fuerint? 312. *Alii Hæretici, qui Angelicorum errorem ſuſcitarunt*. 313.
Anima ſeparata habet motum localem. 267.
Anima hominis, ex nihilo facta, dicitur totus homo. 374.
Facta ſimul cum corpore in primo homine. ibid.
Animalis nomine venit aliquando vivens. 211.
S. Anſelmus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, acerrimus defenſor proceſſionis Spiritus Sancti a Filio. 170.
Antiochena Conciliabula in cauſſa Arii. 95.
Antichriſtus an habebit Cuſtodem Angelum? 307.
Apollinaris poſt Arium contra Trinitatem erravit. 100.
Apparitiones Angelorum quomodo fiant? 216.
Ex Scripturis & ex Patribus probantur facta, & quod modo etiam fiant. 218.
Appropriatio proprietas divinarum Perſonarum in communi; & quid ſignificet? 121.
Apulejani Hæretici errarunt contra Cuſtodiam Angelorum. 300.
Aqua continet veſtigium Trinitatis ex Patribus. 6.
Aquarum congregatio quid ſignificet in prima rerum creatione? 357.
Arbor ſcientiæ boni & mali fuit ejuſdem conditionis ac cæteræ arbores, & nomen deſumpſit ab eventu. 371.
Arbor vitæ quænam fuerit? Et quæ ejus virtus? 372.
Archangeli nomen quid ſignificet in Scripturis? 240.
Ariminenſe Concilium in cauſſa Arianorum. 96.
Ariſtotelis ratio pro exiſtentia Angelorum an convincat? 195.
Probatur, ſenſiſſe, Angelos eſſe infinitos. 197.
Ejus error in alio loco circa numerum Angelorum. 229.
Negavit Magiam. 330.
Malos Angelos eſſe negavit. 316.
Ariſtotelei quidam putarunt, Cœlos eſſe animatos. 358.
Arius qui, & qualis? Præcipuus contra Verbi divinitatem adverſarius. 84.
Antea Schiſmaticus, deinde Hæreticus. 91.
Implicite, non explicite, Spiritus Sancti divinitatem negavit; Ariani autem negarunt explicite. 113.
Arius Liddenſis in Cilicia inter primos Arii Sectatores. 94.
Arnobius quid de Trinitate ſenſerit? 21.
Ejus teſtimonium pro Verbi divinitate. 91.
Arnoldus Brixienſis, ejuſque error contra Trinitatem. 101.
Artemones dicitur Alogorum, ſeu Alogianorum, auctor. 85.
Athenagoras quid de Trinitate ſenſerit? Explicatur, & defenditur. 17.
S. Athanaſius pro divinitate Verbi a Sotinianorum calumniis vindicatur. 87.
Sprevit Conſtantini mandatum ut Arium in communionem reciperet. 94.
Acerrimus contra Arianos. 99.
Ejus opinio de natura Angelorum. 207.
Quid intelligat per vocem circumſcribi? 261.
Favet inſtantaneæ potius, quam ſucceſſivæ rerum creationi. 350.
Athanaſius Anazarbenſis inter primos Arii Sectatores. 94.
Athei Angelos pertinaciter negant. 191.
Averroes negavit Magiam. 330.
Auctor Quæſtionum ad Orthodoxos, quæ tribuuntur Juſtino, Philoſopho, & Martiri, erravit contra Cuſtodiam Angelorum. 300.
S. Auguſtinus plures libros ſcripſit contra Arianos. 99.
Ejus opinio de natura Angelorum. 207.
An tribuerit Angelis motum? 268.
Ejus mens explicatur circa cognitionem ſecretorum cordium, quam videtur tribuere Angelis, & animabus ſeparatis. 275.
An dixerit, Cœlos eſſe animatos? 358.
Quæ ejus ſententia de terreſtri Paradiſo? 366.
Auguſtinus Marloratus, ejuſque error contra cultum Angelorum. 313.
Authoris nomen an poſſit tribui primæ Trinitatis Perſonæ? 136.
Autotheani, & ipſarum error contra divinas Proceſſiones. 60.
Autumno, non primo vere, fuit mundus conditus. 356.
Auxentius Mediolanenſis Arianus Sectator Eunomii. 94.

B

Baptiſmus continet Spiritus Sancti nomen; ex quo Patres inferunt Spiritus Sancti divinitatem. 116.

Ba-

Barachiel, nomen Angeli, quid ſignificet? 242.
Barda Imperator, fautor Photii, occiditur. 166.
Barenſe Concilium ſub Urbano II. 166.
Barthelomæus Vveſtemerus, ejuſque error contra cultum Angelorum. 313.
Baſilides Hæreticus dixit, Angelos eſſe genitos. 196.
S. Baſilius Arianos Eunomianos impugnavit. 99.
Ejus œconomia loquendo de Spiritu Sancto. 120.
Semper credidit Spiritus Sancti divinitatem. ibid.
Explicatur quando dicit nomen Patris non convenire primæ Perſonæ. 134.
Explicatur dum tribuit Spiritui Sancto nomen Verbi. 142.
Ejus verba, quæ opponuntur, tanquam contraria proceſſioni Spiritus Sancti ex Filio, explicantur. 174.
Ejus opinio de natura Angelorum. 206.
Quid intellexerit de loco Angelorum? 235.
Explicatur circa cuſtodiam Angelorum, quæ datur hominibus Peccatoribus. 306.
Baſilius Ancyranus, Princeps Semi-Arianorum. 95.
Baſilius Macedo Imperator rejicit Photium. 166.
Erravit circa eſſentiam Dæmonum. 317.
Beatitudo quotuplex; & qualis? 243.
Naturalem habuerunt Angeli ab initio, non vero ſupernaturalem, quamvis potuerint illam habere. 244.
Naturalis excludit omnem omnino miſeriam. 244.
Beatificare eſſentialiter eſt ſolius Dei; accidentaliter primario eſt Dei, ſecundario Angelorum. 293.
Beda quid ſenſerit de Cœlo Empyreo? 203.
Numerat plura nomina Angelorum, ſed non recipiuntur. 242.
Ejus mens explicatur circa cognitionem ſecretorum cordium, quam tribuere videtur Angelis, & Animabus ſeparatis. 274.
Behemot ſecundum literam eſt Elephas, aut animal ex genere Draconum. 199.
Quid ſignificet apud Job? 349.
Beneficia, quæ Deus confert corporibus, profunt animabus. 300.
Benetellus, Aloyſius Maria, Ordinis Minimorum, in lingua hebraica peritiſſimus, laudatur. 15.
Bernardinus Ochinus, & ejus error contra Trinitatem. 27.
Ejus error contra Spiritum Sanctum. 114.
S. Bernardus, & nomina Dæmonum, quæ enumerat. 242.
Quid ſenſerit de Angelorum motu? 268.
Ejus mens explicatur circa diſcurſum Angelorum. 282.
Beſtiæ noxiæ fuerunt a principio a Deo creatæ. 361.
Beza, Theodorus, ejuſque error contra Trinitatem. 102.
Biterrenſe Conciliabulum in cauſſa Arii. 96.
Boetius quomodo intelligatur, quando dicit, incorporeum non eſſe in loco? 257.
Bogomili Hæretici, eorumque contra Trinitatem errores. 25.
Dixerunt, Satanam eſſe filium Dei. 317.
S. Bonaventura docuit, in Angelis fuiſſe ſimul meritum cum præmio. 308.
Bonitas in divinis tribuitur Spiritui Sancto. 121.
Bonus dicitur peculiariter Spiritus Sanctus. 164.
Bullingerus, Henricus, ejuſque error contra Trinitatem. 102.
Ejuſdem error contra cultum Angelorum. 313.

C

Cajetanus Cardinalis, ejuſque opinio de natura Angelorum. 209.
An urgaverit motum localem ſubſtantiis ſpiritualibus, & quo ſenſu? 266.
Cain poſt Abelis mortem timebat parentes, & nepotes ſuos. 378.
Calvinus, ejuſque error contra Trinitatem. 27.
Ejuſdem error contra Spiritum Sanctum. 114.
Erravit contra Cuſtodiam Angelorum. 301.
Erravit contra cultum Angelorum. 313.
Ejus irriſiones de Exorciſmis Eccleſiæ. 330.
Capitis nomen an tribuatur Patri in divinis? 137.
Cardanus negavit Dæmones Incubos, & Succubos. 331.
Caſſianus, ejuſque error circa Angelum malum, quem tribuit ſingulis hominibus. 308.
Caſſius, Philoſophus Epicureus, negavit, eſſe Dæmones. 316.
Cauſſa nomen an poſſit tribui primæ Perſonæ in divinis? 135.
Cerdo nominat Diabolum nobis beneficum. 317.
Cerinthus contra Trinitatem ſenſiſſe dicitur. 23.
Certus dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Chamai Gaon, Rabinus, ejuſque teſtimonium de Trinitate. 15.
Chaos an fuerit in prima mundi creatione, & quid ejus nomine intelligatur? 346.
Character dicitur ſecunda Perſona, & quare? 138.
Chariſius, Presbyter, Symbolum Neſtorii Concilio Epheſino præſentat. 181.
Charitas dicitur Spiritus Sanctus. 163.

Digitized by Google

Cherubim qua ratione vocentur ab Auguſtino Poteſtates, & Virtutes? 241.
Chilpericus, Francorum Rex, ejuſque Edictum contra Trinitatem. 25.
Chriſtianus Francus, ejuſque contra Trinitatem error. 27.
Proceſſionem Spiritus Sancti negat. 167.
Chriſtus quare dicatur primogenitus omnis creaturæ? 110.
Qua ratione dicatur primogenitus? 154.
An habuerit Cuſtodem Angelum? 306.
Chryſoſtomus non docuit, Infideles carere cuſtodia Angelorum. 306.
Cicero putavit, Cælos eſſe animatos. 358.
Circumſeſſio in divinis quid ſignificet? 48.
Eſt proprietas divinarum Perſonarum in communi. 121.
Claudianus Mamertus, ejuſque error circa cognitionem myſteriorum fidei. L.
A Petavio dicitur Mamertinus. 2.
Male intellexit Platonem, & Platonicos ex eodem Petavio. ibid.
Clemens Alexandrinus quid de Trinitate ſenſerit explicatur, & defenditur. 17.
Circa Verbi divinitatem defenditur a Socinianorum calumnia. 88.
Ejus opinio de natura Angelorum. 206.
Cæli nomine quid ſignificetur Geneſ. 1.199.& 353.
Cælum Cæli ſignificat Cælum SS. Trinitatis ſecundum S. Thomam [illegible] 203.
Cæleſtia corpora non ſunt animata. 358.
Cognitio vel probabilis, vel evidens. L.
Cognoſcibilitas divini myſterii implicita, & explicita. I.
Concordia in divinis tribuitur Spiritui Sancto. 121.
Concupiſcentia, ad quæcumque objecta feratur, ſemper eſt mala, & quare? 386.
Concupiſcentia carnis adverſus Spiritum fuit prima pœna primi peccati, communis Adæ, & Evæ, & ejus Poſteris. 399.
Concupiſcentia motum nullum habuit primus homo in ſtatu innocentiæ. 384.
Conſtantia, Conſtantini magni Soror, Arium protegebat. 94.
Conſtantinopolitanum Conciliabulum ab Arianis celebratum. 94.
Conſtantinus Copronymus magiam exercebat. 331.
Conſtantinus magnus aliquando deceptus Arianorum Sectæ adhæſit, numquam hæreſi. 98.
Conſubſtantialitas proprietas divinarum Perſonarum in communi, & quid? 121.
Cordium ſcrutator eſt Deus. 118.
Corpus hominis innocentis fuit a Deo immortalitate donatum. 384.
Nulli miſeriæ fuit obnoxium. 385.
Creare proprium eſt Dei. 119.
Creatura an ſint effectus divinæ Trinitatis? 4.
Creſconius, ejuſque error contra Spiritum Sanctum. 114.
Cuſtodia Angelorum eſt de fide. 301.
Ad quid parvulis proſit? 306.
Cuſtodia divina perfectio an impediat Cuſtodiam Angelorum? 303.
Cyprianus quid de Trinitate ſenſerit? Explicatur, & defenditur. 20.
Circa Verbi divinitatem a Socinianorum calumnia vindicatur. 90.
Cyrillus Alexandrinus Arianos impugnavit. 99.
Ejus opinio de natura Angelorum. 207.

D

Allaus, Calvinianus, reprehenditur a Natali Alexandro, quod dixerit, Auguſtinum putaſſe, Cælos eſſe animatos. 358.
Damaſus Papa, ejuſque definitio de Spiritus Sancti divinitate. 116.
Non fecit additionem particulæ Filioque *Symbolo Conſtantinopolitano.* 176.
Davidi fuit revelatum Trinitatis myſterium. 14.
Defectus cauſæ ſecundæ in agendo an tribui debeat cauſſæ primæ? 255.
Definitive ſunt Angeli in loco; & quomodo explicetur? 260.
Dei nomen ſecundum vim vocis ſignificat ſcientiam, vel providentiam. 110.
Demetrius Cydonius reſpondet libro a Cabaſila contra S. Thomam edito circa proceſſionem Spiritus Sancti a Filio. 166.
Demonſtratio a quiparantia quid ſit apud Lullum? 3.
Demophilus Arianus Sectator Eunomii. 94.
Determinatio ſeu limitatio in ordine ad locum quomodo intelligatur? 264.
Deus dici poteſt aus. 49.
An in creatione hominis more Principum ſit in plurali loquutus? 29.
Non fuit auctor peccati primorum parentum. 393.
Diabolus fuit cauſſa externa peccati primorum parentum. 393.
Didymus Alexandrinus quomodo intelligatur, quando ſcribit, ſpirituales creaturas non circumſcribi loco, & finibus? 257.
Ejus error circa loqutionem Angelorum. 287.
Differentia inter æqualitatem, & conſubſtantialitatem. 122.
Inter Symbolum, & fidei Confeſſionem. 181.
Inter Miſſionem Angelorum, & Miſſionem Filii, & Spiritus Sancti. 297.

Dictio

Digitized by Google

Dictio in divinis, ejuſque differentia a Cognitione. 141.
Digitus Dei dexteræ dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Diluvium venit propter commiſtionem filiorum Dei cum filiabus hominum. 213.
Dionyſius Romanus quid de Trinitate ſenſerit? 21.
Dionyſius quidam dicitur ante Arium Verbi divinitatem negaſſe. 85.
Dionyſius Alexandrinus, ejuſque teſtimonium pro Verbi divinitate. 88.
Dionyſius Romanus, ejuſque teſtimonium pro divinitate Verbi. 90.
Dionyſius, Mediolanenſis Epiſcopus non vult ſubſcribere damnationi Athanaſii. 96.
Dionyſius Alexandrinus accuſatur origeniani erroris contra Spiritum Sanctum; defenditur. 112.
Diſcuſſionis argumentum quale? 44.
Diſcrimen inter proceſſionem Verbi, & proceſſionem Spiritus Sancti, quale ſit, difficile eſt invenire. 155.
Diſertus dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Diſtinctio Angelorum non pertinet ad fidem. 232.
Diſcurſus an Angelis conveniat? 282.
Divinitas Verbi aſſerta, & probata. 102.
Dæmones an habuerint in ſtatu viæ, ſaltem tranſeunter, intuitivam Dei viſionem? 243.
Sunt permanenter in aere, ut hominess infeſtent. 259.
Quomodo intelligatur S. Petrus, quando dixit, omnes Dæmones eſſe in Inferno detruſos? ibid.
An vere cognoverint, Chriſtum eſſe Filium Dei? 276.
A Cuſtodibus Angelis impediuntur, ne hominibus noceant. 307.
Eorum exiſtentia probatur. 317.
Sunt mali Angeli, ſeu mali Spiritus, non natura, ſed culpa mali. 317.
Nunquam habuerunt corpora cœleſtia, nec modo habent corpora aeria. 319.
Fuerunt ab initio mali, ſed non natura mali. 320.
Quinam fuerint Prævaricatores? 324.
Ipſorum Princeps quinam fuerit? 324.
Apparitiones ipſorum, & operationes, negantur a Caſſio, Michaele Balbo, Andrea Tiraquello, & aliis. 330.
Vera miracula efficere non poſſunt. 332.
Donatiſtæ contra Trinitatem errarunt. 100.
Eorundem error contra Spiritum Sanctum. 114.
Donum eſt Spiritus Sancti nomen. 159.
Dotes cognitionis Angelorum quænam ſint? 281.
Dulcis dicitur Spiritus Sanctus? 164.
Durandus an dixerit, ſubſtantiam Angeli eſſe ubique? 256.
Negat per ſequelam motum Angelorum. 266.
Ejus explicatio loquutionis Angelorum. 288.
Negavit illuminationem Angelorum. 292.

E

Ebion contra Trinitatem ſenſiſſe dicitur. 23.
Emanatio in divinis quid? 69.
Emmanuel Magnanus, Ordinis Minimorum, & ejus reſponſiones ad Lullii argumenta circa Trinitatis cognitionem. 5.
Ejus explicatio de Syllogiſmo expoſitorio. 8.
Quomodo explicet relationes reales ſecundum eſſe Ad in divinis? 71.
Quam differentiam ponat inter relationem, & relativum? 77.
Empireum Cœlum eſt locus permanentiæ Angelorum bonorum. 258.
Enoch liber eſt omnino ſuppoſititus. 214.
Ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam quodnam eſt? 276.
Epheſini Concilii prohibitio circa additionem ad Symbolum quomodo intelligatur? 180.
S. Epiphanius mirifice favet proceſſioni Spiritus Sancti ex Filio. 170.
Arianos impugnavit. 99.
Energumeni quid ſint? Et an in mundo ſint? 334.
Rationes in contrarium ſolvuntur. ibid.
Eraſmus Roterodamus, ejuſque opinio de Arianis. 101.
Ejus mens circa Spiritum Sanctum. 114.
Voluit, Secundam Perſonam potius dicendam Sermonem, quam Verbum; impugnatur. 141.
Eraſmus Sarcerius, ejuſque error circa cultum Angelorum. 313.
Ejectio a Paradiſo, amiſſio beatitudinis, & miſeriarum hujus vitæ acquiſitio, fuit quinta pœna peccati primorum parentum. 399.
Errare non potuit primus homo in ſtatu innocentiæ. 183.
Error quomodo, & quando ſit in peccato? 321.
Eſſentia divina non eſt genus ad perſonalitates divinas. 8.
In divinis quid ſignificet? 48.
Ethnici quidam Philoſophi Angelos non admiſerunt. 191.
Eudoxius, Arianorum Epiſcopus. 98.
Eunomius, principalis Secta Arianorum Coriphæus. 94.
Ejus error contra Spiritum Sanctum. 114.
An & quomodo dixerit, Spiritum Sanctum a Filio non procedere? 164.

Engu-

Eugubinus, Steucus, ejuſque opinio de natura Angelorum. 209.
Eva trahit originem ad Adamo, quamvis non fuerit ab Adamo genita. 157.
Prima Mulier fuit poſt primum hominem facta extra Paradiſum. 374.
Tergeminos partus quolibet anno effundebat. 378.
Non fuit decepta a ſerpente in ſtatu innocentiæ, ſed in ſtatu peccati. 386.
Ejus peccatum, dicit Rupertus, fuiſſe curioſitatem; Hugo Victorinus dubitationem de comminatione mortis; alii mendacium, alii ſuperbiam, alii infidelitatem. 394.
Quas peculiares pœnas habuerit? 399.
Euſebius, Nicomedienſis Epiſcopus, Arii Sectator, fautor, & protector. 93.
Fuit primus vocis homouſion inventor. 124.
Euſebius Cæſarienſis inter primos Arii Sectatores. 93.
Euſebius Samoſatenus Semi-Arianus. 95.
Euſebius, Vercellenſis Epiſcopus, non vult ſubſcribere Athanaſii damnatione, & qua arte? 96.
Euſthatius Sabaſtenus præcipuus Arianus. 98.
Ejus error contra Spiritum Sanctum. 114.

F

Facultas ſacra Pariſienſis, & articuli ab ipſa damnati ann. 1325. 234.
Familiani, & ipſorum error contra Spiritum Sanctum. 115.
Faſtidioſus, Apoſtata Arianus, contra quem ſcripſit S. Fulgentius. 98.
Fauſtinus Presbyter ſcripſit librum contra Arianos, illumque Flacillæ Imperatrici dicavit. 99.
Fauſtus Manichæus, ejuſque error contra Trinitatem. 25.
Contra unitatem naturæ erravit, & contra Perſonarum Trinitatem. 100.
Dixit, Angelos fuiſſe genitas. 196.
Voluit quoque, Angelos eſſe corporeos. 205.
Felicianus, Arianorum Sectator præcipuus. 98.
Fides Chriſti non erat abolenda poſt Chriſti Aſcenſionem. 110.
Filii Dei qui ſint in Scripturis Sanctis? 112.
Filii nomen quomodo tribuatur ſecundæ Perſonæ? 142.
Filius in divinis quomodo intelligatur, & explicetur a Socinianis; refelluntur. 35.
Filioque, additio facta Symbolo, quando, & a quo facta? 176.
Legitur in Concilio Toletano III. 177.
Et in aliis ſubſequentibus. Ibidem.
In Eccleſiis Galliarum, & Germaniæ ſeculo VIII. in Eccleſia Romana ſeculo IX. 178.
Legitime fuit facta. 178.
Figura ſubſtantiæ dicitur ſecunda Perſona divina, & quare? 138.
Firmamenti nomine quid veniat in prima rerum creatione. 353.
Firmianus, ejuſque error contra Spiritum Sanctum. 115.
Fletus Angelorum quid ſignificet? 222.
Fons vivus dicitur Spiritus Sanctus. 163.
Fontis nomen an tribuatur Patri? 137.
Franciſcus Davidis, ejuſque error contra Trinitatem. 27.
Fruitio in divinis tribuitur Spiritui Sancto. 121.
S. Fulgentius ſcribit contra Faſtidioſum Arianum. 98.
Alias libros contra Arianos ſcribit. 99.
Futura prædicere ſolius Dei eſt. 119.
Neceſſaria, & contingentia, cognoſcuntur ab Angelis; etiam futura libera, ſed non certo & infallibiliter, & ſolum conjecturaliter, & probabiliter. 272.
Fuga & elongatio a Deo fuit ſecunda pœna primi peccati primorum hominum. 399.

G

Gabriel quid ſignificet? 242.
Gabrielis Theologi explicatio loquutionis Angelorum. 287.
Gemere Spiritum Sanctum pro nobis, quid ſignificet? 119.
Generatio quid ſit in divinis? 152.
Proceſſio Verbi tantum eſt generatio, non vero illa Spiritus Sancti. Ibidem.
Proceſſio Verbi non eſt generatio, quia Verbum primo producitur. 156.
Nec quia Verbum procedit in ſimilitudinem naturæ fecundæ. Ibidem.
Nec quia Verbum procedit ut imago. 157.
Nec quia Verbum procedit per intellectum, & intellectio eſt formaliter, ſeu virtualiter natura. 157.
Nec quia Verbum procedit ſimile in proprietate perſonali. 157.
Generationis modus idem fuiſſet in ſtatu innocentiæ, ac modo eſt. 390.
Georgius Blandrata, ejuſque error contra Trinitatem. 27.
Ejuſdem error contra Spiritum Sanctum. 114.
Georgius David Angelos non admittit. 192.
Georgiodavidici Diabolum eſſe negant. 316.
Georgius Alexandrinus fuit ſocius Eunomii. 94.
Georgius Laodicenus Semi-Arianorum Sectæ Princeps. 95.
Georgius Paulus in Polonia, ejuſque error contra

Digitized by Google

tra Trinitatem. 102.
Germinius, Sirmienſis Epiſcopus Arianus, Sectator Eunomii. 94.
Gnoſtici magiam exercebant. 331.
Gratiæ diffuſio tribuitur Spiritui Sancto. 116.
Gratia habitualis in quo conſiſtat? 245.
Eſt ſemen gloriæ. ibid.
Gratia actualis fuit in Angelis ab initio ſuæ creationis. 247.
An veniat in Scripturis nomine lucis & laudis? 248.
Inæqualis fuit a Deo data Angelis creationis initio. 249.
Gratiæ myſteria an cognoſcantur ab Angelis? 275.
Et quæ myſteria? ibid.
Gravitas maxima in peccato primorum Parentum. 397.
Gregorius Beryteuſis inter primos Arii Sectatores. 94.
Gregorius magnus quam faciat differentiam inter Spiritum Deum, & Spiritum Angelicum? 261.
Explicatur ejus mens circa cognitionem ſecretorum cordium, quam tribuere videtur Angelis, & animabus ſeparatis. 274.
Gregorius Thaumaturgus, ejuſque teſtimonium de Verbi divinitate. 88.
Græci quando primo negarunt proceſſionem Spiritus Sancti a Filio? 165.
Guillelmus apud Coccium, ejuſque error contra Spiritum Sanctum. 114.
Guillelmus Lineuſis Magus fuit. 331.

H.

Habitat Deus in anima intelligente, tanquam in templo. 118.
Haccados, Rabinus, ejuſque teſtimonium de Trinitate. 15.
Hai Gaon, Rabinus, ejuſque teſtimonium de Trinitate. 15.
Hæretici ſuas præcipuas hæreſes ex antiquis Philoſophis deduxerunt. 12.
Heribertus, ejuſque error contra Trinitatem. 26.
Hebræi non habuerunt Trinitatis myſterium expreſſe revelatum, & quare? 14.
Helceſaitæ dicebant, Spiritum Sanctum eſſe uxorem Verbi. 112.
Henricus Bullingerus, ejuſque contra Trinitatem error. 102.
Henricus Cornelius Agrippa, ejuſque irriſiones de Eccleſiæ exorciſmis. 330.
Herbæ noxiæ fuerunt a principio a Deo creatæ. 361.
Hermannus Riſunich dixit, Angelos non fuiſſe a Deo creatos. 197.
Hermogenes, ejuſque error contra Trinitatem. 23.
Voluit, Diabolos eſſe in materiam refundendos. 317.
Hervæus quia negat, Angelos eſſe in loco, conſequenter negat iiſdem motum. 266.
Herminiani Hæretici negarunt viſibilem paradiſum. 363.
Hierarchia vox quid ſignificet? 237.
Quid in re importet? 237.
Quot ſint? ibid.
Hierarchias Angelorum Calvinus, Beza, aliique Heretici negarunt. 237.
Hierarchiæ Angelorum ſunt tres. 238.
Earundem operationes ſunt tres. 239.
Hieremias, Schiſmaticus Patriarcha Græcus, & ejus inſulſæ rationes contra Proceſſionem Spiritus Sancti a Filio. 169.
Hierax, Egyptius, Sectator Manicheorum, & plurium errarum auctor; præcipuus autem contra Trinitatem ejuſdem error. 2.
S. Hieronymi verba de Angelorum creatione explicantur. 197.
Ejuſdem mens de terreſtri paradiſo. 364.
Hieronymus Vvellerus, ejuſque irriſiones de Eccleſiæ exorciſmis. 330.
Hieroſolymitanum Conciliabulum ab Arianis coactum. 94.
Hieroſolymitanum Concilium legitimum in cauſſa Athanaſii. 96.
Hilarius Diaconus, Legatus Apoſtolicus in Concilio Nicæno I. 96.
S. Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus, ab Arianis inſectatus. 96.
Acerrimus Arianorum hoſtis poſt Athanaſium. 99.
Ejuſdem opinio de natura Angelorum. 207.
Hiperius, Andreas, quid de Angelis ſenſerit? 192.
Homo qua ratione ſit divinæ Trinitatis imago? 4.
Ex Patribus vere continet Trinitatis veſtigium. 6.
Ejus præſtantia ex ipſius creatione. 373.
Dignitas ex eo, quod poſt alias creaturas ultima loco ſit creatus. ibid.
Excellentia ex dominio, quod habuit in ceteras creaturas. ibid.
Majeſtas ex eo, quod dicitur factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. ibid.
Ejus corpus erectum, & quare? 374.
Proportio partium corporis, congruentia, & venuſtas. ibid.
Homines ſinguli ſuum habent Cuſtodem Angelum. 304.
Homines primi in ſtatu gratiæ ſanctificantis fuerunt a Deo creati. 379.
Fuerunt etiam a Deo creati beati, non perfecta, ſed imperfecta beatitudine. 381.

Homonſios in divinis idem ac conſubſtantialis. 122.
Homouſios idem ac ſimilis ſubſtantiæ. 122.
Hoſius, Cordubenſis Epiſcopus, Conſtantini epiſtolam defert Alexandro, & Ario, pro pace inter ipſos componenda. 93
Alexandrinæ Concilio II. præſedit contra Arium. 93.
Subſcribit formulæ Arianorum; ſed deinde pœnitet facti, & illud revocat. 96.
Hoſtenes, antiquus Philoſophus, Angelos admiſit. 194.
Huetius, Daniel, doctus Epiſcopus Gallus temporum noſtrorum, laudatur, ejuſque diſſertatio de terreſtri paradiſo commendatur. 367.
Humanus dicitur Spiritus Sanctus, & quare? 164.
Hypoſtaſis in divinis quid ſignificet? 48.
Hypotheſis de Spiritu Sancto, ſi a Filio non procederet, an ab eo diſtingueretur? eſt admittenda. 183. *Non eſt inutilis, ſed ad myſterii veritatem probandam confert.* ibid.

I.

Jacobo, Patriarchæ veteris legis, fuit revelatum Trinitatis myſterium. 14.
Jacobus, Niſibis Epiſcopus, Nicænæ Fidei propugnator. 94.
Idea dicitur ſecunda Trinitatis Perſona, & quare? 138.
Jehudiel, nomen Angeli, quid ſignificet? 242.
S. Ignatius martir quid de Trinitate ſenſerit? 17.
Ejus teſtimonium de divinitate Verbi. 86.
Ignis dicitur Spiritus Sanctus. 163.
Continet veſtigium Trinitatis ex Patribus. 6.
Illuminare in Angelis idem eſt, ac docere. 293.
Illuminatio Angelorum eſt loquutio doctrinalis. 293.
Non fit immediate a Deo, ſed alii ut plurimum illuminantur ab aliis. 292.
Major illuminatio quid faciat reſpectu minoris? 293.
Quorum objectorum fiat a Deo, & quorum ab Angelis ſuperioribus? ibid.
Illa, quæ fit ab Angelis, quomodo differat ab illa, quæ fit a Deo? 294.
Imaginis nomen non importat ſolam ſimilitudinem, ſed ſimilitudinem ex vi proceſſionis. 146.
Imago dicitur ſecunda Trinitatis Perſona, & quare? 138.
Imaginatio non operatur apparitiones Angelorum. 219.
Immortales ſunt Angeli. 224.
Immortalitas convenit Angelis ab intrinſeco, & per naturam, & non ab extrinſeco, & per gratiam; explicatur aſſertio, & probatur, quia Angeli non ſunt compoſiti, ſed ſimplices. 226.
Impedimentum non eſt Angelis ipſorum miſſio ad viſionem Dei. 297.
Immundi Spiritus quare dicantur Dæmones? 319.
Impotentia ad bonum operandum fuit quarta pœna primi peccati primorum parentum. 399.
Incorruptibiles ſunt Angeli. 224.
Incorruptibilitas convenit Angelis ab intrinſeco & ex natura, non vero ab extrinſeco & per gratiam. 226.
Inconveniens nullum eſt, ſi Angeli inferiores a ſuperioribus mittantur. 297.
Inconſiderantia an fuerit in Angelis, quando peccaverunt? 320.
Incubi Dæmones a quibuſdam negantur. 330.
Sunt tamen vere, & dantur. 342.
Individuationis principium non eſt materia. 233.
Individuum unicum ſub qualibet ſpecie Angelica non datur. 232.
Individuorum multiplicationis una ex cauſis eſt conſervatio ſpeciei, ſed non unica. 235.
Indifferentia eſt incompatibilis cum determinatione. 254.
Increpant pro delictis Angeli Cuſtodes. 307.
Infernus eſt locus permanentiæ Angelorum malorum. 258.
Ipſius ignis, quomodo intelligatur. 328.
Inferior Angelus an aliquando poſſit illuminare ſuperiorem. 295.
Infideles habent cuſtodiam Angelorum. 305.
Infuſam habuit a Deo ſcientiam in ſtatu innocentiæ primus homo illarum rerum, quarum potuiſſet procedente tempore ſcientificam cognitionem ex ſe ipſo habere. 389.
Ingenitus dicitur dupliciter. 155.
Dicitur Pater, & quare? 129.
Hoc nomen quare fuerit ſuſpectum Athanaſio? 131.
Initium primæ Perſonæ non poteſt dici, quamvis dicatur principium. 135.
Innaſcibilitas in divinis eſt notio. 126.
Differentia inter ipſam, & ingenerabilitatem, & inſpirabilitatem. ibid.
Intellectus in creatis quare non generet, in divinis autem generet? 155.
Intelligentiæ quare denominentur Angeli? 282.
Innocentiæ ſtatus qui dicatur in primo homine? 383.
Inſtantanea rerum creatio fuit a Deo facta, non ſucceſſive. 348.

Inſufflare, Spiritum Sanctum ſignificat procedere ab inſufflante. 168.
Interpellare Spiritum Sanctum pro nobis quid ſignificet? 119.
Jaachimus Abbas, ejuſque error contra Trinitatem. 100.
Joannes Cazonovius proceſſionem Spiritus Sancti negavit. 167.
Jaannes Aponenſis negavit eſſe Dæmones. 317.
Joannes Clericus heterodoxus negat ſingulas homines ſuum habere Cuſtodem Angelum. 304.
Joannes Baptiſta a Porta negavit Dæmones Incubos, & Succubos. 331.
Jaannes Damaſcenus an negaverit proceſſionem Spiritus Sancti a Filio? 165.
Jaannes de Vveſalia contra proceſſionem Spiritus Sancti ſcripſit. 167.
Joannes Philopponus, ejus error cantra Trinitatem. 100.
Joannes Pithæus negat proceſſionem Spiritus Sancti a Filio. 165.
Joannes Sommerus, ejuſque error cantra Spiritum Sanctum. 115.
Proceſſiones in divinis negavit. 167.
Joannes Theſſalonicenſis, ejuſque Dialogi auctoritas. 211.
Joannes Vvierus, ejuſque judicium de Lamiis. 330.
Job verba de numero Angelorum quomodo intelligantur? 231.
Jaſepho Patriarchæ fuit revelatum Trinitatis myſterium. 14.
Joſephus Ciante in libra habraica peritus. 15.
Iſaaco fuit revelatum Trinitatis myſterium. 14.
Irenæus quid de Trinitate ſenſerit, explicatur, & defenditur. 17.
Pro divinitate Verbi defenditur a Socinianarum calumnia. 87.
Iſaacus Peyrerius fabula Præadamitarum auctor. 375.
Palidoniam cecinit. ibid.
Judeorum errores circa Dæmones. 317.
Julianus Apoſtata; ejuſque dictum de Chriſtianis.
Juſtinus martir quid de Trinitate ſcripſerit? 17.
Explicatur, & defenditur. ibid.
Pro divinitate Verbi defenditur a Socinianarum calumnia. 87.
Ejus opinio de natura Angelorum. 206.

L.

LActantius Firmianus quid de Trinitate ſenſerit? 2.
Pro Verbi divinitate a Socinianorum calumnia defenditur. 90.
PAR. II.
Lambertus Danæus, ejuſque error contra Trinitatem. 27.
Laodicænum Concilium non obſtat adorationi Angelarum. 315.
Lampſacenum Canciliabulum in cauſſa Arianorum. 98.
Leo II. quomado ſe geſſerit circa additionem Filioque? 176.
Leoviebildus, Rex Hiſpaniarum, ejuſque error contra Spiritum Sanctum. 114.
Levinus Lemnius, ejuſque error circa operationes Dæmanum. 330.
Liberius, Romanus Pontifex, nalens ſubſcribere Athanaſii damnationi, exul in Traciam mittitur. 96.
Damnavit deinde Athanaſium, & ſubſcripſit formulæ Arianorum per vim; ſed non obinde hæreticus. 96.
Libida haminis, & libido bruti, quomodo differant? 389.
Libido, ſeu ſervitus ſub libidine, fuit tertia pœna primi peccati primorum hominum. 399.
Libertini Angelas non admittunt. 192.
Negant immortalitatem Spirituum. 223.
Pro Dæmone intelligunt mundum, & peccatum. 317.
Lignum ſcientiæ boni, & mali non fuit cauſſa, ſed occaſia peccati primarum parentum. 393.
Locus creationis Angelorum fuit Cælum Empyreum. 202.
Locus certus & determinatus dari debet Angelis. 256.
Locus permanentiæ Angelorum, qui ſit? 258.
Locus terreſtris paradiſi quinam fuerit? 367.
Lollardi erraruut dicendo, Dæmones e cælo injuria pulſos, & aliquando eſſe ſalvandos. 325.
Lombardus, Petrus, dixit, non cuique homini dari Angelum Cuſtodem. 301.
Docuit, Angelos habuiſſe beatitudinem ex meritis ſubſequentibus. 308.
Loquutio Angelorum quænam ſit? 286.
Loquuntur Angeli inter ſe, & cum hominibus. 288.
Quomoda laquantur ex P. Magnano? 290.
Loyſius, vel Liſajus, ejuſque error contra Trinitatem. 26.
Lucas Loſſius, ejuſque mens de Trinitatis myſterio. 102.
Lucas Hernberger, ejuſque error contra Spiritum Sanctum. 114.
Lucernæ exemplo explicabat Trinitatis myſterium Hierax hæreticus. 2.
Lucianus, ejuſque teſtimonium de Verbi divinitate. 88.
Lucifer, Epiſcopus Calaritanus, S. Sedis Apoſtolicæ

ſtolicæ Legatus in Concilia Nicæno I. 96.
Fuit implacabilis Arianorum hoſtis. 99.
Scripſit plures libros contra Conſtantium Imperatorem, Arianorum protectorem. 99.
Lucius Apulejus dixit, Dæmones eſſe genere animalia, corpore aëria. 317.
Lutherus, ejuſque error contra Trinitatem. 26.
Lux dicitur ſecunda Trinitatis Perſona, & quare? 140.

M.

Macedoniani putant, impoſſibile eſſe, Spiritum Sanctum eſſe Deum, & non eſſe genitum. 152.
Macedonius primum fuit Arii ſectator, deinde Macedonianorum auctor. 98.
Ejus error contra Spiritum Sanctum. 113.
An dicendum ſit, proceſſionem Spiritus Sancti negaſſe? 167.
Magdeburgenſes errarunt contra Cuſtodiam Angelorum. 301.
Magia eſt in mundo. 336.
Eſt omnino illicita, & mala. ibid.
Eam Zoroaſtres invenit. 331.
Simon Magus, ejuſque diſcipuli exercuerunt. ibid.
Magnanus, ejuſque opinio circa apparitiones Angelorum. 216.
Ejus explicatio loquutionis Angelorum. 290.
Mahometus, ejuſque error contra Trinitatem. 26.
Angelos ex igne creatos dixit. 205.
Male ſenſit de immortalitate Angelorum. 223.
Dixit, Diabolus productos fuiſſe a Deo ex igne, aliique ipſius errores circa Dæmones. 317.
Erravit dicendo Dæmones aliquando ſalvandos. 325.
Maliæ an ſint? Quæ ſint? Aliaque plura de ipſis. 339.
Mair Gabbai, Rabinus, ejuſque teſtimonium de Trinitate. 15.
Malum Angelum non quilibet homo habet, ſicut habet Angelum bonum. 307.
Manichæi Agannenſes Diabolum adorabant. 331.
Manuel Caleeas putavit, additionem Filioque factam fuiſſe a Damaſo, Romano Pontifice. 176.
Marcellus Ancyranus Nicænæ fidei propugnator. 94.
Marcellus, ejuſque error contra Trinitatem. 24.
Ejuſdem error contra Spiritum Sanctum. 113.
Marcion ex Platonis doctrina ſuam hæreſim concinnavit. 12.
Nominat Diabolum nobis beneficum. 317.
Marcus Arethuſius, Semi-Arianus. 95.
Marcus Epheſinus, implacabilis Latinorum hoſtis, contra proceſſionem Spiritus Sancti a Filio in Florentino Concilio acerrime pugnavit. 167.
Maria Virgo, Dei Genetrix, an habuerit Angelum Cuſtodem? 307.
Maris, Chalcedonis Epiſcopus, Arianus. 94.
Marius Victorinus, Afer, Arianos impugnavit. 99.
Materiale quot modis accipiatur? 236.
Matangiſmonitæ contra Verbi divinitatem errarunt. 85.
Matthias Cervaſius, Anabaptiſta, & ejus error contra Spiritum Sanctum. 114.
Matthias Steinbach dixit, ſe eſſe Spiritum Sanctum. 114.
Matutina cognitio quid ſit per S. Auguſtinum? 246.
Materia informis & inviſa an fuerit, ex qua Deus omnia creaverit? 345.
S. Maximi mens circa loquutionem Angelorum. 291.
Maximinus, Arianorum Epiſcopus, contra quem S. Auguſtinus ſcripſit. 98.
Mediator immediatus, primarius, & ex natura, eſt ſolus Chriſtus; Angeli vero ſunt Mediatores, ut etiam Sancti, mediati, ſecundarii, & per gratiam, & divinam ordinationem. 303.
Mediolanenſe Concilium in cauſſa Arii. 95.
Mediolanenſe Concilium II., & III. in cauſſa Arii. 96.
Mercurius Triſmegiſtus. an Trinitatem agnoverit? 10.
Ejus libri ſunt ſuppoſitii. ibid.
Meletius Antiochenus Semi-Arianus. 95.
Meritum fuit in Angelis bonis. 308.
Methodius quid de Trinitate ſenſerit? 21.
Ejus teſtimonium de Verbi divinitate. 89.
Michael Balbus, Imperator, negavit, eſſe Dæmones. 316.
Michael Servetus, ejuſque error contra Trinitatem. 26.
Ejuſdem error contra Spiritum Sanctum. 114.
Michael Cærularius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſchiſma perficit. 166.
Michaelis Archangeli principatus ſupra omnes Angelos vindicatur. 240.
Michael quid ſignificet? 242.
Michael Archangelus an ſit ex ordine ſupremorum Angelorum? 299.
Minutius Felix, ejuſque teſtimonium pro Verbi divinitate. 91.

Miſſio

Digitized by Google

Miſſio in divinis proprietas divinarum perſonarum in communi, & quid? 121.
Eſt proprio, & impropria. 127.
Propria dividitur in activam, & paſſivam; in viſibilem, & inviſibilem. ibid.
Non importat majoritatem, nec minoritatem. 128.
Supponit proceſſionem. 168.
Miſſio, a qua Angeli denominantur. 295.
Non omnis miſſio Angelorum eſt ad cuſtodiam. ibid.
Quanvis omnis cuſtodia ſit miſſio. ibid.
Fit a Deo. 296.
Miniſtri hominum non ſunt Angeli, ſed Dei. 297.
Mittuntur Angeli, vel ad animæ purgationem, vel ad intellectus illuminationem, vel ad affectus inflammationem. 299.
Miſeri non potuerint eſſe Angeli in primo ſuæ creationis inſtanti? 246.
Modeſtus dicitur Spiritus Sanctus, & quare? 164.
Mobilis dicitur Spiritus Sanctus, & quare? 164.
Moerentes conſolantur Angeli Cuſtodes. 307.
Molinæ explicatio loquutionis Angelorum. 288.
Mors introvit in mundum per peccatum. 377.
Sive prima, ſive ſecunda, fuit ſexta pœna primi peccati primorum parentum. 399.
Montani contra Trinitatem erearunt, & quinam fuerint? 22.
Montanus, & Montaniſtæ, & eorum errores contra Trinitatem. 23.
Dixit, ſe eſſe Spiritum Sanctum. 111.
Motus per ſe, & motus per accidens, quid ſint? 268.
Motus quotuplex ſit? 269.
Moyſes Trinitatis notitiam in ſacris libris non expreſſe docuit, ſed minus expreſſe additavit. 14.
Nihil expreſſe dixit de Angelis, & quare? 195.
Implicitè autem illorum creationis meminit. 201.
Mundus dicitur Spiritus Sanctus, & quare? 164.
Multiplicitas recte in divinis uſurpatur, & quo ſenſu? 53.

N.

Narciſſus in Cilicia Herodiadis inter primos Arii ſectatores. 94.
Nathanael Aelionus, ejuſque error contra Trinitatem. 10.
Neſtoriani on ſenſerint, Spiritum Sanctum a Filio non procedere? 164.
Neſtorius, ejuſque error contra Trinitatem. 25.
Nicænum Concilium generale I. contra Arium. 95.
Ejus deſcriptio. 94.
Nicephorus Conſtantinopolitanus an negaverit proceſſionem Spiritus Sancti a Filio? 166.
Nicephorus Calliſtus, & qua ejus mens circa proceſſionem Spiritus Sancti a Filio? 167.
Nicephorus Gregoras narrat, Nicephorum pro proceſſione Spiritus Sancti a Filio ſcripſiſſe. 167.
Nicetas ſcribit contra Latinos Spiritum Sanctum a Filio non procedere. 166.
Nicolaus Methonenſis contra proceſſionem Spiritus Sancti a Filio librum edidit. 166.
Nicolaus Cabaſilas ſcribit contra S. Thomam, proceſſionem Spiritus Sancti a Filio impugnans. 167.
Noetus, ejuſque error contra Trinitatem. 23.
Noe fuit revelatum Trinitatis myſterium. 14.
Nomina abſoluta abſtracta non prædicantur de Perſonis in plurali, ſed in ſingulari. 57.
Nomina eſſentialia abſtracta non ſupponunt pro Perſonis. 59.
Eſſentialia concreta ſupponunt. ibid.
Nomina illa Angelorum recipiuntur a Catholicis, quæ in Scripturis, vel apud Catholicos Scriptores, inveniuntur. 241.
Nomina Angelos habere probabilius judicatur. 241.
Notio in divinis quid ſignificet? 46.
Notiones proprietates divinarum Perſonarum in communi, & quid? 121.
Tria ad eas requiruntur. 126.
Notio in divinis eſt innaſcibilitas. 126.
Noriſius Cardinalis doctus, & fortis Auguſtini defenſor, laudatur. 347.
Novatores poſteriorum temporum fere omnia Eccleſiæ dogmata perturbarunt. 167.
Novorum Arianorum errores. 101.
Nox præceſſit diem in primo mundi exordio. 354.
Numenius Pythagoricus an Trinitatem agnoverit? 10.
Nuptiæ inter Adamum, & Evam, fuerunt ante peccatum. 388.
Numerum Angelorum aliqui dixerunt eſſe infinitum. 229.
Alii voluerunt eſſe majorem numero omnium corporeorum creaturarum, ſive in ſpecie, ſive in individuo. ibid.
Alii cum majori reſtrictione loquuntur. ibid.
Nyſſenus quid intellexerit de loco Angelorum? 256.
Ejus verba de proceſſione Spiritus Sancti a Filio explicantur. 188.

OB-

INDEX

O.

Objectum cognitionis Angelorum primarium eſt Deus. 271.
Alterum objectum eſt ipſemet Angelus. 272.
Tertium objectum ſunt alii Angeli. ibid.
Quartum objectum ſunt res omnes materiales in univerſali, & in particulari. ibid.
Quintum objectum ſunt futura neceſſaria. ibid.
Sextum ſunt futura contingentia. ibid.
Denique ſunt futura libera, non certo, ſed conjecturaliter. ibid.
Objectum omne cognitionis Angelorum non eſt ſupernaturale. 293.
Obſtacula ad virtutes removent Angeli Cuſtodes. 307.
Obſtinatio voluntatis in Dæmonibus unde proveniat? 325.
Ochamus quomodo explicet loquutionem Angelorum? 287.
Omiſſio pura an poſſit eſſe culpabilis? 254.
Omnipotentia tribuitur Patri in divinis. 121.
Oecolampadius, ejuſque error contra cultum Angelorum. 313.
Oppoſitio Angelorum hominibus peccantibus. 303.
Et quomodo fiat? ibid.
Operatio libera non poteſt eſſe prima primitate naturæ, poteſt tamen eſſe prima primitate temporis. 254.
Opus gratiæ & miſericordiæ quid importet in ordine naturali? 252.
Operari in loco ſupponit eſſe in loco. 257.
Operatio non conſtituit Angelos in loco. 262.
Operantur ne Angeli in Cælo Empireo? 262.
Operatio Angelorum prærequirit exiſtentiam in loco. 261.
Operari ſequitur ad eſſe, quomodo intelligatur? 263.
Operatio libera an præſupponat operationem neceſſariam? 255.
Optimus Magiſtrorum dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Orationes Eccleſiæ quare terminantur ad Patrem? 110.
Orationes hominum offerunt Deo Angeli Cuſtodes. 307.
Orbes cæleſtes an moveantur ab Angelis? 300.
Orbis totus aliquando ingemuit, & miratus eſt, ſe eſſe Arianum, ſecundum S. Hieronymum. 97.
Et quo ſenſu intelligatur? ibid.
Ordinatio peculiaris Dei peculiares locos aſſignat Angelis bonis, & malis. 259.
Ordinis præſentia quid ſit apud Durandum? 256.
Ordines Angelorum ſunt novem. 238.
Ex Traditione probatur. 240.
Ordinum Angelorum diſtributio fuit facta a principia creationis ipſorum. 241.
Ordinum quorumcumque Angeli mittuntur. 296.
Ore Prophetarum tanquam organo utebatur Spiritus Sanctus. 116.
Origenes ex Platonicorum Philoſophia ſuas hæreſes deduxit. 12.
Quid de Trinitate ſenſerit? 21.
Dicitur negaſſe divinitatem Verbi ante Arium. 85.
Quid revera de Verbi divinitate ſenſerit? 89.
Dixit Spiritum Sanctum eſſe factum per Chriſtum. 114.
Ejus opinio de natura Angelorum. 206.
Erravit contra Angelorum Cuſtodiam. 300.
Putavit Angelos eſſe quaſi Numina regnorum. 313.
Erravit dicendo, quod Diabolus, & Angeli ejus poſt longiſſima tempora reddendi ſint Cœlo. 325.
Favet inſtantaneæ rerum creationi. 351.
Paradiſum allegorice explicat. 363.
Origo prima hæreſis Arianæ. 92.
Originis ordo conſideratur in divinis. 129.
Originis nomen an tribuatur Patri? 137.
Origo peccati Angelorum fuit ſola poteſtas voluntatis, non vero ignorantia mentis, nec affectus cordis. 320.
Ortus hæreſis Arianæ quo anno ſit aſſerendus? 92.

P.

Paracletus dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Paradiſi deliciæ apud Scripturas & Patres an ſignificent claram Dei viſionem? 246.
Pamphilus martir, ejuſque teſtimonium de Verbi divinitate. 89.
Pancratius Presbyter in Concilio Nicæno I. Sedis Apolicæ Legatus. 96.
Paratarum hæreſis contra Trinitatem. 100.
Parentes primi an habuerint Angelum Cuſtodem? 307.
Pariſienſe Concilium in cauſa Arianorum. 97.
Paſſiones, quæ reſpiciunt malum pœnæ, non habuit primus homo in ſtatu innocentiæ; habuit tamen illas, quæ ordinantur ad bonum. 383.
Paſtoris liber ſuppoſitius. 308.
Patris nomen tripliciter in Scripturis accipitur. 132.
Quare prima Perſona in divinis vocetur potius Pater, quam Genitor, vel generans? 133.

Pa-

Patrophilus Scytopoleos inter primos Arii Sectatores. 94.
Patrum plurium mens circa loquutionem Angelorum explicatur. 291.
Paulus Tyrius inter Arii Sectatores. 94.
Peccatum primum Angelorum non fuit amor mulierum. 321.
Non fuit peccatum linguæ. ibid.
Non fuit odium Dei. ibid.
Non fuit ingratitudo in Deum. ibid.
Non fuit invidia in homines. ibid.
Non fuit luxuria ſpiritualis. ibid.
Fuit ſuperbia. 322.
Peccatum eſſe in foribus Gen. 4. quid ſignificet? 378.
Peccatum Adæ extendunt Doctores ad octo; nimirum ſuperbiam, amorem uxoris, curioſitatem, dubitationem, opinionem, quod tranſgreſſio eſſet venialis, gulam, inobedientiam, excuſationem peccati, quod commiſerat, & in qua continetur etiam accuſatio Dei. 394.
Peraticus Euphrateuſis Paratarum hæreticorum auctor. 100.
Perſona in divinis quid ſignificet? 48.
Perſona qualibet divina in ratione perſonæ formaliter conſtituitur per relationem. 77.
Perſonæ divinæ alloquentes inter ſe in hominis creatione. 29.
Petilianus, ejuſque error contra Spiritum Sanctum. 114.
Petrus Abailardus, ejuſque error contra Trinitatem. 101.
Ejuſdem error contra Spiritum Sanctum. 114.
Petrus Gonieʒius, Polonus, dixit, nondum eſſe revelatum, Spiritum Sanctum eſſe Deum. 114.
Petrus Martir proceſſionem Spiritus Sancti negare videtur. 167.
S. Petrus Chryſalogus, ejuſque opinio de natura Angelorum. 208.
Phœbadius, Aginnenſis in Gallia Epiſcopus, contra Arianos ſcripſit. 99.
Philippus Melanchthon, ejuſque error contra Spiritum Sanctum. 114.
Philo Judæus Angelos animalium voce appellavit. 204.
Favet inſtantaneæ rerum creationi. 351.
Paradiſum allegorice explicat. 363.
An Trinitatem agnoverit? 10.
Philoſophi Gentiles an aſſequuti fuerint Trinitatis cognitionem? 4.
Photinus an agnoverit Trinitatem? 10.
Ejus error contra Trinitatem. 24.
Ejuſdem error contra Spiritũ Sanctum. 113.
Photius acerrimus impugnator proceſſionis Spiritus Sancti ex Filio. 166.
Interminabilis ſchiſmatis auctor. 176.
Plato an Trinitatem agnoverit? 9.
Ejus verba expenduntur. ibid.
An Angelos admiſerit? 194.
Dixit, Angelos eſſe animalia. 204.
Platonici dixerunt, Cælos eſſe animatos. 358.
Plinius putavit Cælos eſſe animatos. 358.
Pluralitas recte in divinis uſurpatur. 53.
Et quo ſenſu? ibid.
Plutarchus male ſenſit de immortalitate Angelorum. 222.
Pœna Angelorum malorum quænam ſit? 326.
Eſt æterna. 328.
Ratiancs in contrarium ſolvuntur. 329.
Polycarpus, S. Joannis auditor, quid de Trinitate ſenſerit? 17.
Defenditur a Socinianorum calumnia circa Verbi divinitatem. 86.
Porphyrii error de Angelis malis ab Auguſtino confutatur. 319.
Poſſibilitas probationis deducitur ex poſſibilitate cognitionis. 1.
Praxeas, ejuſque error contra Trinitatem. 23.
Præſcriptionis argumentum quale? 43.
Præſentia Angeli non eſt infinita. 264.
Præadamitarum fabula impugnatur. 375.
Ratiunculæ pro ipſa adductæ ſolvuntur. ibid.
Principiatum an poſſint dici Filius, & Spiritus Sanctus? 135.
Principalis dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Principium in divinis cui conveniat?
Priſcillianus, ejuſque error contra Trinitatem. 24.
Priſcillianiſtæ, eorumque errores circa Dæmones. 317.
Voluerunt, Dæmones aliquando ſalvandos. 325.
Probationes poſitivæ, & negativæ, quid? 1.
Proceſſio quid, & quotuplex, in divinis? 60.
Non eſt in divinis tanquam a cauſa, ſed tanquam a principio. 63.
Duæ ſunt tantum in divinis activæ, & duæ paſſivæ. 64.
Sunt actiones vitales, non ſimplices emanationes. 65.
Proculus Philoſophus an Trinitatem agnoverit? 10.
Dixit, Angelos fuiſſe genitos. 197.
Promittere in Deo ſignificat aliquando prædeſtinare. 199.
Procopius favet inſtantaneæ rerum creationi. 351.
Prophetæ erant a Spiritu Sancto inſpirati. 116.
Propoſitiones in divinis quomodo reſolvendæ. 97.
Proprietas in divinis quid ſignificet? 48.

Proprietates in divinis aliæ ſunt Perſonarum in communi, aliæ in particulari. 121.
Pulcritudo in divinis tribuitur Filio. 121.

Q.

QUando nomini Deus nihil adjungitur, quod vel ampliet, vel reſtringat ejus ſignificationem, ſupponit pro natura divina, ut eſt eadem in tribus perſonis. 60.
Quando nomen Filii ſumatur proprie, & quando improprie? 144.
Quando Græci negare inceperint proceſſionem Spiritus Sancti a Filio? 165.
Quando facta fuerit Symbolo Conſtantinopolitano additio Filioque? 176.
Quæſtionem non eſſe de Spiritu Sancto, dicebat Valentinus Gentilis, Spiritus Sancti negant divinitatem. 115.
Quæſtionem ortam de Spiritus Sancti divinitate Orientales Epiſcopi Romano Pontifici dirimendam miſerunt. 116.
Quaſi quid ſignificet in Scripturis? 152.
Quæſtio de tempore creationis Angelorum ante Concilium Lateranenſe ad fidem non pertinebat; poſt Concilium neque eſt de fide; & contraria ſententia non eſt hæretica, neque eſt erronea; eſt tamen temeraria. 202.
Quæſtionum veteris teſtamenti liber eſt Auguſtino ſuppoſitus. 381.
Quiros explicatio circa loquutionem Angelorum. 288.
Quinam Angeli mittantur? 297.
Quomodo intelligatur prohibitio Concilii Epheſini de nihil addendo Symbolo? 170.
Quot ſint homines? 301.
Quot ſint Angeli? ibid.

R.

RAdicis nomen cur tribuatur Patri? 137.
Raphael quid ſignificet? 242.
Raymundus Lullius, ejuſque opinio circa Trinitatis myſterii cognitionem, confutatur. 2.
Ejus rationes adductæ, & reſponſiones ad illas ex P.Magnono. 4. & 5.
Ejus error contra Trinitatem. 100.
Ejuſdem error contra Spiritum Sanctum. 114.
Recipere quando importat imperfectionem? 111.
Rectus dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Redimere plus eſt, quam cuſtodire. 303.
Regeneratio tribuitur Spiritui Sancto. 116.
Relatio in divinis quid ſignificet? 46.
Relationes, tum ſecundum eſſe in, tum ſecundum eſſe ad, vere dantur in Deo. 68.
Secundum eſſe ad, qua ratione dicantur reales ſecundum P.Magnanum? 71.
Reales relationes originis quot ſint? 72.
Quomodo diſtinguantur? 74.
An dicant perfectionem, quomodo intelligendum? 81.
Diſparata non important realem diſtinctionem in divinis. 186.
Relativum inter, & relationem, quæ differentia ſecundum P.Magnanum? 77.
Relativa in divinis an, & quomodo, prædicentur de eſſentia? 58.
Remittere peccata ad Deum ſpectat. 118.
Reprobi habent ſuum Angelum Cuſtodem. 305.
Retardantur haudquaquam Angeli a viſione Dei per ipſorum miſſionem. 297.
Revelatio implicita, & explicita, quænam ſint? 13.
Quæ dicatur facta Angelis ex mente S.Thomæ? 276.
Richardus, & ejus explicatio circa loquutionem Angelorum. 287.
Rodolphus Gualterus, ejuſque error contra cultum Angelorum. 313.
Romanum Concilium in cauſſa Arii celebratum. 95.
Romanum Concilium II. & III. in cauſſa Athanaſii celebratum. 95.
Ruſticus quidam Diaconus aſſeruit, Spiritum Sanctum a Filio non procedere. 165.

S.

SAbellius, ejuſque error contra Trinitatem. 24.
Sadducæi Spiritum Sanctum negabant. 111.
Angelos non admittebant. 191.
Salomon qua ratione dicatur unigenitus? 154.
Salathiel, nomen Angeli, quid ſignificet? 242.
Samoſatenus, Paulus, ejuſque error contra Trinitatem. 24.
Sanctificatio tribuitur Spiritui Sancto. 116.
Sapientia quomodo intelligatur, quando dicitur a Deo creata? 109.
In divinis tribuitur Filio. 121.
Sardicenſe Concilium in cauſſa Arii. 95.
Secreta cordium non cognoſcuntur ab Angelis certo & infallibiliter. 274.
Scotiſta quomodo explicent loquutionem Angelorum? 287.
Secundus, Ptolemaidis Epiſcopus, primus Arii Sectator. 93.
Securus dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Seleucia Concilium in cauſſa Arianorum evaſit Conciliabulum. 96.
Seleuciani hæretici negarunt viſibilem paradiſum. 363.
Semi-Ariani, & ipſorum Secta. 95.
Seraphim quid ſignificet ex vi vocis? 299.

Ser-

Sergius Monachus in condenda Secta Mahometi adjutor. 25.
Serpens, qui decepit Evam, non fuit serpentis ſimulacrum, nec fuit ſerpens metaphoricus, ſed verus ſerpens. 393.
Loquutus eſt ope Dæmonis. ibid.
Fuit a Deo mulctatus quinque pœnis. 398.
Sethafuit revelatum Trinitatis myſterium. 14.
Sigillum dicitur ſecunda Perſona, & quare? 147.
Silvanus Tarſenſis Semi-Arianus. 95.
Similitudo naturæ, ad generationem requiſita, quomodo intelligatur? 154.
Simeon Rabinus, ejuſque teſtimonium de Trinitate. 15.
Simon Magus contra Trinitatem fuit. 22.
Simplex dicitur Spiritus Sanctus. 164.
Simplicius negavit Mogiam. 330.
Sirmienſe Concilium in cauſſa Arii. 96.
Singedunianum Conciliabulum in cauſſa Arianarum. 98.
Sol continet veſtigium Trinitatis ex Patribus. 6.
Sociniani dicunt Dæmones aliquando ſalvandos. 325.
Somnia ex quibus cauſſis proveniant? 273.
Sophronius Pompejopolitanus Semi-Arianus. 95.
Species dicitur ſecunda Perſona, & quare? 147.
Spectra quid ſint? Et an dentur? 334.
Spiritum Sanctum eſſe Deum probatur ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & Rationibus. 115. & ſeqq.
Non procedit per artem. 120.
Nec eſt genitus, nec ingenitus, ſed procedens. ibid.
Spiritus nomen quomodo conveniat tertiæ Perſonæ? 160.
Spiritus eſſentia quænam ſit? 205.
Sphœra præſentiæ Angeli reſtringi poteſt in punctum, & dilatari ad libitum. 264.
Sociniani dicunt, Dæmones aliquando ſalvandos. 325.
Stoici dixerunt, Cœlos eſſe animatos. 358.
Subſtantia in divinis quid ſignificet? 48.
Subtilis dicitur Spiritus Sanctus, & quare? 164.
Succubi Dæmones a pluribus negantur. 330.
Sunt nihilominus, & dantur. 342.
Superbia Angelorum malorum quænam fuerit? 323.
Fuit primum primorum Parentum peccatum. 395.
Sybellini libri an genuini, an ſuppoſititii? 11.
Cujus ſint auctoritatis? 242.
Quæ continent nomina Angelorum non recipiuntur. ibid.
Syllogiſmus expoſitorius an valeat in Trinitate? 9.
Syllogiſtica principia an appoſita ſint Trinitati? 7.

T.

Taleja Arii quid? 92. & 93.
Taraſius, & quæ produxit de Jaanne Theſſalonicenſi in Concilio Niceno II.? 211.
Tatianus quid de Trinitate ſenſerit? 21.
Temporis momentum, quo Deus creavit Angelos. 199.
Tenebræ quæ ſupponuntur in illuminatione Angelorum? 293.
Tentatio primorum Parentum non fuit interna, ſed externa tantum. 382.
Terra continet veſtigium Trinitatis ex Patribus. 6.
Quare in prima rerum creatione dicebatur inanis & vacua? 346.
Ejus nomine quid veniat in prima rerum creatione? 353.
Terreſtris Paradiſus fuit corporeus, non ſpiritualis, nec myſticus, aut allegoricus. 364.
Quoad amœnitatem non extat, extat tamen quoad locum. 369.
Ejus locus fuit ad alveum, quem efficit confluens Tigridis, & Euphratis. 367.
Tertullianus quid de Trinitate ſenſerit? 27.
Explicatur, & defenditur. ibid.
Circa Verbi divinitatem a Socinianorum calumnia liberatur. 90.
Dicitur, quod erraverit contra Spiritum Sanctum. 112.
Ejus opinio de natura Angelorum. 207.
Thales Mileſius voluit, noctem fuiſſe primo creatam, deinde diem. 354.
Theodoretus an ſenſerit Spiritum Sanctum a Filio non procedere? 164.
Ejus error circa loquutionem Angelorum. 287.
Ejus verba contra cultum Angelorum explicantur. 315.
Theodorus Mopſueſtenus, ejuſque error contra Trinitatem. 25.
Ejuſdem error circa loquutionem Angelorum. 287.
Theodorus Dorſebius, ejuſque error contra Trinitatem. 27.
Theodorus Beza, ejuſque error, contra Spiritum Sanctum. 114.
Ejuſdem error circa loquutionem Angelorum. 287.
Theodotus Bizantinus Coriarius fuit Alogorum Pater. 85.
Theodotus, Laodicenus Epiſcopus, inter primos Arii

Arii ſectatores. 93.

Theognis Nicænus inter primos Arii ſectatores. 94.

Theonas, Marmaricæ Epiſcopus, Arianus ex primis. 93.

Theophilus Alexandrinus quid de Trinitate ſenſerit? 21.

S.Thomas an concedat Patri nomen Authoris? 137.

Explicatur circa modum, quo fit illuminatio Angelorum. 294.

Ejus opinio de ſucceſſiva, vel inſtantanea rerum creatione. 347.

Thomiſtæ quomodo explicent loquutionem Angelorum? 287.

Traditio ſufficit, ſi in Romana Eccleſia ſervetur, ut dicatur, perſiſtere in Eccleſia catholica. 97.

Tranſilvani, & eorum argumenta contra Trinitatem. 48.

Eorundem errores contra Spiritum Sanctum. 115.

Negant Verbi generationem. 152.

Trinitatis myſterium eſſe contra humanæ rationis vim, quidam Scholaſtici aſſeruerunt; rejiciuntur. 2.

Communis ſententia eſt, quod ſit ſupra, non contra naturalem rationem. ibid.

Ejus veſtigia contenta in quibuſdam creaturis. 6.

Ei non opponuntur ſylogiſtica principia. 7.

Trinitas eſt invocanda. 111.

Triſmegiſtus, Mercurius, an Trinitatem agnoverit? 10.

Ejus libri ſunt ſuppoſitii. ibid.

Tyri Conciliabulum ab Arianis coactum. 94.

V.

VALENS *Marſa Arianus Sectator Eunomii.* 94.

Valentinus, antiquus Hæreſiarcha, Verbum, & Spiritum Sanctum, ad Angelorum conditionem redegit. 111.

Valentinus Gentilis, ejuſque error contra Trinitatem. 27.

Calaber non fuit. ibid.

Contra proceſſionem Spiritus Sancti citatur. 167.

Ubi intrinſecum an ſit ſuperadditum in Angelis, qui ſunt in loco? 262.

Velle ſecundum qui habet a ſe, an a ſe habeat etiam velle primum? 255.

Verbi divinitas aſſerta, & probata. 102.

Verbum dicitur ſecunda perſona, & quare? 138.

Ex quorum cognitione procedat? 148.

Non procedit per cognitionem futurorum. ibid.

Procedit per omnem cognitionem divinam neceſſariam. 149.

Vere primo non fuit mundus conditus, ſed autumno. 356.

Veſperis nomine in prima rerum creatione an ſignificetur nox? 355.

Via peregrinatio quid ſignificet per S. Auguſtinum? 246.

Vigilius, Tapſenſis, Epiſcopus, duodecim libros contra Arianos ſcripſit. 99.

Viri tres, qui Abrahæ apparuerunt, quid ſignificabant? 31.

Virtus dicitur ſecunda Perſona, & quare? 138.

Viſio omnis in Verbo communicari poteſt. 293.

Non omnis eſt beatificativa. ibid.

Unitas in divinis tribuitur Patri. 121.

Unctio ſpiritualis dicitur Spiritus Sanctus. 164.

Voluntas an determinetur a ſe ipſa, an a judicio practico, vel illius imperio? 254.

Eſt in Angelis, & probatur ex Scripturis, Patribus, & Rationibus. 282.

Actus voluntatis Angelorum quinam ſint? 283.

Dæmonum ita eſt in malo obſtinata, ut reſipiſcere non poſſit; & per hoc maxime ipſorum pœna eſt æterna. 325.

Fuit cauſſa interna peccati primorum Parentum. 393.

Vox Ex *in divinis tribuitur Patri; Vox* Per *tribuitur Filio; Vox* In *tribuitur Spiritui Sancto; & quare?* 122.

Uranius Tyrus Arianus Sectator Eunomii. 94.

Uriel quid ſignificet? 241.

Urſacius, Singidonis Epiſcopus, Arianus Sectator Eunomii. 94.

Wolfangus Muſculus, ejuſque error contra Trinitatem. 27.

Ejuſdem error contra cultum Angelorum. 313.

Z.

ZEROASTER *an Trinitatem agnoverit?* 10.

Ejus libri ſunt ſuppoſititii. ibid.

Dicitur, voluiſſe, Dæmonibus eſſe cultum exhibendum. 331.

Zacharia Propheta teſtimonium de divinitate Verbi. 103.

E R R A T A

Auctoris abſentia, Correctoris infirmitas, Typorum fatalitas, inevitabilia reddiderunt.

C O R R E C T A

Lectorum Humanitas, diſcretio, ſapientia, omnino reddent.

F I N I S.

Digitized by Google